BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Maschat, Remigius

Institutiones Canonicae Remigii Maschat A S. Erasmo ... Novissimis Pontificum Constitutionibus, Summariis Decretalium Omnium Correctionibus Ex Posteriori Jure, Et Concilio Tridentino Collectis, Bullarum ad ejusdem Concilii Decreta spectantium Compendio auctae, & illustratae
Bd.: 1

Ferrariae 1760

2 J.can.u. 123-1/2
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10489565-5

INSTITUTIONES CANONICÆ

REMIGII MASCHAT A S. ERASMO

CL. REG. SCHOLARUM PIARUM,

NOVISSIMIS PONTIFICUM CONSTITUTIONIBUS,

Summariis DECRETALIUM Omnium

CORRECTIONIBUS EX POSTERIORI JURE,

ET CONCILIO TRIDENTINO COLLECTIS,

Bullarum ad ejusdem Concilii Decreta spectantium Compendio auctæ, & illustratæ

AB UBALDO GIRALDI a S. CAJETANO

EX IISDEM SCHOLIS PIIS,

Apostolico Romani Cleri Examinatore, & Collegii Ecclesiastici Rectore.

PARS PRIMA

Institutiones Juris Civilis, Librum I. & II. Decretalium complectens.

FERRARIÆ MDCCLX.

SUMPTIBUS SOCIETATIS.

SED VENEUNT VENETIIS

APUD HÆREDES BALLEONIOS.

comparavit ... Colomannus

Bayerische Staatsbibliothek München

Bayerische
Staatsbibliothek
München

MONITA AD LECTOREM.

I. PRæstantia hujus Operis in lucem editi Znoymæ in Germania anno MDCCXXXV. quæ causa fuit, cur ipsomet Auctore vivente (Clarissimo Theologo, æque ac Canonista,) ne unum quidem exemplar publicæ commoditati superfuerit, eadem me impulit, ut illud iterum typis darem. Cum vero animadverterim, eam Auctoris fuisse mentem, ut Juris Canonici studiosis adjumento esset ad assequendum hujus theoriam non minus, quam forensem usum; ideo operæ pretium duxi aliquot additamenta annectere ex pluribus Apostolicis sanctionibus, ac sacrarum Congregationum Decretis posterius editis congesta, quæ ad utrumque finem assequendum faciliorem aperirent viam. Habes itaque, Lector, ante initium hujus primæ Partis addita a pag. 80. usque ad pag. 122.

II. Summaria omnium Decretalium in corpore totius Juris Canonici contentarum: ideo potissimum relata, ut cum non omnes, qui huic facultati student, Textum in promptu habere possint, universam, compendio saltem, notionem assequantur eorum, quæ in unaquaque earumdem Decretalium statuuntur: quo certe fiet, ut horam summariorum aliquoties repetita lectione, facilius in iis sancita memoriæ mandentur. Qua de causa sub unoquoque Titulo Decretalium Gregorii Papæ IX. unita referuntur summaria capitulorum contentorum in Titulis, qui repetuntur in libro sexto Bonifacii VIII. Clementinis, & Extravagantibus, tum Joan. XXII. tum communibus.

III. Cum vero jus Decretalium in pluribus hodie immutatum sit, ne in earumdem summariis perlegendis quis decipiatur, additæ sunt notæ, quarum ope quid, & a contraria consuetudine, & a posterioribus Decretalibus, tum etiam a sacro Tridentino Concilio, summorumque Pontificum sanctionibus ad annum usque MDCCLVI. statutum sit, indicatur.

IV. Immutationes autem leges tum in notis post summaria adjectis, tum in sex Elenchis in fine eorumdem summariorum digestis: quorum,

I. Decretalium correctarum a posterioribus Decretalibus pag. 169.
II. Decretalium correctarum pag. 175.)
III. Decretalium ampliatarum pag. 185.) a sacro Concilio Tridentino,
IV. Decretalium speciatim innovatarum pag. 189.)
V. Privilegiorum abrogatorum pag. 190.)
VI. Apostolicarum Constitutionum, quæ accesserunt Decretis ejusdem Concilii, pag. 192.

V. Accedunt præterea quamplurima, & quidem novissima, sacrarum Congregationum Decreta, quæque universalis legis vim habent, tum in Elenchis, tum in corpore Operis suis adjecta locis; quorum quanta sit auctoritas pro peculiarium quæstionum decisione, ostendit Sanctissimus Dominus noster BENEDICTUS XIV. in Institutionibus ecclesiasticis latinæ editionis, *Instit.* 107.§. *Si quis* de sacra Congregatione Concilii, quod pari modo dici potest de omnibus aliis sacris Congregationibus, ibi: *Primo, nam Scriptores de quæstionibus verba faciunt; illas autem sacra Congregatio dissolvit. Secundo, cum interpretanda Tridentina Synodus plerumque sit, summi Pontifices sacram Congregationem ejusdem Synodi solam interpretem statuerunt. Tertio, impudentissimus esset, qui contenderit, majoris ponderis habendum esse privatum hominem, qui suæ tantum mentis lumine ducitur, quam sententia præclarissimi Cætus, quem amplissimi Cardinales ecclesiasticæ disciplinæ, & Sacrorum Canonum peritissimi constituunt. Quarto, quia privati Scriptores nullam indicere legem possunt: quæ sane auctoritas a summis Pontificibus eidem Congregationi tribuitur, ut Ecclesiæ disciplinam per universum orbem amplificet.*

VI. Ne autem opponas, Lector, nullam his Decretis fidem adhibendam esse, propterea quod non constet de ipsorum evulgatione per authenticum testimonium manu Secretarii signatum, & sigillo Cardinalis Præfecti earumdem Congregationum munitum, secundum Urbani VIII. Decretum sub die 2. Augusti an. 1641. consulto ea tantum adjecta sunt, quæ a probatissimis Auctoribus referuntur; quorum fidei nihil detrahit Urbani Decretum, cum dumtaxat locum habeat in causis contentiosis. Et quod spectat ad Decreta Congregationis Concilii, horum quamplurima relata sunt ab eodem BENEDICTO XIV. partim in laudatis Institutionibus, partim in tractatu *de Synodo Diœcesana* editionis Rom. an. 1755. cujus quam numeris omnibus absoluta sit in his, sicuti & in ceteris facultatibus scientia, nemo ignorat: reliqua vero *in Thesauro Resolutionum* ejusdem Congregationis, quæ pro authenticis apud omnes habentur, cum typis data fuerit una cum causarum discussarum summario; & non nisi de approbatione Secretarii prædictæ Congregationis.

VII. Videbis etiam in fine secundæ Partis duos alios Elenchos, quorum unus pravas, diversasque alias consuetudines, alter quamplures civiles leges a Decretalibus abrogatas enumerat.

VIII. Tandem duos Indices, priorem Titulorum Juris Canonici, qui in dicta Parte explanantur, alphabetico ordine digestorum (contentos enim in hac prima reperies pag. 343.) posteriorem rerum omnium, quæ in utraque continentur.

IX. Additiones extra corpus hujus Operis habes a pag. 77. usque ad pag. 211. quas vero in corpore leges, tibi indicabit hoc signum. ☞

X. Quod si ex his, & Elenchis satis plenam notionem hodierni, receptique, quo vivimus, juris, haurire nequiveris (quod nos primum intendimus) pleniorem fortasse habebis in supplemento, quod me quamprimum, si Deus dederit, in lucem editurum confido: cum ceteroquin ob tantam legum varietatem vix cuiquam sit integrum omnia referre.

XI. Interim omnia hæc mea additamenta, & sensa, si quid in iis pro humanæ mentis imbecillitate erratum sit, Salomonis monito edoctus *Proverbiorum c. 3.* neminem inniti debere prudentiæ suæ, quod repetitum lego a D. Hieronymo in c. *Ne innitaris* 5. *de Constitutionibus*, sanctæ Romanæ Sedis judicio humiliter, demisseque subjicio.

XII. Specimen additamentorum jam habes. Si quid commodi ad tua studia derivare ex his posse videas, utere: sin minus, laborem hunc meum benigno excipias animo.

EDUAR-

EDUARDUS CORSINUS
A S. SILVESTRO
Cler. Reg. Scholarum Piarum Præpositus Generalis.

QUum Institutiones Juris Canonici a P. Remigio Maschat a S. Erasmo jampridem editas, & nuper a P. Ubaldo Giraldi a S. Cajetano recensitas, ac plurimis accessionibus auctas, & illustratas duo ex Theologis nostris accurate legerint, easque edi posse probaverint, ipsarum typis excudendarum facultatem concedimus.

Datum Romæ in ædibus nostris Scholarum Piarum apud S. Pantaleonem 8. Idus Martias 1757.

EDUARDUS CORSINUS A S. SILVESTRO
Præpositus Generalis.

Reg. fol. 120.

Stephanus Quadrius a S. Carolo Secretarius.

INstitutiones Canonicas Remigii Maschat a S. Erasmo Cl. Reg. Scholarum Piarum, novissimis Pontificum Decretis, Summariis &c. immenso labore, summaque diligentia, & ordine auctas, & illustratas a Reverendiss. P. Ubaldo Giraldi a S. Cajetano ex iisdem Scholis Piis, Apostolico Romani Cleri Examinatore, & Collegii Ecclesiastici in Urbe Rectore, jussu Reverendiss. Patris Joseph Augustini Orsi, Sacri Palatii Apostolici Magistri attente perlegi, nihilque in iis reperi, quod catholicæ Religioni, Sacris Canonibus, probisque moribus adversetur; imo omnia plausu, & commendatione omnino digna visa sunt; præcipue cum Jus commune novum prædictis additamentis plurimum illustretur. Ideoque censeo, optimum esse, ut Opus hoc ad communem omnium, & singulariter causas ecclesiasticas pertractantium utilitatem, maximumque pontificio juri operam navantium emolumentum, in lucem typis edatur.

Ex Monasterio S. Calisti die 15. Februarii 1757.

D. Michael Franciscus Benaglio Prior Cassinensis,
& in Collegio S. Anselmi SS. Canonum Lector.

JUssu Reverendiss. Patris Sac. Palatii Apostolici Magistri perlegi Opus inscriptum *Institutiones Canonicæ Remigii Maschat a S. Erasmo* Cl. Reg. Scholarum Piarum Theologo, jampridem in Germania impressum, & in duo volumina tributum; nuper autem additamentis locupletatum a Reverendiss. Patre Ubaldo Giraldi a S. Cajetano ex iisdem scholis, Sacrorum Canonum professore, & Cleri in Urbe Examinatore Apostolico: qui cum videret in eodem Opere non paucas Pontificum Constitutiones, & pleraque sacrarum Congregationum responsa desiderari, eaque variis dispersa locis, & in magnis voluminibus comprehensa non esse ita facile cuivis pervia, pro sua Canonum peritia, non sine ingenti labore collecta, miraque claritate in compendium redacta hic exhibet in commune commodum, suis quæque titulis intertexta. Accedunt ejusdem opera & aliæ quamplurimæ observationes in sex Elenchos digestæ, quæ non minus eruditæ sunt, quam necessariæ ad pernoscendum in hac tanta varietate Canonum Jus novum, quotidianum, & in foro receptum: ut jure hoc Opus ita illustratum, & auctum, existimandum sit ecclesiasticarum Constitutionum, earumque recentium, uberrimum quasi quoddam promptuarium: de quo mihi pluribus dicendum esset, si res verba desideraret, ac non pro se ipsa loqueretur. Quamobrem, cum nihil contineat, quod catholicæ Fidei, vel Bonis moribus adversetur; plane censeo, utilissimum Opus esse iterum luce publica donandum una cum præclaris accessionibus. Romæ decimo Kal. Martii MDCCLVII.

Albertus Cherofinius Sacerdos Oratorii
S. Hieronymi Caritatis.

OPus, cui titulus est *Institutiones Canonicæ P. Remigii Maschat a S. Erasmo Scholarum Piarum* in Germania olim editum, nunc autem cum additionibus Reverendiss. P. Ubaldi Giraldi a S. Cajetano ejusdem Congregationis iterum imprimendum, ut Reverendiss. P. Sacri Apostolici Palatii Magistri mandatis obtemperarem, summa animi jucunditate attente perlegi: illud enim omnibus Juris Canonici studiosis erit gratissimum; cum additionibus vero necessarium: nam in evolvendis Gregorii IX. Decretalibus quilibet hæreat oportet, ignorans, an eodem jure adhuc vivamus, vel potius aliqua superaccesserit Constitutio, ob quam jus antiquum sit innovatum. At quidquid a S. Concilio Tridentino, aut a summis Pontificibus de novo statutum fuit, ex hisce additionibus, improbo labore, ac summo studio collectis, & suis locis optime dispositis, statim intelliget. Cum itaque nihil in eodem Opere, nec in additionibus, quod puritati catholicæ Fidei, aut bonis moribus adversetur, notari valeat, propterea ad publicam utilitatem prælo committi posse censeo, si ita Paternitati suæ Reverendiss. videatur. Ex ædibus meis pridie Kal. Martii anno 1757.

Cosmus Torretti Academiæ Theologicæ
Censor, & Eminentiss. ac Reverendiss. D. Card. Tamburini Auditor

PRÆCURSUS JURIS CANONICI SEU INSTITUTIONES CIVICO-CANONICÆ.

In hoc Præcursu sequar Ordinem Institutionum Imperialium; utpote captui Discipulorum magis accommodum; ita tamen, ut omittam ea, quæ in cursu Juris Canonici suis tradidi titulis: ea vero ex Digestis suppleam, quæ in Institutionibus desiderantur ad notitiam Canonistæ.

LIBER PRIMUS

De Personis.

Personæ, *tanquam objectum materiale præstantius, primum locum sibi vendicant in hoc libro*: Res, & Actiones *in tribus posterioribus pertractantur. Antequam verò ad Personas accedamus, oportet hic in* 1. & 2. titulo *Prolegomenis Juris insistere.*

TITULUS I.

De Justitia, & Jure.

AGITUR de hac materia in Pandectis *lib.* 2. *tit.* 1. & 2. In Codice *lib.* 1. *tit.* 17. per tres Constitutiones.

1. *Nota* ex *l.pen. & ult. ff. h.t.* Jus pluribus modis dici: 1. pro *regula*, seu *præcepto communi*, uti est Jus naturale, Gentium, Civile, Honorarium, Canonicum. 2. Pro *sententia judiciali*, sicut Prætor jus reddere dicitur. 3. Pro *loco*, seu tribunali, in quo jus dicitur, 4. Pro *necessitudine*, seu conjunctione, uti est jus cognationis, affinitatis, amicitiæ. 5. Pro *arte*, seu *disciplina Juris*, quo sensu aliquis dicitur Professor, vel auditor Juris. 6. Pro *ipso volumine Jurium*. 7. Pro *facultate* aliquid disponendi, quo sensu dicitur aliquis jure suo uti, habere jus persequendi quod sibi debetur &c. 8. Pro *justo passivo*, seu *æquo*, quo sensu justitia dat cuique jus suum. Cæteræ acceptiones *Juris* in decursu hujus scientiæ videbuntur.

2. Ex his colliges, præsentem Rubricam *de Justitia, & Jure*, bene esse conceptam: nam in ea *Jus* accipitur pro arte, seu scientia Jurium, quo sensu *Jus* est posterius justitia, tanquam suo objecto: atque ita, si non grammatice, saltem juridice est derivatum, & appellatum à justitia *l.* 1. *pr. ff. h. t.* & *can.* 2. *d.* 1. ibi: *Jus autem est dictum, quid justum est.* At si *Jus* accipitur pro *æquo*, seu *justo passivo*, est prius justitia, utpote ejus objectum, quo sensu *justitia* est nomen derivatum à *Jure*; & ita Theologi bene inscribunt suum Tractatum: *De Jure, & Justitia.* Omissis aliis acceptionibus agam *h. t.* 1. De Jure accepto pro Volumine Jurium, quia Studiosum Juris ante omnia scire oportet, quales libros ad discendum habeat. 2. De Jure accepto pro Jurisprudentia. 3. De Jure accepto pro præcepto communi agetur *titulo seq.*

§. I.

De Voluminibus Juris Romani.

3. Q. I. *Quid, & quotuplex sit Corpus Juris Civilis*? ℞. *ad* 1. Corpus Juris Civ. est volumen, in quo leges seu Jura condita continentur, sicut anima in corpore. ℞. *ad* 2. Præcipua Volumina Juris Romani sunt seqq. 1. *Papirianum* à Sexto Papirio Jurisconsulto compilatum circa tempora Tarquinii Superbi, in quo *leges Curiatæ*, quas dedit Romulus Populo Romano in 30. Curias diviso, aliæque leges regiæ à Numa Pompilio, & subsequentibus Regibus latæ continebantur. 2. *Leges XII. Tabularum* prisca latinitate conscriptæ, quas Cic. *lib.* 1. *de Orat.* omnibus Philosophorum bibliothecis anteponit. Leges istas è Græcia attulerunt delecti ad hoc Decemviri, quas decem tabulis eboreis, vel æreis inciderunt, eique duas alias addentes, fecerunt *Leges XII. Tabularum*. Extant earum fragmenta in nonnullis exemplaribus Juris Civilis, textusque facilè dignoscuntur ex priscis vocabulis, ut *familiæ herciscundæ*, *communi dividundo* &c. 3. *Edictum Perpetuum*, quod tandem mandato Adriani Imp. Salvius Julianus Jurisconsultus ex variis Magistratuum Edictis compilavit, illudque suis Commentariis illustrarunt Papinianus, Paulus, Ulpianus, & alii Jurisconsulti. 4. Codex *Gregorianus*, & *Hermogenianus*, in quem Gregorius, & Hermogenes Jurisconsulti privata auctoritate transtulerunt Constitutiones Princi-

pum ab Adriano usque ad Constantinum M. 5. Codex *Theodosianus*, in quo Theodosius Minor Constitutiones Principum maxime Christianorum reposuit. 6. Tandem compilatum est Volumen *Justinianeum*, quod hodie præ manibus habemus, & vocamus *Corpus Juris Civilis*, in quod Justinianus Imp. Jura Romana dispersa, & indigesta, certo ordine, ac forma transtulit, opera Triboniani, Constantini, Dorothei, Theophili, & aliorum Jurisconsultorum. Ita hæc omnia historice describuntur *l. 2. ff. de orig. Jur.* & *l. 1. 2. Cod. de Vet. Jur. Enuc.* Ceterum secundum Dionysium Alicarnasseum *lib.* 10., quod spectat ad leges XII. Tabularum, hæ compilatæ fuerunt a Decemviris, partim e moribus antiquis, partim a legibus præcipue Atticis, quas attulerunt è Græcia tres Legati ad eas transcribendas missi.

4. Q. II. *Quot sint partes constituentes Corpus Juris Civilis Justinianei*? R. quatuor præcipuæ: *Institutiones*, *Pandectæ*, *Codex repetitæ prælectionis*, & *Authenticum* Novellarum Constitutionum. Partes secundariæ sunt: tredecim Edicta Justiniani, quinque Novellæ Justini, & totidem Tiberii, Constitutiones 113. Leonis, & nonnullæ aliæ Zenonis, Heraclii, Leonis Iconomachi, aliorumque Impp. Tandem duo libri Feudorum (Cujac. eos divisit in quinque) compilati per Obertum de Orto, & Gerardum Capogistum, seu Nigrum, Consules Mediolanenses. His extra Corpus Juris Civilis additur Nemesis, seu Ordinatio criminalis Caroli V. *an.* 1530. & 1532. promulgata in Comitiis Augustanis, & Ratisbonensibus. Item ea, quæ ad hodiernum Jus publicum pertinent, ut Bulla Aurea, Pax profana, Pax Religiosa Passaviensis, Pax Osnabrugo Monasteriensis, Capitulationes Cæsareæ, & Recessus Imperii.

5. Q. III. *Quid sint Institutiones, Pandectæ, Codex, & aliæ partes Juris Civilis*? R. 1. *Institutiones* sunt quatuor libri continentes breve Juris compendium, seu totius legitimæ scientiæ prima elementa. Ita Imp. in *Proœm. In.* §.4. Collectæ sunt potissimum ex Pandectis; hinc inde tamen eis immiscentur textus aliqui ex Codice, & aliis Constitutionibus.

6. R. 2. *Pandectæ* latine *omni capientia*, quasi omnia Juris capita capiant, sunt 50. libri ex variis triginta septem Jurisconsultorum textibus collecti, continentes plenam Jurisprudentiæ doctrinam. Aliter vocantur *Codex Juris enucleati l.* 1. §. 11. *C. de Vet. Jur. Enuc.* Item *Digestum*, seu *Digesta*, quia doctrinam legalem, olim confusam, nunc certo ordine digestam continent.

7. R. 3. *Codex secundæ*, seu *repetitæ prælectionis* est volumen constans 12. libris, ex Rescriptis, & Constitutionibus Principum compilatum. Dicitur autem *secundæ prælectionis*, quia ad legendum in scholiis substitutus est in locum prioris Codicis Justinianei, ab ipso Justiniano cassati, ut patet ex Const. incip. *Cordi, in Proœm. Codicis.*

8. R. 4. *Authenticum* est volumen constans 9. Collationibus, & 168. Novellis Constitutionibus, quibus anteriora Jura partim supplentur, partim corriguntur. Dicitur *Authenticum* tum ob auctoritatem Imperatoriam, cum etiam ad differentiam Epitomes, quam Julianus Patritius ex authentico, seu originali compendiarie transumpsit. Differt ab *Authentica*, quia Authenticum est integrum volumen Novellarum; *Authentica* vero est una Novella Constitutio, vel summarium illius, cujusmodi summaria minusculis litteris impressa sub nomine Authenticarum, hinc inde inserta sunt Codici.

9. R. 5. *Libri Feudorum* sunt volumen, quo continentur consuetudines Feudales Longobardorum, & Germanorum, insertis aliquot Constitutionibus Friderici, Conradi, Lotharii, & aliorum Imperatorum. De ceteris partibus, cum in usu non sint, nihil hic speciale dicendum. Quo modo singulæ partes istæ citentur, reperies in *Proleg. Jur. Can. n.*32. uti & Abbreviationes *n.*41.

10. Q. IV. *An partes principales Juris Civ. ita exacte sint combinatæ, ut nulla in eis antinomia, seu contrarietas legum reperiatur*? R. 1. Certum esse per Novellas anteriora Jura sæpe corrigi, imo Novellam posteriorem derogare priori, licet hæc ordine posterius sit collocata, ex reg. *l.* 28. *ff. de LL.* & *l. fin. ff. de Constit. Princ.* Sic *Nov.* 53. 74. per 117. & *Nov.* 95. 119. per 127. & *Nov.* 106. per 110. immutata est.

11. R. 2. Certum esse per 50. speciales Decisiones a Justiniano hinc inde Codici insertas corrigi anteriora Jura, uti *l.* 12. & *seqq. C. de Usufr.* Enumerat Decisiones istas Chlingensp. *Proœm. In. q.* 9. easque ex ipso tenore Constitutionis facile dignosces.

12. R. 3. In Pandectis, Institutionibus, & Codice antinomia evitari non potest, nisi licita sit violenta interpretatio. Ita Cujac. Wesemb. Carpz. Manzius, & alii in Jure versatissimi, contra Duar. Arumæum, Harp. & alios contendentes nullam dari in Jure Civ. antinomiam. Probatur allegatione unius, & alterius loci: 1. Juxta §. 1. *In. qui testam. tutores*. Servus sine expressa libertate testamento tutor datus consequitur libertatem directam, at per *l.* 9. *C. de fideicom. libert.* non directam, sed fideicommissariam. 2. Juxta §. 2. *In. de usufr.* vestimentorum est quasi-ususfructus, at per *l.* 14. §. 4. *ff. eod.* vestimenta sunt in usufructu. 3. Juxta *l.* 56. *ff. solut. Matr.* captivitate, & deportatione solvitur matrimonium, quod negatur *l.* 1. *C. de repudiis.* 4. Juxta *legem* 18. *ff. de Rebus Creditis* dissensus in causa impedit traditionis effectum, seu translationem dominii, quod negatur *l.* 36. *ff. de Acquir. rer. dominio.* Plura legenti Jus sponte occurrent. Dixi: *nisi licita sit*: quia quantum possibile est, leges conciliari debent *l.* 26. & *seqq. ff. de Legibus.* Et ideo pro concordia legum videtur subtilis, & aliquo modo violenta interpretatio esse licita ex permissione Imp. *l.* 2. §. 16. *C. de Vet. Jur. Enuc.* ibi: *si quis subtili animo diversitatis rationes excutiat.* His non obstat *l.* 1. §. 8. *l.* 2. *pr.* & §. 16. *l.* 3. §. 15. *C. eod.* nam licet Imp. optaverit, & demandaverit, ut opus hoc absque ulla antinomia, & contrarietate compilaretur, id tamen plene in omnibus non est assecutus. Unde *cit. l.* 3. §. 15. non dicit Imp. absolute nullam contrarietatem legum reperiri, sed *non facile quis repererit*. Ignoscendum tamen est tot Compilatoribus diversorum Jurisconsultorum textus colligentibus, quia *in nullo aberrare Divina utique solius, non autem mortalis est constantiæ cit. l.* 3. §. 13.

13. Q. V. *An Institutiones, Pandectæ, Codex, & Novellæ obtineant auctoritatem Juris communis*? R. 1. affirmative: nam Institutiones, & Pandectæ confirmationem Imp. Justiniani acceperunt per Const. incip. *Dedit nobis*, relatam *l.* 3. *C. de Vet. Jur. Enuc.* ita ut obligare inceperint ex 3. *Kal. Januar.* anno circiter 533. Codex verò sequenti anno promulgatus obligare incepit ex 4. *Kal. Jan.* ut patet ex Constit. præfixa incip. *Cordi de emendation. Cod.* Tandem *Novellæ* diversis postea temporibus latæ pari auctoritate Principis præfulgent, ex eo dictæ, quia novissime post Codicem secundum promulgatæ sunt, tanquam novum quid continentes. Ex his colliges, quod, si vera contrarietas in textibus reperiatur, Institutiones, & Pandectæ corrigantur per Codicem, & tria hæc per Novellas. At per Institutiones non corriguntur Pandectæ, sed supplentur, & explicantur Institutiones ex Pandectis, ceu suo fonte, exceptis iis, quæ ex Codice translata sunt in Institutiones, cum ista conditionem Codicis sequantur.

14. R. 2. Jus Civ. commune in Imperio Romano-Germanico receptum est quo ad omnia, donec ostendatur ei per Jura posteriora fuisse in aliquibus derogatum. Ita Ordinatio Cameræ Imp. *an.* 1496. in qua Maximilianus I. Assessoribus sub juramento præcipit sequi jura communia Romana. Idem præcipitur in Ord. Cam. *an.* 1500. §. Ordnen. & *an.* 1555. *p.* 1. *tit.* 13. §. 1. & *an.* 1577. §. 17. Unde allegans Jus commune, licet ejus observantiam non probet, habet causam, & intentionem suam fundatam, donec contrarium Jus posterius ostendatur. *Excipe* 1. tres ultimos libros Codicis de Jure publico Rom. tractantes, qui propter immutatam formam Reipubl. nec observantur, nec traduntur in scholis, nisi forsan quo ad ea, quæ moderno statui sunt accommoda. *Excipe* 2. Authenticas Codici insertas, quæ nomen Friderici Imper. non præferunt, sed ab Irnerio, seu Wernero Jurisconsulto (ut vulgo creditur) additæ sunt; neque aliter obtinent auctoritatem Juris, nisi quatenus concordant cum originali Novellarum. *Excipe* 3. leges Codicis, quæ ex 60. libris basilicis Imper. Basilii Macedonis desum-

sumptæ sunt; quia libri isti nunquam recepti erant in Imperio Occidentali. *Excipe* 4. tres ultimas Novellas, & quasdam leges a Cujacio Codici insertas, de quibus notare solet Gothofr. Cæteræ partes Juris Civilis non habent auctoritatem, exceptis libris Feudalibus, ad quos tunc esse recurrendum, dum propriæ cujusque loci consuetudines deficiunt, statuit Reformatio Politiæ *an.* 1548. *tit.* 3. & Recessus Imp. 1567. Quomodo observandum sit Jus Civ. in foro Canonico docent regulæ relatæ in *Proleg. Jur. Can. n.* 28.

15. Q. VI. *De qua re agat Jus Civ. Romanum?* R. generaliter loquendo de *Personis, Rebus, & Actionibus*, ceu tribus objectis materialibus. Ordo autem in singulis voluminibus est diversissimus, qui Tironibus Juris non leve negotium præbet. Hinc eorum gratia subjiciam hic brevem Juris Civilis Synopsim, seu quoddam generale systema, ut à generalibus confuse præcognitis facilius ad specialia procedatur.

Synopsis Institutionum.

16. *Liber I.* agit 1. per priores duos titulos de objecto, natura, & divisione Jurisprudentiæ, ejusque principiis, quæ sunt Jus naturale, Gentium, & Civile. 2. a *tit.* 3. *usque ad* 7. de prima divisione personarum in liberos, & servos, ingenuos, & libertinos. 3. a *tit.* 8. *usqu. ad* 12. de secunda divisione personarum in eos, qui sui, vel alieni juris sunt, seu in dominos, & servos, patresfamilias, & filiosfam. ubi etiam de modis acquirendæ patriæ potestatis per nuptias, legitimationem, & adoptionem, & de modis, quibus solvitur patria potestas. 4. a *tit.* 13. *usque ad fin.* de tertia divisione personarum in eos, qui sub tutela, vel cura sunt, & eos, qui sub neutra hac potestate sunt. Occasione tutelæ, & curæ agitur de Tutoribus testamentariis, legitimis, & dativis, de Curatoribus, satisdatione, excusatione, & crimine suspecti Tutoris, & Curatoris.

Liber II. agit 1. a *tit.* 1. *usque ad* 5. de rebus corporalibus, & modis naturalibus acquirendi dominium. Item de rebus incorporalibus, seu juribus, ut servitutibus, usufructu, usu, & habitatione. 2. a *tit.* 6. *usque ad* 9. de modis civilibus acquirendi per usucapionem, & donationem, & personis alienare, vel acquirere valentibus, 3. a *tit.* 10. *usque ad fin.* de modo civili acquirendi res universas per successionem ex testamento, & de his, quæ testamento cohærent, ut legata, fideicommissa.

Liber III. agit 1. *tit.* 1. *usque ad* 13. de modis civilibus acquirendi res universas per successionem ab intestato, per bonorum possessionem, arrogationem, bonorum addictionem, & venditionem. 2. a *tit.* 14. *usque ad fin.* de obligationibus realibus, verbalibus chirographariis, & consensualibus, & quasi-contractibus, modisque solvendi obligationem.

Liber IV. agit 1. a *tit.* 1. *usque ad* 5. de obligationibus ex delictis privatis, ut furto, rapina, damno, injuria, & quasi-delictis. 2. a *tit.* 6. *usque ad* 16. de variis actionibus, exceptionibus, replicationibus, interdictis, & pœnis temere litigantium. 3. a *tit.* 17. *usque ad fin.* de officio Judicis, & judiciis, seu delictis publicis.

Synopsis Pandectarum.

JUstin. *l.* 3. a §. 1. *cum seq. C. de Vet. Jur. Enuc.* ad numerorum naturam & harmoniam respiciens, divisit Pandectas in 7. tractatus, seu partes.

17. *Tractatus I.* a *libro* 1. *usque ad* 4. præmissis principiis Juris, & personis tam privatis, quam publicis, continet, præparatoria judiciorum, uti sunt jurisdictio, citatio, satisdatio, feriæ, dilationes, libellus, pacta, transactiones, personæ auxiliares, ut Advocati, Procuratores, Syndici: item restitutiones in integrum, arbitria, & alia his cohærentia.

Tractatus II. a *lib.* 5. *usque ad* 11. continet judicia in genere: item in specie judicia realia universalia circa hæreditatem, & realia singularia, seu actiones reales circa res singulares, uti est Rei vindicatio circa corporalia; Confessoria, & negatoria circa usumfructum, & servitutes. Tum sequitur actio quadrupedaria. L. Aquiliæ, effusi, dejecti, noxalis, & actiones mixtæ finium regundorum, familiæ herciscundæ, communi dividundo, ad exhibendum, & varia miscellanea pro judiciis.

Tractatus III. a *lib.* 12. *usque ad* 19. continet conditiones, seu actiones personales ex contractibus, & quasi-contractibus.

Tractatus IV. a *lib.* 20. *usque ad* 27. continet accessoria contractuum; uti sunt pignora, evictiones rescissiones, usuræ, probationes, instrumenta, testes, Juris, & facti ignorantia; item nuptias, & tutelas.

Tractatus V. a *lib.* 28. *usque ad* 36. continet ultimas voluntates, & successiones civiles.

Tractatus VI. a *lib.* 37. *usque ad* 44. continet Successiones Prætorias, seu bonorum possessiones ex testamento, ab intestato: item novi operis nunciationem, actionem damni infecti, aquæ pluviæ arcendæ, donationes, manumissiones, dominia, possessiones, usucapiones, sententias, & adjudicationes, interdicta, exceptiones.

Tractatus VII. a *lib.* 45. *usque ad* 50. continet verborum obligationes, modos, quibus solvitur obligatio, delicta privata, & publica, appellationes, Jura fiscalia, militaria, & municipalia; & tandem per modum recapitulationis clauditur Digestum duobus titulis de Verborum significatione, & diversis regulis Juris.

18. Interpretes aliam faciunt partitionem Digesti: in *Digestum Vetus*, seu anterius, quia ordine ceteras partes præcedit. *Infortiatum*, quia juxta aliquorum somnia agit de rebus fortissimis; puta matrimonialibus, tutelis, & ultimis voluntatibus; melius diceretur *Infartiatum*, seu *Medium*, quia mediat inter vetus, & novum; & ultimo in *Digestum novum*, seu ultimum, quia postremum locum obtinet. Rationes, & derivationes horum nominum noli quærere, quia sunt meræ notæ ad placitum, sicut apud Dialecticos *barbara celarent, darii* &c. Sic etiam quod Pandectæ, quæ per græcum Π citabantur, hodie per *ff.* scribantur, est merum signum ad placitum Notariorum, ex affinitate cum dicta littera græca traductum. Idem dicendum de notis paragraphorum §. Insistendo proinde partitioni Interpretum, tres erunt partes Digesti: *Prima pars* protendi potest usque ad librum 22. inclusive, & traduntur in ea præparatoria judiciorum, & actiones tam reales, quam personales. *Secunda pars* protenditur a lib. 23. usque ad 40. & traduntur in ea nuptiæ, tutelæ, ulimæ voluntates bonorum possessiones, seu successiones Prætoriæ, novi operis nunciatio, actio damni infecti, aquæ pluviæ arcendæ, de publicanis, donationes, & manumissiones. *Tertia pars* a lib. 41. usque ad ultimum 50. agit de dominiis, possessionibus, usucapionibus, adjudicationibus, interdictis, exceptionibus, stipulationibus, modis solventibus obligationem, delictis privatis, & publicis, appellationibus, de juribus Fisci militum, & municipium, de *Ver. Sign.* & *R. J.*

Synopsis Codicis.

19. *Liber I.* agit 1. de Sacris, ut Summa Trinitate. 2. de Legibus, Rescriptis, & Statutis. 3. de Magistratibus.

Liber II. de præparatoriis judiciorum, ut de edendo, citando, pactis, transactionibus, Advocatis, Procuratoribus, restitutionibus, Arbitris, satisdationibus, formulis actionum, & jurejurando.

Liber III. de Judiciis, Judicibus, Actore, Reo, actibus judicialibus, foro competente. Item in specie de actionibus realibus, mixtis, & noxalibus.

Liber IV. de actionibus personalibus, contractibus, de exceptione Senatusconsulti Macedoniani, Vellejani, usuris, uti & de probationibus.

Liber V. de nuptiis, & tutelis.

Liber VI. de Servis, & libertis, bonorum possessionibus, testamentis, legatis, successionibus ab intestato.

Liber VII. de manumissionibus, præscriptionibus, sententiis, & appellationibus.

Liber VIII. de Interdictis, pignoribus, exceptionibus, & stipulationibus, patria potestate, consuetudine, & donationibus.

Liber IX. de delictis publicis, & privatis, pœnis, aliisque criminalibus.

Liber X. de Fiscalibus, & Municipalibus.

Liber XI. de Patrimonialibus, Collegiis, Agricolis.

Liber XII. de dignitatibus, & officiis Palatinorum.

Ex hac triplici Synopsi patet, quam diversa sit materiarum dispositio in Institutionibus, Pandectis, & Codice; sed non propterea animo concidere debet Juris Studiosus, quia systema hoc menti imprimendo, & Corpus Juris aliquoties obiter percurrendo, quidlibet facile in Jure reperiet.

§. II.

De Natura, Objecto, Præceptis & Divisione Jurisprudentiæ.

20. Q. I. *Quid sit Jurisprudentia?* ℞. Est *ars boni*, & *æqui*. Ita Celsus *l.* 1. *pr. ff. h. t.* seu *est Divinarum, atque humanarum rerum notitia, justi, atque injusti scientia. pr. In.* & *l.* 10. *in fin. ff. h. t.* Dicitur 1. *ars*, quia Jurisprudentia habet certa præcepta ad efficiendas actiones justas dirigentia. *Dicitur* 2. *boni*, quia est habitus bene disponens intellectum ad optimum sui objecti. *Dicitur* 3. *æqui* non generaliter, prout *æquum* dicitur omne, quod est conforme legi, atque ita convertitur cum bono, sed *æqui* specifice in materia justitiæ: quia Jurisprudentia dirigit voluntatem ad ponendum æquum secundum leges, & exigentiam Juris alieni. *Dicitur* 4. *Divinarum rerum*, hoc est præceptorum naturalium, quæ in materia justitiæ sunt prima principia Juris.

21. Q. II. *Qualis habitus sit Jurisprudentia?* ℞. 1. est vera scientia. Ita com. contra Vinn. & alios paucos negantes illam reduci posse ad artificiosum, & scientificum systema. Prob. ex §. 1. *In.* & *l.* 10. *ff. h. t.* ubi Jurisprudentia dicitur *justi, & injusti scientia.* & *l.* 1. §. 1. *eod.* vocatur *vera philosophia.* Ratio est, quia ad veram scientiam plus non requiritur, quam principia infallibilia, & conclusiones ex his deductæ certæ, & evidentes; sed Jurisprudentia habet principia infallibilia, scilicet Jura naturalia, a quibus vim suam habent Jura civilia, & deducit scientifice conclusiones certas, & evidentes v. g. legem esse obligatoriam, quia est rationabile præceptum Superioris: actionem secundum leges justam esse laudabilem, & Reipublicæ proficuam, quia regulata est a principio, seu præcepto communi: usucapiones, & servitutes esse licitas, quia bonum publicum præferendum est bono privato: testamentum imperfectum non prodesse, quia caret forma substantiali &c. ergo. *Dices:* Principia Jurisprudentiæ, scilicet Jura humana sunt mutabilia, & fallibilia: item objecta illius sunt contingentia, uti actiones civiles. ℞. licet Jura humana materialiter, & quo ad determinationem sint mutabilia, formaliter tamen quo ad vim obligatoriam sunt immutabilia, & infallibilia, cum innitantur huic principio: *justæ legi Superioris parendum est.* Similiter *actiones civiles* in communi, prout attinguntur a Jurisconsulto non sunt contingentes, sed necessariæ, licet quo ad existentiam, & determinationem mutentur. Sic enim necessariæ sunt istæ propositiones: *Testamentum sua forma instructum, est validum, contractus legibus conformis, est legitimus* &c.

22. ℞. 2. Jurisprudentia est ex fine suo practica, & subalternata Ethicæ. Ita com. *Ratio* primi, quia scientia justi, & injusti, seu dirigens ad exercendam operationem justam, & cavendam injustam, est omnino practica, cum pro fine suo habeat opus; sed Jurisprudentia est *justi & injusti scientia pr. h. t.* ergo. *Ratio* secundi, quia scientia habens principia demonstrata in scientia superiori, est ei subalternata, sed Jurisprudentia habet principia sua demonstrata in Ethica, ergo. Probatur minor. Hoc principium Jurisprudentiæ: *Legi Superioris parendum est*, demonstratur in Ethica, quia inferior subjicitur Superiori, & ejus directione indiget ob salutem Reip. & hoc principium: *bonum publicum præferendum est privato*, demonstratur in Ethica, quia ratio naturalis dictat, majus bonum esse præferendum minori bono, & sic in cæteris, quia, ubi desinit Ethicus, ibi incipit Jurisconsultus, ergo. Quod si ad hanc subalternationem differentiam accidentalem objecti desideras, ista facile assignatur: nam objectum Ethicæ est actus moralis, objectum verò Jurisprudentiæ est actus moralis, ut *justus*, seu *rectificatus per leges.*

23. ℞. 3. Scientia juridica est habitus diversus a prudentia; nam objectum utriusque, & modus procedendi est diversus: & quidem objectum scientiæ juridicæ est actio civilis in communi; & modus procedendi universalis v. gr. *Legitimo Superiori parendum est, sed Imperator, aut Rex est legitimus Superior suorum, ergo.* At objectum prudentiæ est actio vestita omnibus particularibus circumstantiis, & modus procedendi singularis v. g. Qui pensatis omnibus, videtur mihi legitimus Superior, ei parendum est; sed Carolus VI. pensata ejus electione, cæterisque circumstantiis videtur mihi esse legitimus Superior, & Imperator subditorum sæcularium, ergo ab his ei parendum est. Tum quia experientia teste, sicut optimus Theologus quandoque pessimus est Christianus, ita Jurisconsulti optimi, sæpe mimime sunt prudentes, dum in consiliis, & particularibus materiis in commodum, & favorem suum justitiam susque deque pervertunt, & limites judicii prudentialis, quod rectæ conscientiæ est regula, transgrediuntur. Fateor tamen per studium Juris, præsertim si præcepta ejus frequenter particularibus materiis applicentur, occasionaliter acquiri habitum prudentiæ, qua de causa scientia legum dicitur *Jurisprudentia*, & Jurisconsulti *Prudentes* §. 8. *Inst. de Jur. natur. Gent. & Civil.*

24. Q. III. *Quod sit objectum Jurisprudentiæ?* ℞. 1. Objectum materiale remotum est triplex: *Personæ, res*, & *actiones.* §. *fin. de Jur. nat. Gent. & Civil. omne autem Jus, quo utimur, vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones.* 2. Objectum materiale proximum sunt *actus voluntatis:* formale est *rectitudo æqualitatis* secundum leges: complexum & adæquatum est actio civilis, quatenus in materia justitiæ rectificata per leges, seu justitia actualis a legibus regulata. Ita in re com. Et patet ex definitione Jurisprudentiæ, quæ est *ars æqui, justi, & injusti scientia.* Hinc Ulpian. *l.* 1. §. 1. *ff. h. t.* de Jurisconsultis ait: *Justitiam namque colimus, & boni, & æqui notitiam profitemur, æquum ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernentes, veram nisi fallor, philosophiam, non simulatam affectantes:* nam Jurisprudentia ex fine suo intrinseco tendit ad dirigendos actus justitiæ secundum leges, ergo. 3. Finis extrinsecus Jurisprudentiæ est salus, & felicitas Reipubl. & finis ultimus est Deus, tanquam principium, & finis omnium Jurium, & Jurisconsultorum. *Dices:* actio justa est objectum virtutis justitiæ, & Ethicæ, ergo non jurisprudentiæ. ℞. hic diversam rationem esse spectandam: nam actio justa, ut *moralis* est, pertinet ad Ethicam; ut *justa est secundum æqualitatem*, pertinet ad habitum, seu virtutem justitiæ, ut *regulata est secundum leges*, seu Jura civilia, pertinet ad Jurisprudentiam, quæ licet sit in intellectu, tamen regulat actus voluntatis ad æqualitatem legalem æqui. Denique ut est vestita his circumstantiis, pertinet ad prudentiam regulantem. Sic vendere cum æqualitate mercis & pretii, est objectum, & actus justitiæ: at vendere cum certo modo, & solemnitatibus a Jure præscriptis, est actus regulatus a Jurisprudentia, licet eliciatur a voluntate.

25. Q. IV. *Quot sint generalia præcepta Juris?* ℞. hæc tria: *honeste vivere, alterum non lædere, suum cuique tribuere.* §. 3. *h. t.* Primum præceptum, licet ampliari possit ad omnem honestam vitam, ne quid turpe, & rationi dissonum committatur, tamen principaliter procedit de vita honesta intra limites justitiæ, atque ita est principium, ex quo manant duo reliqua præcepta: alterum negativum *neminem lædere*, alterum affirmativum *suum cuique tribuere*, etiam malefactori pœnam, quatenus per delicta ablatus honor civium Reipubl. restituatur.

26. Q. V. *Quotuplex sit Jus acceptum pro Jurisprudentia?* ℞. duplex: *Publicum*, & *Privatum.* §. *fin. h. t. l.* 1. §. 2. *ff. eod.* nam divisio ista, quæ non est subjectiva ex parte habituum, sed objectiva ex parte materiæ, desumitur ex fine, seu utilitate, quam Jus respicit: talis autem utilitas vel est principaliter publica, vel privata, ergo etiam Jus aliud est publicum, aliud privatum. *Publicum* est, *quod ad statum Reipubl. spectat*, hoc est quod principaliter disponit de Magistratibus, & negotiis; atque ita pro fine habet principaliter utilitatem publicam Reipublicæ, licet secundario, & in consequentiam utilitas ista redundet in privatos. Hinc Ulp. *l.* 1. §. 2. *ff. hoc tit.* dicit Jus publicum consistere in *Sacris, Sacerdotibus*, & *Magistratibus*, quæ tria ad utilitatem publicam

blicam ordinantur. Hodie tamen *Sacra*, *& Sacerdotes* non Civili, sed Can. Jure reguntur. *Jus Privatum* est, *quod ad singulorum utilitatem spectat*; hoc est quod principaliter disponit de privatis actionibus civium; atque ita pro principali fine habet utilitatem privatorum, licet hæc secundario, & in consequentiam redundet in bonum commune. Hic Imp. omisso Jure publico, agere intendit de privato, ad quod pertinent *libertates*, *servitutes*, *patria potestas*, *tutela*, & *cura*, *rerum dominia*, *testamenta*, *contractus*, *delicta*, *judicia*, & alia hujusmodi. *Dices:* Multa ad Jus privatum spectantia dicuntur esse Juris publici, ut leges testamentorum, adoptionum, fora, plateæ, delicta publica &c. ℞. Jus dici publicum ex fine utilitatis publicæ, cætera vero aliis modis dicuntur publica vel *effective*, quia procedunt ab auctoritate publica, & privatorum pactis mutari nequeunt, sicut leges, juxta *l.* 38. *ff. de pact. Jus publicum privatorum pactis mutari non potest*. Vel *publica usu*, quia toti populo sunt communia, sicut fora, plateæ &c. Vel publica *reservatione*, quia auctoritati legis reservantur, sicut pœnæ publicorum judiciorum *l.* 15. *pr. ff. ad municip.*

27. Q. VI. *Ex quibus præceptis collectum sit Jus privatum*? ℞. *ex naturalibus præceptis*, *aut gentium*, *aut civilibus*, ob quod etiam *tripartitum* dicitur. §. *fin. in fin. h. t. l.* 1. §. 2. *ff. eod.* nam quilibet civis, ut homo est, regitur *Jure naturali:* ut pars est societatis humanæ ex integris gentibus congregatæ, regitur *Jure gentium*; & ut est pars certi populi, seu civitatis, regitur *Jure civili* talis populi. Ceterum tria hæc genera præceptorum etiam communia sunt Juri publico, quia & hoc inniti debet Juri naturali, gentium, & civili. *Dices:* Præcepta ista præsertim naturalia pertinent ad Ethicam, ergo non ad Jurisprudentiam. ℞. & pro solvendis pluribus dubiis hæc te notare volo: 1. Jura naturalia ut sunt principia per se nota, pertinent ad *synderesim*, quæ est habitus primorum principiorum practicorum tam universalium, seu altiorum v. g. *bonum est faciendum*, *malum fugiendum*, *bonum publicum prævalet privato*, *necessitas non habet legem* &c. quam communium, seu inferiorum per se innotescentium v. g. *non est furandum*, *fornicandum* &c. 2. Jura naturalia, ut substant discursui ethico ad inferendam conclusionem, per modum principii spectant ad Ethicam v. g. subditus parere debet suo Prælato, quia *inferior parere debet Superiori*, quod est principium Juris naturalis, ex quo sequitur prior illatio. 3. Jura naturalia, ut sunt regula prima, & suprema dirigens omnes leges inferiores, & quatenus contingenter, seu arbitrarie determinantur a Jure humano, pertinent ad Jurisprudentiam, tanquam illius principia v. g. hoc præceptum naturale: *malefactores sunt puniendi*, dirigit leges criminales, & ab iis determinatur ad certum modum puniendi per gladium, ignem &c. 4. Jura naturalia, ut applicantur actu omnibus circumstantiis vestito, pertinent ad virtutem prudentiæ, ejusque partes, scil. ad *Eubuliam* pro dando recto consilio, ad *Synesim* pro recte dijudicandis consiliatis secundum principia communia, ut depositum domino est reddendum, alienum non est accipiendum &c. ad *Gnomen* pro recte dijudicandis consiliatis secundum principia altiora v. g. *bonum publicum prævalet privato*, *necessitas non habet legem* &c. ex quibus sequitur depositum non esse reddendum hosti Reipubl., in extrema necessitate alienum accipi posse &c. Vides ergo, quod Jura naturalia sub diversa ratione & applicatione ad diversas scientias, & virtutes pertineant, ipsaque synderesis omnia moralia ad se trahat, omnibusque deserviat.

28. Q. VII. *An ergo dicendus sit Jurista scientificus, qui callet illa triplicia præcepta ad Jus pertinentia*? ℞. negative: nam acquirere talia præcepta non est aliud, quam sibi comparare quendam habitum primorum principiorum legalium. Ut vero Jurista dicatur scientificus, requiritur insuper, ut sciat artificiose secundum principia Juris deducere conclusiones necessarias primario, & ubi hæ deduci non possunt, saltem probabiles, cum & istæ secundario ad scientiam pertineant. Ita fecerunt sapientissimi Jurisconsulti in Pandectis citati, qui in Leges, Senatusconsulta, Edicta eruditissimos Commentarios ediderunt, & innumeras conclusiones ex Juribus latis deduxerunt, ita ut Interpretationes Prudentum olim communiter *Jus Civile* appellatæ sint. *l.* 2. §. 12. *ff. de orig. Jur.* De præceptis Juris agetur *seq. tit.* Cum vero Jus circa justitiam occupetur, merito de illa aliquid dicendum, & revocandum erit ex Ethica, siquidem in Jure præter definitionem justitiæ vix aliud quid de illa specialiter reperitur.

§. III.

De Justitia.

29. *Justitia* hic non accipitur pro gratia sanctificante, nec pro collectione omnium virtutum, quo modo dicitur justitia *universalis*, sed prout est virtus specialis una ex quatuor virtutibus Cardinalibus. In quo sensu.

30. Q. I. *Quid sit justitia*? ℞. est *constans*, *& perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi pr. h. t. l.* 10. *ff. eod.* Dicitur: 1. *voluntas* non formaliter, ut est potentia animæ, sed metonymice, ut significat actum vel habitum practicum voluntatis. *Dicitur* 2. *constans*, quia justitia est habitus firmus, & stabiliter inclinans ad suum actum. *Dicitur* 3. *perpetua*, non *subjective*, qualiter in solo Deo perpetuo manet, sed *objective*, & *affective*, quia justitia, quantum est de se, semper quodcunque jus alterius intendit adæquare. *Dicitur* 4. *jus suum*, hæ particulæ *dare cuique jus suum* locum tenent differentiæ, quia justitia ex natura sua est virtus ad alterum, & unice intendit dare alteri, quod suum est. Ex his solvuntur argumenta in contrarium. Videatur S. D. 2. 2. *q.* 58. *a.* 1. Porro data definitio justitiæ non tantum competit justitiæ creatæ, sed etiam per analogiam, demptis imperfectionibus, accommodatur justitiæ increatæ in Deo.

31. Q. II. *Quot sint partes Justitiæ*? ℞. 1. Partes subjectivæ, seu species sunt tres: Justitia *commutativa*, *distributiva*, & *legalis:* nam etiam tres sunt modi ponendi æqualitatem ad alterum, scilicet *partis ad partem*, seu civis ad civem, *totius ad partem*, seu Communitatis, aut Principis ad civem, & *partis ad totum*, seu civis ad Communitatem qua talem. Ex his primum facit *commutativa*, secundum *distributiva*, & tertium *legalis*, ut mox patebit, ergo.

32. *Commutativa* est, quæ dat jus cuique suum inter privatos secundum æqualitatem arithmeticam rei ad rem, atque ita adæquat *jus alienum proprietatis* late acceptæ pro omni jure quæsito in re, vel ad rem, v. g. equum emisti 100. flor. da 100. & jus venditoris ex justitia commutativa adæquasti. Oritur hæc justitia ex contractibus, delictis proximo injuriam, aut damnum inferentibus, aliisque titulis, quibus aliquid debetur ex testamento, legato &c. *Dices:* Princeps, vel Communitas sæpe contrahit cum privato, vel ei damnum facit, ergo Commutativa datur etiam inter Principem, & civem. ℞. Nego conf. nam Princeps, vel Communitas in tali casu reputatur pro privata persona.

33. *Distributiva* est, quæ in distributione officiorum, & aliorum bonorum communium dat cuique civi suum secundum proportionem geometricam meritorum, & capacitatis; atque ita adæquat *jus condignitatis*, seu *suitatem membri*. Hæc justitia datur tantum in Communitate, seu Principe, aut Superiore, qua tali, cujus est distribuere bona communia inter subditos.

34. *Legalis*, seu *Generalis* est, quæ in præstatione onerum dat Communitati, quod suum est; atque ita adæquat *jus observantiæ*, seu *suitatem Communitatis*. Hæc justitia datur in subditis secundum proportionem partim arithmeticam, in quantum quilibet civis pro bono communi tenetur dare, aut facere tantum, quantum potest, & debet, partim geometricam, in quantum onera civibus imponenda sunt secundum cujusque vires, & facultates. Datur quoque in Principe, seu Superiore, quia iste non minus, imo magis quam subditi tenetur studere bono communi. Dicitur autem *Legalis* non ideo quia secundum legem operatur, hoc enim commune est cuique virtuti, & *generalis* non ideo, quia est omnis virtus, sed quia præcipue, & generaliter in omni materia attendit observantiam legum pro bono communi, ob quod etiam apud Religiosos vocatur *Observantia*, seu

seu *Disciplina regularis*. Sub Justitia legali continetur *Epikia*, seu benigna interpretatio legis secundum bonum, & æquum, quæ in operationibus suis non attendit ad verba legis, sed ad mentem Legislatoris propter speciales circumstantias in lege non expressas. Sic enim hoc præceptum: *Laicus non tangat vasa sacra*, benigne interpretamur, quod non obliget pro casu, quo Infideles vasa ista diriperent.

35. His additur Justitia *Vindicativa*, quæ pro merito culpæ pœnas infligit. Ex parte rei non est vera justitia, quia ei nulla fit injuria, si non puniatur; at ex parte Judicis est vera justitia, ceu pars Commutativæ, quia Judex ex quasi-contractu cum Republ. inito tenetur malefactores punire, & ita ablatum honorem Reipublicæ restituere. Cæterum an *Commutativa*, *distributiva*, & *legalis* stricte, & univoce conveniant in ratione justitiæ, est quæstio de nomine, quam hic libenter omitto, cum ad Jus nihil faciat: nam si in definitione justitiæ per ly *jus suum* intelligatur jus jam quæsitum, & appropriatum, tunc sola Commutativa est stricta justitia; si vero *jus suum* præscindit à jure quæsito, & quærendo, seu appropriato, & appropriando, etiam pura distributiva, & pura legalis est proprie & stricte justitia.

36. ℞. 2. Partes potentiales Justitiæ sunt: *Religio*, *Pœnitentia*, *Pietas*, & *Observantia*, quæ à rigore justitiæ deficiunt ex *defectu æqualitatis*, quia Deo, parentibus, patriæ, magistris, & majoribus nunquam ex integro satisfacimus, quin maneamus eis obligati. Item *Veracitas*, *Gratitudo*, *Amicitia*, *liberalitas*, & *vindicativa justitia*, quæ a rigore justitiæ deficiunt ex defectu rigorosi debiti, cum fundentur in solo debito morali honestatis.

37. Q. III. *Quod sit objectum Justitiæ in genere, & specie?* ℞. 1. Objectum *materiale* justitiæ in communi remotum est res debita, proximum est operatio voluntatis *formale quod* est rectitudo æqualitatis, quæ ponitur inter jus activum unius, & passivam obligationem alterius: *complexum* ex utroque est jus, seu justum passivum alteri legaliter debitum: *motivum*, seu ratio *formalis*, *sub qua* est honestas illa specialis, quæ relucet in positione æqualitatis; & objectum, seu persona *cui*, est ille, qui vestitus est jure activo, quod ab altero adæquatur. Ita hæc omnia patent ex definitione justitiæ, quæ dat cuique jus suum, v. g. operario mercedem, in quo exemplo pecunia in mercedem conventa, est objectum materiale *remotum*, actio voluntatis, qua merces ista datur, est objectum materiale *proximum*; rectitudo æqualitatis in actione voluntatis relucens, est objectum *formale quod*: honestas solvendi mercedem est *motivum*; operarius ut vestitus jure activo, seu exactivo hujus mercedis, est *subjectum*, cui solvitur, seu cujus jus activum per mercedem datam adæquatur. Ex his colliges ad hoc ut *jus suum* cuique dandum sit objectum justitiæ, tria requiri: 1. ut sit debitum *rigorosum*, seu *legale*, ad quod solvendum Jura, & leges adstringunt prout exigit jus activum alterius. 2. Ut sit *æquale*, quia adæquationem istam justitia requirit. 3. Ut sit *ad alterum*, seu alteri debitum, quia sibi ipsi nemo proprie debet. Ista vero *alteritas* non debet esse tantum personarum, sed etiam jurium diversorum, & ideo quia pater, & filius, dominus, & servus quo ad certos effectus civiles, non habent diversa jura, sed fictione Juris reputantur pro una persona, justitia inter eos non datur quo ad tales effectus v. g. ut dominus cum servo contrahat.

38. ℞. 2. Objectum justitiæ *Commutativæ* est *debitum legale*, seu *suitas juris quæsiti* inter privatos adæquanda: nam commutativa ex parte subjecti præsupponit jus quæsitum in re, vel ad rem. 2. Objectum *distributivæ* est *debitum legale*, seu *jus condignitatis* ad bona communia: nam Distributiva vult dare cuique jus suum secundum merita, & capacitatem. 3. Objectum *Legalis* est *debitum legale*, seu *jus observantiæ* a membris Communitatis pro bono communi adæquabile: nam hoc jus observantiæ legum per se intendit justitia legalis.

Obj. 1. Hospitalitas est debita peregrinis *pr. d.* 42. & gratitudo benefactoribus, nec tamen sunt justitiæ. 2. Debitor pauper solvens 50. pro 100. facit actum justitiæ, non tamen ad æqualitatem; ergo æqualitas non requiritur ad objectum justitiæ. 3. Qui pro equo sublato valoris 100. pendit 100. ponit æqualitatem, non tamen actum justitiæ, quia aliud pro alio invito creditori solvi non potest. *l.* 2. §. 1. *ff. de Reb. Credit.* ℞. *ad* 1. Dist. ant. est debita debito morali, & simplicis honestatis, conc. ant. debito legali, & rigoroso, seu justitiæ, neg. ant. *Ad* 2. Actus iste est imperfectus ex natura sua ordinatus ad solutionem debito adæquatam. *Ad* 3. Dist. ant. ponit æqualitatem debitam, seu adæquatam cum jure activo equi debiti, neg. ant. indebitam, & materialem, conc. antec. nam in quantitatibus genus, at in speciebus, seu corporibus debitis species reddi debet. Jam ut in hac materia confusio, quæ in quibusdam Scriptoribus inextricabilis est, evitetur, necesse est explicare essentiam, & divisionem Juris activi. Unde

39. Q. IV. *Quid, & quotuplex sit Jus potestativum?* ℞. 1. *Jus Potestativum* est legitima facultas disponendi de aliqua re. *Dicitur* 1. *legitima*, hoc est legibus permissa, seu legi naturali, Divinæ, & humanæ conformis, non autem ei repugnans. Unde potestas, qua latro viatorem spoliat, seu aliquid ab eo exigit, non est legitima, seu juris, sed facti, & violentiæ. *Dicitur* 2. *disponendi*, quod verbum accipitur latissime pro quocunque actu, vel omissione potestati subjectis, ut sunt agere, uti, abuti, alienare possidere, petere, condicere, præcipere, gubernare &c.: nam qui potestate pollet, omnia potest, quæ tali potestati subjiciuntur.

40. ℞. 2. Jus potestativum recte dividitur in *Absolutum*, seu *secundum se*, quod datur ad exercendas proprias actiones, vel omissiones subjecti jus tale habentis: quo sensu dicimus, quod quisque Juri suo uti, & abuti possit, & utens jure suo nemini faciat injuriam &c. in *Respectivum*, seu *Activum*, vel potius *Exactivum*, quod datur in ordine ad actiones, vel omissiones alienas; adeoque exigit, ut alter aliquid agat, vel omittat in gratiam jus activum habentis. Et de hoc in *seq. resp.* agetur. 2. Jus potestativum absolutum dividitur in *Reale*, & *Personale*, seu *in re*, & *ad rem*. *Reale*, seu *in re*, est, quo res aliqua immediate in se ipsa est nobis obligata, seu vi cujus rem in se ipsa nobis subjectam habemus. *Personale*, seu *ad rem* est, quo non res ipsa, sed persona aliqua est nobis obligata ad aliquid dandum, vel faciendum. Ad *Jus reale* requiritur *existentia rei*, vel physica in rebus corporalibus, vel moralis in rebus incorporalibus, seu juribus, *justus titulus*, seu habilis ad transferendum, aut acquirendum dominium, sed aliud jus reale, uti a natura est permissio ad occupandam rem communem, quæ nullius est: item venditio, permutatio, donatio &c. & *traditio rei* vera, aut ficta, vel alius modus, quo jura realia acquiruntur, ut usucapio, occupatio rei communis, testamentum, legatum, & in spiritualibus v. gr. collatio beneficii, confirmatio electionis ad Prælaturam &c.: nam *traditionibus, & usucapionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur lib. 20. Cod. de pactis*. Plura de hoc *lib.* 2. *tit.* 1. *a num.* 52. Ad *Jus personale* sufficit justus titulus pacti, seu contractus, aut quasi-contractus delicti, vel quasi-delicti, quo proximo nocetur. Ex his Jus reale parit *actionem realem*, seu *in rem*, ut res ista repeti possit a quocunque possessore; Jus vero personale parit *actionem personalem*, seu *in personam*, ut ista det, vel faciat, quod ex conventione, aut obligatione delicto contracto dandum, vel faciendum est. v. g. emisti a Titio equum 100. florenis numeratis, antequam equus tibi tradatur, habes jus personale ex contractu emptionis quæsitum, vi cujus actione personali experiri potes contra Titium, ut equum tradat. Facta autem traditione equi habes jus reale in equo. 3. Species Juris realis sunt non tantum duæ, ut aliqui statuunt, scil. *dominium*, & *jurisdictio*, sed plures aliæ: ut jus servitutis, pignoris, possessionis, potestatis patriæ, dominicæ, œconomicæ, tutoriæ, curatoriæ; item jus venandi, piscandi, jus Parochiæ, Prælaturæ, & alia similia jura, de quibus suis locis. Jus personale tot habet divisiones, quot sunt species pactorum, seu contractuum, & obligationum ex delicto, ut furto, rapina &c.

41. ℞. 3. *Jus activum* est potestas legitima alterum obligandi in suum commodum. Dicitur 1. *obligandi* hoc est necessitate adstringendi ad aliquid faciendum,

vel

vel omittendum. Dicitur 2. *in suum commodum*, hoc est in utilitatem obligantis, ut suam ei tribuatur. v. g. Titius habet equum proprium, & exinde habet jus activum, exigendo, seu obligando alios, ne equum sibi auferant, vel ei noceant, & si quis eum abstulit, vel nocuit, ut restituat, vel damnum reparet, quæ restitutio, aut damni reparatio cedit in utilitatem Titii. Et hoc sensu Justitia dicitur *dare cuique jus suum:* nam ad hoc requiritur, ut ex parte unius detur *jus activum*, seu potestas alterum obligandi, & ex parte alterius detur *jus passivum*, seu passiva obligatio faciendi, aut omittendi id, quod exigit jus activum, ceu radix, & mater exercendæ justitiæ, prout hæc ponit adæquationem inter jus activum, & passivum. 2. *Jus activum* formaliter, & ratione sui non dividitur aliter quam ipsa Justitia, ac proinde trifariam: in jus activum correspondens Commutativæ, quod est *jus quæsitum proprietatis* late acceptæ pro omni jure jam obtento, sive personali: in jus activum correspondens Distributivæ, quod est *jus condignitatis:* & in jus activum correspondens Legali justitiæ, quod est *jus observantiæ*. Ratio hujus divisionis est, quia tot modis dividi debet jus activum, quot modis fieri potest illius adæquatio per justitiam; sed tales modi sunt tantum tres, scilicet modus commutativæ, distributivæ, & legalis, ergo. Nec obstat, quod DD. aliqui Jus activum dividant in *reale*, & *personale:* nam dividunt illud inadæquate prout correspondet soli justitiæ commutativæ, quæ in multorum sententia est sola stricte, & rigorose justitia. Hoc sensu intelligenda sunt, quæ ego scripsi in *Disput. Civ. Disput.* 5. *Controv.* 1. *num.* 3. 3. Cetera jura, qua talia, non sunt activa, ut jus *dominii*, & *jurisdictionis* &c.: nam *dominium* est jus reale, seu potestas disponendi de re sua, adeoque respicit proprias actiones subjecti. At *dominium* materialiter spectatum, ut respicit alterum, obligando illum, ne rem domini auferat, vel ablatam restituat, est sub hoc respectu proprie jus activum, seu exactivum, quia ista exigit ab altero obligato. Similiter *jurisdictio*, ut est jus gubernativum, seu potestas gubernandi subditos ad utilitatem eorum, seu Communitatis, non est *jus activum*, quia licet obliget subditos, non tamen in commodum habentis jurisdictionem, sed in commodum subditorum. At jurisdictio, ut est jus proprium Principi, aut Judici inhærens, quo alii obligantur, ne Principem, aut Judicem injuste hoc jure spolient, vel in usu jurisdictionis turbent, & impediant, hoc respectu est proprie *jus activum*, seu *proprietatis*. Ita philosophare de jure Parochiæ, Prælaturæ &c.

Dices contra divisionem Juris activi: Violans puram distributivam, vel legalem justitiam, non tenetur ad compensationem faciendam, sicut v. g. Episcopus conferens beneficium digno, omisso digniore, non tenetur quidquam digniori compensare, cum iste non habuerit jus quæsitum ad beneficium; ergo respectu distributivæ, & legalis non datur jus activum. ℞. Probabilius conc. antec. & neg. conseq. nam restitutio, & compensatio damni est actus solius justitiæ commutativæ, dum læditur jus quæsitum proprietatis; at si læditur jus activum condignitatis, vel observantiæ, peccatur quidem contra justitiam, sed nulla oritur obligatio compensandi, ut mox dicam.

42. Q. 5. *Quanta sit obligatio justitiæ?* ℞. 1. ex genere suo gravis, cum quisque graviter obligetur proximum suum indemnem conservare. At ex parvitate materiæ obligatio ista fit levis, ut si diviti unum obolum auferas.

43. ℞. 2. Obligatio justitiæ commutativæ oritur ex omnibus pactis, & contractibus, quasi-contractibus, uti sunt negotiorum gestio, tutela, cura, rerum communio, hæreditatis communio inter plures cohæredes, aditio hæreditatis ad solvenda legata, indebiti solutio. Item ex tacitis conventionibus inter Principem, & Rempubl. Prælatum, & Ecclesiam &c. Denique ex delictis, vel quasi-delictis, quibus proximo nocetur. Præcipuus actus Commutativæ est restitutio: & quidem si jus actu habitum violatum est, tantum restitui debet, quantum ablatum fuit: si vero jus in spe injuste impeditum est, non restituitur tantum, quantum est jus in re, quia sic plus restitueretur, cum jus in re sit plus, quam jus in spe: sed aliqualis restitutio facienda est secundum arbitrium boni viri, attenta conditione personarum, & negotiorum; ut si quem injuste impedivisti a consecutione officii, vel beneficii sperati. Cætera de restitutione vide in Moralistis.

44. ℞. 3. Obligatio justitiæ distributivæ puræ oritur in Superiore ex debito distribuendi officia, & bona communia. Peccatur contra hanc justitiam per acceptionem personarum, quæ ex genere suo est mortalis, dum scilicet personæ alicui attribuitur id, quod secundum ejus merita, & capacitatem non esset ei attribuendum: seu dum aliquid datur personæ sine causa, quod propter causam dandum esset v. gr. beneficia Ecclesiastica danda sunt propter causam majoris dignitatis, & utilitatis; ergo si dentur alicui minus digno, & minus utili Ecclesiæ, committitur acceptio personarum.

45. ℞. 4. Obligatio justitiæ legalis puræ oritur ex debito conservandi jus commune. Peccatur contra hanc justitiam per speciale vitium, seu delictum injustitiæ illegalis, in quantum bonum commune contemnitur, & pars Communitatis non facit tantum, quantum potest, & debet pro bono communi. Cæterum delictum hoc non affert specialem malitiam, nisi accedat contemptus formalis; seu dum quis peccat animo contemnendi bonum commune vel contra illud machinandi v. g. si cives, Clerici, aut Religiosi velint procedere, aut subvertere patriam, Ecclesiam, disciplinam Ecclesiasticam, aut regularem.

46. ℞. 5. Ex violatione justitiæ distributivæ, aut legalis, si pura sit, non oritur obligatio restituendi: tum quia non læditur jus proprium, aut quæsitum alteri; tum quia S. D. & TT. communiter docent restitutionem esse actum proprium justitiæ commutativæ. *Dices:* si quis injuste impedivit digniorem a consecutione officii v. gr. illum denigrando, & discommendando, tenetur ei ad restitutionem; ergo etiam Superior, qui omisso digniore contulit officium minus digno, tenetur digniori ad restitutionem. ℞. neg. conseq. nam Superior in hoc casu peccat solum contra distributivam; injuste vero impediens contra commutativam: siquidem dignior, licet non habeat jus quæsitum ad officium, habet tamen jus proprium, & quæsitum, ne per dolum, & malas artes impediatur a consecutione officii.

47. ℞. 6. Si distributivæ, ut plerumque fit, misceatur commutativa, ex violatione illius oritur obligatio restituendi. Ita comm. nam tali casu jam læditur jus proprium alterius. Exempla obvia sunt: 1. Si testator mille aureos relinquat distribuendos inter pauperes secundum proportionem paupertatis: tunc enim si minus detur pauperiori, distributor tenetur ei ad restitutionem, quia læsit jus ipsius ex legato quæsitum. Idem dic de belli-duce, qui a Principe accepit præmia inter milites distribuenda secundum proportionem meritorum. 2. Si Papa, Episcopus, & Prælatus regularis conferat officia, & beneficia Ecclesiastica minus dignis, non tenetur quidem ad restitutionem dignioribus faciendam: attamen respectu Ecclesiæ, cui ex justitia commutativa, seu quasi-contractu tenebatur præficere digniorem, obligatur reparare omnia damna, quæ tali Ecclesiæ, vel monasterio obveniunt ex regimine Clerici, aut Religiosi minus idonei. Fuse, & nervose de justitia scribit S. D. 2. 2. *quæst.* 57. *usque ad* 79. quem utinam omnes Legistæ, & Canonistæ legant, ut justitiam, seu objectum Jurisprudentiæ, sartam tectam conservent.

TITULUS II.

De Jure Naturali, Gentium, & Civili.

Agitur de hac materia in Pandectis *l.* 1. *tit.* 1. 2. 3. 4. In Codice *l.* 1. *tit.* 14. 15. 16. 17. In Jure Can. *tit. de Constit.* ubi alii loci communes allegantur.

1. In hoc titulo agitur de Jure legali, seu accepto pro communi præcepto, ut patet ex §. *fin. de Just. & Jur.* ubi Imp. dicit Jus *collectum esse ex naturalibus præceptis, aut Gentium, aut Civilibus*. In quo sensu Jus est ordinatio rationis, seu regula communis vivendi, juxta quam membra Communitatis regantur, & operentur. *lib.* 2. *ff. de Legibus*. *can.* 2.

d. 1. Licet autem hujus Juris tria hic ponantur membra, scil. *Jus Naturale*, *Gentium*, & *Civile*, tamen divisio ista est tantum mediata: nam *Jus legale* immediate dividitur in *Naturale*, & *Positivum*, quorum interim hic terminos explicabo. *Naturale* est, quod ab ipsa natura necessario ortum habet, adeoque independenter a libero placito voluntatis dictat aliqua facienda, & aliqua omittenda v. g. DEUM esse amandum, & non odio habendum. *Positivum* est, quod ex libera voluntate DEI, aut hominis constituitur; atque ita aliquid ponit, quod jure naturali non est positum v.g. baptismum suscipere, Missam audire diebus certis, arma non portare &c. Hinc juxta tritum axioma: spectantia ad Jus naturale ideo præcipiuntur, aut prohibentur, quia intrinsece bona, vel mala sunt, saltem exactive, & fundamentaliter: e contra spectantia ad Jus positivum ideo bona, vel mala sunt, quia præcipiuntur, vel prohibentur. 2. Jus positivum dividitur in *Divinum*, quod DEUS constituit in veteri, & novo testamento, & *Humanum*, quod ab homine constituitur: & hoc ex diversitate Constituentium subdividitur in Gentium, Civile, & Ecclesiasticum, de quo ultimo Canonistæ. Ex his patet divisionem istam Juris desumi a causa efficiente, quia Jus naturale ab Auctore naturæ, Jus gentium ab ipsis gentibus, & Jus civile a populo, seu Principe certæ civitatis constituitur. Sit

§. I.

De Jure Naturali.

2. *Nota*, cum natura creata non sit a se, sed essentialiter à DEO ut auctore naturæ: Jus naturale posse, imo necessario debere spectari dupliciter: 1. *Active*, seu *constitutive* ex parte DEI Legislatoris, & sic Jus naturale datur in DEO, estque ipsa lex æterna DEI, seu ordinatio Divinæ Sapientiæ actiones omnium creaturarum dirigentis ad bonum commune universi, quod est gloria DEI. Ita constat ex *c.* 8. *Proverb.* ubi fere per totum sermo est de Sapientia æterna, omnia creata dirigente, & in *fin.* additur: *qui autem in me peccaverit, lædet animam suam:* anima autem non læditur, nisi peccando contra legem; ergo datur in mente DEI, tanquam Supremi Gubernatoris, lex æterna totius universi gubernativa, seu Jus naturale active spectatum, cui omnis natura creata pareat ad bonum commune universi, quod est gloria DEI, seu summum bonum, & finis ultimus creaturarum, propter quem factæ sunt. 2. Jus naturale spectatur *passive*, seu *terminative*, aut *participative* ex parte creaturarum, quo modo est quædam participatio, seu impressio legis æternæ naturaliter dictans bonum creaturæ conveniens esse appetendum, & malum fugiendum. Hac veritate supposita, Doctores illi, qui Jus naturale dicunt formaliter consistere in ipsa lege æterna DEI, loquuntur de Jure naturali active spectato ex parte Dei Legislatoris, quibus omnino adhæreo: qui vero illud in aliquo creato constituunt, loquuntur de eodem passive, seu participative spectato ex parte creaturarum. Et in hoc secundo sensu hic agetur de Jure naturali.

3. Q. I. *An, & quomodo in creaturis detur Jus naturale?* ℞. In omnibus creaturis datur aliquo modo Jus naturale. Ita docet S. Scriptura, quod scil. Deus creaturis etiam irrationalibus posuerit præceptum, & legem. *Ps.* 148. *præceptum posuit, & non præteribit. Prov.* 8. *v.* 29. *legem ponebat aquis, ne transirent fines suos.* De hominibus evidenter probat Apost. *Rom.* 2. *v.* 14. *cum enim gentes, quæ legem* (positivam) *non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex* &c. ratio est, quia omnis creatura aliquid participat ex lege æterna Dei, quatenus ex ejus impressione inclinat in proprium actum, & finem: quo modo inclinando, & secundum inclinationem operando dicitur obedire legi æternæ, ergo.

4. ℞. 2. Jus naturale proprie tale datur in sola creatura rationali; in ceteris vero tantum improprie, & similitudinarie. Ita S. D. 1. 2. *q.* 91. *a.* 2. ubi solide probat, quod omnis creatura aliquo modo participet legem æternam, & deinde subdit: *& talis participatio legis æternæ in rationali creatura lex naturalis dicitur*. & *ad* 3. respondet: *dicendum, quod etiam animalia irrationalia participent rationem æternam suo modo, sicut & creatura rationalis: sed quia rationalis creatura participat eam intellectualiter, & rationaliter, ideo participatio legis æternæ in creatura rationali proprie lex vocatur; nam lex est aliquid rationis: in creatura autem irrationali non participatur rationaliter; unde non potest dici lex, nisi per similitudinem*. S. Doctorem communiter sequuntur Theologi, Canonistæ, & hodierni Civilistæ, quibus utique lex æterna, & naturalis melius est perspecta, quam Ulpiano. *Ratio* est, quia Jus naturale proprie tale est præceptum commune, seu ordinatio rationis; ergo necessario dari, & recipi debet in tali subjecto, quod est capax rationis, libertatis, obligationis, & regulariter culpæ ob transgressionem: sed sola creatura rationalis, non vero alia est subjectum, ut hic certum suppono, ergo, *Confir.* ex *can.* 7. *d.* 1. *Jus naturale est commune omnium nationum*; ergo non omnium creaturarum: & *pr. In. si quadrupes paup. fec.* ex *l.* 1. §. 3. *ff. eod.* bruta dicuntur esse incapacia injuriæ; ergo etiam incapacia sunt Juris legalis. Unde naturalis illa inclinatio, quam habent bruta, & aliæ creaturæ irrationales ad suos actus, tantum metaphorice, & improprie dicitur Jus naturale.

5. Obj. 1. Jus naturale non fuit promulgatum, ergo non datur. 2. Ulp. *l.* 1. §. 3. *de Just. & Jur.* & ex illo Imp. *pr. h. t.* Jus naturale æqualiter agnoscunt in brutis, & homine: nam *Jus naturale est, quod natura omnia animalia docuit*; ergo in brutis datur Jus naturale saltem materialiter, seu ex parte actuum, quia bruta ex instinctu naturæ id faciunt, quod homo facere debet ex ductu rationis. ℞. *ad* 1. Jus naturale ab æterno promulgatum fuit in Sapientia Divina, & decreto continente omnes creaturas: in tempore vero per lumen synderesis promulgatur cuilibet venienti in hunc mundum, ut quisque homo in se experitur. *Ad* 2. Textus iste Ulpiani non verificatur: 1. De Jure naturali proprie, & formaliter spectato, quia bruta sicut rationis, ita quoque juris, & præcepti sunt incapacia. 2. Non verificatur de Jure naturali passive adæquate accepto pro inclinatione ad suum actum, & finem: sic enim dici deberet: *Jus naturale est, quod natura omnem creaturam docuit*. 3. Non verificatur de Jure naturali materialiter spectato, ut ea omnia, quæ homo in parte sensitiva facere debet cum ductu, & moderamine rationis, bruta faciant ex solo impetu, & instinctu naturæ: nam dantur multa objecta Jure naturali prohibita, ut vagus concubitus, conjunctio cum parentibus, occisio innocentis, & alia, a quibus tamen bestiæ ex solo instinctu naturæ non abstinent. Ob quæ fundamenta aliqui Ulpianum erroris arguunt, sed ob reverentiam Imperatoris, qui textum Ulpiani amplexus est, dicendum, ibi describi Jus naturale inadæquate acceptum pro quibusdam inclinationibus notioribus a natura impressis, quatenus quædam umbra Juris naturalis in actibus animalium relucet, uti sunt maris, & fœminæ conjunctio, liberorum procreatio, & educatio. At Jus naturale proprie tale in sola creatura rationali dari probat textus §. 1. *h. t.* ibi: *quod ratio naturalis inter omnes homines constituit*.

6. Q. II. *Quid sit Jus naturale proprie tale?* ℞. est *dictamen rationis ordinans creaturam rationalem in suum finem*, puta præcipiendo intrinsece bona, seu consona rectæ rationi, & prohibendo intrinsece mala, seu dissona rationi: cetera verò indifferentia permittendo. Ita com. TT. Canonist. & Recentiorum Legistarum cum S. D. 1. 2. *q.* 91. *a.* 2. & *in* 4. *d.* 33. *art.* 1. ibi; *naturalis conceptio omni homini indita, qua dirigitur ad operandum convenienter, lex naturalis, seu Jus naturæ dicitur:* ubi certum est S. D. loqui de Jure naturali non activè ex parte DEI, sed passive ex parte creaturæ spectato: uti etiam 1. 2. *q.* 94. *a.* 6. ubi docet legem scriptam in cordibus hominum esse legem naturalem, & indelebilem. *Prob.* 1. ex *Rom.* 2. *v.* 14. & *seq.* ibi: *qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus*. Atqui conscientia testimonium reddens, cogitationes ac-

cusan-

cusantes, & defendentes nihil sunt aliud, quam naturale dictamen rationis discernens inter bonum, & malum, consonum, & dissonum naturæ rationali; ergo per tale dictamen recte definitur Jus naturale passive ex parte creaturæ spectatum. Idem docet Gajus *l. 9. ff. de Just. & Jur.* & Imp. §. 1. *h. t.* ibi: *quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes peræque custoditur.* Nec obstant sequentia verba: *vocaturque jus gentium:* nam Jus naturale frequenter in Jure vocatur Jus gentium, non quod a gentibus introductum, sed quod omnibus gentibus a natura impressum sit, & omnes gentes eo utantur, ut ibi subditur, *quasi quo Jure omnes gentes utantur.*

7. *Obj.* 1. Imp. *p. h. t.* definit Jus naturale per solum instinctum naturalem, quem natura omnia animalia docuit, in sequenti vero §. 1. & 2. affert definitiones Juris civilis, & gentium: ergo Jus naturale non consistit in dictamine rationis, sed in naturali instinctu communi hominum, & animalium. 2. Juxta Apost. *Rom. 2. v. 14. ipsæ gentes sibi sunt lex,* scil. naturalis; ergo jus naturale est ipsa natura rationalis, tanquam regula, cui conformandæ sunt actiones humanæ. ℞. *ad* 1. ne dicamus, quod Imp. omiserit definitionem Juris naturalis proprie dicti, necessario dicendum est, illud fuisse definitum §. 1. *cit.* ibi: *quod naturalis ratio* &c. Jus vero Gentium definiri *seq.* §. 2. esse illud, quod *usu exigente, & humanis necessitatibus gentes sibi constituerunt.* Ad 2. Natura rationalis tantum radicaliter est jus naturale, quatenus est radix dictaminis naturalis, quod est participatio legis æternæ tamquam supremæ regulæ.

8. Q. III. *Quotuplex sit Jus naturale?* Bachov. Schneidevin. Chlingensp. & alii dividunt Jus naturale in *primævum*, seu *primarium*, quod natura omnia animalia docuit, *secundævum*, seu *secundarium*, quod ratio naturalis inter omnes homines constituit. Fundamentum hujus divisionis desumunt ex *pr.* & §. 1. *h. t.* 1. §. 3. *l. 9. ff. de Just. & Jur.* sed plerique DD. hanc divisionem rejiciunt, cum quibus.

9. ℞. 1. Jus naturale est unum formaliter, seu quo ad convenientiam cum recta ratione: nam omnia præcepta Juris naturalis oriuntur ex uno originario, & universali principio: *declina a malo, & fac bonum*, seu *bonum est faciendum, & malum fugiendum;* ergo Jus naturale est formaliter unum, & indivisibile in plures species. *Dixi: formaliter*, quia Jus naturale *materialiter*, seu ex parte materiæ, & præceptorum plures divisiones habet. Ex his rejicitur allata divisio: tum quia a neutro Jure traditur; textus vero in citt. Juribus eam minime evincunt, cum aliam commodam interpretationem recipiant, ut patet ex dictis *n. 5. ad* 2. tum quia nulla solida ratio suadet, cur unum Jus naturale dicatur *primævum*, alterum *secundævum*, vel cur inclinatio procreandi, aut educandi proles referatur ad Jus primævum, & inclinatio, seu dictamen cognoscendi, colendi, & amandi Deum ad secundævum, cum posterior ista inclinatio sit prior, & firmior priori.

10. ℞. 2. Jus naturale ex parte materiæ est triplex, 1. *Versans circa bonum commune omnibus substantiis*, in quantum quælibet res naturaliter appetit conservationem sui, & remotionem contrarii. Huc spectat conservatio vitæ, seu sui esse, propulsatio injuriæ per vim illatæ. *l. 3. ff. de Just. & Jure* 2. *Versans circa bonum commune omnibus animalibus*, quo pertinet maris, & fœminæ conjunctio, prolium susceptio, & educatio *pr. h. t.* 3. *Versans circa bonum proprium creaturæ rationalis*, quo pertinet cognitio, amor, & cultus Dei, reverentia erga parentes *l. 2. ff. de Just. & Jure* & omnis actus virtuosus saltem secundum rationem genericam, licet quo ad determinationem specificam sæpe pendeat a lege positiva. Sic enim temperantia, & Religio sunt Juris naturalis: quod vero temperantia exerceatur v. g. per jejunium quadragesimale, & Religio v. g. per auditionem Missæ, id habetur ex lege positiva.

11. ℞. 3. Jus naturale dividitur in *Præceptivum*, quod præcipit bona facere, & mala fugere, & *Permissivum*, seu *Conditionatum*, aut *Negativum*, quod aliqua de se indifferentia permittit, non quidem absolute, sed conditionate, nisi justa causa boni communis contrarium suaserit. Sic natura cuilibet permittit *esse liberum*, cum omni homini det liberum arbitrium; *bona esse communia*, quia spectata rerum natura non est ratio, quare iste ager sit potius tuus, quam meus, Sic etiam natura permittit jus venandi, piscandi, contractus celebrandi etiam cum alienigenis &c.

12. ℞. 4. Jus naturale præceptivum dividitur in præcepta *Affirmativa*, quibus bonum præcipitur, ut Deum colere, & *Negativa*, quibus malum prohibetur, ut Deum non odisse, non furari &c. Inter hæc præcepta notabilis est differentia; nam affirmativa obligant semper, non tamen pro semper, sed pro certo tempore, quo instat obligatio exercendi actus præceptos, ut amandi Deum, colendi parentes, dandi eleemosynam &c. e contra negativa obligant semper, & pro semper, ita, ut nullo tempore liceat contrarium eis facere, uti sunt non furari, non mentiri &c.

13. 2. Negativa præcepta alia sunt *pure prohibentia*, quibus actus quidem vetatur, non tamen irritatur. Sic ligatus voto castitatis de Jure naturali illicite contrahit matrimonium, attamen valide. Alia *irritantia*, quibus actus invalidus redditur. Sic pactum de actu turpi committendo, contractus usurarius, & plura similia ipso jure naturali sunt invalida, ne scil. Jus naturale, quod Divina Sapientia, & summa honestate nititur, ad aliquid inhonestum, & turpe obligare videatur. Porro discernere, quæ objecta Juris naturalis sint *licita*, quæ *illicita*, & quæ *irrita* maxime spectat ad illud lumen, de quo *Psal. 4. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Qua in materia duæ ponuntur regulæ: *Prima* dictans omne id, quod ad rectum creaturæ rationalis statum, ac finem pertinet, licitumque esse expedit, de Jure naturali esse præceptum, graviter, vel leviter pro modo, quo magis, vel minus expedit, ejusque oppositum esse prohibitum. Sic quia veracitas, matrimonium, justitia necessaria sunt societati humanæ, de Jure naturali sunt præcepta, & eis contraria prohibita, ut mendacium, luxuria, furtum &c. *Secunda regula* dictat illud Jure naturali esse irritum, quod vel caret principio substantiali ad valorem actus, ut si vendas vitrum pro gemma, vel in vendendo consensum non habeas, vel obligat ad aliquid turpe, & illicitum, aut continet in se turpitudinem perpetuam; qualiter non valet pactum de fornicando, contractus usurarius, matrimonium in primo gradu lineæ rectæ, & plura alia, quæ non tantum in fieri sunt turpia, & illicita, sed etiam in suo usu turpitudinem continent, uti est commistio patris cum filia, exactio usurarum, earumque detentio &c.

14. ℞. 5. Genera præceptorum naturalium sunt tria: Sub *primo genere* continentur principia universalissima per se nota, ut declina a malo, & fac bonum. Item propositiones practicæ per se notæ, magis tamen determinatæ; ut Deus est colendus, bonum publicum præferendum est privato. Sub *secundo* continentur propositiones, seu conclusiones practicæ certo, & evidenter facili discursu ex primis principiis deductæ: qualiter ex gemino præcepto charitatis deducta sunt præcepta Decalogi, excepta sanctificatione Sabbathi, quæ quo ad determinationem diei est Juris positivi. Sub *tertio* continentur propositiones practicæ remotæ, & difficulter deducibiles, quæ nec a viris doctis sat deprehendi possunt v. g. an licitum sit sequi sententiam probabilem, relicta probabiliori &c. Jam præcepta primi, & secundi generis regulariter loquendo, invincibiliter ignorari nequeunt ab homine usu rationis prædito, nisi per accidens respectu alicujus simplicis occurrat aliqua specialis circumstantia, quæ judicium variare possit; sicut quandoque simplices cogitant licitum esse mentiri ad proximum liberandum, vel aliquod malum præcavendum. At præcepta tertii generis etiam a viris piis, & doctis invincibiliter ignorari possunt, quatenus adhibita sufficienti diligentia, in certam notitiam deveniri nequit v. g. an contritio statim post peccatum sit elicienda? an Judex condemnare possit reum convictum, quem privatim scit innocentem? an matrimonium inter fratrem, & sororem Jure naturali valeat? &c.

15. Q. IV. *Quæ sint præcipuæ proprietates Juris naturalis?* ℞. tres seqq. 1. *Universalitas*, & *uniformitas* in innotescendo, & obligando, quia æqualiter omni nationi innotescit, & apud omnes peræque custoditur

ftoditur. *can.* 7. *d.* 1. §. 1. 2. & 11. *h. t.* 2. *Directio*, & *regula* omnium aliarum legum, & Legislatorum: quia per *l.* 11. *ff. de Just. & Jur.* Jus naturale semper æquum, ac bonum est, & consequen. quidquid contra illud statuitur, nullius est momenti. 3. *Perpetuitas*, & *immutabilitas*, quia per *can. fin. d.* 6. & §. 11. *h. t.* Jus naturale semper, & ubique idem manet, & immobile. Sed.

16. Q. V. *An Jus naturale saltem in casu raro mutari, vel a Deo dispensari possit?* Ante resp. *Nota* legem dupliciter mutari posse: *formaliter*, & *materialiter*. Tunc lex mutatur *formaliter*, seu *directe in se*, quando mutatio ipsam legem afficit, vel ex toto eam tollendo per cessationem, aut abrogationem, vel ex parte eam relaxando per dispensationem, ne ejus obligatio extendatur ad hunc, vel illum casum, alioquin sub lege comprehensum. Tunc vero lex mutatur *materialiter*, seu *indirecte ex parte materiæ*, quando materia subducitur ab obligatione legis, hoc est quando actus ponitur in illis circumstantiis, in quibus lex nunquam se extendebat ad talem actum. Cape exemplum: Si Papa abrogaret legem jejunii quadragesimæ, lex ista formaliter ex integro mutaretur; si vero cum una, vel altera persona, alioquin potente jejunare, dispensaret, lex ista mutaretur formaliter ex parte. At si eveniat casus, quo infirmus citra grave nocumentum nequit jejunare, & abstinere a carnibus, lex ista mutatur solum materialiter; quia materia subducitur a præcepto jejunandi, quatenus ejus obligatio nunquam se extendebat ad casum gravis infirmitatis. Ita quoque discurrendum circa præceptum audiendi Missam, recitandi Horas Can. &c.

17. R. 1. Jus naturale directe, & formaliter mutari nequit. Ita com. contra paucos docentes Deum dispensare posse in præceptis secundæ Tabulæ. Prob. ex §. 11. *h. t.* ibi: *naturalia Jura Divina quadam providentia constituta, semper firma, atque immutabilia permanent*, & *can. fin. d.* 6. in scholio ibi: *Naturale ergo Jus ab exordio rationalis creaturæ incipiens, manet immobile.* Ratio est, quia objecta Juris naturalis fundantur in necessario dictamine Divinæ Sapientiæ, & habent intrinsecam convenientiam, vel disconvenientiam cum recta ratione increata, & creata; ergo sicut necessarium dictamen Divinæ Sapientiæ, & recta ratio mutari nequit, ita nec directe, & formaliter mutari potest Jus naturale, sive ex toto, sive ex parte per dispensationem. Argumenta in contrarium plus non probant, nisi mutationem materialem, de qua in seqq.

18. R. 2. Jus naturale materialiter, & indirecte mutari potest tantum quo ad illa præcepta, quorum materia subjecta est supremo dominio increato, vel creato. Ita *in re com.* Nam mutari legem *materialiter* non est aliud, quam materiam actus poni in illis circumstantiis, in quibus cohonestatur, ut amplius non stet sub obligatione legis: sed materia Juris naturalis, quæ subest dominio Divino, vel creato, potest poni in illis circumstantiis, in quibus actus cohonestatur, & amplius non continetur sub obligatione legis, ergo. *Prob. min.* ab exemplis in vita nostra, corporibus, & fortunis: & quidem 1. occisio innocentis est prohibita Jure naturali; at in illa circumstantia, qua Deus, tanquam Dominus vitæ, & necis, dat jus, & potestatem in vitam innocentis, occisio ejus est licita, ut habemus exemplum in Abraham, & Isaac *Gen.* 22. quia occisio innocentis in hac circumstantia nunquam continebatur sub præcepto: *non occides*. 2. Concubitus soluti cum soluta, vel ligata, polygamia, dissolutio matrimonii, sunt Jure naturali vetita; at in eo casu, quo Deus, tanquam Dominus corporum, dat jus in corpus solutæ, aut ligatæ, vel jus in corpora plurium fœminarum, & jus irritandi priorem contractum matrimonialem, jam omnia ista cohonestantur, & extrahuntur ab obligatione Juris naturalis; ut habemus exemplum in Osee accedente ad fornicariam, in polygamia Patriarcharum, & libello repudii. 3. Ablatio rei alienæ vetita est Jure naturali; at in eo casu, quo Deus dominium rei ab uno transfert ad alterum, ablatio ista fit licita; quia non est ablatio rei alienæ, sed vendicatio rei jam suæ; ut exemplo sunt Hebræi auferentes vasa Ægyptiorum *Exod.* 11. *v.* 35. Sic in ceteris discurrendum. *Prob.* 2. in materia subjecta potestati humanæ: 1. In irritatione, & relaxatione votorum, juramentorum, matrimonii rati, professionis religiosæ, & aliorum contractuum: tenemus enim ex perpetua traditione, & praxi Ecclesiæ, quod Christus Dominus pro suavi regimine voluntates, & consensus fidelium in certis materiis subjecerit suo in terris Vicario Rom. Pontifici. Jam si Papa directe irritando consensum voti, aut juramenti, materiam subducat a præcepto naturali, indirecte tollit obligationem Juris naturalis, quia obligatio cadere non potest super consensum irritatum, ceu materiam sublatam, & subductam a præcepto naturali. 2. In usucapionibus, quia Princeps vi potestatis altæ ob bonum publicum transfert dominia ab uno ad alterum. Sic philosophandum in omnibus illis, in quibus Jus humanum aliter disponit, quam Jus naturale, ut in contractibus pupillorum, minorum &c. At si materia Juris naturalis non subsit potestati Papæ, vel Principis laici, non potest illam subducere a præcepto naturali, & cohonestare. Sic quia vita nostra, & corpora non subsunt dominio Papæ, aut Imperatoris, neuter eorum potest reddere licitam occisionem innocentis, nec cohonestare concubinatum, aut fornicationem &c.

19. R. 3. Jus naturale nec materialiter mutari potest quo ad illa præcepta, quorum materia non pendet a voluntate, & dominio Divino. Ita com. Nam talia objecta ita sunt intrinsece mala, ut in nulla excogitabili circumstantia cohonestari, & subtrahi possint a præcepto naturali, cum semper retineant difformitatem cum recta ratione. Talia sunt, odium Dei, hæresis, idololatria, perjurium, mendacium &c. Sic enim nulla circumstantia excogitari potest, in qua odium Dei sit licitum, cum semper rectæ rationi repugnet, Deum summum, & infinitum bonum odisse. Idem de ceteris dic.

20. *Obj. contra* 1. *Resp.* 1. Jure gentium immutatum est Jus naturale: nam servitutes sunt Juri naturali contrariæ §. 2. *h. t.* uti & divisio rerum *can.* 2. *dilectissimis.* 12. *q.* 1. 2. Juxta Aristotelem 5. *Eth. c.* 7. justum naturale aliquando mutationi est obnoxium; & licet præcepta universalia: *bonum est faciendum*, *malum fugiendum* deficere non possint, tamen præcepta particularia posse deficere docet S. D. 1. 2. *q.* 94. *a.* 5. ergo.

R. *ad* 1. Libertas, & communio rerum sunt Juris naturalis, non præceptivi, sed permissivi, & hoc mutari posse docent aliqui DD. At re vera hoc præceptum permissivum non mutatur formaliter, sed materialiter ratione subductæ materiæ: quia Jus naturale pro circumstantia belli, violentiæ, & perturbationis publicæ non extendit se ad libertatem, & communionem rerum; adeoque nec positive concedit libertatem, nec positive servitutem, sed ab utraque præscindit, & negative se habet. Jam si bono publico expedit, Gentes inducere possunt servitutes, & divisiones rerum, quæ Juri naturali contrariantur non positive, sed negative, quatenus Jus naturale pro his circumstantiis positive non tribuit libertatem, aut communionem rerum. Sic discurrendum de jure venandi, piscandi, contractus ineundi &c. *Ad* 2. Philosophus, & S. D. loquuntur de mutatione materiali, ut dictum est *n.* 18. docetque expresse S. D. *loc. cit.* mutationem istam fieri per modum subtractionis materiæ ab obligatione Juris naturalis, & ponit exemplum *ad* 2. ibi: *Unde ad quamcumque mulierem aliquis accedat ex mandato Divino, non est adulterium, nec fornicatio: & eadem ratio est de furto* &c. Adhortor hic Studiosum Juris, ut præsentem doctrinam de mutatione Juris naturalis bene sibi imprimat: quia valet pro decidendis gravissimis controversiis in utroque Jure. Vide meas *Disp. Jurid. Disp.* 1. *Contr.* 3.

21. Q. VI. *Ad quid serviat notitia Juris naturalis?* R. servire ad plurima enodanda, tum in S. Theologia, cum etiam in utroque jure. Duo specialia accipe: 1. Si casus aliquis non est decisus a Jure positivo, vel circa illum jus obscure, & dubie loquitur, pro interpretatione recurritur ad jus naturale, ut quam minimum ab eo recedatur. *arg. c.* 29. *de elect. leg.* 27. *Cod. de testam. leg.* 2. §. 5. *ff. de aqu. pluv.* ibi. *hæc æquitas suggerit, etsi jure deficiamur.* 2. Si lis moveatur inter summos Principes, deficiente jure gentium, lis decidenda est ex jure naturali, non civili,

vili, cui neuter Princeps subjicitur. *arg. l. fin. ff. de jurisd.*

§. II.

De Jure Gentium.

22. Q. II. *An detur, & quid sit Jus Gentium?* ℞. *ad* 1. affirmative: nam tale jus dari probat communis existimatio gentium, auctoritas Doctorum, Historicorum, Jurisconsultorum, & Imperatoris, qui *h. t.* & alias sæpe mentionem facit juris gentium: denique suadet, & probat ratio; quia societas ex gentibus congregata, ut communi felicitate gaudeat, necessario regi debet aliquo jure, fere omnibus gentibus communi; ergo datur jus gentium.

23. ℞. *ad* 2. jus gentium est, quod usu exigente, & humanis necessitatibus, moribus gentium introductum est, præcipiens consentanea gentibus qua talibus, & eis dissentanea prohibens. Definitio ista est per se clara, & desumpta ex §. 2. *h. t.* & *l.* 4. *ff. de Just. & Jur.* ibi: *quæ res a jure gentium originem sumpsit*. Itaque 1. Causa efficiens hujus Juris sunt ipsæ gentes collective sumptæ, & eædem gentes seorsim spectatæ sunt ejus subjectum; materia sunt actus consentanei, vel dissentanei; forma est præceptio, aut prohibitio, & finis est communis felicitas gentium. 2. Jus gentium non est species rigorosa Juris legalis, quia non procedit a potestate legislativa, cum gentes non faciant unum populum, unam Rempublicam, neque unum Principem habeant; sed habet se instar pacti publici tacito consensu introducti, cujus proinde tota obligatio descendit ex Jure naturali, sicut in aliis pactis conventis. *Dices*: Imp. *h. t.* dividit Jus legale in *Naturale*, *Gentium*, & *Civile*: ergo Jus gentium est vera species Juris legalis: tum quia omnes gentes habent se sicut Respublica Aristocratica. ℞. divisionem istam sustineri saltem analogice, quia Jus gentium multum simile est naturali, & civili, & aliquid ab utroque participat. Ista Aristocratia temere, & sine ullo fundamento fingitur; alioquin in Principibus, seu Regibus non esset summa potestas.

24. Q. II. *An Jus gentium sit totum positivum humanum?* Negant Ryssel, Scamb. Zoes, & alii asserentes illud esse portionem Juris naturalis. Sed cum Groto, Vitriar. Gletle, Franz. Reiff. Schmalz. Gonzal. & aliis.

℞. Affirmative. *Prob.* 1. Quod a gentibus introductum est, positivum humanum, cum gentes sint homines, sed Jus gentium introductum est a gentibus tanquam causa efficiente: *nam usu exigente, & humanis necessitatibus, gentes humana jura quadam sibi constituerunt* §. 2. *h. t.* ergo. Nec textus iste patitur explicationem Adversariorum, quod gentes Jus naturale in exercitium deduxerint: nam interpretatio ista est arbitraria, & violenta. 2. Jus gentium differre a Jure naturali suadet auctoritas Imperatoris *h. t.* ubi in Rubrica utrumque Jus discernit. & §. 2. *eod.* dicit servitutes a Jure gentium introductas, *esse naturali Juri contrarias*. Probat etiam ratio: nam objecta Juris naturalis sunt intrinsece bona, vel mala, determinata, & immutabilia; e contra objecta Juris gentium sunt arbitraria, a voluntate gentium pendentia, & mutabilia, ut potuerint introduci, vel non; ergo Jus gentium non est idem cum naturali. *Ant.* illustratur exemplis, nam 1. ut bellum solemniter denuncietur, ne fontes, aut arma veneno inficiantur, ne per sicarium subornatum hostis occidatur, ut bello capti in servitutem redigantur, & alia similia a gentibus constituta, non fundantur in necessitate naturæ, nec natura positive illa dictat, sed negative se habet, ut talia a gentibus usurpentur, vel non: siquidem inspecto Jure naturali, hostis injustus invadi, & occidi potest quocunque modo de se licito. 2. Nulla necessitas naturæ jubet Legatos alterius gentis admittere, eisque publicam securitatem præstare, cadaver alienigenæ sepelire, commercia cum aliis gentibus celebrare &c. ergo objecta Juris gentium sunt arbitraria, non vero fundata in necessitate naturæ. Unde *can.* 3. *d.* 6. dicitur: *Naturale Jus ab exordio creaturæ rationalis incipiens manet immobile; Jus vero consuetudinis*, seu gentium, *post naturalem legem exordium habuit*. *Confir.* ex S. D. 1. 2. *q.* 95. *a.* 4. ubi Jus positivum dividit in gentium, & civile, ac utrumque asserit esse humanum, illud generalius, hoc particularius derivatum a Jure naturali.

25. Obj. 1. Juxta §. 1. *h. t. quod ratio naturalis inter omnes homines constituit, vocatur Jus gentium*, cujus exempla sunt: *erga DEUM religio, ut parentibus, & patriæ pareamus, ut vim, atque injuriam propulsemus*. *l.* 2. 3. *ff. de Just. & Jur.* sed hæc omnia conveniunt juri naturali; ergo jus gentium est idem cum naturali. 2. jus gentium est conclusio mediate, & difficilius deducta ex jure naturali, facta suppositione societatis inter gentes, sicut supposita servitute, & divisione rerum obedire domino est juris naturalis, & furtum est contra jus naturale. 3. Fœdera, pacta, & contractus sunt juris naturalis *l.* 1. *ff. de pact. c.* 1. 3. sed hæc omnia revocantur ad jus gentium §. 2. *h. t.* ergo. 4. Quia natura permittit libertatem, hæc est juris naturalis; sed facta suppositione belli, & rebellionis, natura etiam permittit captivitates, & servitutes, ergo & istæ sunt juris naturalis.

℞. *Ad* 1. in *cit.* §. 1. definitur jus naturale, ut supra dictum *n.* 5. 6. quod per catachresim vocatur jus gentium ab usu, quia omnes gentes eo utuntur. Exempla allata pertinent ad jus naturale, nisi vim vi repellere, quod etiam brutis competit, referre velis ad jus gentium. Vera autem definitio juris gentium est illa, quam *n.* 23. dedi ex §. 2. *h. t.* Vel si per omnia definitionem ex §. 1. *cit.* accommodare velis juri gentium, dicendum est per *rationem naturalem* intelligi dictamen valde conforme juri naturali, cui multum affine est jus gentium. *Ad* 2. Dist. ant. deducta necessario, neg. ant. contingenter, & arbitrarie, conc. ant. nam hæc deductio: *est bellum, ergo debent esse servitutes*, non est necessaria, cum in bello Christianorum capti non fiant servi; neque necesse sit, ut in quocunque bello capti fiant servi capientium, nisi ita fieri placeat gentibus. Secus accidit, supposita servitute, & divisione rerum: tunc enim auferens alienum, vel servus nolens obedire domino violat jus dominii, & potestatis dominicæ, & consequ. agit contra Jus naturale dictans *alterum lædere*. Similiter etiam, supposito pacto tacite a gentibus inito, quo securitas Legatis promittitur, bellum sine denunciatione solemni, vel cum armis venenatis inferri prohibetur: contra Jus naturale est Legatos lædere, bellum sine denunciatione, vel cum armis venenatis inferre &c. At constituere jus de ipsa securitate Legatorum, de bello solemniter inferendo &c. non est Juris naturalis, sed positivi pro arbitrio gentium; cum bella licite inferri possent, etsi nulla daretur securitas Legatis, & nulla præcesserit denunciatio belli. *Ad* 3. Fœdera, & contractus sub diverso respectu ad diversa Jura pertinent: nam solemnis petitio fœderum, & juste petitorum admissio est Juris gentium; at obligatio servandi fœdera inita est Juris naturalis orta ex libero partium consensu. Similiter contractus, quo ad libertatem, & securitatem cum aliis gentibus contrahendi, sunt Juris gentium quo ad solemnitates loci sunt Juris civilis, aut canonici: & quo ad obligationem servandi & implendi, quod conventum est, sunt Juris naturalis. *Ad* 4. Dist. causal. quia permittit positive, scilicet tribuendo cuique liberum arbitrium, con. maj. tantum negative, sicut servitutes, de quibus nihil disponit, neg. min. sic enim Jus naturale permittit fieri leges civiles, neque tamen istæ sunt Juris naturalis. *Dices*: non constat quando, & ubi gentes convenerint ad constituendum jus gentium. ℞. id non fuisse necessarium: nam jus gentium moribus, & usu, seu consensu tacito introductum est adinstar consuetudinis *arg.* §. 2. *h. t.* ibi: *nam usu*, & *can. fin. d.* 6. ibi: *jus vero consuetudinis* &c.

26. Q. III. *Quotuplex sit jus gentium?* Petrus Velez, Galbanus, Bachov. Schneidevin. Chling. & alii dividunt Jus gentium in *primævum*, seu *primarium*, quod ratio naturalis inter omnes homines constituit; & hoc asserunt idem esse cum Jure naturali: & *secundævum*, seu *secundarium*, quod usu exigente, & humanis necessitatibus, tacito omnium fere nationum consensu introductum est: & hoc asserunt esse positivum humanum, a Jure naturali diversum. Sed hanc divisionem rejiciunt DD. *n.* 24. *cit.* qui totum jus gentium

gentium identificant cum Jure naturali. At Grot. Gletle, & alii rejiciunt divisionem istam ex contrario fundamento, quia tenent totum Jus gentium esse mere positivum humanum; adeoque nullam ejus speciem, seu partem identificari cum Jure naturali. Cum his.

27. ℞. 1. Jus gentium non dividitur in primarium, & secundarium: nam divisio ista a neutro jure traditur: tum quia sicut jus naturale ab auctore naturæ, jus civile a populo, ita jus gentium proprie tale a gentibus, ceu causa efficiente introductum est; & consf. distinctum a jure naturali; ergo non bene assignatur jus gentium primarium cum jure naturali identificatum. Quia vero de vocibus non libenter contendo, si jus naturale dirigens creaturam rationalem vis nominare jus gentium, per me licet; sed tunc erit jus gentium improprie tale ab usu, quia omnes gentes æqualiter eo utuntur: in quo sensu jus naturale debebit etiam dici jus civile, quia omnis civitas æqualiter utitur jure naturali, quod ubique & *semper æquum, & bonum est l. pen. ff. de Just. & Jur.*

28. ℞. 2. jus gentium accidentaliter, & ex parte materiæ dividitur 1. In *affirmativum*, quo jubentur consentanea; & *negativum*, quo prohibentur dissentanea gentibus. 2. In *approbativum*, quod honestatem actui conciliat in foro tam externo, quam interno, ut jus Legatorum; & *permissivum*, quod præstat impunitatem in foro externo, ne malefactor puniatur, malitiam tamen sceleris non tollit. 3. In *jus gent. stricte tale*, quod mutuam, & communem gentium felicitatem concernit, & *jus gent. late tale*, quod plures gentes observant, non tamen cum ordine ad reciprocam, & communem gentium felicitatem: uti sunt constructio ædium, munitio civitatum, occupatio sedium, seu divisio rerum, jus postliminii, plerique modi acquirendi dominium, celebratio contractuum &c. Ad jus gentium stricte tale spectant jus belli, jus Legatorum, induciæ, fœdera pacis, commercia quæstuosa apud exteras gentes, servitutes, jus sepulturæ &c. Hoc jure, utpote in citato publico pacto fundato, obligantur graviter etiam Summi Principes; quia hi pactis, præsertim publicis, de jure naturali stare tenentur.

29. Q. IV. *An Jus gentium mutari possit?* ℞. affirmative, non tantum ratione materiæ in aliis circumstantiis positæ, sed etiam formaliter ratione sui. *Ratio* 1. quia jus non extendit se ad materiam subductam, seu in aliis circumstantiis positam. Unde si commercium cum aliqua gente, vel admissio Legatorum fieret noxia Reipublicæ, non cadit sub Jus gentium, utpote communi felicitati deserviens: *secunda pars prob.* ex *reg.* 1. *in antiq.* per quas causas aliquid nascitur, per easdem dissolvi potest; sed jus gentium natum est ex communi consensu gentium, ut ante ostendi, ergo contrario dissensu mutari, & tolli potest. Unde jus gentium cessare potest in affirmativis; ut si gentibus non placeat admissio Legatorum, fœderum, commerciorum, captivitas, seu redactio in servitutem, sicut fit inter Christianos, apud quod servitus fere exolevit. Item in negativis, quibus cavetur, ne bellum sine denunciatione inferatur, ne sicarius ad occidendum hostem subornetur &c. Difficile autem, & fere moraliter impossibile est, totum jus gentium abrogari; quia requireretur mutuus omnium gentium consensus, qui moraliter sperari nequit.

30. Ex dictis colligitur convenientia, & differentia Juris gentium a naturali, & civili: nam 1. Jus gentium multum convenit cum Jure naturali in universalitate, conformitate cum recta ratione, diuturnitate, & immutabilitate; differt autem ab eo, quia Jus naturale conditum est ab Auctore naturæ, versatur circa objecta necessaria intrinsece bona, vel mala, estque simpliciter immutabile, ac necessarium ad finem ultimum naturæ rationalis: e contra Jus gentium conditum est a gentibus, habet objecta de se arbitraria, licet rationi naturali multum consona, non est immutabile, nec necessarium, sed valde utile ad finem creaturæ rationalis. 2. Jus gentium convenit cum civili, quia utrumque est positivum humanum: differt vero, quia Jus gentium est commune pluribus, aut fere omnibus gentibus, immediatius derivatur ex Jure naturali, tacitoque pacto innititur: e contra Jus civile tantum uni civitati, seu populo datur, mediate descendit ex Jure naturali per modum determinationis particularis, & nititur voluntate Principis, seu populi.

§. III.

De Jure Civili.

31. Q. I. *Quid sit Jus civile in genere?* ℞. 1. Esse illud, *quod quisque populus ipse sibi constituit.* §. 1. *h. t.* Seu est jus humanum a potestate politica certo populo latum ad commune illius bonum. Unde sicut civitates, & populi sunt diversi, ita quoque diversa sunt Jura civilia; ut atheniense, germanicum, boemicum, gallicum, hispanicum: romanum vero antonomastice significatur per *Jus civile* sine addito §. *h.* 2. *t.* quod etiam dicitur *Jus Quiritum.*

32. ℞. 2. *Jus civile* per comparationem ad Jus naturale, *est, quod neque in totum a naturali, & gentium recedit, neque per omnia ei servit: itaque cum aliquid addimus, vel detrahimus juri communi* (hoc est naturali, omnibus hominibus communi) *jus proprium efficimus*, seu civile. Ita Ulp. *l.* 6. *ff. de Just. & Jur. Dicitur* 1. *neque in totum recedit* &c. quia Jus civile, licet non sit idem cum naturali, tamen a naturali derivatur per modum particularis determinationis, vimque obligandi habet ab eo. S. D. 1. 2. *q.* 95. *a.* 4. Ex quo patet non dari in rigore *Jus mere civile:* tum quia hoc in totum recederet a naturali, quod negat Jurisconsultus; tum quia omne jus positivum fundatur in naturali, tanquam suo principio. *Dicitur* 2. *cum addimus:* tunc Jus civile aliquid addit naturali, dum id, quod Jus naturale dictat in thesi, seu genere, determinat in particulari materia secundum exigentiam loci, temporis, & aliarum circumstantiarum. v. g. Jus naturale dictat malefactores esse puniendos, jus civile determinat modos puniendi per furcam, ignem &c. *Dicitur* 3. *detrahimus:* tunc Jus civile aliquid detrahit naturali, dum ei subducit materiam propter bonum commune, & non vult aliter valere actum, nisi cum certis requisitis, & solemnitatibus; seu dum summa potestas in materia sibi subjecta aliter disponit, quam Jus naturale; ut circa contractus pupillorum, minorum, circa testamenta, usucapiones &c.

33. Q. II. *Quotuplex sit Jus civile?* ℞. 1. duplex: *scriptum*, quod expressa voluntate Principis, aut Reipublicæ constituitur: & *non-scriptum*, seu *consuetudinarium*, quod moribus populi, accedente legali consensu Principis introducitur. §. 3. *h. t.* 2. Jus civile aliud est *commune*, quod totum populum obligat; aliud *statutarium:* quod certam partem populi obligat: & quidem si feratur pro una tota provincia, dicitur *provinciale*, si pro una civitate, seu municipio, dicitur *municipale:* si pro militibus, dicitur *militare:* si pro certis collegiis, dicitur Jus mercatorum, aurifabrorum, sartorum &c. Omissis aliis Juribus civilibus, hic agitur de Jure civili romano. Unde.

34. Q. III. *Quot sint species Juris civilis romani?* ℞. 1. Si Jus civile accipiatur stricte, prout opponitur Juri honorario a Magistratibus lato, quinque sunt illius species: *Lex*, *Plebiscitum*, *Senatusconsultum*, *Placita*, seu *Constitutiones Principum*, & *Responsa Prudentum l.* 7. *ff. de Just. & Jur.* At si Jus civile accipiatur latius, prout sub se comprehendit Jus *honorarium*, additur ei sexta species, scilicet *Edicta Prætorum*, & aliorum Magistratuum §. 3. *h. t.* Historiam de his speciebus tradit Pompon. *l.* 2. *ff. de orig. jur.* ubi utiliter legi poterit. Hic incidenter nota, actionem descendentem ex aliqua priorum quinque specierum, vocari *civilem*; uti est rei vindicatio, confessoria &c. descendentem vero ex Edictis Prætorum, & Magistratuum, vocari Prætoriam, seu honorariam, uti est Publiciana, rescissoria, & aliæ, de quibus *tit. de actionib.* Jam singulas istas species definiamus.

35. ℞. 2. *Lex* est jus scriptum, *quod Populus Romanus Senatorio Magistratu interrogante, veluti Consule, constituebat.* §. 4. *h. t.* ubi Imperator brevitatis causa omittit has particulas: *jus scriptum*, quæ per modum generis hic exprimuntur. *Ratio* hujus definitionis est, quia populus romanus, præsertim, dum expulsis Regibus vixit in Democratia, summam potestatem penes se retinuit, & congregatus in Comitiis centu-

centuriatis (ita dictis, quod populus ex singulis centuriis unum suffragium haberet. Kahl.) rogabatur a Consule, vel alio senatorio Magistratu, an id, quod propositum erat, vellet legem esse, quo annuente facta est *lex;* ex eo dicta, quia coram toto populo, atque ex multorum consensu, ac sponsione lecta esset. Hinc etiam lex vocatur commune præceptum, communis sponsio *l.* 1. *ff. de LL.* Inde quoque natæ sunt illæ voces: *lex rogatur*, *abrogatur*, *legi derogatur*, *surrogatur;* quia populus rogabatur, ut legem faceret, vel veterem tolleret, vel aliquem illius articulum cassaret, aut alium ei substitueret. *l.* 102. *ff. de Verb. Signific.* Ex legibus, quas Reges, vel Consules a populo rogabant, vix aliquid restat. Celebres autem erant *Leges XII. Tab.* de quibus *tit. præced. num.* 3. & *l.* 2. §. 4. *ff. de orig. jur.* earumque fragmenta recenset Gothofr. Super his legibus facta est *Disputatio fori*, seu Interpretationes Prudentum, quæ communi nomine *Jus civile* dicebantur, erantque ordine temporis secunda species juris civilis *cit. l.* 2. §. 5. *ff. de orig. jur.* licet Imp. §. 3. & 8. *h. t.* Responsa Prudentum ultimo loco collocet. Eodem tempore ex *Legibus XII. Tab.* compositæ sunt actiones solemnes, quæ dicebantur *Legis actiones*, seu *legitimæ actiones*, ne populus pro placito eas inverteret. Unde *lege agere*, est agere in judicio ex formulis a lege institutis. Gothofr. in *l.* 123. *ff. de reg. jur.* Ex his patet 1. eodem tempore viguisse *Leges XII. Tab.* Interpretationes Jurisconsultorum, & Legis actiones, quas auxit Sextus Ælius, & *librum populo dedit, qui appellatur Jus Ælianum*. *cit. l.* 2. §. 6. 7. *ff. de orig. jur.* Patet 2. legem hic non accipi late pro quocumque jure scripto, consuetudini opposito: quo sensu dicitur *lex naturalis*, *Divina*, *Ecclesiastica*, *politica;* neque accipi hic *legem* pro pacto, & conventione privata; sicut contractus ex conventione legem accipiunt. *reg.* 85. *in* 6. sed pro jure scripto a toto populo Romano condito.

36. ℞. 3. *Plebiscitum* est jus scriptum, *quod plebs plebejo Magistratu interrogante, veluti Tribuno constituebat*. §. 4. *h. t.* nam plebs, dum ob arrogantiam, & credulitatem Senatus recessit a Patribus, jam in monte Aventino, jam in Janiculo habitans, ipsamet ad interrogationem sui Magistratus, seu Tribuni plebis, constituebat sibi certa jura, quæ dicebantur *Plebiscita*, a sciscendo, seu statuendo dicta. *Lexic. Calv.* Quibus Plebiscitis cum Patritii teneri nollent, lata primum fuit lex Horatia, deinde Publilia, ac denique Hortensia, ut eo jure, quod plebs statuisset, omnes tenerentur: atque ab eo tempore Plebiscita leges dicebantur; vel leges Tribunitiæ, ut Lex *Atilia*, *Falcidia*, *Aquilia* &c. quia scilicet Plebiscita post legem Hortensiam vim, & summam auctoritatem legis acceperunt, ac si fuissent a toto populo in Comitiis centuriatis rogata.

37. ℞. 4. *Senatusconsultum* est Jus scriptum, *quod Senatus jubet, atque constituit*. §. 5. *h. t.* nam aucto populo Romano difficile erat eum convocare legis faciendæ causa *l.* 2. §. 9. *ff. de orig. jur.* atque ita translatis comitiis jussu Tiberii ex campo in Curiam *Tacit. lib.* 1. *annal. cap.* 15. non ambigebatur, Senatum leges facere posse *l.* 9. *ff. de legib. l. unic. Cod. de Senatusconsult.*; quæ idcirco dicebantur Senatusconsulta, quod ex consultatione Patrum statuerentur. Ex Senatus Consultis aliqua sunt anonima ut *l.* 1. & *seq. ff. de usufr. ear. rer.* inscribuntur sub nomine Consulis unius, vel plurium, ut Senatusconsultum Claudianum, Libonianum, Orficianum a Coss. Claudio, Libonio, Orficio &c. excepto *Macedoniano*, cui nomen dedit improbus fœnerator Macedo.

38. ℞. 5. *Constitutio*, seu *Placitum* est jus scriptum, quod Princeps, seu Monarcha romanus solus statuit, acsi a toto populo statueretur: nam *quod Principi placuit, legis habet vigorem*. §. 6. *h. t. l.* 1. *pr. ff. de constit. Prin.* seu Constitutio Principis tantam habet vim, & auctoritatem, quantam lex a toto populo lata; siquidem succedente Monarchia, quam incepit Julius Cæsar, & pacifice obtinuit Octavius Augustus, populus Principi, & in Principem omnem suum imperium, & potestatem contulit *Lege Regia cit. l.* 1. quæ lex videtur in singulorum Imperatorum electione fuisse condita a Senatu transferente summam potestatem in Regem, seu Imperatorem. 2. Constitutionis tres sunt species: *Epistola*, seu *Rescriptum*, quod edit Princeps ad subditorum consultationem, interpretando leges, & volendo responsum suum instar juris communis haberi *l.* 12. *C. de LL.* qualia Rescripta plurima sunt in Codice. *Decretum*, seu *Sententia* a Principe lata tam definitiva, quam interlocutoria, quam ipse jubet pro lege observari *l.* 1. §. 1. *ff. de const. Prin.* alioquin sententia etiam Principis non facit jus, nisi inter partes *l.* 2. *C. de LL.* *Edictum*, quod Princeps motu proprio statuit ad utilitatem, & honestatem subditorum. Habentur species istæ §. 6. *h. t. l.* 1. §. 1. *ff. de LL.* quibus adduntur *Mandata Principum*, quæ dantur Præsidibus ad gubernandas Provincias *tit. C. de mandatis Princ.* 2. Constitutiones aliæ sunt *generales* pro toto populo, aliæ *particulares*, seu *personales*, vulgo *privilegia*, quæ pro certis personis dantur, & ad exemplum non trahuntur. *cit.* §. 6. *h. t. l.* 1. §. *fin. ff. de const. Prin.*

39. ℞. 6. Jus honorarium, ita ab honore Magistratuum appellatum, est jus scriptum, quod ex jurisdictione cujuscunque inferioris Magistratus sua Edicta proponentis, descendit. Prima, & nobilissima species juris honorarii est *Jus Prætorium*, seu *Edicta Prætorum:* altera species sunt *Edicta Ædilium Curulium*, sellis curulibus vehi solitorum, de quibus vide *Lexic. Calv.* De aliis speciebus nihil certi constat. §. 7. *h. t.* Ex quo habes omne jus prætorium esse honorarium; sed non e contra, cum honorarium, tanquam genus latius pateat; licet hæc duo quandoque confundantur: tum synecdochice usurpando genus pro specie, & e contra; tum quia Prætor in ampla significatione ponitur pro quocumque Magistratu, quatenus *præit* aliis. Proprie autem Prætor fuit specialis Magistratus juri dicundo præfectus: alius *Urbanus*, qui jus urbanis dixit: alius *Peregrinus*, qui causas peregrinorum judicavit. *l.* 2. §. 28. *ff. de orig. Jur.* 2. Prætor singulis annis proponebat Edicta, juxta quæ judicaret, ne suspicio oriretur, quod ex amore, aut odio jus diceret. Finito anno expirabat officium annuum Prætoris, ejusque edictum, donec jussu Adriani Imperatoris factum fuisset *Edictum perpetuum* a Salvio Juliano compilatum, vetita novorum Edictorum promulgatione. *Ædiles Curules* erant speciales Magistratus, qui præerant domibus, incendiis, annonæ, venditionibus, similibusque negotiis; & ex sua jurisdictione proponebant Edicta, quorum celeberrimum extat de morbidis, & vitiosis animalibus, ac servis contra venditores, qui vitio non detecto vendebant. *tit. ff. de ædilit. Edict.* & aliud de cane, & verre &c. *l.* 41. *eod.* & §. 1. *Inst. si quadrup.* 3. Jus prætorium est, *quod Prætores introduxerunt adjuvandi, vel supplendi, vel corrigendi Juris civilis gratia, propter utilitatem publicam*. Ita Papinian. *l.* 7. §. *un. ff. de Just. & Jur.* nam publica utilitas exigebat, ut Prætores, & alii Magistratus vi suæ jurisdictionis determinarent ea, de quibus jus civile summa potestate latum clare, & specifice non disponit; & ideo *Jus honorarium viva vox est Juris civilis l.* 8. *ff. de Just. & Jur.* Tunc autem Prætor *adjuvat Jus civile*, dum ejus dispositionem tuetur, & faciliori executioni mandat. v. g. agnati ex jure civili succedunt, quam successionem fovet, & adjuvat Prætor, dando agnatis bonorum possessionem. §. 1. *In de Bon. possess.* Sic etiam adjuvat actionem civilem ex commodato. *l.* 1. *ff. commodat.* Tunc Prætor *supplet Jus civile*, dum illud ob æquitatem extendit ad casus omissos v. g. Jus civile agnatos admittit ad successionem, & de cognatis nihil disponit, quos tamen æquum est admittere ad successionem; & ideo Prætor dat eis bonorum possessionem per *Unde cognati*. §. 3. *In. de legit. agnat. succ.* Tunc Prætor *corrigit Jus civile*, dum generalitatem ejus restringit ob æquitatem; atque ita casus aliquos subducit, qui tamen videntur contineri sub generali textu Juris v. g. jure civili non potest hæres institui persona incerta, & tamen Prætor posthumo extraneo hæredi instituto dat bonorum possessionem, licet videatur esse persona incerta §. 1. *Inst. de bonor. possess.* Ita quoque Prætor ex æquitate concedit actionem publicianam, rescissoriam, *quod metus causa*, & plures alias, quæ de rigore juris non essent concedendæ. Ne tamen hac doctrina male intellecta decipiaris, scito eam procedere in eis tantum, quæ expressa, & claro Jure civili non sunt decisa: at si jus civile sit clarum, & specificum, Prætor nequit

illud corrigere, vel mitius interpretari, licet sit strictum, & rigorosum *l.* 1. *C. de LL.* quia inferior legem Superioris mutare, vel contra eam jus dicere non potest.

40. ℞. 7. Responsa Prudentum sunt sententiæ, & opiniones eorum, quibus permissum erat de jure respondere. §. 8. *h. t. l.* 2. §. 5. 6. *ff. de orig. juris*, seu sunt jus scriptum descendens ex interpretatione Jurisconsultorum, & *communi nomine appellatur jus civile*. Ceterum licet Jurisconsulti super dubiis *Legum XII. Tabb.* in Democratia, & Aristocratia Romana plurimum interpretati sint, tamen responsa eorum vim plenam Juris non obtinebant, donec ab Augusto, Tiberio, & aliis Imperatoribus accepissent potestatem authentice interpretandi leges, ita ut ab eorum sententia, & interpretatione Judici recedere non liceret. §. 8. *h. t. l.* 2. §. 47. *v. Massurius Sabinus. ff. de orig. jur.* An vero omnium Jurisconsultorum sententiæ concordare debuerint ad hoc, ut haberent vim Juris, incertum est: affirmat Mynsing. ex §. 8. *h. t.* ibi: *quorum omnium sententiæ* &c. sed credibile est etiam unius Jurisconsulti responsum vim legis habuisse, ut insinuatur *cit. l.* 2. §. 47. ibi: *ergo Sabino concessum est a Tiberio Cæsare, ut populo responderet.* Hæc de speciebus Juris Rom. Cetera de legibus, rescriptis, consuetudine, & privilegiis tracto in Jure canonico suis titulis. Hic adhuc aliqua resolvenda sunt de Jure statutario, de Juris, & facti ignorantia.

41. Q. IV. *Quæ specialia sunt circa Jus statutarium?* ℞. 1. Municipia regulariter non possunt statuta ferre, quia tota potestas translata est in Principem *l.* 1. *ff. de const. Princ.* nisi pollerent jurisdictione specialiter a Principe concessa, vel per consuetudinem acquisita. Nec obstat *l.* 9. *ff. de Just. & Jur.* nam procedit de populo libero, penes quem est summa potestas.

42. 2. Statuta per se non debent esse Juri communi contraria, quia inferiori in Superiorem non est auctoritas. *l. fin. ff. de colleg. & corp.* nisi Princeps id concedat, & suo consensu approbet: quo sensu procedit *l.* 21. *in fin. ff. ad municipal. l.* 3. §. *plane. ff. quod vi aut clam.*

43. 3. Jura, quæ conduntur pro toto Imperio, ut in Camera Imperiali, non sunt statutaria provincialia, sed Jura civilia Imperialia, & communia, utpote a suprema potestate lata. Similiter Jura, quæ conduntur ab Electoribus, & Statibus, & Civitatibus immediate Imperio subjectis, nullumque in suo territorio Superiorem recognoscentibus, sunt proprie Jura civilia pro tali territorio; & a fortiori auctoritatem Juris civilis obtinent jura edita pro toto regno v. g. Bohemiæ, licet unitum sit Imperio; dicunturque *Leges Regiæ*, quia a Regia potestate conduntur. Solent tamen per comparationem ad Jus commune Romanum vocari Jura provincialia.

44. 4. Ad Jura statutaria referuntur etiam Jura *gentilitia*, seu *familiaria*, quæ fiunt pactis illustrium familiarum, accedente consensu Principis; uti majoratus, primogenituræ, fideicommissa, expectativæ ad successionem feudi, *Jus*, seu *pactum Confraternitatis*, quo convenitur, ut hæredibus masculis ex una familia deficientibus in bona, & principatus succedant masculi alterius familiæ paciscentis: qualia pacta dicuntur intervenisse inter Reges Bohemiæ, & Archiduces Austriæ &c. *Jus*, seu *pactum Confœderationis*, quo illustres familiæ conveniunt ad mutuam defensionem præstandam contra latrocinia, seditiones, & hostiles incursus, transitque obligatio ista utrinque ad hæredes. Talis confœderatio inter Regnum Bohemiæ, & Domum Saxonicam confirmata est 1587. 24. *Octobr.* Schrader, & alii. *Ganerbinatus*, quo familiæ non tantum illustres Principum, sed etiam inferiorum nobilium conveniunt super mutua defensione, & successione in casum deficientiæ, si una familia extingueretur. Viguit Ganerbinatus potissimum eo tempore, quo exercebatur Jus manuarium.

45. Q. V. *Quid sit Juris, & facti ignorantia?* ℞. 1. Ignorantia *Juris* est, dum lex ipsa, seu id, quod Juris est, ignoratur; ut si ignores consanguineum admitti ad successionem, contractum pupilli, vel minoris non valere sine auctoritate tutoris, aut curatoris &c. *Ignorantia facti* est, dum lex scitur, sed id, quod contingit in actu ignoratur; ut si ignores consanguineum tuum mortuum esse, vel illum, cum quo contrahis, esse minorem, vel illam, ad quam accedis, esse conjugatam, vel illum, quem percutis, esse Clericum. Vide exempla *l.* 1. *ff. de Jur. & Fact. ignor.* 2. Utraque ista ignorantia est duplex: *Vincibilis*, seu *culpabilis*, quæ adhibita diligentia vinci potuit, & debuit. *Invincibilis*, seu *inculpabilis*, quæ possibili diligentia adhibita, hic & nunc vinci non potuit; adeoque vocatur *probabilis*, quia probari potest ceu immunis a culpa; sicut prior vocatur *improbabilis*, quia probari nequit ut immunis a culpa. Rursum vincibilis alia est *affectata*, seu directe volita, & directe voluntaria, dum quis facile potest, & non vult scire; alia vero *communiter vincibilis*, seu *indirecte voluntaria*, dum quis sufficientem diligentiam omittit ad inquirendam veritatem.

46. ℞. 2. Ignorantia Juris naturalis raro excusat a peccato, nisi per accidens respectu simplicium; ut si quis judicaret licitum esse mendacium ad liberationem proximi a malo. 2. Ignorantia Juris Divini post Evangelium sufficienter promulgatum, raro excusat, quia in hominibus plerumque est negligentia in condiscendis præceptis Christi Domini, de quo plura TT.

47. 3. Ignorantia Juris humani plerumque non excusat. *reg.* 13. *in* 6. nam jus omnibus promulgatum, debet, & præsumitur ab omnibus sciri, ejusque ignorantia culpæ adscribitur, nam *Constitutiones Principum nec ignorare quemquam, nec dissimulare permittimus. l.* 12. *C. de Jur. & Fact. Ignor.* Si tamen sit ignorantia invincibilis, excusat pro foro interno; at pro foro externo non aliter, nisi legitime probetur; ut si quis tempore promulgatæ legis fuit absens, si ægrotus, & sensibus destitutus.

48. 4. Si lex sciatur, & ignoretur pœna, probabilius ignorantia ista non excusat a pœna. Ita communior sententia praxi firmata. Nam qui vult delictum lege prohibitum, vult etiam saltem indirecte pœnam tali delicto annexam; siquidem volens antecedens, vult etiam consequens ei conjunctum. Et hoc voluntarium indirectum in malis, & pœnis sufficit, nec semper requiritur voluntarium directum. Sic enim peccatores puniuntur pœna æterna, fur suspenditur, beneficiatus ob simoniam realem beneficio privatur, etsi ignoraverint has pœnas. Oppositum tenent Joan. Andr., Clar. Navar. & alii pro casu, quo quis scivit actum esse prohibitum Jure communi, sed ignoravit specialem pœnam statuto loci constitutam.

49. ℞. 3. Ignorantia Juris in lucris, & compendiis non prodest. *l.* 7. *ff. de Jur. & Facti Ignor.* & ideo error Juris non prodest ad usucapionem *l.* 4. *eod.* ad hæreditates, contractus &c. Minori tamen non nocet error Juris etiam in acquirendo, ut in hæreditatibus *l.* 2. & 11. *C. eod.* uti nec militibus, quibus permittitur ignorare Jus. *l.* 1. *C.* & *l.* 9. §. 1. *ff. eod.* Mulieribus, & rusticis ignorantia prodest in dispendiis, ne suum amittant, raro in compendiis, ut acquirans. *l.* 8. *ff.* & *l. fin. C. eod.* Certantibus de damno vitando regulariter ignorantia Juris non obest, ita suadente æquitate. *l.* 8. *ff. eod.*

50. ℞. 4. Ignorantia *facti alieni*, modo non sit crassa, aut supina, non nocet, sive in damno vitando, sive in lucro captando *l.* 9. §. 2. *ff. l.* 7. 8. 9. *C. de Jur. & Fac. Ign.* nam talis ignorantia est probabilis, & plerumque etiam prudentissimos fallit. *l.* 2. *ff. eod.* modo non sit crassa. *l.* 6. *eod.* 2. Ignorantia facti proprii est improbabilis, quia quisque præsumitur scire id, quod facit. Unde non prodest in compendiis, seu lucris captandis *l.* 7. *ff. ad Senatuscons. Vellei.* certantibus tamen de damno vitando non nocet. *l.* 22. *ff. de condict. indeb.* ubi solventi, quod non debuit, conceditur condictio indebiti. *l.* 10. *C. de Jur. & Fac. Ignor.* Speciales controversiæ de ignorantia in particularibus materiis suis locis resolventur.

Connexio Præcedentium, & Consequentium.

Hactenus in his duobus titulis actum est de Prolegomenis, & principiis legalibus Jurisprudentiæ: nunc gradatim descenditur ad illius objecta materialia, scilicet, *personas*, *res*, & *actiones*. Et quia personæ reliquis præcellunt, primum Imperator acturum se pro-

se promittit de personis, puta privatis: *nam parum est Jus nosse, si personæ, quarum causa constitutum est, ignorentur*. §. *fin. h. t.* Agetur proinde a *tit.* 2. *usq. ad* 7. de prima divisione personarum in liberos, & servos, ingenuos, & libertinos.

TITULUS III.

De Jure Personarum.

Agitur de hac materia in Pandectis *lib.* 1. *tit.* 5.

1. Per *Jus personarum* intelligitur hic *Status hominum*, sicut *tit. ff. de Statu hominum*, seu personalis capitis qualitas, & conditio legalis a Jure gentium, & civili introducta, qua statur in societate humana: cujusmodi qualitates sunt: *libertas, civitas, & familia*. De conditione naturali, secundum quam aliquis est mas, vel fœmina, infans, puer, aut vir, nullus nobis hic sermo, quia secundum hanc omnes homines ejusdem sunt ordinis, & status, solo sexu, & ætate diversi.

2. Q. I. *Quæ sit prima, & adæquata divisio personarum?* R. In *liberos*, & *servos*. *pr. h. t.* ex *l.* 3. *ff. de statu hom. summa itaque divisio de Jure personarum hæc est, quod omnes homines, aut liberi sunt, aut servi*: nam in statu hominum aliqui nullius dominio sunt subjecti, & hi vocantur *liberi*; alii contra naturam alieno dominio subjiciuntur, & hi sunt *servi*; ergo divisio ista est prima: & quia tertium genus hominum ab his duobus distinctum non est assignabile, etiam divisio ista est adæquata. *Dices*: 1. *In. de libertin.* & *l.* 4. *ff. de Just. & Jur. tria hominum genera esse cœperunt: liberi, & his contrarium servi, & tertium genus libertini*. 2. Statuliberi, qui statutam, & destinatam in tempus, vel conditionem libertatem habent, mediant inter liberos, & servos, quia aliquid ab utrisque participant. *arg. l.* 1. *ff. de statuliberis*. R. *ad* 1. ibi tradi subdivisionem personarum: nam *Liberi* in genere dividuntur in liberos specifice, seu ingenuos, & in libertinos, & hoc modo tria sunt hominum genera. *Ad* 2. Statuliberi ante eventum temporis, aut conditionis sunt servi; & ideo ancilla statulibera pariens, parit servum. *l.* 9. 16. *ff. de statulib.*

3. Q. II. *Quid sit libertas juridica, & unde oriatur?* R. 1. *est naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet, nisi si quid vi, aut jure prohibetur* §. 1. *h. t.* adeoque liber est, qui pollet naturali facultate quidlibet agendi. *Dicitur* 1. *Juridica*, quia hic non agitur de libertate theologice spectata pro indifferentia ad utrumlibet, qualis libertas etiam servo competit, sed de libertate legali, prout statum constituit. *Dicitur* 2. *naturalis*, quia potestas ista primo, & principaliter datur a natura conferente cuilibet liberum arbitrium *l.* 4. *ff. de Just. & Jur. Dicitur* 3. *Vi, aut jure*: nam vis, cum sit facti, non tollit libertatem, quæ est juris: ut siquis liberum hominem vinculis constringat. *Juris* vero *prohibitio* non impedit, sed dirigit, & perficit libertatem; imo jure prohibita, cum honeste fieri non possint, in jure censentur impossibilia, ad quæ non datur facultas. *l.* 15. *ff. de condit. instit.* ibi: *quæ contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est*.

4. R. 2. Modi, quibus libertas inducitur, sunt tres. *A natura*, quæ permittit hominem esse liberum. *l.* 4. *ff. de Just. & Jur. Ex jure gentium*; per manumissionem, & *ex jure civ.* sine manumissione, dum quis ipso facto ex servo fit liber, ut infra dicetur ex *tit. ff. qui sine manumiss.*

5. Q. III. *Quid sit servitus legalis, & unde oriatur?* R. 1. Est *constitutio Juris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subjicitur*. §. 2. *h. t.* adeoque servus est, qui dominio alieno contra naturam subjicitur. *Dicitur* 1. *legalis*, ut excludatur servitus *naturalis*, qua creaturæ Deo, liberi parentibus, subditi suo Superiori subjiciuntur: item ut excludatur servitus accepta pro jure reali, quod quis habet in prædio alieno, de qua agitur *tit. de servitutibus*. *Dicitur* 2. *constitutio* metonymice, hoc est subjectio constituta principaliter a Jure gentium. *l.* 4. *ff. de Just. & Jur. Dicitur* 3. *contra naturam*, tum quia natura quemlibet permittit esse liberum; tum ut servitus legalis differat a subjectione naturali, quæ juxta naturam est.

6. R. 2. Servitus inducitur tribus modis: 1. *Captivitate* ex Jure gent. dum victi in bello capiuntur, ob quod dicuntur *mancipia*, & *servi*, quia servati sunt, cum occidi potuerint. 2. *Venditione* ex Jure civ. dum major 20. annis ad pretium participandum se venundari passus est, ob quam improbitatem Jus sustinet talem venditionem: ut si quis fingat se servum alterius, & ab eo patiatur se vendi emptori ignoranti, ut ex pretio venditionis aliquid accipiat. 3. *Nativitate*, dum quis ex ancilla nascitur: quod enim ex ventre meo nascitur, meum est. §. 10. *de Rer. Divis*: Ita hæc habentur §. 9. 4. *h. t.* ex quo patet servos aut nasci, aut fieri per captivitatem, aut venditionem sui ipsius.

7. Q. IV. *Quæ sit divisio servorum, & liberorum?* R. 1. Servi quo ad conditionem status non dividuntur: nam *in servorum conditione nulla est differentia* §. *fin. h. t.* cum omnes eandem servitutem serviant. At quo ad officia, & munera dantur diversi servi, balneatores, librarii, histriones, symphoniaci, palestritæ *l.* 15. §. 1. *ff. de usufr.* item alii ordinarii, alii *vicarii*, qui aliis servis ex mandato domini deserviunt, & sunt in peculio eorum. *l.* 17. *ff. de peculio l.* 73. *in fin. ff. de legat.* 3. *l.* 19. §. *fin. ff. de noxalib. action.*

8. R. 2. Liberi dividuntur in *ingenuos*, & *libertinos* §. *fin. h. t.* nam libertas quibusdam competit a natura, & hi *ingenui* sunt; quibusdam ex beneficio manumittentis, & hi *libertini* vocantur. De ingenuis agetur *seq. tit.* 4. & de libertinis *tit.* 5.

9. Hic adde servitutem legalem ob favorem fidei, & reverentiam nominis Christiani, jam fere expirasse apud Christianos; & licet hi apud Turcas in bello capti, fiant servi capientium, tamen in sua patria censentur liberi, omniumque jurium capaces. Datur autem apud Christianos subjectio mitior quo ad operas domino præstandas, scilicet *servitus adscriptitia*, & *originaria*. *Adscriptitii* servi sunt, qui glebæ colendæ adscribuntur, seu qui prædiis colendis deserviunt. *Originarii*, qui ex Adscriptitiis nascuntur. Item servi *censiti*, qui, non operas, sed censum, seu pensionem domino præstare debent *l.* 20. 21. *C. de agricol. & censit.* ubi de his plura legi possunt. Hi omnes, quo ad statum sunt liberi, & bona propria habent, juribusque civilibus gaudent in officiis, testamentis, contractibus &c. a gleba tamen recedere non audent, cum sint pars prædii; ita ut a domino alienari, locari, pignori dari possint. Struv. Manz. 2. Natus ex libera, & adscriptitio, seu inscriptitio fit liber, & ingenuus secundum conditionem matris; a prædio tamen non recedit ad prædium alienum colendum, nisi fiat dominus possessionis propriæ; at natus ex adscriptitia, fit omnino inscriptitius. Si mulier inscriptitia nupta sit inscriptitio alterius domini, partus in numero impari sequitur matrem, in numero pari matrem, & patrem; ita ut electio a dominis facienda per sortem dirimatur. Unde si una est proles, ista spectat ad dominum matris, si tres, duæ ad dominum matris, & una ad dominum patris; si quatuor, duæ ad dominum matris, & duæ ad dominum patris spectabunt. Ita disponitur in *Nov.* 162. c. 2. 3. Tandem natus ex adscriptitio, & ancilla, vel ex adscriptitia, & servo, matris conditionem sequitur. *l.* 21. *C. de Agricol. & censit.*

TITULUS IV.

De Ingenuis.

Agitur de hac materia *tit. ff. de Statu hom.*

1. Q. I. *Quis dicatur ingenuus?* R. ille, *qui statim ut natus est, liber est*. *pr. h. t.* supple, modo natus sit ex ventre libero. *l.* 5. §. 2. *de stat. hom.* nam fieri potest, ut dominus partum ancillæ utero clausum manumittat, matre relicta in servitute: quo casu partus liber nascitur, non tamen ingenuus, sed libertinus. Unde ut quis sit ingenuus, nasci debet ex matre libera, sive deinde nascatur ex ingenuo, & ingenua, sive ex ingenuo, & liberta, sive ex liberto, & liberta, sive ex libera, & servo, sive intra, sive extra matrimonium. *pr. h. t.* ex quo deducitur trita illa regula: *partus sequitur ventrem*, puta quo ad conditionem

nem ſtatus libertatis, & ſervitutis, *c. un. de natis ex libr. ventr. l. 5. §. 2. ff. de ſtat. hom. Ratio* eſt, quia ſtatus deſumi debet a principio certo; mater autem ſemper eſt certa, pater vero incertus: tum quia mater plus materiæ corporalis miniſtrat proli, quam pater, pluſque ei prodeſt trino tempore conceptionis, intermedio, & nativitatis; ergo æquum eſt, ut proles quo ad conditionem ſtatus ſequatur matrem, etſi hæc vulgo conceperit, ſeu extra matrimonium: *quia non debet calamitas matris nocere ei, qui in ventre eſt. cit. l. 5. §. 2. ff. de ſtat. hom.* Unde natus ex matre libera, & patre ſervo, vel vulgo quæſitus, & matre libera natus, eſt ſimpliciter ingenuus.

2. *Obj.* 1. Liberi ſequuntur patrem *l. 19. ff. de ſtat. hom. l. 1. §. 2. ff. ad manucipal. c. 3. de conjug. Servor.* 2. Natus ex matre ancilla fit liber propter libertatem patris. *l. 1. §. 1. ff. de ſuis, & legit. l. 1. §. 3. ff. ad Senatus Conſulti. Tertyll. l. 14. C. de fideicom. libertat.* 3. Calamitas parentum ſæpe nocet prolibus. *l. 5. C. ad L. Jul. Mai. l. 2. v. filiis. C. de libert. & eor. liber. l. fin. C. de ſerv. fugitiv.* 4. Ingenua parit ingenuum, ancilla, ſeu ſerva ſervum; ergo etiam libertina parit libertinum.

℞. *ad* 1. Filii ex legitimis nuptiis quo ad originem, familiam, nobilitatem, forum, ſeu domicilium, ſeu quo ad ſtatum politicum ſequuntur patrem; at quo ad conditionem libertatis, & ſervitutis ſequuntur matrem. *cit. c.* 3. Secundum conſuetudinem, & legem Longobardorum partus ſequebatur conditionem patris. Gonz. *ibid.* & talis caſus excipitur a Juriſconſulto *l. 24. ff. de ſtat. hom.* ibi: *niſi lex ſpecialis aliud inducit. Ad* 2. Mater illa non fuit ſimpliciter ancilla, ſed ſtatu-libera, & quia paſſa eſt moram in manumiſſione, fingitur poſt manumiſſionem peperiſſe, & ita partum ingenuum edidiſſe. *Ad* 3. Nocumentum iſtud non oritur ex natalibus, ſed ex aliis juſtis cauſis. v. g. propter delicta atrocia parentum. *Ad* 4. neg. conſeq. nam libertinitas non habetur ex nativitate, ſicut ingenuitas, & ſervitus, ſed ex manumiſſione.

3. Q. II. *Quo tempore mater debeat eſſe libera, ut partus ſit liber, & ingenuus?* ℞. ſufficere uno ex tribus, vel tempore conceptionis, vel intermedio, vel nativitatis. Ita *pr. h. t. l. 5. §. 2. 3. ff. de ſtat. hom.* nam favore libertatis *qui in utero eſt, perinde acſi in rebus humanis eſſet, cuſtoditur, quoties de commodis ipſius partus quæritur. l. 7. ff. eod.* ſed ſi partus natus fuiſſet tempore, quo mater fuit libera, fuiſſet omnino liber, ergo liber eſt quandocunque naſcatur; dummodo mater ſaltem uno momento fuerit libera uno ex his tribus temporibus. Unde ex reſcripto Adriani Imp. libera, quæ prægnans ultimo ſupplicio damnata eſt, quo caſu facta fuit ſerva pœnæ, liberum parit. *l. 18. ff. eod. Dices: l. fin. C. de liber. cauſ.* reſcribit Conſtantin. *Placuit eos, qui naſcuntur matrum conditionibus uti, quarum mox viſceribus exponuntur*, ergo tempus nativitatis ſpectari debet. 2. Habitis extremis de medio non curatur gloſſ. in *l. 16. v. Conſtituti. C. de probat.* ergo ſi mater eſt ancilla tempore conceptionis, & nativitatis, parit ſervum, eſto fuerit libera tempore intermedio. ℞. *ad* 1. lex iſta procedit de cauſa liberali, ut nati ante litem motam ſuo nomine vocentur ad judicium liberale; nati vero poſt litem, matris fortunam ſequantur: quia ſi matris ſtatus incertus eſt, etiam ſtatus liberorum incertus erit. *Ad* 2. In multis præſertim favorabilibus medium curatur, uti in noſtro caſu, & *§. 6. v. unde. Inſt. de noxalibus action.* ubi actio noxalis perimitur, licet ſervus tantum medio tempore factus ſit ſervus illius, cui noxiam fecit.

4. Q. III. *Pro quali ſit habendus, qui fuit putatitie ſervus, & manumiſſus eſt?* ℞. pro libero, & ingenuo. *§. fin. h. t. cum autem ingenuus aliquis natus ſit, non officit ei in ſervitute fuiſſe, & poſtea manumiſſum eſſe:* nam aliud eſt *in ſervitute*, aliud *ſervum fuiſſe*; illud facti, hoc Juris: ſed ſervitus de facto, & manumiſſio de facto, & non de Jure facta non poteſt tollere ſtatum ingenuitatis, qui de Jure eſt; ergo licet ingenuus per errorem, aut malitiam alterius, ſit in ſervitute, & manumittatur, tamen re ipſa neque fit ſervus, neque libertinus, ſed manet ingenuus quia *ſæpiſſime conſtitutum eſt naturalibus non efficere manumiſſionem §. fin. h. t.*

TITULUS V.

De Libertinis.

AGitur de hac materia in Pandectis *lib. 40. fere per tot.* In Codice *lib. 7. tit. 1. & ſeqq.*

1. Q. I. *Quis dicatur libertinus?* ℞. *qui ex juſta ſervitute manumiſſus eſt. pr. h. t.* Dicitur *juſta*, hoc eſt vera, & de Jure introducta: nam ſi ſervitus fuit injuſta, de facto, & putative talis, manumiſſio non officit ingenuitati, nec facit libertinum ut dictum eſt ante ex *§. fin. de ingenuis.* Diſcrimen inter *libertum*, & *libertinum* hoc communiter aſſignatur, quod *manumiſſus* comparative ad dominum ut patronum dicatur *libertus*; abſolute vero quo ad ſuum ſtatum *libertinus.* Zoes tamen dicit olim illos fuiſſe libertinos, qui ex manumiſſis progeniti erant; ingenuos vero, quorum majores nunquam erant ſervituti ſubjecti.

2. Q. II. *Quibus modis e ſervitute juſta perveniatur ad libertatem?* ℞. duobus: 1. *Manumiſſione* a Jure gentium introducta, quæ eſt *manu datio*, ſeu conceſſio libertatis a domino facta. *pr. h. t.* nam ſervus eſt *manui, & poteſtati ſuppoſitus & manumiſſus liberatur poteſtate. ibid.* 2. *Ipſo Jure*, & *facto* ſine manumiſſione, dum Jus ob certas cauſas vult ſervum fieri liberum; cujuſmodi caſus enumerantur *tit. ff. qui ſine manumiſſione ad libertatem perveniunt*, ut ſi ſervus venditus eſt cum conditione, ut intra certum tempus manumitteretur, dummodo uſque ad iſtud tempus venditor perſeveret in eadem voluntate, lapſo autem tempore mutatio voluntatis non obſtat libertati: quo ſenſu conciliantur *l. 1. & 3. d. t. & l. 3. ff. de ſervis export.* Item ſervus, quem pro derelicto dominus habuit, qui necem domini detexit, qui venditus eſt, ne proſtitueretur, & proſtitutus eſt a domino, vel voluntate ejus ab alio *l. 2. 5. 6. 7. ff. qui ſine manu.* ubi plura vide in text. & in *tit. C. pro quibus cauſis.* ubi pro præmio accepit libertatem, qui ſtrenue probaverit necem ſui domini, qui monetarios monetam adulterantes, vel raptorem virginis, aut deſertorem militiæ detexerit.

3. Q. III. *Quot modis, & qua forma fiat manumiſſio?* ℞. quinque modis: 1. *In Eccleſia* coram Antiſtite, & plebe. *l. 1. C. de his, qui in Eccl. manum.* quæ manumiſſio fuit actus ſolemnis pietatis, in ſcripturam a domino manumittente ſignatam referri ſolitus. 2. *Vindicta*, ſeu *per vindictam:* quæ manumiſſio fiebat ſolenniter apud Magiſtratum, ut Prætorem, vel Conſulem; coram quo dominus ſervum in gyrum agens, & colaphum eidem infligens, atque ita percuſſum e manu dimittens, formulam addebat *Hunc hominem liberum eſſe volo.* Quo facto lictor virgula, quæ *Vindicta* a Vindicio ſervo ita manumiſſo dicebatur *l. 2. §. 24. ff. de orig. jur.* caput ſervi percutiebat. Exempla habes in *tit. ff. de manumiſſis vindicta*, & *tit. C. de vindict. libertate.* Alii vindictam libertatis deducunt a *Vindice* ſervo Bruti, qui primus hoc modo manumiſſus fuit. *l. 2. §. 24. ff. de orig. jur.* Porro quia juriſdictio huic manumiſſioni præſtanda, eſt voluntaria, & non contentioſa, Prætor eam præſtare poteſt extra locum judicii v. g. in tranſitu ad balneum, aut theatrum *§. 2. h. t.* imo ſi dominus eſt Prætor, aut Conſul, apud ſemet ipſum manumittere valet, uti & tutor ſervos pupilli *l. 1. & 5. ff. de manum. vind.* ex quo naſcitur illa regula: *Juriſdictio voluntaria non exigit diſtinctionem perſonalem inter eum, a quo, & cui auctoritas præſtatur.* Sic Superior, qui diſpenſare poteſt cum ſubditis, etiam directe cum ſe ipſo diſpenſare poteſt. 3. *Teſtamento*, dum teſtator ultima ſua voluntate jubet ſervum eſſe liberum, de quo vide *tit. ff. de manumiſſ. teſtam. & tit. C. de teſtamentar. manum.* Poteſt autem teſtamento dari libertas, vel *directa*, dum immediate ipſe teſtator eam per ſe dat v. g. Sejus liber eſto, vel *fideicommiſſaria*, dum teſtator hæredem rogat, ut ſervum manumittat v. g. Titium hæredem meum rogo, aut mando, ut Sejum manumittat. Priori modo fit *libertus orcinus* hoc eſt teſtatoris, qui more Gentilium dicitur poſt mortem tranſire ad orcum; poſteriori modo fit libertus hæredis manumittentis. De fideicommiſſariis libertatibus vide *tit. ff. & C. de fideicom. libert.* 4. *Inter amicos*, in qua manumiſſione neceſſaria fuit ſcriptura, & quinque teſtes ſubſcripti. 5. *Per epiſtolam* quin-

quinque testibus munitam, qua dominus servum absentem libertate donat. Ita hi modi enumerantur §. 1. *h. t.* quibus additur *census lustralis*, dum servus jussu domini censum inter cives rom. profitebatur, atque ita instar civis romani habebatur. Zoes. Primi tres modi una cum censu lustrali sunt solemnes, & civem rom. faciunt: duo ultimi sunt privati, & civem tantum latinum efficiunt, ut mox dicetur.

4. Q. IV. *Quotuplex fuerit status libertinorum?* ℞. triplex §. 3. *h. t.* nam libertini aliqui erant *cives romani* jura Quiritum consecuti, qui solemniter in Ecclesia, vindicta, vel testamento manumissi sunt. Aliqui erant *cives latini* privatim inter amicos, vel per epistolam manumissi, seu *liberti juniani* ita dicti a lege Junia Norbana sub M. Junio Silano & L. Norbano Balbo Coss. lata, qui vivebant ut liberi, & sine testamento mori debebant ut servi, eorumque bona devolvebantur ad manumissores. Aliqui erant *liberti dedititii* ex L. Ælia Sentia, qui non melioris erant conditionis, ac populi, qui se, Divina, humanaque omnia romanis dediderant: deditii proinde appellati *Carol. Sigon. de antiq. jur. Italiæ lib.* 1. *cap.* 1. Sed triplicem hunc statum sustulit Imp. Justinianus, & omnes libertos exæquando voluit esse cives romanos, & jure Quiritum gaudere. *cit.* §. *fin. h. t.* Vide *tit. C. de dedititia libert. tollenda*, & *seq. tit. de latina libertat. tollenda*. Cetera, quæ hic quæri possent, infra dicam, ne ordinem titulorum pervertam.

TITULUS VI.

Quibus ex causis manumittere non licet.

Agitur de hac materia in Pandectis *lib.* 40. *tit.* 9. In Codice *lib.* 7. *tit.* 11.

1. Q. I. *Quis servos manumittere possit?* ℞. regulariter omnis dominus, nisi lege prohibeatur: nam quilibet rei suæ moderator est, & arbiter *l.* 21. *C. mandati.*

2. Prohibetur autem 1. Debitor in fraudem creditorum ex L. Ælia Sentia. *pr. h. t.* modo copulative adsit *fraus consilii*, seu prava intentio defraudandi creditores, & *fraus eventus*, seu re ipsa consequens, si servis manumissis reliqua bona non sufficiant ad satisfaciendum creditoribus. Hoc tamen tali debitori permittitur, ut unum ex servis testamento manumissum hæredem instituere possit, cujus nomine, & non domini, ignominia subhastationis bonorum sustineatur. Neque per hoc injuria fit servo: tum quia consequitur libertatem, rem inæstimabilem; tum quia ultra vires hæreditatis non tenetur creditoribus, sed in bonis deinde quæsitis beneficium habet *competentiæ*, ne ultra suam competentem sustentationem solvere cogatur. §. *fin. de actionib.* Ita hæc tradit Imp. §. 1. 2. 3. *h. t.*

3. 2. Dominus 20. annis minor ex eadem L. Ælia Sentia prohibetur aliter manumittere servos, nisi per vindictam, justa causa probata apud Consilium, seu coram Prætore, & Assessoribus §. 4. *h. t.* Hanc legem emendavit Justinianus concedens minoribus, ut anno decimo octavo inchoato inter vivos manumittere possint §. *fin. h. t.* per *Nov.* autem 119. *c.* 2. concedit manumissionem testamentariam in ea ætate, in qua dominus testari valet, scil. anno decimo quarto completo. *l.* 5. *ff. qui testam. fac.*

4. Q. II. *Quæ sint justæ causæ, ob quas minor* 20. *annis manumittere possit?* ℞. seqq. 1. *causa pietatis*, & *reverentiæ*; ut si minor habeat servum patrem suum, matrem, filium, fratrem, pædagogum, nutricem, vel educatorem, alumnum, vel alumnam, quos ille aluit, & educavit, vel collactaneum: has enim personas manumittere pietas, & specialis affectio suadet. Potest autem filius habere patrem servum in casu, quo uterque fuit servus ejusdem domini, & is filio manumisso patrem donavit, vel filium hæredem instituit. 2. *Causa utilitatis*, ut *procuratoris habendi gratia*, dummodo servus manumittendus non sit minor septemdecim annis. Ex quo nonnulli Civilistæ colligunt in procuratore ad lites sufficere annum 17. expletum; sed illatio ista non est clara, & evidens: nam licet servus possit esse procurator ad negotia, tamen causa sufficiens illum manumittendi est, ut tanquam liber cum majori decentia, & honore, negotia præsertim graviora, & honorifica procuret; vel id speciale est favore libertatis. 3. *Causa matrimonii contrahendi*, dummodo ancillam manumissam intra semestre ducat, secluso impedimento, aut mutatione status, & dignitatis, ne manumissio in fraudem legis facta videatur. Jam si causa semel approbata fuit, tenet manumissio, etsi deinde appareat causam falsam fuisse. Ita hæc habentur §. 5. 6. *h. t.*

5. Q. III. *Quis servus manumitti possit.* ℞. regulariter omnis, nisi Jure prohibetur: nam hoc beneficium omnibus conceditur. Prohibentur autem: 1. Servi ad perpetua vincula damnati, & quos testator pœnæ causa manumitti prohibuit. *l.* 1. 2. *C. qui non possunt ad libert. perv.* & quos venditor ex contractu, vel Præses vetuit manumitti. *l.* 9. *ff. de manumiss.* 2. Servus alienus, vel juri alieno obligatus, uti est servus dotalis, pigniori speciali datus, legatus alteri, *l.* 2. 3. *eod.* si tamen maritus est solvendo, vel si legatarius legatum repudiet, vel si servus est tantum generali hypothecæ obligatus, valet eorum manumissio. *l.* 29. *ff. qui, & a quib. manum.* ubi plura de hoc legi possunt.

TITULUS VII.

De Lege Fusia Caninia tollenda.

1. Lex ista Fusia, seu Furia Caninia sub P. Furio Camillo, & C. Caninio Gallo lata præscribebat certum numerum testamento manumittendorum, ut ex tribus duo, ex decem quinque, & triginta decem, ex centum 25. & 500. & ultra, nonnisi centum manumitti possent. Sed lex ista utpote inhumana, & libertatibus inimica sublata est per Justinianum, data facultate testamento manumittendi etiam omnes servos. *tit. C. de L. Fus. Can. tollend.*

Quæ ad hanc libertatis, & servitutis materiam desiderantur, breviter in seqq. solventur.

2. Q. I. *Qui sint effectus manumissionis?* ℞. duo præcipui: 1. *libertas* ex parte manumissi, licet quidam manumissi libertatem in effectu non consequantur, ut relegati, qui in urbe morantur, manumissi a reo criminis læsæ majestatis, vel qui violente coegerunt dominum ad sui manumissionem, & alii, de quibus vide *tit. ff. qui, & a quib. manumiss.* 2. *Jus patronatus* ex parte manumittentis, ejusque liberorum, ad quos transit etiam in casu, quo pater perduellionis damnatus est. *l.* 3. 4. *ff. de Jur. Patr.* Vi hujus juris debentur patrono obsequia, reverentia, munus, & operæ, si quas liberto imposuit, actio ingrati, seu querela contra ingratum libertum, actio Faviana, & Calvisiana, si quid libertus in fraudem patroni alienavit, successio prætoria. Item persona patroni debet esse liberto sancta, non secus ac filio persona patris; & ideo non vocat illum in jus sine venia Prætoris. *l.* 4. *ff. de in jus voc.* nec pulsat eum actione doli, injuriarum, vel alia famosa, sed actione in factum, & condemnato patrono salvum manet beneficium competentiæ; imo illum egentem tenetur libertus alere, cum jus patronatus simile sit Juri paterno. Ita hæc omnia reperies in Digestis *lib.* 37. *tit.* 14. & 15. & seq. *lib.* 38. *tit.* 1. *usque ad* 5. In Codice *lib.* 6. *tit.* 1. *usque ad* 7. Amittitur autem Jus patronatus *remissione*, licet reverentia, & actio ingrati nunquam censeatur remissa. *l.* 2. 3. *C. de bon. libert. negligentia*, si patronus negligat alere libertum. *l.* 6. *ff. de jure patr.* vel si eum stringat jurejurando, ne matrimonium ineat &c.

3. Ex dictis *colliges* 1. ex manumissione inscriptitiorum, & originariorum non oriri Jus patronatus, quia id Jure expressum non est, quamvis dominis ita manumittentibus reverentia, & gratitudo debeatur. *Colliges* 2. Jus patronatus civilis longe diversum esse a jure patronatus ecclesiastici, seu ab Ecclesia introducti, ut patronus ad Ecclesiam a se fundatam, vel constructam, aut dotatam, idoneum Clericum præsentare valeat. De hoc in meo Cursu *tit. de Jure Patr.*

4. Q. II. *Quid sit Jus aureorum annulorum?* ℞. esse illud, vi cujus liberti a Principe consequuntur jura, & privilegia ingenuorum, salvo tamen jure patronatus. Unde tales liberti possunt ea omnia, quæ ingenui, dummodo patrono non præjudicent: nam aureus anulus est insigne ingenuitatis. Vide *tit. ff. & C. de Jur. aureor. annlor. Restitutio natalium* est beneficium Principis priore pinguius, quo libertus ita efficitur ingenuus,

genuus, & a jure patronatus independens, acsi a principio taliter natus, & nunquam servituti subjectus fuisset. Cum vero restitutio natalium sit patrono præjudiciosa, regulariter sine ejus consensu concedi non solet. *tit. ff. de natalib. restit.* & *C. cit. tit.*

5. Q. III. *Quotuplex sit causa liberalis*, seu *quæstio*, aut *judicium de statu libertatis*? ℞. 1. Duplex: *Liber quis, an servus sit*, & *Ingenuus quis, an libertinus sit*? & utraque vocatur *causa præjudicialis*: tum quia alteri facit præjudicium v. g. circa operas, & alias obligationes; tum quia prius judicari, seu cognosci debet, eo quod alia causa pendens ab ingenuitate, vel simili conditione, definiri nequeat, nisi causa status præcognoscatur, & præjudicium alteri afferat.

6. 2. Prior causa tractabatur per *Assertorem*, seu *Vindicem* alienæ libertatis; qualis fuit quicunque de consensu actoris, imo pater pro filio, & is pro patre etiam invito agere potuit: quia dedecorosum est patri filium, & filio patrem habere servum. Ita de Jure antiquo *tit. ff. de liber. caus.* At Justinianus *tit. C. de assert. tollenda*: sustulit istos Assertores, data facultate, ut is, qui ex possessione libertatis ductus est in servitutem, vel per se, vel per procuratorem agat, quod tamen negatur ei, qui e servitute prosilit ad libertatem. Non omnes autem ad libertatem proclamare possunt, ut descendentes ex familia latronum, & qui se vendi passi sunt ad pretium participandum, & qui ab invito extorti sunt, & alii, de quibus agitur *tit. ff. & C. quibus ad libertat. proclam.*

7. 3. Posterior causa hæc habet præcipua: manumissus quocunque tempore proclamare potest ad ingenuitatem, dummodo probet se ex matre ingenua genitum. *l. fin. C. ubi causa status*, qua corrigitur Jus vetus *l. 2. §. 1. ff. si ingenuus esse dic.* concedens talem proclamationem intra quinquennium: nam causa libertatis nulla fere præscriptione absumitur. *l. fin. C. de long. temp. præscr.* At contra qui in possessione libertatis est per decennium inter præsentes, & vicennium inter absentes, præscribit libertatem, modo justum titulum, & bonam fidem habeat. *l. 2. C. eod.*

8. Imo de statu defuncti, qui vixit ut liber, post quinquennium nullo modo est quærendum in ejus præjudicium *tit. C. ne de statu defunct.* uti nec de statu illius, qui per sententiam pronunciatus est ingenuus, nisi collusio, seu simulata probatio intervenerit, quam detegens pro præmio habet servum illum, qui ex collusione pronunciatus est ingenuus. *tit. ff. & C. de collusion. deteg.*

9. Q. IV. *Quale detur remedium contra diffamantes statum ingenuorum*? ℞. dari celebre remedium ex *l. 5. diffamari. C. de ingenuis.* quo statuitur, ut is qui alterius statui detrahit ex errore, vel malignitate, asserendo aliquem non esse ingenuum, in jus veniat, & notam, quam diffamato inussit, legitime probet; si vero citatus non compareat, vel in probatione deficiat, lata sententia silentium ei imponitur, & imposterum a simili injuria desistere jubetur. Qui casus est specialis, ut, etiam parte altera absente, sententia proferatur *l. 4. & 40. C. de liberal. caus.*

10. 2. In hoc diffamationis casu duplex est judicium: unum prævium *diffamatorium*, in quo diffamatus est actor, & probare cogitur factum, seu delictum diffamationis, seu quod ab altero diffamatus fuerit: alterum est *principale* circa id, in quo diffamatio facta est, seu circa statum ingenuitatis: & in hoc judicio diffamans, utpote suo facto provocans ad judicium, est actor, & tenetur probare verum esse id, quod asseruit v. g. Stichum non esse ingenuum. Judex autem competens in hoc utroque judicio est Judex diffamati, ceu rei per diffamationem accusati: nam prius judicium diffamatorium, velut accessorium, ad eundem spectat Judicem, ad quem judicium principale, ne causæ continentia dividatur. Ita Mynsing. Gaill. Zoes, & alii ad *cit. l. diffamari.*

11. 3. Dispositio *d. l.* locum habet in omnibus aliis diffamationibus; ut si quis alteri objiciat, vel de eo spargat, quod non sit legitime natus, dominus, vel Episcopus, parochus &c. nam licet in *cit. l.* exprimatur casus specialis *ingenuitatis*, ratio tamen legis est generalis, quod iniquum sit errore, aut malignitate statum alterius diffamari; quæ ratio æqualiter procedit in aliis diffamationibus. Gail. 1. *Obser. c. 9. ad cit. l. diffamari.*

Cetera consulto hic prætermitto, cum non sint in usu apud Christianos. Historiæ gratia relegantur Jura in Pandectis *lib. 37. tit. 14. & 15. & seq. lib. per 5. tit. & libr. 40. per tot.* In Codice *libr. 6. tit. 1. usque ad 8. & tit. 13. & libr. 7. tit. 1. usque ad 23.* deficientibus enim servis, etiam Jura deficiunt de illorum statu lata; licet, ubi materia patitur, multa accommodari possint servis adscriptitiis, & originariis. Manz. & alii.

12. Q. V. *An servitutes, & manumissiones conformes sint Juri Canonico*? ℞. affirmative: nam & Ecclesiæ suos servos habuisse leguntur. *c. 3. de serv. non ordinand.* Et quamvis Ecclesia servos ob vilitatem status non admittat ad statum clericalem, & sacramentum Ordinis. *d. 54. per. tot. & tit. de serv. non ord.* tamen eis permittit sacramentum matrimonii, salva servitute, & jure dominorum *c. 1. de conjug. servor.* ut proinde Jus civile aliter disponens hodie non attendatur.

Connexio Præcedentium, & Consequentium.

Absoluta est prima divisio personarum in servos, libertinos, & ingenuos, nunc a *tit. 8. usque ad 12.* inclusive agetur de secunda divisione personarum in eos, qui sui, vel alieni juris sunt.

TITULUS VIII.

De his, qui sui, vel alieni Juris sunt.

Agitur de hac materia in Pandectis *h. t.* estque hæc Rubrica una ex illis, in quibus nigrum est amplius rubro, cum in textu supposito etiam specifice agatur de potestate dominica.

1. Q. I. *Quæ sit persona sui, & alieni juris*? ℞. 1. Persona *sui juris* est, quæ nulli potestati privatæ, nec patriæ, nec dominicæ subjecta est; uti paterfam. & materfamilias, quorum nomine veniunt etiam infantes utriusque sexus, utraque hac potestate soluti. *l. 4. ff. h. t.* Persona *alieni juris* est, quæ subjecta est alterius potestati privatæ, vel *patriæ*; sicut filiusf. filiafam., vel dominicæ, sicut servus, & ancilla, *pr. h. t. l. 1. ff. eod.* Religiosi utriusque sexus mixtam habent conditionem: nam, prout melius est monasterio, quandoque comparantur servis, quandoque filiisf., quandoque patribusfam. Hic agitur de potestati dominicæ, in *seq. tit.* de potestati patriæ subjectis.

2. Q. II. *Quid sit potestas dominica*? ℞. est jus dominorum a gentibus introductum libere disponendi de bonis, & operis servorum §. 1. *h. t. l. 1. §. 1. ff. eod.* Jus vero *vitæ*, & *necis*, quod antiquitas usurpabat, utpote barbarum, & juri naturali contrarium, sublatum est per Const. D. Antonin. Imp. §. 2. *h. t. & tit. C. de emandat. Serv.* concessa dominis potestate moderate solum castigandi servos. Si intolerabilis videatur sævitia dominorum, coguntur hi servos ad statuas Principum confugientes, vel de sævitia illorum querelantes, justis conditionibus vendere: *expedit enim Reipubl. ne sua re quis male utatur. cit. §. 2. h. t. Dices: l. 9. §. 7. ff. de pecul.* Jurisconsultus ait: *licere servis etiam naturaliter in suum corpus sævire*; ergo multo magis id licet domino. ℞. nec servis, nec dominis id licere citra injuriam Creatoris; cum homo non sit dominus vitæ, & membrorum. Jurisconsultus plus non vult, nisi *licere*, seu impune esse servo, si quandoque corpori suo noceat, & ideo propter hoc nihil est ei deducendum ex peculio: quo non obstante servus in se sæviendo, peccat, quia *non omne, quod licet, honestum est. l. 144. ff. de R. J.*

3. Q. III. *Qui sint effectus dominicæ potestatis*? ℞. Seqq. 1. Jus reale in servo, tanquam re propria domini, & ideo servus fugitivus sui furtum facit, & affectus vitio reali furti non potest usucapi *l. 1. C. de serv. fugitiv.* 2. Quidquid servus acquirit, domino acquirit, quia quælibet res suo domino fructificat. §. 3. *In per quas person.* 3. Dominus libere potest disponere cum servo, eum alienando, locando, pignorando, ad usumfructum dando &c. hi enim sunt effectus dominii. Hoc speciale est, quod ex conniventia domini servus sibi acquirere possit nummos, ut per hos se redimat a servitute. *l. 5. ff. de manumissionib.*

In §. *fin. h. t. in fin.* fit mentio asyli politici, quod datur confugientibus ad statuam Principis, de quo in

Codice *lib.* 1. *tit.* 24. & 25. Hodie vix est in usu, bene vero asylum ecclesiasticum, de quo Canonistæ *tit. de immun. Eccl.*

TITULUS IX.

De Patria Potestate.

AGitur de hac materia in Pandectis *lib.* 1. *tit.* 6. & *lib.* 37. *tit.* 15. In Codice *lib.* 8. *tit.* 47. & *seq.*

1. Q. I. *Quid sit patria potestas*? ℞. est jus a Romanis introductum, quo patri, aut avo, liberi justi subjiciuntur in ordine ad certos effectus civiles *Dicitur* 1. *a Romanis*: quia licet Jus naturale quo ad reverentiam, obsequia, rectam educationem, & gubernationem domesticam, seu quo ad subordinationem naturalem, liberos subjiciat parentibus, non tamen quo ad illos effectus, qui specialiter Jure Civ. Romano introducti sunt, ut mox dicetur. *Dic.* 2. *Patri*, *avo*, aut *proavo*, quia licet matri de Jure naturali competat potestas materna, qua superior est suis liberis, tamen civilis potestas patria soli patri, & masculis ascendentibus attributa est ex Lege Romuli: *Filius*, *quamdiu vixerit*, *in potestate patris maneto*, & ideo liberi justi sequuntur conditionem patris *l.* 19. *ff. de stat. hom. l.* 195. §. *familia*. *ff. de V. S.* quia pater est princeps familiæ. *Dic.* 3. *liberi justi*, hoc est ex legitimo matrimonio, & hodie de Jure Can. valido procreati *pr. h. t. l.* 3. *ff. de his*, *qui sui*. ubi Gajus ait: *in potestate nostra sunt liberi nostri*, *quos ex justis nuptiis procreaverimus*: *quod jus proprium Civium Romanorum est*. Nomine *liberorum* veniunt non tantum filii, & filiæfamilias, sed etiam ex filiof. descendentes, ut nepotes, & pronepotes, qui omnes in potestate sunt avi, vel superioris ascendentis. §. *fin. h. t. l.* 4. *ff. de his*, *qui sui*. *Qui autem ex filia tua nascuntur*, *in potestate tua non sunt*, *sed patris eorum*, vel avi *cit.* §. *fin. h. t.*

2. Q. II. *Qui sint effectus civiles patriæ potestatis*? ℞. seqq. 1. Jus vitæ, & necis in liberos, cognita prius causa. *l. ult. C. de patr. pot. l.* 11. *in fin. ff. de liber. & posthum.* Sed hoc jus barbarum, & Juri naturali adversum sublatum est, concessa patribus moderata correctione, & privato carcere, quo liberi coerceantur. *l. un. C. de emendat. propinq. l. un. C. de his*, *qui parent. vel liber. occider.* 2. Quidquid filius acquirit, patri acquirit, puta in bonis profectitiis, & in adventitiis quo ad usum fructum. §. 1. *In. per quas person. l.* 2. *C. h. t.* 3. Pater in egestate vendere potuit filios, seu oppignorare; ita ut filius redemptus omnino fuerit ingenuus. *l.* 2. *C. de parentib. qui filios distrax.* cui Juri hodie vix est locus. 4. Pater administrat bona adventitia filii, etiam eo invito; item impuberi testamento tutorem dare potest, & pupillariter substituere. *l.* 1. *C. de bon. matern.* §. 3. *de tutel. tit. ff.* & *C. de pupillar. substit.* 5. Injuriam filio illatam remittere potest. *l.* 17. §. *filiof. ff. de injur.* quia actio injuriarum ante litem contestatam non est in bonis filiifam. *l.* 28. *eod.* 6. Filius sine consensu patris regulariter non habet legitimam personam standi in judicio, & multo minus patrem conveniendi sine venia Prætoris. *l.* 4. *ff. de judic. l.* 13. *ff. de in jus vocand.* De quibus, & aliis huc facientibus dicetur suis locis.

3. Q. III. *Quot modis inducatur patria potestas*? ℞. Tribus: 1. *Nuptiis justis*, quia ex his geniti per se, & connaturaliter subjiciuntur patriæ potestati. §. 3. *h. t.* 2. *Legitimatione* 3. *Adoptione*. De quibus in seqq. Ac proinde patriæ potestati subjiciuntur *filii justi*, seu naturales, & legitimi simul, qui ex legitimo thoro nati sunt. Filii legitimati per matrimonium, vel rescriptum Principis, & *filii ficti*, seu *legitimi tantum*, qui a lege habentur pro filiis, sicut adoptivi. E contra extra patriam potestatem sunt: *Filii naturales*, seu *bastardi* non legitimati, qui nati sunt ex parentibus solutis, inter quos matrimonium consistere potuit de Jure Canonico, licet Jus civ. videatur requirere, ut nati sint ex concubina *tit. C. de naturalib. lib. Spurii*, seu ex damnato coitu nati a parentibus, inter quos matrimonium consistere non potuit tempore conceptionis, vel saltem intermedio, aut nativitatis; uti sunt *adulterini sacrilegi* nati ex parentibus voto solemni castitatis obstrictis: *incestuosi*, & *nefarii* nati ex consanguineis in linea recta.

TITULUS X.

De Nuptiis.

IN *h. t.* Imperator per accidens agit de civilibus impedimentis matrimonii, quæ hodie non attenduntur; adeoque pro hac materia nuptiarum remitto te ad totum *lib.* 4. *Decretalium*. Per se vero hic agitur de duplici modo inducendæ patriæ potestatis, scilicet per *nuptias*, & per *legitimationem*.

1. Q. I. *Quæ nuptiæ inducant patriam potestatem respectu liberorum inde procreatorum*? ℞. Omnes, & solæ nuptiæ, quæ de Jure Can. reputantur justæ, & validæ: nam in lege Christi matrimonium elevatum est ad rationem Sacramenti, adeoque tota ejus justitia, & valor desumi debet ex Jure Div. & Ecclesiastico. Vide de hac materia Jus Can. *lib.* 4. *tit.* 17.

2. Q. II. *Quæ legitimatio inducat patriam potestatem*? *Nota* legitimationem esse actum solemnem utriusque Juris, quo liberi illegitimi natalibus restituuntur. Hæc legitimatio est triplex: per *subsequens matrimonium*, per *rescriptum Principis*, & per *oblationem curiæ*, dum filii per oblationem ad officia curialia legitimabantur, qui modus jam exolevit. §. *fin. h. t.*

3. ℞. 1. Filii tantum naturales, qui nati sunt ex parentibus solutis habilibus ad contrahendum inter se matrimonium, legitimari possunt per subsequens matrimonium, non vero filii spurii. *c.* 6. *qui filii legit. l.* 11. *C. de natural. lib. nov.* 89. *c.* 8.

4. 2. Per rescriptum Principis legitimari possunt non tantum filii naturales, sed etiam spurii. *Nov.* 89. *c.* 9. & *seqq.* sed plerumque requiritur consensus legitimandi, ne invitus patriæ potestati subjiciatur. *l. fin. ff. de his*, *qui sui*: nam sicut illegitimitas inducta est per leges, ita per Conditorem legum tolli potest. Cetera de hoc vide in Jure Can. *lib.* 4. *tit.* 17. Ex his patet, quæ legitimatio inducat patriam potestatem.

5. Q. III. *An progeniti ex nuptiis servorum de Jure Can. validis subjiciantur patriæ potestati*? ℞. Negetive ex *c.* 1. *de conjug. Servor.*: nam patria potestas est effectus Juris civilis, cujus servi communionem non habent, & aliunde repugnat, ut quis subjiciatur patriæ potestati, & dominicæ simul, cum totus domini sit. Si tamen obstaculum servitutis tolleretur per manumissionem patris, & liberorum, nihil prohibet patriam succedere potestatem, cum liberi nati sint ex legitimo thoro secundum Jus Can. licet Jus civile, quod hic non attenditur, reprobet, & irritet conjugia servorum, dicendo illa esse contubernia. *l.* 3. *C. de incest. nupt.*

Quæstiones incidentes de Nuptiis.

6. Q. IV. *An mulier sequatur conditionem mariti*? ℞. Affirmative, & quidem 1. in *dignitate*, & ideo si fœmina inferioris conditionis nubat Principi, statim coruscat radiis mariti, & princeps efficitur. *l.* 13. *C. de dignitatib.* quæ dignitas ei manet etiam in statu viduitatis, quia fingitur esse sub priori marito; amittit vero, si secundo nubat inferiori. *ibid.* 2. In *domicilio l.* 13. *C. de dignit. l. fin.* §. 3. *ff. ad municipal.* ita ut hoc domicilium, & forum retineatur etiam in statu viduitatis. 3. In *privilegiis*, ut pleraque privilegia mariti sibi accomoda participet v. g. quo ad sessionem, præcedentiam, immunitatem. *l.* 6. & *fin. C. de Professor. & Medic. l. fin. C. de injur.* Unde Augusta testari, donare, & alios actus exercere potest sine solemnitatibus legalibus, quibus Augustus non tenetur *l.* 31. *ff. de legib.* Ceterum fœmina, quæ ex natalibus, & jure sanguinis est illustrioris nobilitatis, si nubat inferiori, per hoc non amittit nativam nobilitatem, & ideo nata Princeps non desinit esse talis, licet alicui Comiti nubat. Stryck, Schmier, & alii.

7. Q. V. *An maritus in suo territorio Superiorem non recognoscens jurisdictionem habeat in suam uxorem*? ℞. Probabilius affirmative. Stryck, Vitriar. & alii contra Lymnæum, ab Ehrecach &c. nam uxor transit in territorium mariti, ibique acquirit forum, & per se Augusta subjecta est Augusto *arg. l.* 31. *ff. de legib.* ergo etiam subest jurisdictioni Principis, ut coram eo civiliter, aut criminaliter conveniri possit.

Nec obstat, quod uxor sit mariti socia: nam in gubernatione domestica, non vero in jurisdictione est socia; neque ab eo independens in ejus territorio, cum per nuptias sponte se subjecerit ejus foro. Hæc ita in theoria: at in praxi decentius est, ut eligantur Judices, coram quibus uxor Principis conveniatur.

8. Q. VI. *An inter maritum, & uxorem fieri possit pactum super lucro dotis, aut donationis propter nuptias, ut eum superstes lucretur?* ℞. 1. Affirmative, maxime spectata consuetudine regionis: nam tali casu mulier non manet indotata, cum pactum istud non sortiatur suum effectum, nisi post mortem; periculum vero captandæ mortis alienæ per accidens est, & evacuatur per probitatem, & consensum conjugum. E contra non valet pactum, ut dos maneat penes maritum præmortuum, vel donatio propter nuptias penes uxorem præmortuam. *l.* 2. *ff. de pact. dotal. Auth. æqualitas. C. de pactis conv.* Cum vero talia pacta vim habeant ultimæ voluntatis, scripto, vel viva voce fieri debent coram 5. testibus, vel paucioribus secundum consuetudinem loci.

9. R. 2. Pactum super dote lucranda sortitur suum effectum, etsi uxor moriatur ante consummationem matrimonii, nisi aliud conventum fuisset. Ita com.contra Salic. nam pactum istud refertur ad tempus matrimonii; sed ante consummationem est jam verum matrimonium: quia nuptias non concubitus, sed consensus facit; ergo: tum quia lucrum istud cedit superstiti in solatium conjugis amissi, quæ ratio procedit etiam ante copulam. Facit huc *arg. ex l.* 15. *ff. de condit. & demonstr.* ubi relictum sub conditione, *si in familia nupserit*, statim debetur post nuptias. *Dices*: lucrum istud ceditur ob onera matrimonii, quæ ante copulam non sunt. ℞. neg. antec. *ex prob.* nec ratio ista verificaretur in uxore, quæ onera matrimonii non sustinet. Eamdem resolutionem Baldus, Barbos. & alii trahunt ad mortem civilem per professionem religiosam, ante, vel post copulam; quia mors ista quantum ad usum matrimonii idem operatur, quod mors naturalis. Zoes. Ceterum cavendum est, ne pacta ista præjudicent tertio v. g. patri, aut extraneo, si ei dos, vel donatio propter nuptias restituenda est. His non obstant *l.* 3. 6. *C. de pactis conv. l.* 2. 76. *ff. de jure dot. l.* 2. *ff. de donat. int. Vir. & Uxor.* & similia Jura, quia procedunt de pactis a Jure reprobatis, uti & *l. fin. C. de pactis.*

10. ℞. 3. Licet solemnitas pactorum attendatur secundum statuta loci, in quo nuptiæ contractæ sunt. *l.* 6. *ff. de evictionib.* tamen executio pacti super lucro dotis facienda est secundum leges domicilii mariti. *l.* 65. *ff. de judic.* nam uxor sequitur domicilium mariti: ergo & leges ejus domicilii sequi debet.

11. Q. VII. *An, soluto matrimonio, dos ob aliquas causas retineri possit?* R. negative *l. un.* §. 5. *C. de rei Uxor. act.* puta nec ob res donatas, nec ob res amotas, nec ob liberos ex matrimonio susceptos, nec ob impensas in res dotales factas: nam semper, & ubique dotis causa debet esse præcipua *l.* 1. *ff. solut. matrim.* ea vero quæ marito absunt, per alias actiones recuperari possunt. Compensatio tamen quantitatis ad quantitatem, cum vicem solutionis habeat, non est prohibita; siquidem Imp. *cit. l. un.* §. 5. de sola retentione dotis loquitur.

12. Q. VIII. *Quæ detur actio marito, si uxor ei res aliquas abstulit?* R. Facto divortio, si res divortii causa sublatæ sunt, datur actio *rerum amotarum*, non vero furti ob honorem matrimonii *l.* 2. *ff. de action. rer. amotar.* & si res extat, vindicari potest. *l.* 3. *C. eod.* ne scilicet maritus, soluto matrimonio, per uxorem damnificetur. 2. Si causa mortis res ablatæ sint, datur saltem utilis actio rerum amotarum *l.* 21. *pr. ff. eod.* cum directa detur tantum in casu divortii, etiam tantum quo ad thorum. 3. Si post divortium res ablatæ sint, conceditur actio furti & condictio furtiva. *l.* 3. *ff. de action. rer. amot.* 4. Si constante matrimonio res ablatæ sint, datur contra uxorem actio in factum, non vero actio famosa furti. *l.* 2. *C. eod. tit.*

13. Q. IX. *An parentes agnoscere, & alere debeant suos liberos?* ℞. Affirmative: nam de partu post divortium edito agnoscendo disponit Senatusconsultum Plancianum, seu Plautianum; & de partu edito constante matrimonio statuit aliud Senatusconsultum tempore Adriani Imp. factum *l.* 3. §. 1. *ff. de agnosc. & alend. lib.* ubi de hoc plura legi possunt, uti etiam *seq. tit.* 4. 5. 6. Alendos esse liberos ipsa natura dictat, etiam spurios de Jure Can. *c.* 5. *de eo, qui duxit*: nisi liberi essent divites, & parentes inopes. *l.* 5. §. 7. *ff. de agnosc. & alend. liber.* Mater tenetur alimenta lactis præbere prolibus, cetera pater *cit. l.* 5. & 8. *eod.* & *l.* 9. *C. de patr. potest.* Sed hodie *prava in conjugatorum moribus consuetudo surrexit, ut mulieres filios, quos gignunt, nutrire contemnant, eosque aliis mulieribus ad nutriendum tradant: quod videlicet ex sola causa incontinentiæ videtur inventum: quia dum se continere nolunt, despiciunt lactare quos gignunt* &c. *can.* 4. *dist.* 5. Cetera de causis nuptialibus dicentur *lib.* 4. *Decretal.* Videantur in Pundectis *lib.* 23. 24. 25. In Codice *lib.* 5. *usque ad tit.* 27.

TITULUS XI.

De Adoptionibus.

Agitur de hac materia in Pandectis *lib.* 1. *tit.* 7. In Codice *lib.* 8. *tit.* 48. estque adoptio tertius modus inducendæ patriæ potestatis.

1. Q. I. *Quid, & quotuplex sit Adoptio?* ℞. 1. Adoptio est assumptio personæ extraneæ in filium, vel nepotem. *Dicitur* 1. *extranea*, hoc est extra potestatem arrogantis constitutæ; qualiter etiam filius justus, semel emancipatus, adoptari potest, & ita honeste redire in patriam potestatem *l.* 12. *ff. h. t. Dicitur* 2. *in filium*, vel *nepotem* utriusque sexus: nam adoptio imitatur naturam: ergo sicut a natura pater generat filium, & eo mediante nepotem; contra naturam vero est, ut frater generet fratrem, ita quoque adoptio est in filium, vel nepotem, non vero in fratrem, vel sororem. Qui adoptat, vocatur *pater adoptivus*, seu *adoptans*, qui adoptatur, vocatur *filius adoptivus*, seu *adoptatus*.

2. ℞. 2. Adoptio est duplex: *Arrogatio*, qua homo sui juris principali rescripto, seu auctoritate Principis adoptatur. *Adoptio in specie*, seu *simplex*, qua filiusfamilias alienus imperio Magistratus, seu auctoritate Judicis, vel alterius inferioris Magistratus adoptatur. §. 1. *h. t. l.* 1. *ff. eod.* Dicitur *Arrogatio*: tum quia olim universus populus, in quo fuit summa potestas, rogabatur, ut consensum daret huic adoptioni; tum quia adoptans interrogatur: *an velit eum, quem adoptaturus sit, justum sibi filium esse, & is, qui adoptatur, rogatur, an id fieri patiatur. l.* 2. *ff. eod.*

3. Q. II. *Quæ sit forma utriusque adoptionis?* ℞. 1. Forma *adoptionis simplicis* est, ut fiat coram Magistratu inferiore, ut Prætore, Consule, Præside, Judice; & quia præstare auctoritatem adoptioni est actus jurisdictionis voluntariæ, potest Consul, vel Præses si filius familias sit, apud semetipsum vel emancipari, vel in adoptionem dari: itemque filios suos emancipare, & in adoptionem dare *l.* 3. 4. *ff. h. t.* Item ut adsit consensus patris veri, & simul consensus filii, saltem tacitus, si non contradicat. *l.* 5. *ff. eod.*

4. ℞. 2. Forma *arrogationis* pro puberibus est, ut fiat auctoritate Principis, & simul adsit expressus consensus, non tantum arrogantis, sed etiam arrogandi, utpote patrisfam., seu hominis sui juris, quod velit arrogari. *l.* 2. *ff. eod.* Pro arrogatione *impuberis* insuper requiritur cognitio causæ, an arrogatio expediat pupillo, spectata honestate, & facultatibus arrogantis: item consensus consanguineorum pupilli, qui præsumuntur ei melius velle, quam tutor; & tandem cautio ab arrogatore præstanda, quod omnia bona a pupillo allata velit consanguineis ejus restituere, si arrogatus in impubertate decesserit. §. 3. *h. t. l.* 18. *ff.* & *l.* 2. *C. eod.* Cum vero Imp. §. 2. 3. *h. t.* afferat potiores effectus adoptionis, ne hunc ordinem turbemus, ideo.

5. Q. III. *Quid operetur utraque adoptio?* R. 1. Adoptio simplex Jure novo Justiniani non operatur effectum patriæ potestatis, si pater naturalis filium suum extraneo dedit adoptandum. §. 2. *h. t. l.* 10. §. *sed ne. C. eod.* nam jura naturalia patris veri sunt fortiora, quam jura civilia patris ficti per adoptionem; ergo patria potestas in generatione naturali fundata non debet dissolvi per adoptionem: tum quia periculum est, ne ita adoptatus privetur hæreditate utriusque

patris:

patris: naturalis quidem, quia ex ejus potestate egreditur; adoptivi vero, quia ab hoc emancipari potest, præsertim post mortem patris naturalis. *cit. l.* 10. *pr.* Unde simpliciter adoptatus manet in potestate sui patris naturalis, ei acquirit, estque illi hæres suus, & necessarius: adoptio vero id solum ei præstat, quod in quarta legitimæ succedat adoptanti in casu, quo is intestatus moreretur. *cit. l.* 10. & §. 14. *In. de hæreditat. ab intest.* Solet tamen adoptans adoptatum recipere in domum suam, eum alere, ut filium, & ab eo vocari pater.

6. ℞. 2. Si pater emancipatus dat filium suum in adoptionem avo materno, aut paterno, solvitur potestas patris, & adoptatus transit in potestatem avi. *cit.* §. 2. *h. t. l.* 10. *C. eod.* nam in avo concurrunt naturalia sanguinis, & civilia adoptionis jura, quæ fortiora sunt, quam sola naturalia jura patris; ergo merito solvunt potestatem patris naturalis, & adoptatum transferunt in patriam potestatem avi, in quo periculum fraudandæ successionis sufficienter purgat, & evacuat affectio sanguinis.

7. ℞. 3. Arrogatio operatur effectum patriæ potestatis. Unde arrogatus cum omnibus suis bonis, imo & cum liberis, si quos habet, transit in potestatem arrogantis, tanquam justus filius; liberi vero ipsius, tanquam nepotes. *pr.* & §. 11. *h. t. l.* 2. 15. 40. *ff. eod.* nam arrogatus ex patrefamilias, seu homine sui juris, fit filiusfamilias, & homo juris alieni, minimam patiens capitis diminutionem, suumque caput, & fortunas defert patri adoptivo; & cum fiat sub potestate patria, alios sub eadem habere nequit. Cujus rei celebre exemplum affertur *cit.* §. 11. *h. t.* de Augusto, qui Tiberium patrem adoptivum Germanici arrogavit, atque ita utrumque in potestate habuit, Tiberium ut filium, & Germanicum ut nepotem.

8. ℞. 4. Arrogatio impuberis hæc præterea habet specialia, quod arrogator impuberem emancipare, vel in testamento præterire non possit, nisi justam causam intervenisse probetur; ut si impubes mortem machinaretur arroganti; alioquin in pœnam suæ iniquitatis, & injuriæ pupillo illatæ, tenetur ei omnia sua bona, quæ attulit, restituere; & insuper quartam partem suorum bonorum ei post mortem relinquere, quæ portio ex Const. D. Antonini Pii vocatur *quarta Piana*. §. 3. *h. t. l.* 2. *C. eod. l.* 10. *C. de petition. hæred. l. fin. ff. si quid in fraud. Patron.* Cum vero Jura ista generaliter loquantur de quarta bonorum, quæ mortis tempore erant arrogantis, intelligenda sunt de quarta omnium bonorum v. g. 4000. ex. 16000. non vero de quarta legitimæ ut 1000. ex 16000. quia 1000. sunt quarta quartæ. Ita Hunn. Harp, Kees, & alii contra Zoes Schambog. &c. Vide meas *Disp. Jurid. Disp.* 3. *Contr.* 3.

9. ℞. 5. Arrogatio non operatur ingenuitatem, nec nobilitatem. *Prima pars* est certa ex *l. fin. ff. de statu hom. Eum qui se libertinum esse fatetur, nec adoptando patronus ingenuum facere potest.* & *l. fin. ff. h. t. in servitute mea quæsitus mihi filius, in potestatem meam redigi beneficio Principis potest, libertinum tamen eum manere non dubitatur. Ratio* est, quia ingenuitas habetur ex natalibus, ergo non per adoptionem. Si tamen dominus, actis intervenientibus, seu solemniter servum suum *filium* nominet, non facit illum adoptivum, quia servus non est capax adoptionis, facit tamen hoc ipso illum *liberum*, seu *libertinum*, quia actus iste solemnis, si non valet ut adoptio, valet saltem ut manumissio. §. *fin. h. t.*

Secunda pars est Harpr. Rudolph. Schamb. Kees, & alior. contra Bochov. Hun. Gothofr. in *l.* 23. *ff. de adopt. n.* 39. Prob. ex *l.* 23. *ff. de adoption. adoptio non jus sanguinis, sed jus agnationis affert.* sed nobilitas pertinet ad jus sanguinis; nam a solis parentibus masculis ad posteros traducitur; ergo non habetur ab adoptione. *Ratio* est primo negativa, quia Jus non tribuit adoptioni effectum nobilitatis, ceu qualitatis stabilis, & moraliter inhærentis; secundo positiva; quia sicut ingenuitas, ita & nobilitas habetur ex natalibus; alioquin ingenuum, vel nobilem facere est proprium summi Principis *l.* 1. & *seqq. ff. de natalib. restituend.* ergo si quis ex natalibus non est nobilis, adoptio non faciet illum nobilem; alioquin quisque privatus adoptando, nobiles facere posset. Unde si arrogans est nobilis, & arrogatus plebejus, vel si avus maternus sit nobilis, & adoptet nepotem ex filia, quæ nupsit ignobili, in neutro casu adoptatus efficitur nobilis, licet extrinsece dicatur filius patris nobilis, sed nobiles procreare non poterit. Ex his facile enodantur §. 2. *h. t. l.* 23. *ff. eod. l.* 32. *ff. de ritu nupt. l.* 15. 44. *ff. h. t. l.* 35. *eod. l.* 5. *ff. de Senator. l.* 13. *C. de dignitatib.* nam plus ex his non sequitur, nisi quod arrogatus acquirat jura illa, quæ fluunt ex patria potestate, ut jus agnationis, suitatis, successionis, familiæ domesticæ; item quod dicatur Senatoris filius &c. nobilitas vero, sicut & ingenuitas non fluit ex patria potestate, sed est qualitas specialis a ceteris juribus distincta, & tantum ex natalibus, vel beneficio Principis acquisibilis. Vide meas *Dispp. Jurid. Disp.* 3. *Contr.* 4.

10. Q. IV. *Quis, & quem adoptare possit?* ℞. 1. Adoptare quilibet potest, nisi a Jure prohibeatur. *arg. l.* 16. *ff. h. t.* nam adoptio est de genere permissorum. Prohibentur autem absolute adoptare: 1. *minor majorem*, seu junior seniorem, sed saltem 18. annis adoptans præcedere debet adoptatum. §. 4. *h. t.* quia *pro monstro est, ut major sit filius, quam pater. ibid.* 2. *Castrati.* §. 9. *eod.* quia adoptio imitatur naturam, non tamen *spadones ibid.* quia castrati simpliciter, spadones vero tantum per accidens impediuntur a generatione, *l.* 2. §. 1. *l.* 16. 40. §. 2. *ff. h. t.* 3. *Filiifam.* cum enim in potestate patria sint, alium in simili potestate habere non possunt. *l.* 21. *ff. ad L. Jul. de adult.*

11. ℞. 2. Secundum quid adoptare prohibentur: 1. *Minor* 60. *annis*, quia is generationi potius, quam adoptioni studere debet, nisi continentiam præ matrimonio eligeret, vel adesset justa causa v. g. sterilitatis. *l.* 15. §. 2. *ff. h. t.* 2. *Mulier*, nisi ex indulgentia Principis ob solatium liberorum amissorum. §. 10. *h. t. l.* 5. *C. eod.* 3. Tutores, & curatores non possunt pupillos, & minores adoptare, nisi sanctissima affectio suspicionem doli tollat. *l.* 17. & 32. *ff. h. t.* 4. Habens unum, vel plures filios *l.* 17. §. 3. *eod.* nisi justa causa adsit, scil. ne præjudicetur veris filiis per fictos. 5. Qui semel adoptavit, & emancipavit, eumdem adoptare non potest, idque ob inconstantiam. *l.* 37. §. 1. *ff. eod.*

12. ℞. 3. Adoptari possunt omnes, nisi Jure prohibeantur, sicut *servi*, quia carent communione Juris civilis. Si tamen defacto adoptentur, liberi quidem fiunt, sed non filii. §. *fin. h. t.* 2. Filius naturalis a patre. *l.* 7. *C. de natural. lib. Nov.* 74. *c.* 3. ne adoptio patriæ libidini suffragetur. 3. Plures ab eodem non adoptantur, nisi ex justa causa. *l.* 15. §. *fin. ff. h. t.*

De cognatione legali, quæ oritur saltem ex adoptione perfecta, seu arrogatione, & dirimit matrimonium, vide *lib.* 4. *Decret. tit.* 12.

TITULUS XII.

Quibus modis jus patriæ potestatis solvitur.

Agitur de hac materia in Pandectis *lib.* 1. *tit.* 7. In Codice *lib.* 8. *tit.* 49. & *seqq.*

1. Duo sunt generales modi, quibus solvitur patria potestas: *ipso facto*, & *Jure* absque emancipatione, & per emancipationem.

2. Q. I. *Quibus modis ipso facto solvatur potestas patria?* ℞. seqq. 1. *Morte naturali* patris *pr. h. t.* nam mors omnia solvit. *Nov.* 22. *c.* 20. *pr.* Hic tamen circa nepotes discrimen faciendum est: & quidem si nepotes cum patre suo sunt in potestate avi, eo mortuo non fiunt sui Juris, sed recidunt in potestatem sui patris, in quem ab avo transit patria potestas. Idem dicitur si pater, non per emancipationem, sed v. g. per dignitatem solutus est patria potestate: tunc enim avo mortuo, nepos recidit in potestatem sui patris. At si pater præmortuus est, vel emancipatus, nepos remanens in potestate avi, hoc mortuo, fit sui juris, quia pater censetur renunciasse familiæ. *pr. h. t.*

3. 2. *Morte civili* per maximam capitis diminutionem, seu servitutem, & per mediam, seu amissionem civitatis, ut per deportationem. §. 1. *h. t.* his enim modis perditur communio Juris civilis, nisi pater, non communiter, sed plenissime per Principem restitueretur in omnia Jura. *ibid.* & *l.* 1. 2. *C. de sentent. pass.* Relegatio tamen, qua alicui interdicitur certa Provincia, non solvit potestatem, cum non tollat civitatem. §. 2. *h. t.* Servitus pœnæ, ut si quis condemnetur ad pœnam ultimi supplicii, vel ad metalla, olim solvebat

bat potestatem. §. 3. *h. t.* sed non hodie ex Const. Justiniani *Nov.* 22. *c.* 8. *Auth. sed hodie C. de donation. int. Vir. & Ux.*

4. 3. *Dignitate*, non quacunque, sed eminenti; uti olim fuit summa patritiatus dignitas §. 4. *h. t.* non vero militaris, senatoria, vel consularis. *ibid.* Sed hodie dignitas episcopalis, consularis, militaris, & quæcunque alia, quæ a conditione curiali liberat, solvit patriam potestatem quo ad ea, quæ solutis sunt favorabilia, non vero quæ in eorum damnum verterentur. *Auth. sed Episcopalis c. de Episc. & Cler. l. fin. C. de decur. Nov.* 70. 81. & 123. Idem aliqui efferunt de dignitate nudi doctoratus. Sed hoc nullo Jure probatur: nam soli professores, sicut a cura, ita etiam a patria potestate liberantur. *l.* 6. *de Profess. & Medic.* Nudus autem doctoratus, sicut etiam aliæ honorariæ dignitates, per Codicillos imperiales datæ, si non sint cum actuali præfectura conjunctæ, non liberant a curia. *Nov.* 70. excepto solo Consulatu honorario *Nov.* 81. *c.* 1. *pr.* ergo nec a patria potestate. Vide Disp. meas Jurid. *Disp.* 3. *Controv.* 5.

5. 4. *Captivitate apud hostes*, sive pater, sive filius sit captivus; quo casu patria potestas manet suspensa. §. 5. *h. t.* & quidem si pater in captivitate moriatur, fingitur, ut primum captus est, mortuus esse in sua patria, & ex hoc momento testamentum antea ab eo factum sustinetur, & filii habentur pro patribusfamilias; si vero ex captivitate in patriam rediit, gaudet Jure postliminii, ita dicti, quod ad idem limen redeatur; & ideo filii toto tempore captivitatis finguntur omnia agere ex voluntate patris, ei acquirunt, & reduces ex captivitate in sacra paterna restituuntur, acsi pater numquam fuisset captus. §. 5. *h. t.* hæc enim omnia, uti & aliorum jurium redintegrationem operatur jus postliminii, de quo vide in *tit. ff. de captiv. & postlim.* & *tit. C. de postlim. reverf.* Observa in *cit.* §. 5. *h. t.* duplicem fictionem Juris: alteram, qua pater fingitur mortuus primo momento captivitatis; alteram vero, qua pater fingitur semper fuisse in sua patria.

6. 5. *Adoptione*, qua nepos ab avo materno, vel paterno adoptatur, solvitur quidem potestas ex parte patris, sed ex parte nepotis commutatur, quia is transit in potestatem avi. §. 8. *h. t.* Similiter professione, religiosa, ceu morte civili patria potestas commutatur, cum professus transeat in potestatem sui Prælati; licet quo ad ea, quæ favorabilia sunt monasterio, jus *suitatis* non amittat *arg. Nov.* 81. *c.* 2.

7. Q. II. *Quo modo interveniente facto patris, liberi potestate patria solvantur.* ℞. 1. *emancipatione*, quæ est voluntaria filii consentientis e patria potestate dimissio §. 6. *h. t.* nam neque pater invitus privandus est jure suæ potestatis, neque filius invitus sine causa legibus probata expellendus est, de familia patris. §. 7. & *fin. h. t. l. C. de emancip.* ergo requiritur utriusque consensus. Liberum autem patri est, ut filium cum, vel sine nepotibus, vel nepotes sine filio emancipet. *cit.* §. 7. *h. t.* quia utendo jure suo, nulli facit injuriam. Si nepos ante emancipationem filii conceptus est, erit in potestate avi; si post emancipationem, erit in potestate sui patris §. 9. *h. t.* cui non obstat *pr. In de ingen.* cum procedat de libertate.

8. ℞. 2. Emancipatio est triplex: *legitima*, *anastasiana*, & *justinianæa*. *Legitima* ex *L. XII. Tabb.* fiebat per imaginarias venditiones, & manumissiones, dum pater naturalis constituit emptorem, qui filium uno nummo emeret; deinde pater eundem filium, quasi servum redemit, & manumisit, atque ita requisivit jus ei succedendi, sicut patronus liberto. Emptor iste vocabatur *pater fiduciarius*, quia ipsi filius fuit venditus cum fiducia, ut eum revenderet patri naturali. *Anastasiana*, ab Anastasio Imp. inventa, est qua filius per imperiale rescriptum emancipatur. *Justinianæa*, a Justiniano Imp. introducta, est qua filius coram quocunque Magistratu competente emancipari potest. Sustulit ergo Imperator iste antiquas ambages, & scrupulosas solemnitates, concesso patribus jure succedendi filiis quocumque modo emancipatis, eorumque tutores agendi, si impuberes fuerint §. 6. *h. t. l.* 11. *C. de adoption. l.* 5. 6. *C. de emancip.*

9. ℞. 3. Nuptiæ hodie ex generali consuetudine vim habent tacitæ emancipationis, dummodo pater permittat filium separatim habitare, res suas agere, proprium focum, & mensam habere. Manz. *h. t. n.* 21.

Connexio Præcedentium, & Consequentium.

Absoluta secunda Personarum divisione, transitur ad tertiam in eos, qui sub tutela, aut cura sunt, & qui neutro Jure censentur, seu qui nec tutelæ, nec curæ subsunt; & de his posterioribus nihil hic speciale agitur, quia ex opposito perspicimus omnia ex his, quæ de pupillis, & minoribus dicentur. Occasione tutelæ, & curæ tractatur hic de variis tutoribus, & curatoribus, eorum auctoritate, satisdatione, executione, & accusatione in crimine suspecti.

TITULUS XIII.

De Tutelis.

Agitur de hac materia in Pandectis *lib.* 26. *tit.* 1. 2. In Codice *lib.* 5. *tit.* 28. estque præsens rubrica strictior nigro, seu textu supposito; quia in hoc agitur non tantum de tutelis in genere, sed etiam de tutela testamentaria in specie.

1. Q. I. *Quid sit tutela?* ℞. est vis, ac potestas in capite libero ad tuendum eum, qui per ætatem se defendere nequit, Jure civili data, ac permissa. §. 1. *h. t.* ex *l.* 1. *ff. eod. Dicitur* 1. *vis, ac potestas*, hoc est vehemens potestas; quia tutela est quædam portio patriæ potestatis. Dicitur 2. in *capite libero*, quo nomine aliqui intelligunt tutorem, alii pupillum, alii utrumque; sed verius est intelligi solum tutorem, qui debet esse liber a servitute: tum quia pupillus significatur per illa verba: *ad tuendum eum*; tum quia Jurisconsultus, si voluisset intelligi pupillum, non dixisset *in capite libero*, sed *in capite sui juris*. Dicitur 3. *ad tuendum eum*, per quod significatur propria, & specifica ratio tutelæ, scilicet *tueri personam pupilli*, ob quod dicti sunt *tutores*, quasi *tuitores*, atque defensores *l.* 1. *ff. h. t.* Unde tutela differt a cura: quia tutor datur personæ, & curator rei, seu causæ §. 4. *qui testam. tutor.* hoc est tutor principaliter datur ad defendendam personam pupilli, & secundario ad bona ejus administranda; e contra curator principaliter datur rebus curandis, & accessorie minori defendendo. Dicitur 4. *Jure civili*, quia tutela est creatura Juris civilis, quod vel dat tutores, uti legitimos, & dativos, vel permittit dari, uti testamentarios.

2. Q. II. *Quotuplex sit tutela?* ℞. 1. triplex: *testamentaria*, quæ defertur ex testamento: *legitima*, quæ immediate absque ullo facto hominis defertur ex L. XII. Tabb. usu firmata: *dativa*, quæ defertur a Magistratu. Prima, & tertia, licet descendant ex legibus, non tamen dicuntur *legitimæ*; quia non dantur immediate a legibus, sicut *legitima*, sed mediante facto testatoris, vel Magistratus. 2. Tutela dividitur in *ordinariam*, seu *regularem*, quæ defertur maribus, cum tutela sit munus virile *l.* 16. 18. *ff. h. t.* & *extraordinariam*, seu irregularem, quæ aliquando defertur fœminis. 3. In *administratoriam*, seu *onerariam*, cui incumbit onus bona pupillaria administrandi, & *honorariam*, quæ solum honorem tutori affert absque administratione, licet talis tutor teneatur cæteris invigilare. *Jam in specie de tutela testamentaria.*

3. Q. III. *Qui testamento tutorem dare possint?* ℞. regulariter soli parentes masculi, ut pater, avus, & alii ascendentes, quibus competit patria potestas. §. 3. *h. t. l.* 1. *ff. de testam. tut.* nam datio tutelæ testamentariæ esse effectus patriæ potestatis. Si autem alii dent testamento tutorem, is confirmandus erit, ut dicetur.

4. Q. IV. *Quibus dari possit tutor testamentarius?* ℞. solis liberis impuberibus, filiis, aut nepotibus in patria potestate constitutis, qui post mortem testatoris non sunt recasuri in patriam potestatem sui patris. §. 3. *h. t.* sive natis, sive posthumis. §. 4. *h. t.* quia posthumi habentur pro natis, dum de commodo eorum agitur.

5. 2. *Exhæredatis. l.* 4. *ff. de testam. tutel.* ibi: *Pater, herede instituto filio, vel exhæredato, tutorem dare potest*; nam juxta §. 3. *h. t.* tutor testamentarius dari potest omnibus impuberibus in patria potestate constitu-

ſtitutis, ſed exhæredatio non tollit patriam poteſtatem, cum non numeretur inter modos ſolvendi poteſtatem, ſupra *tit. quib. mod. jus patr.* ergo, Nec obſtat *l.* 26. §. 2. *ff. de teſtamentar. tut. l.* 53. *ff. de V. S. l.* 73. §. 1. *ff. de R. J.* nam *l.* 26. procedit in caſu inofficioſi teſtamenti. *l.* 53. vult, ne in teſtamento diſponatur de ſolo tutore, ſed etiam de bonis. *l.* 73. loquitur de hæredibus *ſuis*, hoc eſt in patria poteſtate conſtitutis, licet per accidens in effectu, & actu ſecundo non ſint hæredes.

6. Q. V. *Quando tutor teſtamentarius ſit confirmandus a Magiſtratu, ut Conſule, Præſide, Judice?* ℞. in caſibus ſeqq. 1. Si tutor a patre minus Jure, ſeu invalide datus ſit, & tunc per ſe ſine inquiſitione confirmatur *l.* 4. *ff. de teſtam. tut.* & *l.* 26. §. 2. *eod.* 2. Si tutor filio emancipato a patre datus ſit, & tunc omni modo ſine inquiſitione confirmandus eſt. §. *fin. h. t.* 3. Si tutor datus ſit filio naturali, cui pater nihil reliquit, confirmandus eſt decreto Judicis pro tribunali ſedentis cum inquiſitione, an ſit idoneus. *l.* 7. *pr. ff. de confir. tutor.* ſi vero aliquid ei reliquit, confirmandus eſt ſimpliciter abſque inquiſitione. 4. Si mater filio hæredi inſtituto tutorem dedit, is confirmandus eſt cum inquiſitione: at ſi nihil ei reliquit, in arbitrio eſt Judicis confirmare, vel rejicere tutorem a matre datum. *l.* 2. *ff. de confir. tutor. l.* 4. *C. de teſtam. tutel.* 5. Perſonæ extraneæ, ut frater, patruus, patronus non poſſunt pupillo tutorem dare; ſi tamen hæredem illum inſtituant, tutor ex inquiſitione confirmatur. *l.* 28. §. 2. *ff. de teſtam. tut. l.* 4. 5. *C. de confirm. tutor.* In inquiſitione *quatuor hæc conſideranda ſunt: an hic dederit, qui dare potuit; & ille acceperit, cui fuerat dandus; & is datus, cujus dandi facultas erat; & pro tribunali decretum interpoſitum? l.* 7. §. *un. ff. de confir. tutor.*

7. Porro quamvis teſtamento curator dari non poſſit, cum Lex XII. Tabb. permittat tantum tutorem dare, ſi tamen pater minori filio curatorem dedit, confirmandus eſt ſine inquiſitione. *l.* 1. §. *fin. ff. eod.* quia pater præſumitur optime velle filio. *l.* 7. *C. de Curator. furioſ.* Si vero mater dedit curatorem, confirmandus eſt ex inquiſitione *l.* 2. *in fin. ff. de confir. tut.* An vero tutela teſtamento data, & decreto Magiſtratus confirmata, dicenda ſit teſtamentaria, an potius dativa, cum vim habeat ex decreto, videtur lis de nomine.

TITULUS XIV.

Qui Teſtamento Tutores dari poſſint.

Agitur de hac materia in Pandectis *lib.* 26. *tit.* 1. 2. In Codice *lib.* 5. *tit.* 28.

1. Q. I. *Qui poſſint eſſe tutores teſtamentarii?* ℞. regulariter omnes a Jure non prohibiti, cum tutela ſit de genere permiſſorum. Et quamvis de filiof., ſervo, furioſo, & minori poſſit dubitari, tamen tutor teſtamento dari poteſt.

2. 1. *Filiusfam. pr. h. t.* nam tutela eſt munus publicum, ſed filiusfam. ad munera publica habetur pro patrefam. *l.* 9. *ff. de his, qui ſui.* Nec obſtat, quod ſit in poteſtate patria: quia in diverſa poteſtate, ut dominica, vel tutoria, alium habere non prohibetur. Neque nocet patri: nam ſi is non conſentit tutelæ, non tenetur in ſolidum, ſed peculiotenus. *l.* 7. *ff. de tutel. l.* 21. *ff. de admin. tutel.*

3. 2. Servus proprius cum expreſſa libertate, vel ſine ea recte tutor datur. §. 1. *h. t.* quia utroque caſu conſequitur libertatem neceſſariam ad munus tutelæ. Si teſtamento libertas expreſſa non fuit, *tacite libertatem directam accepiſſe videtur*, ut ait Imp. *cit.* §. 1. at quo ad effectum probabiliter eſt libertas fideicommiſſaria, ita ut ſervus fiat libertus pupilli, quo ſenſu conciliatur iſte textus cum *l.* 9. *C. de fideicom. libert.* & *l.* 10. §. *fin. ff. de teſtament.* Excipe niſi teſtator errans cogitaverit ſervum eſſe liberum; tunc enim, cum errantis nullus ſit conſenſus, ſervus nec efficietur liber, nec tutor.

4. 3. Servus alienus non datur tutor, niſi ſub conditione, *ſi liber erit. cit.* §. 1. *h. t.* quo caſu pupillus, ſi poteſt, tenetur eum redimere, & manumittere ad effectum tutelæ. Hæc tamen conditio ſervo proprio inutiliter apponitur, quia teſtator hoc modo cenſetur jocari, cum in poteſtate ejus ſit ſervum ſuum facere liberum.

5. 4. *Furioſus*, & *minor* non niſi conditionate dantur tutores a teſtatore, ſi ille a furia ceſſaverit, & iſte major 25. annis factus fuerit.

6. ℞. 2. Tutores dari prohibentur: 1. *Impubes.* §. 13. *de excuſ. tutor.* tum quia caret maturo judicio; tum quia non convenit eum tutorem eſſe, qui ſub tutela eſt. Nec obſtat *l.* 10. §. *pen. ff. de excuſat.* nam *impubes* ibi ponitur pro *minori*; vel forſan lex procedit in illo caſu, quo pupillus adhuc eſt in utero, & impubes proximus eſt anno decimo quarto, ut perveniens ad annum 25. tutelam aliquo tempore gerere poſſit. 2. *Cœcus, mutus, ſurdus*, & perpetuo *valetudinarius. l. pen. ff. de tutel.* quia hi nec perſonæ, nec rebus pupilli proſpicere poſſunt. 3. *Creditores*, & *debitores* pupilli, ne chirographa ſupprimantur, vel augeantur. *Nov.* 72. *c.* 1. 4. *Milites* terreſtres, & cœleſtes, ſeu Clerici, & Religioſi. *Nov.* 123. *c.* 5. ne a bello e ſuis officiis avocentur. Epiſcopi tamen, & Clerici poſſunt, imo debent tueri miſerabiles perſonas. 5. *Prodigi l. fin. C. de legit. tut.* nam rebus pupilli non proſpicerent, qui ſuis proſpicere non curant. 6. *Mulieres l. fin. ff. de tutel.* quia tutelam adminiſtrare virile munus eſt. *l.* 1. *C. quand. mulier. tutel. off.* Si tamen *mater*, & *avia* tutela liberorum ſuſcipere volunt, id eis permittitur etiam ſine juramento de non contrahendis ſecundis nuptiis, modo renuncient Senatuſconſulto Vellejan. Si tamen ſecundas nuptias contraxerint, expelli eas a tutela convenit. *Auth. Matri cum ſeq. Auth. C. quando mulier.* nam mater contractis ſecundis nuptiis præſumitur non bene adminiſtratura rem pupilli. Quæ ratio locum habet etiam in tutela teſtamentaria, ut hæc ſolvatur per ſecundas nuptias.

7. Q. II. *Quo modo, & forma dari poſſit tutor teſtamentarius?* ℞. 1. Dandus eſt in teſtamento valido, vel codicillis teſtamento confirmatis. *l.* 3. *ff. de teſtam. tut.* 2. Dandus eſt perſonæ, non rebus. *l.* 12. 13. 14. *ff. eod.* adminiſtratio tamen inter tutores patitur diviſionem, ut alius ſit rei africanæ, alius ſyriacæ? *l.* 15. *eod.* & *l.* 27. *ff. de tutor. & Curat.* 3. Dari poteſt *pure* v. g. Cajus filii mei tutor eſto: vel *conditionate*, ſi frater meus non redierit, Cajus tutor eſto, vel *ad certum tempus* v. g. Cajus per triennium tutor eſto, vel *ex certo tempore* v. g. poſt triennium Cajus ſit tutor. *Dices*: Tutor dativus, & legitimus non poteſt conſtitui, niſi pure, ergo nec teſtamentarius. ℞. Neg. conſeq. quia deficiente tutore teſtamentario, ſubſtitui poteſt dativus; hoc vero deficiente, pupillus interim careret omni tutore; & aliunde tutela dativa eſt actus legitimus, qui conditionem non recipit, neque diem. *l.* 77. *ff. de R. J.*

8. Q. III. *Quibus verbis tutor cenſeatur datus filiis, & nepotibus?* ℞. 1. Tutor datus *filiis*, vi verborum cenſetur datus etiam filiabus, & poſthumis; cum veniant nomine filiorum etiam filiæ, & poſthumi utriuſque ſexus. *l.* 5. *ff. de teſtam. tut. l.* 1. & 116. *ff. de V. S.* §. *fin. h. t.* 2. Tutor datus *filiabus* non cenſetur datus filiis maſculis. *l.* 45. *ff. de legat.* 2. ibi: *exemplo peſſimum eſt, fœminino vocabulo etiam maſculos contineri.* 3. Tutor datus *liberis*, vel *poſteris*, cenſetur datus etiam nepotibus, cum hi nomine *liberorum* veniant. §. *fin. h. t.* At datus *filiis*, non cenſetur datus *nepotibus*, cum hi nomine filiorum non veniant. *ibid.* & *l.* 6. *ff. de teſtam. tut.* niſi id ſuadeat evidens voluntas defuncti, vel juſta interpretatio. *l.* 59. *ff. de rit. nupt.*

TITULUS XV. XVI. XVII. XVIII. XIX.

De Legitima Agnatorum Tutela, Capitis diminutione, de Legitima Patronorum, Parentum, & Fiduciaria tutela.

Agitur de hac materia in Pandectis *lib.* 26. *tit.* 4. In Codice *lib.* 5. *tit.* 30.

1. Ex Rubricis iſtis conſtat tutelam *legitimam* eſſe eſſe quadruplicem: *agnatorum*, quæ agnatis per lineam maſculinam deſcendentibus: *patronorum* quæ patronis reſpectu libertorum; *parentum*, quæ aſcendentibus maſculis, & *fiduciariam*, quæ ſanguine conjun-

ctis defertur. *Ratio* inducendi tutelam legitimam fuit, quia æquum eſt eos ad onus tutelæ vocari, qui vocantur ad commodum ſucceſſionis. *tit. de leg. Patr. tut.*

2. Q. I. *Quid juris circa legitimam agnatorum tutelam*? ℞. 1. Tutela iſta defertur ex *L. XII. Tab.* agnatis proximis pupillo; & quidem omnibus, ſi plures ſint ejuſdem gradus; ut duo vel plures fratres. *pr. h. t.* & §. *fin. de capit. dimin.* Cognatis vero per lineam fœmininam deſcendentibus olim tutela iſta non deferebatur. §. 1. *h. t.* ſed hodie ſublata differentia inter *agnatos*, & *cognatos*, ſicut hi omnes gradu pares vocantur ad ſucceſſionem, ita quoque ſine differentia omnes agnati, & cognati gradu pares vocantur ad tutelam legitimam *Nov.* 118. *c.* 3. *in fin.* & *c.* 5. Si tamen plurimi ſint, convenientes coram Judice unum, vel plures eligent, quibus adminiſtratio committatur; ita tamen ut periculum tutelæ ad omnes ſpectet, omniumque bona tacite ſint hypothecata pupillo. *cit. c.* 5. *in fin.*

3. ℞. 2. Tunc locus eſt tutelæ legitimæ, dum deficit omnis tutor teſtamentarius, *hoc eſt* dum pater, vel nullum teſtamentum, aut codicillum fecit; vel ſi fecit, nullum in eo conſtituit tutorem; vel tutor præmortuus, aut perpetuo inhabilis factus eſt ad tutelam gerendam: in his enim caſibus dicitur pater deceſſiſſe *inteſtatus quo ad tutelam* §. 2. *h. t. l.* 6. *ff. de legit. tutorib. l.* 11. *ff. de teſtam. tut.*

4. ℞. 3. Tutela legitima olim impediebatur capitis diminutione, etiam minima, dum quis e familia emancipatus fuit, vel homo ſui juris arrogatus. §. *fin. h. t.* & §. 3. *de capitis dimin.* Sed hoc emendavit Anaſtaſius Imp. *l.* 4. *C. de leg. tutel.* & Juſtin. *l.* 14. 15. *C. de legit. hæredib. Nov.* 118. *c.* 5. *Auth. ſicut hæreditas, C. de legit. tutel.* atque ita ſicut emancipati vocantur ad ſucceſſionem, ita quoque ad onus tutelæ.

5. Q. II. *ad tit.* 16. *de capitis dimin. Quid, & quotuplex ſit capitis diminutio*? R. 1. Capitis diminutio eſt mutatio ſtatus. *pr. h. t.* & quia caput civile eſt triplex: *libertas*, *civitas*, & *familia*, etiam diminutio capitis eſt triplex: *maxima*, qua amittitur libertas, & inducitur ſervitus; ut ſi quis ex libero fiat ſervus, qui pariter civitate, & familia privatur. §. 1. *h. t. media*, ſeu *minor*; qua civitas amittitur, hoc eſt jura civitatis, libertas tamen retinetur; ut accidit ei, qui deportatus eſt ad inſulam, vel cui aqua, & igni interdictum eſt. §. 2. *h. t. minima*, qua amittitur familia; libertas vero, & civitas retinetur; ut ſi quis per arrogationem tranſeat in familiam alienam, vel per emancipationem egrediatur e ſua familia. Hodie ſaltem quo ad effectum ſublata eſt minima capitis diminutio; quia emancipati non amittunt jura agnationis civilis, ſed æque cum ſuis jus integrum habent ad ſucceſſiones, & tutelas, ut dictum ex *Nov.* 115. *c.* 5. 2. Servus manumiſſus, capite non minuitur, quia nullum habuit, ſed potius caput libertatis acquirit. §. 4. *h. t.* Similiter Senatu moti, ſeu dignitate privati, capite non minuuntur, §. 5. *eod.* quia retinent ſtatum juridicum quo ad libertatem, civitatem, & familiam. 3. Cognatio civilis, prout eſt jus quoddam ad ſucceſſiones, & alios effectus civiles, non tollitur per minimam capitis diminutionem. §. *fin. de legit. agnator. tut.* bene vero per mediam, vel maximam. §. 6. *de capit. dimin.* At cognatio naturalis nulla capitis diminutione ſolvitur. *l.* 8. *ff. de R. J.* ibi: *Jura ſanguinis nullo jure civili dirimi poſſunt.* Unde cognati capite minuti non liberantur ab impedimentis canonicis dirimentibus matrimonium. Vide *tit. ff. de capite minutis.* & *tit. de captivis.*

6. Q. III. *Quid ſit legitima patronorum tutela*? R. eſt illa, quæ ex mente, & interpretatione *L. XII. Tabb.* defertur patrono, ejuſque filiis pro caſu, quo ſervum, vel ancillam impuberem manumiſit. Fit autem interpretatio iſta hoc modo. Agnati vocantur ad tutelam, quia pupillo ſuccedunt; ergo etiam patronus, qui ſuccedit manumiſſo, vocandus eſt ad ejus tutelam, excepta patrona; cum fœminæ ad tutelas non vocentur. *tit.* 17. *de legit. Patron. tutel. l.* 3. *pr. ff. de legit. tutor.*

7. Q. IV. *Quid ſit legitima parentum tutela*? R. eſt illa, quæ exemplo patroni defertur patri pro caſu, quo filium impuberem emancipavit: nam tutela iſta non deſcendit ex verbis *L. XII. Tabb.* nec ex interpretatione; quia pater non eſt agnatus emancipati utpote egreſſi de ſua familia, neque ei ſuccedit jure antiquo: ſed quia pater per imaginarias venditiones, & manumiſſiones contracta fiducia ſolebat emancipare liberos, atque ita fiebat illorum quaſi patronus propter jus ſuccedendi; ideo tutela iſta defertur ei exemplo patronorum, ſeu ad ſimilitudinem tutelæ patronalis. *tit.* 18. *de legit Parent. tut. l.* 1 *ff. ſi a parente quis manum. l.* 2. *C. ad Senatus conſult. Tertyll.* Hodie ambages iſtæ ceſſant, quia parentes, ſicut ad ſucceſſionem, ita etiam ad tutelam emancipatorum vocantur. *Nov.* 118. *c.* 2.

8. Q. V. *Quid ſit fiduciaria tutela*? R. eſt illa, quæ ex ſola fiducia in ſanguine fundata defertur conſanguineo pupilli; quia is melior præſumitur futurus pupillo, quam extraneus. Defertur autem tutela iſta: 1. Patri in filium ſuum ab avo emancipatum. 2. fratri in fratrem impuberem a patre emancipatum pro caſu, quo pater tutor ſui filii moritur; quia in hac tutela ſuccedit ſenior filius non emancipatus. 3. Patruo in patruelem a fratre emancipatum. *Ita tit.* 19. *de fiduciar. tutel. l.* 4. *C. de legit. tutel.* Hodie tutela parentum, & fiduciaria eſt vere, & proprie legitima: nam tutores fiduciarii ſuccedunt pupillo. *cit. l.* 4. Ex his vides, quam bene ratiocinentur Juriſconſulti veteres, & novi: nam ex hoc principio *L. XII. Tabb. Qui vocantur ad ſucceſſionem, etiam vocantur ad tutelam*, recte inferunt, qui ſint, vel non ſint vocandi ad tutelam legitimam.

TITULUS XX.

De Atiliano Tutore, & eo, qui lege Julia, & Titia dabatur.

Agitur de hac materia in Pandectis *lib.* 26. *tit.* 5. 6. In Codice *lib.* 5. *tit.* 31. *uſque ad* 36.

1. Hæc Rubrica, & textus ei ſuppoſitus clare oſtendit, Romano Populo ſingularem fuiſſe curam proſpiciendi pupillis de optimis tutoribus. Hinc *dare tutorem* ipſi legi, ſeu ſummæ poteſtati reſervatum fuit, ut nullus Magiſtratus tutorem dare poſſet, niſi ille, cui hoc lex ſpecialiter conceſſit. Et primo quidem *Lex Atilia* (Plebiſcitum fuit ab Atilio Tribuno plebis latum: dicitur tamen lex, quia Plebiſcita vim legis obtinuerunt §. 4. *de jur. nat. gen. & civil.* ut ibi dixi) facultatem dandi: tutorem conceſſit ſoli Prætori cum conſilio, ſeu majori parte Tribunorum. Tum lex *Julia Titia* lata an. V. C. 728. Aug. III. & Marco Titio Coſs. eamdem facultatem conceſſit Præſidi Provinciarum. Deinde ex Conſtitutionibus Imperatoriis tutorem dabant Conſules, Præfectus Urbis, Prætor ſecundum ſuam juriſdictionem, ſeu territorium juriſdictionale, Præſides Provinciarum, Magiſtratus inferiores juſſu Præſidum; imo ſine tali juſſu, ſi facultates pupilli non exceſſerunt 500. ſolidos: Magiſtratus municipalis cum Epiſcopo; & tandem etiam Legatus Proconſulis, ex Oratione Divi Marci Imp. *l.* 1. §. 1. *ff. de tutor. & cur. dat.* Ita hæc omnia recenſentur *h. t.* & *cit. tit. de tutor. dat.* Ex quibus patet poteſtatem dandi tutorem non fuiſſe Magiſtratibus ordinariam, ſed delegatam, & commiſſam ab ipſo Jure, de quo vide in meis *Diſpp. Jurid. Diſp.* 4. *Controv.* 8. At hodie datio tutoris eſt juriſdictionis ordinariæ, jure Magiſtratus competens, & conſequenter delegari poteſt. *Refor. Polit. Car. V. an.* 1548. *tit. de pupillis.*

2. Q. I. *In quibus caſibus locus ſit tutelæ dativæ, ſeu tutoribus a Magiſtratu dandis*? R. in ſeqq. 1. Si deficiat omnis tutor teſtamentarius, & legitimus: *pr. h. t.* 2. Si tutor teſtamentarius datus eſt ſub conditione, vel ex certo die, aut in diem, interim præficitur dativus, donec conditio, aut dies, adveniat *l.* 8. §. 1. *l.* 11. *ff. de teſtam. tut.* neque hic admittitur legitimus: quia quamdiu ſperatur tutela teſtamentaria, non eſt locus legitimæ, *ibid.* 3. Si tutor teſtamentarius ab hoſtibus captus ſit, vel ſi hæres diu non adeat hæreditatem. §. 1. 2. *h. t.* ne hoc tempore pupillus indefenſus maneat. Porro actus iſte, quo tutor datur a proprio Magiſtratu, fieri debet cum inquiſitione; an tutor dandus ſit probus? an legitimæ ætatis 25. annorum. *l. fin. C. de leg. tutel.* an locuplex? an ſe ipſum tutelæ obtrudat, vel eam pecunia ambiat? *l.* 12. §. 3. *ff. de admin. tutor. lib.* 21. §. *fin. ff. de tuterib. dand.* Hac inquiſitione peracta, quilibet ido-

neus

neus pater, vel filiusfam. tutor dari potest etiam invitus, modo sit de jurisdictione Magistratus. *l.* 5. *C. qui dare tutor.* Plura de hoc legere poteris *tit. ff. de tutorib. dat.* Qui tutores esse non possint, dixi supra *tit.* 14. *num.* 6.

3. Q. II. *Qui teneantur tutores a Magistratu petere?* R. 1. *Mater* pro liberis etiam naturalibus; alias perdit jus succedendi eis ab intestato ex epistola D. Severi *l.* 2. §. 1. *ff. qui petere tutor.* quia peccat in officium maternæ pietatis, & sollicitudinis; nisi de Jure hodierno ipsa mater vidua tutelam suscipiat. 2. *Liberti* pro liberis patroni; alioquin punitioni subjacent. *ibid.* & *l.* 8. *C. qui petant tutor.* 3. *Cognati*, & *affines* saltem de congruitate petunt tutores pupillo: si tamen intra annum non petierint, privantur hæreditate pupilli, ad quam ab intestato vocantur. Hæc obligatio petendi tutores, non extenditur ad petendos curatores, quia ipsi minores curatorem petere possunt; de quo plura infra *tit.* 23. Magistratus autem competens, a quo petantur tutores, vel curatores, est Judex originis, vel domicilii a patre electi, vel patrimonii *l. un. C. ubi petant. tutor.* Hæc de tutore dativo; seu dato, quia prima denominatione communiter vocatur tutor Atilianus, vel Junianus.

TITULUS XXI.

De Auctoritate Tutorum.

AGitur de hac materia iu Pandectis *lib.* 26. *tit.* 7. 8. 9. *lib.* 27. *tit.* 9. In Codice *lib.* 5. *titul.* 37. *& seqq.*

1. Officium tutoris duo importat: *administrare*, seu gubernium personæ, & rerum pupilli exercere, & *præstare auctoritatem* pupillo agenti. Ista autem auctoritas est approbatio ejus, quod agitur cum pupillo, seu est consensus tutoris in id, quod pupillus agit. *l.* 3. *ff. h. t.* ibi: *valet auctoritas ejus, cum se probare dicit id, quod agitur: hoc est enim auctorem fieri.*

2. Q. I. *Quæ sint præliminaria administrationis tutoriæ?* R. 1. *Decretum* competentis Magistratus, sine quo hodie nec testamentarii, nec legitimi tutores administrationem suscipere possunt, donec eis a Magistratu decernatur. *Ord. Polit.* 1577. *tit.* 32. §. 1. ut ita securius in tutela procedatur. 2. *Satisdatio* rem pupilli salvam fore, ut *tit.* 24. dicetur. 3. *Juramentum* de fideli administratione tutelæ *l. fin.* §. *pen. C. arbitrium tutel.* 4. *Confectio repertorii*, seu *inventarii*, solemniter facta secundum morem civitatis *l.* 7. *ff.* & *l.* 24. *C. de administr. tutor.* Et quamvis testator remittere possit tutori confectionem inventarii. *l. fin. in fin. Cod. arbitr. tutel.* eam tamen demandare potest Judex, imo debet ex *cit. Ord. Polit.* alioquin tutor tamquam suspectus a tutela amovendus est.

3. Q. II. *Qui sint præcipui actus administrationis tutoriæ?* R. 1. Tutor specialem gerit curam personæ pupilli, ut is in loco honesto moretur, probis, & Christianis moribus instituatur, competenter secundum facultates alatur, & ab his omnibus, quæ ei nocere possent, removeatur, ut a pravis magistris, sociis, suspectis conversationibus. *l.* 27. 30. *ff. de administr. tutor.* 2. Exigit debita pupillaria, fructus a debitoribus, etiam judicio conventis, nisi velint præstare *l.* 7. §. 3. *ff.* & *l.* 13. *C. eod.* Solvit debita passiva pupilli *l.* 9. §. 7. *ff. eod.* quia tutor instar domini administrat. 4. Pecunias pupillares, si ita expedit, dat ad lucrum licitum *l.* 24. *C. eod.* non tamen ad hoc cogitur *Nov.* 72. *c.* 6. ne rei alienæ periculum subeat. Utilius autem ex pecunia pupillari comparantur prædia frugifera, ut honestum lucrum ex iis percipiatur. 5. Tutor non alienat res immobiles, vel mobiles pretiosas, quæ servando servari possunt; ut vasa aurea, bibliothecam, nisi cognita causa, & interposito decreto Judicis. *l.* 6. 12. *fin. C. de præd. Minor.* Et quia pignoratio est species alienationis, non potest tutor bona pupilli pignorare; imo nec comparare prædia cum conditione pignoris, seu ut maneant pignorata venditori, donec pupillus pretium solvat, ex oratione D. Severi. *l.* 1. §. *fin. ff. de rebus eorum.* At res mobiles, quæ servando servari nequeunt: ut vinum, frumentum, tutor libere divendit, vel alienat. *l.* 22. *C. de administr. tutor.* 6. Tutor non donat, nisi secundum morem patriæ, attenta qualitate pupilli *l.* 13. *in fin. ff. eod.* Denique tutor ea omnia ex fide facit, quæ facere solet bonus paterfam. Varios casus de administratione tutorum utiliter videbis *tit. ff.* & *C. de administr. tutor.*

4. Q. III. *Ubi pupillus morari, & educari debeat?* R. regulariter apud matrem, nisi vitricum superinduxerit. *l.* 1. *C. ubi pupill. educ.* nam mater vidua præsumitur recte affecta erga liberos: at secundo nubens præsumitur suspecta. In hoc tamen casu, & quoties dubitatur, determinabit Judex, ubi pupillus educari debeat. Vide *tit. ff.* & *C. ubi pupill. educ.* Alimenta vero, hoc est victus, vestitus, & alia necessaria ad curam corporis, præstanda sunt pupillo a tutore secundum vires patrimonii, vel decernenda a Judice. Vide *tit. C. de alim. pupill. præst.* Jam pro materia h. t.

5. Q. IV. *In quibus actibus pupillus indigeat auctoritate tutoris?* R. generaliter in omnibus, ex quibus pupillus obligari, & conditionem suam deteriorem facere posset: ut 1. in emptionibus, venditionibus, aliisque contractibus onerosis. *pr. h. t. l.* 9. *ff. eod.* 2. In aditione hæreditatis, aut fideicommissi, etsi lucrosa videantur. §. 1. *h. t.* quia etiam in his periculum est læsionis propter latens æs alienum: tum quia hæreditas, utpote individua, claudicare nequit, neque creditoribus imputari, cum isti cum pupillo non contraxerint, adeoque pupillus hæres cum detrimento suo teneretur in solidum. Nec obstat, quod pupillus restitui possit adversus aditam hæreditatem: quia præstat non lædi, quam post vulneratam causam remedium quærere. 3. E contra in manifeste lucrosis, seu in quibus pupillus conditionem suam facit meliorem, non est necessaria tutoris auctoritas; ut si stipuletur aliquid sibi dari, vel donationem liberalem acceptet. *pr. h. t.* & *l.* 9. *ff. eod.*

6. Q. V. *Quo modo, & forma præstetur auctoritas tutoria?* Tutor libere consentire debet, ita ut regulariter nec ab ipso Prætore cogi possit. *l.* 17. *ff. de auct. tutor.* nam si denegando auctoritatem noceat pupillo, judicio tutelæ convenietur. 2. Auctoritas ista præstanda est personaliter per ipsum tutorem præsentem, in principio, vel saltem in fine negotii, nullo alio actu extraneo interveniente; alioquin post tempus, per substitutum, vel per epistolam interposita auctoritas nihil agit. §. 2. *h. t. l.* 9. §. 5. *ff. eod.* Hodiernis moribus sufficere videtur, si tutor contractum pupilli ratum habeat *arg. c.* 3. *de his, quæ fiunt a Præl.* 3. Ex pluribus tutoribus sufficit unius auctoritas *l. fin. Cod. h. t.* quia potestas ista competit eis in solidum singulis. 4. In rem suam tutor auctor esse nequit: & ideo nec per se, nec per interpositam personam aliquid a pupillo emere potest, nisi palam bona fide, vel nisi interveniat auctoritas alterius tutoris, modo is non sit pater, aut filius, quia alter alteri nequit esse auctor. *l.* 1. *pr. l.* 5. 7. *ff. h. t.* 5. Si pupillus indirecte, & in consequentiam obligandus est tutori, is recte illi auctoritatem præstat v. g. ut adeat hæreditatem illius, qui fuit debitor tutoris *l.* 1. *pr.* & *l.* 7. *pr. ff. h. t.* 6. Auctoritas tutoris honorarii, cui administratio non est commissa, uti & tutoris a tutela remoti, non prodest ad valorem contractus pupillaris *l.* 4. *ff. eod.* nisi forsan permissum fuerit tutori honorario auctoritatem præstare, eo quod satisdederit. *arg. l.* 5. *C. h. t.* quo sensu, ut evitetur antinomia, explicari potest. *l.* 49. *ff. de acq. hæred. l.* 14. §. 6. *ff. de solution.* Vide Gothofr. in *cit. l.* 4. *ff. hoc tit.*

7. Q. VI. *Quis sit effectus interpositæ, vel omissæ auctoritatis tutoriæ?* R. 1. Pupillis, auctore tutore, ex omni contractu quæritur actio, & obligatio, ita ut contrahentes obligent, & obligentur ab iis *pr. h. t.* si tamen læsi sunt, salvum habent beneficium restitutionis in integrum. *l.* 2. 3. *C. si tutor. vel Cur.* etiam tunc, dum contraxerunt, & alienarunt bona sua, interposito decreto Judicis *l.* 11. *C. de prædiis Minor.* quia contractus iste, etsi fiat cum decreto, adhuc est voluntarius, adeoque ob privilegium ætatis restitutioni obnoxius. At si debitor, auctore tutore, & interposito decreto Prætoris pupillo solvit, non est locus restitutioni, etsi contingat pupillum lædi. *l.* 2. §. 2. *ff. de administr. tutor.* quia talis solutio est necessaria. Porro ut pupilli contractus valeant, necesse est auctoritatem rite, & servata forma ante relata, fuisse interpositam, ut tutor sciat quid agatur, & libere consentiat;

tiat; secus auctoritas nihil prodest. *l.* 2. *ff. de auctor. tutor.* Ubi Ulpian. ait: *nulla differentia est, non interveniat auctoritas tutoris, an perperam adhibeatur*. Ex quo natum est illud brocardicon: *Perinde est non fieri, & male fieri.*

8. ℞. 2. Contractus pupillo onerosi sine auctoritate tutoris initi, claudicant, hoc est valent ex parte alterius contrahentis, ut is resilire non possit: sunt vero invalidi ex parte pupilli saltem pro foro externo, ita ut is non obligetur stare contractu. Ita *pr. h. t.* ibi: *ipsi quidem, qui cum his contrahunt, obligantur: at invicem pupilli non obligantur*, *l.* 13. §. 29. *ff. de action. empt.* ubi Ulbian. ait: *si quis a pupillo sine tutoris auctoritate emerit, ex uno latere constat contractus: nam qui emit obligatus est pupillo, pupillum sibi non obligat*. Ratio est favor specialis pupillorum, ne ita contrahendo lædantur. Nec obstat, quod forsan altera pars lædatur, quia sibi imputare debet, quod cum pupillo sine tutore auctore contraxerit; cum quo contraxit. *l.* 19. *ff. de R. J.*

9. Superest quæstio, an pupillus etiam naturaliter pro foro interno deobligetur; seu an irritatio contractus ex parte pupilli locum habeat in foro conscientiæ? Pupillum naturaliter obligari ex tali contractu tenent Arumæus, Chlingensp. Zoes, cum DD. *citat. ante n.* 51. *tit. ff. de Oblig. & Act.* Layman, & alii. Sed variant in explicatione hujus *obligationis naturalis*: nam alii volunt illam esse efficacem pro foro conscientiæ, in quo pupillus v. g. mutuam pecuniam dilapidando, teneatur solvere; alii dicunt esse obligationem naturalem, sed non Juris naturalis; adeoque facti potius, quam juris, seu obligationem factam. Ita Zoes. *l. c. a num.* 48. Chling. *h. t. q.* 8. dicens pupillum ea non obstringi in conscientia, utilem tamen esse, quia ei accedere potest fidejussor, & fieri novatio. *l.* 127. *ff. de Verb. Oblig. l.* 1. *ff. de novat.* Hæc sententia quo ad substantiam non differt a nostra mox referenda: quia obligationem facti, aut fictam facile concedere possumus in pupillo, cum ex parte illius supponatur intervenisse v. g. factum venditionis, numeratæ pecuniæ &c. Altera sententia docet pupillum naturaliter vere & pro foro conscientiæ non obligari, Ita Covar. Haunold. Franz, Pichler, Kees, & novissime eam defendit Clariss. D. Franc. Schimkovvsky in Univers. Olom. Jurium Professor publicus. Cum his

10. ℞. 3. Pupillus ex contractu sibi oneroso sine auctoritate tutoris inito, non obligatur naturaliter vere, & in conscientia pro foro interno. Hanc sententiam fusius defendi in meis Disp. Jurid. *Disp.* 4. *Controv.* 10. at hic doctrinaliter compendio utar. *Prob.* 1. ex claro textu *l.* 59. *ff. de Oblig. & Act. pupillus mutuam pecuniam accipiendo, ne quidem jure naturali obligatur*. 2. Si pupillus naturaliter vere obligaretur ex suo contractu, solutum repetere non posset: siquidem naturaliter debitum, si solvatur, non potest condici, seu repeti per Jura certa *l.* 13. *ff. de condict. indeb. l.* 10. *ff. de Oblig. & Act.* &c. sed pupillus, non secus ac furiosus solutum repetere potest *l.* 29. *ff. de condict. indeb.* & *l.* 41. *eod.* ubi Jurisconsultus ait: *quod pupillus sine auctoritate tutoris stipulanti promiserit, solverit, repetitio est, quia nec natura debet*; ergo non obligatur vere naturaliter. *Ratio* est, quia suprema potestas Reipubl. vi dominii alti potuit ob causam boni publici, & favorem ætatis pupillaris irritare contractus pupilli pro utroque foro externo, & interno: hoc enim non excedit summam potestatem; ergo actus ipsos irritavit, dicendo pupillum *ne quidem jure naturali obligari, nec natura debere, datum vindicare posse*; alioquin Judices obligando alteram partem ad restitutionem cooperarentur peccato pupilli, illud foverent, & præmiarent adjudicatione rei, aut pecuniæ restituendæ. Neque hoc casu Jus naturale mutatur formaliter, & directe, sed tantum materialiter, & indirecte per subductionem materiæ, quatenus contractus a Jure positivo irritatus etiam de Jure naturali nullam producere potest obligationem: siquidem quod nullum est, per rerum naturam nihil producere valet. Quæ hic objici solent, solventur ex seqq. punctis, quæ locum exceptionum tenent.

11. 1. Pupillus vere naturaliter, imo & civiliter obligatur, si in contrahendo dolum commisit. *l.* 1. §. 15. *ff. depositi.* uti etiam ex aliis delictis *tit. Decret. de delictis puer.* 2. Si promisit ea, quæ non pendent a tutoria potestate, neque ei tantopere præjudicant; ut si sponsalia contraxit, quibus tenetur usque ad adventum pubertatis *cap.* 7. 8. *de despons. impub.* vel si promisit operam personalem facilem v. g. orare pro altero. 3. Si pupillus ex contractu factus est locupletior, quo casu, & vere naturaliter, & civiliter obligatur *l.* 1. 5. *ff. h. t.* quo sensu explicantur pleraque Jura in contrarium, ut *l.* 21. *ff. ad L. Falcid. l. fin. ff. de jurejur. l.* 25. §. 1. *ff. quando dies legat. l.* 64. *ff. ad Senatusconsul. Trebell.* 4. Ut fidejussio subsistat, & novatio obligationis fiat, sufficit, quod contractus ex uno latere subsistat, licet in altero privilegiato nulla sit obligatio juris, sed tantum facti, seu ficta. Et ideo fidejussor accedens contractui pupilli, efficaciter obligatur *l.* 127. *ff. de Verb. Oblig.* & novatio cum pupillo facta tenet. *l.* 1. *in fin. de novat. l.* 9. *eod.* licet in pupillo nulla sit obligatio, ut ait Imp. §. 3. *Inst. quib. mod. oblig. toll.* ibi: *nam, & prior debitor liberatur, & posterior obligatio nulla est.* 5. Si pupillus tutore, & minor curatore careant, obligantur ex suis contractibus etiam civiliter, salvo beneficio restitutionis, si læsi sint. *l.* 3. *C. de integr. restit. Dices*: alter contrahentium læderetur: nam v. g. emptor pecuniam a pupillo dilapidatam amitteret, & rem emptam ei restituere cogeretur. ℞. sibi imputet contrahens, quod cautius non sit mercatus: Jus, ne pupillus lædatur, magis respicit favorem pupilli, quam læsionem majoris.

12. Q. VII. *Quando, & quomodo pupillus acquirat, & obligetur ex contractu tutoris?* ℞. 1. Pupillus ex omni contractu tutoris acquirit actionem, non quidem directam, sed utilem, idque ob favorem ætatis. *l.* 2. 4. 5. *C. quando ex facto tutor.* uti etiam hypothecam. *l.* 2. *C. per quas personas*. 2. E contra pupillus obligatur ex omni contractu tutoris, utpote legitimi administratoris; & ideo finita tutela, datur in illum actio, sententia, & executio in ejus bonis. *l.* 2. *ff. de administr. tutor. l.* 1. *C. quando ex facto tutor.* At ex delicto tutoris, vel curatoris pupilli, & minores non tenentur, nisi quatenus locupletiores facti sunt. *l.* 3. 5. *ff. quand. ex facto tut.* Varius casus de hoc vide in *tit. ff.* & *C. quando ex facto tutor.* uti etiam de auctoritate præstanda *tit. ff.* & *C. de auctor. tutor.* Hæc etiam proportionaliter applicanda sunt auctoritati, & facto curatoris.

TITULUS XXII.

Quibus modis Tutela finitur.

1. MOdi isti enumerantur *h. t.* & quidem finitur tutela: 1. adventu pubertatis, anno 14. in masculo, & anno 12. in fœmina. *pr. h. t.* Jure autem hodierno, quo tutela, & cura confusa est; aut saltem tutela transit in curatelam, non solvitur tutela, nisi adventu majorennitatis completo 25. anno de Jure com. licet in quibusdam locis majorennitas definita sit paucioribus annis, ut 22. vel 20. vel etiam 18. annis. 2. Arrogatione. §. 1. *h. t.* 3. Eventu conditionis, aut diei, sub quibus tutor datus est. §. 2. *h. t.* 4. Morte pupilli, aut tutorum. §. 4. *h. t.* 5. Maxima, & media capitis diminutione tutoris, & minima ex parte pupilli §. 4. *h. t.* 6. Remotione, aut excusatione tutoris §. *fin. h. t.* 7. *Impetrata venia ætatis* tutela curatelæ confusa finiri solet in masculo post annum 20. in fœmina post 18. quo tamen casu non censetur quis idoneus ad alienanda bona immobilia absque decreto Judicis *l.* 3. *C. quando decreto non est opus*. Finita tutela, aut cura, sequitur judicium tutelæ, aut curæ, de quo *tit.* 24. interim sit.

TITULUS XXIII.

De Curatoribus.

AGitur de hac materia in Pandectis *lib.* 36. *tit.* 5. *usque ad* 9. & *lib.* 37. *tit.* 10. In Codice *lib.* 5. *tit.* 31. *usque ad* 39. & *tit.* 44. 59. 70. *usque ad* 74. pleraque autem tutori, & curatori sunt communia.

1. A Personis tutelæ subjectis transitur ad personas curæ subjectas. Est autem *Cura*, vel *Curatela* potestas in capite libero ad tuenda bona, & negotia ejus, qui

ea

ea per ætatem tueri non potest *arg. pr. h.t.* Cura, & tutela conveniunt in eo, quod utraque sit creatura Juris civ. & utraque detur ab iisdem Magistratibus: differunt vero in sequentibus: quia tutor datur in testamento, non certæ rei, aut causæ, sed personæ etiam invitæ; e contra curator non datur testamento, secus confirmandus est; sed a Magistratu datur rebus, & negotiis, non personis, neque invitis, & nolentibus §. 2. *h. t.* licet hodie minores etiam inviti sint sub curatoribus,

2. Q. I. *Quæ personæ sint sub cura ordinaria?* ℞. masculi puberes post annum decimum quartum, & fœminæ viripotentes post annum 12. usque ad annum 25. completum, quo finitur tempus minorennitatis, & incipit status majorennitatis. *Ratio* cur diversum tempus pubertatis, & idem tempus majorennitatis pro mare, & fœmina statuatur est; quia pubertas desumitur ex natura; fœmina autem tanquam imperfectior, citius adolescere, & viripotens fieri solet, quam masculus; e contra majorennitas spectatur ex providentia, seu maturitate judicii, & consilii; quæ maturitas non præsumitur adesse ante annum 25. sive in masculo, sive in fœmina, ut sua negotia tueri possint; ac proinde dandus est eis curator, qui res illorum administret, illisque contrahentibus auctoritatem præstet. *pr. h. t.*

3. Q. II. *Quæ personæ sint sub cura extraordinaria?* ℞. 1. Furiosi, & prodigi juridice, quibus administratione interdictum est, & his ex L. XII. Tabb. dandus est curator legitimus, seu unus ex agnatis, aut plures *l. 1. ff. de curator. furios.* alioquin deficientibus agnatis, alius a Magistratu datur ex inquisitione. §. 3. *h. t.* 2. Omnes illi, qui rebus suis superesse non possunt; ut sunt muti, surdi, amentes, & perpetuo morbo laborantes. §. 4. *h. t.* 3. Pupillis in certis casibus datur curator §. 5. *h. t.* ut si tutor legitimus non sit plene idoneus ad bona pupilli administranda, vel ad tempus excusetur a tutela v. g. propter legationem, aut aliud justum impedimentum. Quibus, & similibus casibus pupillo non tutor, sed curator dandus est: *quoniam habenti tutorem tutor dari non potest. cit.* §. 5. *h. t.* 4. Si inter tutorem, & pupillum lis mota est, pupillo dandus est curator ad hanc causam. §. *fin. de auctor. tutor.* At si tutor laboret impedimento, quod de Jure non excusat a tutela, in tali casu ad negotia gerenda, vel ad lites cum aliis tractandas ipse pupillus præsens, si sit infante major, cum auctoritate tutoris constituit procuratorem intra, vel extrajudicialem *l. 21. C. de procuratorib.* secus si pupillus sit absens, aut infans, solus tutor, interposito Judicis decreto, constituit actorem, qui negotia pupillaria gerat periculo tutoris. §. *fin. h. t. l. 24. ff. de administr. tutor. l. 11. C. de Procur.* nam jus non permittit tutori constituere curatorem, ne per hoc præsumat se liberare ab onere tutelæ. Officium, & administratio curatoris, & tutoris pari passu ambulat.

5. Q. III. *Quibus modis finiatur cura?* ℞. 1. Ordinaria finitur adventu majorennitatis, vel impetrata venia ætatis. *l. 2. pr.* §. 1. *Cod. de his, qui veniam ætat.* In Electoribus S. R. I. id speciale est, quod ex *cap. 7. Bullæ Aur.* fiant majorennes post annum 18. completum. Cæteri modi sunt communes, quibus etiam tutela finitur, ut *tit.* 22. dictum. 3. Cura extraordinaria finitur cessante impedimento; ut si furiosus mentis compos fiat, & prodigus ad frugem redeat; de quo tamen cognoscet Judex, ne prodigalitas ementito pallio tegatur. *l. 1. 10. ff. de Curator. furios. l. 6. ff. de Verb. Oblig.*

TITULUS XXIV.

De Satisdatione Tutorum, vel Curatorum.

Agitur de hac materia, uti & de judicio tutelæ *l.* 36. *tit.* 7. 9. & *libr.* 37. *tit.* 4. *usque ad* 8. In Codice *libr.* 5. *tit.* 37. *usque ad* 42. & *tit.* 50. *usque ad* 58. & *tit.* 75.

1. Q. I. *Quid sit, & a quibus præstanda satisdatio tutoria, vel curatoria?* ℞. 1. Satisdatio in præsenti est cautio necessaria a lege, vel Magistratu imposita, quam præstat tutor, vel curator rem pupilli, vel minoris salvam fore. Olim erat stipulatoria *tit. ff. rem pupilli.* hodie fidejussoria *l. 4.* §. 1. *eod.* & nisi caveant tutores, & curatores, pignoribus captis coercendi sunt. §. 3. *h. t.* Si plures fidejussores dati sint, singuli obligentur in solidum, absque beneficio divisionis *l. fin. ff. rem pupill.* ne pupillus, & minor in diversa judicia trahantur.

2. ℞. 2. Tutores Testamentarii, & dati ex inquisitione, olim non satisdabant. *pr. h. t. l. 4. 17. ff. de testam. tutel.* nam illorum fides approbata est a testatore; istis vero inquisitio est loco satisdationis. Sed hodie ex Refor. Polit. Car. V. 1548. Rudolphi II. 1577. *tit.* 32. omnes tutores, testamentarii, legitimi, & dati etiam ex inquisitione, satisdare debent; licet hoc Jus novum non ubique observetur, cum in multis locis tutores facultatibus, & possessionibus idonei non satisdent.

3. ℞. 3. In concursu plurium tutorum, vel curatorum, is tantum satisdat, cui committitur administratio. §. 1. *h. t.* si nullus satisdationem offerat, vel alii oblatam recipere nolint, neque acquiescere Judici unum pro administratione eligenti, permittet eis Judex vel communiter administrare, vel tutelam dividere. *ibid.* & *l. 3. per tot. ff. de administr. tutor.* servata cuilibet exceptione pro ea parte, seu regione, quam non administrat. *l. 4. eod.*

4. Q. II. *Quid sit judicium tutelæ, & qui eo teneantur?* ℞. 1. Judicium tutelæ est actio generalis, quæ finita tutela circa universam administrationem exercetur. *tit. ff. de tutela, & rationib. distrahend.* estque duplex ista actio: *directa* quæ competit pupillo, vel minori contra tutorem, aut curatorem, utpote ex quasi-contractu obligatos. §. 2. *de oblig. ex quasi-contractu. Contraria*, quæ competit tutori contra pupillum, & curatori contra minorem, si quid in bonum ejus ex suo impendit, vel pecuniam mutuam dedit. *ibid. & tit. ff. de contrar. tutel. act.*

5. ℞. 2. Judicium tutelæ non instituitur, nisi finita tutela, ut tunc rationem suæ administrationis reddat tutor, & quantum pupillo debet satisfaciat; & e contra pupillus recompenset tutori, quod is in utilitatem ejus ex suo impendit *l. 4. ff. de tutel. action. l. 1.* §. 3. *ff. de contrar. tutel. action.* nam absurdum lex judicavit aliquem urgeri ad rationem administrationis, in qua perseverat, bene vero illa finita. Idem dic de judicio generali tutelæ. *l. 19. ff. de administr. tutor.* At particularis actio curæ super certa re, quæ dolo, vel culpa curatoris periit, etiam constante administratione institui potest: per quod differt ab actione tutelæ, quæ nunquam particularis, sed semper generalis est super tota administratione. *l. 4.* §. 4. *ff. rem pupilli.* Hodie ex *cit. Refor. Polit.* & de consuetudine recepta, tutores, & curatores singulis annis rationem suæ administrationis reddunt, ne res pupilli, & minoris eant perditum.

6. ℞. 3. In judicio tutelæ, & curæ excutitur 1. Tutor, & curator, qui administravit, hisque mortuis, eorum hæredes; quia quasi-contractus tutelæ, & curæ transit ad eos. *l. 1.* §. 16. *ff. de tutel. action.* & *toto tit. C. de hæred. tutor.* 2. Fidejussores. 3. Magistratus, qui satisdationem non exegerunt, & tutorem minus idoneum dederunt, conveniuntur subsidiaria actione. §. 2. *h. t. l. 1.* §. 11. *ff. de tutel. act.* 4. Tandem omnibus deficientibus, tutores honorarii. *ibid.* & *l. 14. ff. de administr. tutor.* quia & isti invigilare debent bono pupilli *Nov.* 118. *c.* 5. ibi: *tutelæ periculo omnibus imminente.* Porro tutor præstat non solum dolum, & culpam latam, sed etiam levem, idque ob favorem pupillorum. *l. 7. C. arbitr. tutel.* cum alias ex contractu ob gratiam alterius inito non præstetur, nisi dolus, & culpa lata *l. 5.* §. 2. *ff. commodati.* At in casu *l. 7.* §. 2. *ff. de administr. tutor.* circa comparationem prædiorum, & in casu *l. 2. C. arbitr. tutel.* circa nomina paternorum debitorum, non præstatur culpa levis, quia in his facillimum est errare. Levissima vero culpa nunquam præstatur, quia tutor coactus hoc officium suscipere, non est tam graviter obligandus.

7. ℞. 4. Actione tutelæ convenitur etiam is, qui tutorem se existimans, vel fingens, res, & negotia pupilli administravit. De quo vide in *tit. ff. & C. de eo, qui pro tutor.* Si vero falsus tutor auctoritatem pupillo contrahendi accommodavit, contra illum datur

ex

ex edicto prætorio actio restitutoria in factum *tit. ff. quod falf. tutor.*

8. ℞. 5. Tutor unus ex pluribus condemnatus, cum finguli obligati fint in folidum, ficut fidejuffores, antequam folvat, recte petit fibi cedi actiones contra reliquos contutores: folutione autem facta, nulla actio, puta *directa*, competit *l. 1. C. de contr. judic. tut.* quia omnes funt liberati. At *utilis actio* contra contutores conceditur a D. Pio Imp. *l. 1. §. 13. ff. de tutel. act.* dummodo communis culpa intervenerit, & non propria damnati. Vide Jura hic citata.

TITULUS XXV.

De excufationibus Tutorum, vel Curatorum.

Agitur de hac materia in Pandectis *lib. 37. tit. 1.* In Codice *lib. 5. tit. 60. ufque ad 69.*

1. Excufatio in præfenti eft allegatio curæ, ob quam aliquis onus tutelæ, vel curæ deprecatur. Vim habet exceptionis; & ideo fi quis in una caufa allegata defecit, aliam allegare poteft intra 50. dies §. 16. *h. t.* quia pluribus exceptionibus, & defenfionibus uti nemo prohibetur: *l. 8. ff. de except.*

2. Q. I. *Quæ fint caufæ excufantes a tutela, & cura?* ℞. 1. Polypœdia, feu pluralitas liberorum, trium Romæ, quatuor in Italia, & quinque in exteris provinciis; modo omnes liberi fint jufti, veri, non adoptivi, vivi, aut faltem in acie mortui; cum hi per gloriam fingantur vivere. 2. Adminiftratio rerum Fifci, aut Principis. 3. Abfentia Reipubl. caufa. 4. Dignitas Magiftratus. 5. Lis cum pupillo. 6. Multitudo tutelarum, vel amplitudo unius. 7. Paupertas. 8. Adverfa valetudo. 9. Imperitia litterarum fimplicitati conjuncta. 10. Injuria, feu vexatio, cujus caufa teftator malitiofe tutorem dedit. 11. Inimicitia cum patre pupilli. 12. Controverfia ftatus fervilis, quam pater tutori, vel tutor pupillo movit. 13. Ætas fenilis ultra 70. annos. 14. Militia terreftris, & cœleftis. 15. Profeffio liberalium artium, exceptis advocatis, & legum doctoribus, utpote magis idoneis ad tutelam. *l. 14. C. de advocat. diverf. judicior.* 16. Onus tutelæ prius geftæ, ne ei fuccedat curatela. 17. Matrimonium, ratione cujus maritus non poteft effe curator uxoris in bonis receptitiis: quamvis moribus aliud obtineat; cum mariti etiam in judicio agere foleant nomine uxorio. Ita caufæ iftæ enumerantur *h. t.* & *tit. ff. eod.* ubi etiam varias limitationes videre poteris.

3. Q. II. *Quis fit effectus excufationis?* ℞. fi caufa vera fuit, excufans liberatur a tutela, vel cura. *l. 22. C. h. t.* nam quem lex liberat, illum Prætor onerare non debet. At fi caufa allegata falfa fuit, non liberat falfo allegantem *§. fin. h. t. l. 1. C. fi tut. falf. alleg.* ne ex delicto commodum reportet.

TITULUS XXVI.

De fufpectis Tutoribus, vel Curatoribus.

Agitur de hac materia in Pandectis *lib. 36. tit. 10.* In Codice *lib. 5. tit. 43.*

1. *Crimen fufpecti* ex L. XII. Tabb. defcendens eft illud, quod committit tutor, aut curator non ex fide adminiftrans tutelam, vel curam §. 5. *h. t.* Tunc autem non ex fide adminiftrat, dum fraudulenter verfatur in rebus pupilli v. g. damna eis faciendo, res deftrui finendo, in fuos ufus convertendo &c. vel fi tutor adeo depravatis vivat moribus, ut verifimile fit tutelam ab eo non recte geri. Huic affine eft crimen *quafi-fufpecti*, quod præfumitur in deputato tutore ex vita improba ante acta; maxime fi in aliis tutelis fraudulenter verfatus eft. *cit. §. 5. h. t. l. 3. §. 8. ff. eod.* Sufpectus ergo tutor removendus eft a tutela jam fufcepta; & adminiftrata; quafi-fufpectus vero arcendus a fufcipienda, ne ei committatur.

2. Q. I. *Quis fit Judex competens in crimine fufpecti?* ℞. foli Magiftratus majores, ut Prætor Romæ, Præfides in Provinciis, & Legatus Proconfulis. §. 1. *h. t.* Et quamvis alii velint, ficut dationem, ita & remotionem tutoris non competere Magiftratibus jure ordinario; quia tamen nulla lex reperitur, quæ fibi refervet remotionem tutoris, ideo verius puto illam effe jurifdictionis ordinariæ, maxime cum delegari poffit. *l. 1. §. 4. ff. de fufpect. tutor. l. 4. pr. ff. de officio ejus, cui.* Vide Difpp. meas Jurifd. *Difp. 4. Controv. 14.* Quidquid fit de Jure antiquo, hodie ficut datio, ita & remotio tutoris eft jurifdictionis ordinariæ ex *Recef. Imp. 1577. tit. 33.*

3. Q. II. *Qui tutores de crimine fufpecti poftulari, feu accufari poffint?* ℞. regulariter omnes: nam licet fides tutoris teftamentarii approbata fit a teftatore, legitimi a lege, dati a Magiftratu ex inquifitione, tamen fides ifta non eft femper conftans, fed quandoque degenerat in infidelitatem; ergo ut recte profpiciatur pupillis, bene cavetur, ut omnis tutor de crimine fufpecti poftulari poffit. §. 2. *h. t. l. 1. §. 5. ff. eod.* Illi tamen tutores, quibus pupilli debent reverentiam, uti patronus, pater, & fimiles, non conveniuntur actione fufpecti, feu criminaliter ex dolo, fed civiliter actione in factum, omiffa mentione doli. *cit. §. 2.* & *l. 9. ff. h. t. l. 11. ff. de dolo.* quia indecens eft judicium famofum intentare his perfonis, quibus debetur reverentia.

4. Q. III. *Qui poftulare poffint fufpectos tutores?* ℞. 1. omnes §. 3. *h. t. l. 1. §. 6. ff. eod.* ubi ratio additur: quia accufatio ifta eft quafi-publica: accufare autem in judicio publico omnes permittuntur. Non eft tamen hæc poftulatio fufpecti actio *publica* in rigore, quia ex nulla lege publicorum judiciorum defcendit. 2. Favore pupilli actio ifta permittitur etiam matri, & aviæ ex refcripto D. Severi; imo ex pietate, & commiferatione erga pupillum, cuilibet fœminæ. *cit. §. 3. & l. 1. §. 7. ff.* & *l. 6. 7. C. h. t.* 3. Pupillus ob levitatem judicii non admittitur ad hanc poftulationem, neque minor, nifi ex confilio neceffariorum, feu propinquorum. §. 4. *h. t. l. 7. ff. eod.* Si vero propinqui nolint confentire, poterit minor implorare officium Judicis, ut inquirat de fufpecto; fiquidem curator fufpectus, etiam fine fpeciali accufatore removeri poteft. *l. 3. §. 4. ff. h. t.*

5. Q. IV. *Qui fint effectus poftulationis, & judicii de crimine fufpecti?* ℞. 1. Lite pendente interdicitur tutori adminiftratio, & interim pupillo curator datur, donec caufa fufpecti finiatur, idque ob fpecialem favorem pupilli §. 7. *h. t. & l. 7. C. eod.* Nec prodeft, fi tutor fatifdationem offerat, & judicio tutelæ omnia refarcire velit: tum *quia fatifdatio tutoris propofitum malevolum non mutat, fed diutius graffandi in re familiari facultatem præftat.* §. *fin. hoc tit.* tum quia melius eft jura pupilli illæfa fervare, quam læfa reparare. 2. Probato crimine fufpecti, tutor totaliter removetur a tutela, nifi effet neceffarius pupilli; tunc enim præftat ei curatorem adjungere *l. 9. ff. h. t.* 3. Tutor remotus ob dolum fit infamis; dummodo dolus in decreto, feu fententia Judicis exprimatur. §. 6. *h. t. l. 5. §. 1. 2. ff. eod.* nam hoc judicium eft famofum, cum fit quafi-publicum, ut timore infamiæ difcant tutores ex fide tutelam gerere. An vero tutor ob culpam latam remotus fiat infamis, dubitant DD. Affirmant Bachov. Wifembach. Zoes, Kees, & alii, negant Harpr. Ludvvel, Frauzkius, Franz, Chling, quibus fubfcripfi in meis Difpp. Jurid. *Difp. 4. Controv. 13.* Unde hic compendio utor, &

6. ℞. 2. Tutor fufpectus, remotus ob culpam latam, non fit infamis. Prob. ex §. 6. *h. t. fufpectus autem remotus, fiquidem ob dolum, famofus eft, fi ob culpam, non æque.* Idem habetur *l. fin. C. h. tit.* quæ verba generalia, fine ullo abfurdo intelligi poffunt generaliter de omni culpa, quod fcilicet nulla culpa infamet tutorem. Ratio eft, quia in materia odiofa, & pœnali ftricte loquendum eft fecundum verba, ut pœnæ non laxentur, fed reftringantur. *lib. 18. ff. de LL.* cum vulgatis; ergo in hac materia quafi-publica nomine doli, non eft intelligenda culpa lata *arg. l. 7. ff. ad L. Corn. de Sicar.* maxime cum in tutelis expreffe Jus diftinguat dolum a culpa lata. *l. 7. C. arbitr. tutelæ.* Huc facit *lib. 3. §. fin.* & *lib. 4. §. fin. hoc tit.*

Dices: 1. Nomine *culpæ* in Jure venit *levif. l. 1. pr. ff. de tutel. act. §. 3. Inft. quib. mod. re contr. l. 12. ff. de R. J.* &c. 2. Culpa lata æquiparatur dolo *l. 226. ff. de Verb. Sign. l. 32. ff. depofiti.* ℞. ad 1. dum materia fubjecta patitur, fateor nomine culpæ venire levem; fed hic in judicio quafi-publico culpa gene-

generaliter intelligenda est. *Ad* 2. Dist. ant. æquiparatur in ordine ad interesse civile, & remotionem a tutela conc. ant. in ordine ad infamiam neg. ant. Tutor suspectus remotus aliquando fit infamis, aliquando non; sed removeri non solet, nisi ob dolum, vel culpam latam; ergo remotus ob dolum fit infamis, & remotus ob culpam latam non fit infamis. Præterea licet reperiantur complures textus in Jure, quibus culpa lata æquiparatur dolo quo ad interesse civile, ita, ut ubi dolus, ibi culpa lata præstanda sit; tamen forsan in toto Jure, nisi fallor, nec unicus reperietur clarus textus dicens, quod, sicut dolus, ita & culpa lata infamet. Ex his cetera omnia, quæ hic objici solent; facile enodantur.

7. ℟. 3. Tutor denegans alimenta pupillo, si citatus a Prætore non veniat, punitur immissione pupilli in ejus bona; & tandem ut suspectus removetur; maxime si mendaciter neget posse decerni pupillo alimenta; quo casu arbitrarie punitur a Præfecto Urbis, uti & libertus fraudulenter gerens tutelam filiorum patroni. §. 9. 10. 11. *h. t. l.* 2. *ff. eod.*

8. ℟. 4. Judicium de crimine suspecti, licet cœptum fuerit, non transit in hæredem tutoris, aut curatoris, sed morte ejus solvitur. §. 8. *h. t. l.* 11. *ff. eod.* nam cessat finis talis judicii, scil. remotio tutoris a tutela, cum mors ipsa eum removerit. At judicium civile tutelæ, utpote descendens ex quasi-contractu, transit ad hæredes active, & passive.

INSTITUTIONUM
CIVICO-CANONICARUM
LIBER SECUNDUS
De Rebus.

In hoc libro examinatur alterum objectum materiale Juris, scilicet res, *de quarum divisione, & acquisitione hic potissimum agitur.*

TITULUS I.

De Rerum divisione, & acquirendo ipsarum dominio.

AGitur de hac materia in Pandectis *libr.* 1. *tit.* 8. & *libr.* 41. *tit.* 1. 2. & tria hic veniunt consideranda: 1. Rerum divisio. 2. Rerum dominium. 3. Varii modi acquirendi dominium, quibus ex Pandectis addimus quartum de acquirenda, & amittenda possessione.

§. I.

De Rerum Divisione.

1. Q. I. *Quomodo res dividantur?* ℟. 1. in *res Divini Juris*, seu *extra nostrum patrimonium*, & in *res humani Juris*; seu quæ *in nostro patrimonio* habentur *l.* 1. *pr. ff. h. t. pr. In. eod. Res Divini Juris* sunt, quæ in nullius bonis sunt, nec actu, nec potestate; ut res sacræ, & religiosæ. Res *humani Juris* sunt, quæ plerumque in alicujus bonis sunt, vel actu, vel potestate; sicut res communes, & hæreditariæ, quæ alicujus fieri possunt. Sub hac divisione continentur quinque rerum genera: *Res communes, publicæ, universitatis, nullius*, seu *Divinæ*, & *res singulorum. pr. h. t.* ubi observa *patrimonium* hic non accipi stricte pro rebus hæreditariis a patre acceptis, sed late pro bonis, quæ nostra sunt actu, vel potestate, conformiter *l.* 1. *ff. h. t.* 2. Res Divini Juris subdividuntur in *sacras*, *religiosas*, & *sanctas*: res vero humani juris in *publicas*, & *privatas singulorum l.* 1. *pr. ff. h. t.* Et rursum *publicæ* subdividuntur in *communes*, *publicas specifice*, & *universitatis*, licet Jurisconsultus *l.* 2. *ff. h. t.* res *specifice publicas* comprehenderit sub rebus *universitatis*; cum universitas alia sit totius populi, & alia sit particularis communitatis in populo. Sæpe tamen nomina ista: res *communes*, *publicæ*, *universitatis*, etiam in Jure promiscue usurpantur; adeoque ex subjecta materia colligi debet significatio, ut Jura Juribus concilientur. Imperator autem *pr. h. t.* prudenter abstinuit ab his subdivisionibus, & statim posuit quinque rerum genera ante relata. 3. Res dividuntur in *corporales*, quæ tangi possunt; veluti fundus, & *incorporales*, quæ tangi non possunt, sed solo intellectu percipi; ut jus hæreditatis, jura, seu servitutes prædiorum *l.* 1. §. 1. *ff. h. t.* de qua divisione agetur *tit. seq.*

2. Q. II. *Quid, & quæ sint res communes?* Definitiones istarum rerum non tradit Imp. sed ex allatis exemplis colligi debent. Unde

℟. 1. Res *communes* sunt, quarum proprietas nullius est actu, usus vero omnium. Sic omnes res a principio mundi erant communes, & post divisionem rerum jure gentium factam, res communes manserunt, *mare cum piscibus*, *littora* tanquam accessoria cum lapillis, & conchis, *aer*, *aqua profluens*, seu undecumque in publicum fluens ad bibendum, abluendum, pecora adaquandum, & animalia fera. §. 1. *h. tit.* nam res istæ propter suam fluxibilitatem, & mutationem, non patiebantur commodam occupationem per pedum positionem, sicut res soli *l.* 1. §. 1. *ff. de acquir. poss.* Littus autem maris eo usque protenditur, quo ordinarie diffundi solet aqua tempore hyberno §. 3. *h. tit.* licet per accidens quandoque excurrat in pagos, & oppida.

3. 2. Res communes fieri possunt nostræ per occupationem; ut si quis in mari, vel littore ædificet: nam donec ædificium stat, fundus littoris, aut maris est ædificantis §. 1. *h. t.* qualiter Venetiæ in mari extructæ suam prætendunt libertatem, quia in nullius solo ædificatæ sunt. Peregr. *lib.* 8. *a num.* 6. Interim, licet maris usus communis sit, non licet in littore ædificare, si per hoc deterior littoris, & maris usus redderetur; ac proinde ad ædificandum opus est decreto Prætoris *l.* 50. *ff. de A. R. D.*

4. 3. Hodie *Mare* quo ad certos finus, seu portiones acquisitum est populo, seu Principibus regnorum. Sic Reges Hispaniæ, & Galliæ vindicant sibi mare mediterraneum, Rex Daniæ balticum, Rex Angliæ britanicum, Veneti adriaticum &c. Quæ acquisitio facta est partim tacito consensu gentium, partim præscriptione contra subditos, partim necessitate; quia maris usus non potuit reddi expeditus, nisi quilibet Princeps curam gereret illius portionis marinæ, quæ suis ditionibus cohæret. Quo autem modo mare acquisitum sit Principibus, non conveniunt DD. Mynf. Schneid. Harp. & alii dicunt acquisitum esse quo ad dominium, & proprietatem, Wesembec. quo ad usum publicum; sed verius cum Peregr. Gothofr. Perez, Zoes, & aliis dicendum, acquisitum illis fuisse quo ad protectionem, jurisdictionem, & imperium; ita ut adhuc

huc hodie proprietas, & usus maris maneat communis: nam ea omnia, quæ Principes in mari faciunt, sunt actus jurisdictionis; ut vectigalia exigere, ædificia in eo, & littore prohibere, jura invectionum, & evectionum sibi reservare, piscationes promiscuas non admittere &c. pro bono publico ea omnia facere, quæ vi jurisdictionis in terra fieri possunt. Hinc *l. 9. ff. ad l. Rhodiam*. lex domina maris dicitur, & Imperator dominus mundi. Vicissim Principes, cum sentiant commoda vectigalium, tenentur mare securum a piratis reddere, portus commodos extruere, usumque maris expeditum facere.

5. Q. III. *Quid, & quæ sint res publicæ?* R. 1. Res publicæ sunt, quarum proprietas spectat ad totum populum, seu Principem regni; usus vero est promiscuus omnibus ex tali populo, non vero extraneis. Hujusmodi sunt fluminina omnia, puta perennia, navigabilia, & portus. §. 2. *h. t.* licet per accidens quandoque flumina privata sint perennia, & publica, aquis destituantur: spectamus enim in his, quæ potiora sunt: atque ita danubius, rhenus, albis, morava, & similia flumina sunt res publicæ, in quibus spectato Jure com. quilibet de populo navigare, & piscari potest; non tamen aquam per fossas in suum prædium ducere, nec sine licentia Principis ædificare, ne usus fluminis reddatur deterior. *l. 1. & 3. ff. de fluminib.*

6. 2. Jus piscandi in flumine publico, hodie partim Principibus terræ, partim Dominis inferioribus, consuetudine, & præscriptione immemoriali acquisitum est privative, & legibus firmatum; ita ut cuique privato non liceat piscari: si tamen piscem caperet, suum utique faceret, cum prohibitiones istæ censeantur mere pœnales. Seclusa tali consuetudine, potest privatus in eodem diverticulo piscari, in quo alter piscatus est, & citra injuriam prohiberi nequit *l. 45. ff. de usurp.* cui non obstat *l. 7. ff. de diversf. tempor. præscr.* nam communiter a DD. legitur negative: *non prohibet*.

7. 3. Principes justa vectigalia a navigantibus recipere possunt ex pluribus causis; ut quia sumptus faciunt in reficiendis pontibus, muniendis ripis, tollendis obstaculis, & quia securitatem, & commoditatem præstant navigantibus.

8. 4. In flumine privato proprio, quod in fundo alicujus oritur, & per eum transit, potest dominus fundi molendinum ædificare, licet per accidens vicinis molitoribus aliquod lucrum pereat. *l. 24. §. fin. l. 26. ff. de damn. infect. l. 8. C. de Servitut.* nam quisque in suo fundo libero ædificare potest quidlibet, & jure suo utendo, nemini facit injuriam: nisi ad æmulationem alterius sine ullo suo commodo ædificaret, quod non licet. *l. 17. §. placuit. ff. de aq. pluv. arcend. cit. l. 8. C. de Servit.* quia malitiis hominum non est indulgendum. At de hodierno Jure, sine consensu Principis non licet etiam in fundo proprio nova molendina, braxatoria, popinas, & balnea extruere pro usu communi. Const. Maximil. I. 1559. 8. *Maji*. Maximil. II. 1576. 1. *April.* quibus tamen pro suo privato usu non prohibetur v. gr. molendinum extruere, *Finstrev.*

9. 5. *Ripa fluminum* quo ad usum necessarium ad siccanda retia, & religandas naves est publica; at quo ad proprietatem est illorum dominorum, qui utrimque vicina prædia habent §. 4. *h.t.* nam ripa est pars prædii, quatenus alteri terræ cohæret, & est terminus continens aquas fluminis; ergo aliquid ab utroque participat, scil. usum publicum a flumine, & proprietatem a vicino prædio, cui decrescit, vel accrescit. *Dices*: Litus totum est commune, quia est pars maris; ergo etiam ripa tota est publica, quia est pars fluminis. R. Neg. conseq. nam litus a principio datum est mari, & ordinarie ab aquis cooperitur, neque aptum est culturæ; e contra ripa detrahitur ex vicinis agris, sæpe mutatur, raro ab aquis cooperitur, & ordinarie coli potest; & ideo etiam arbores in ripis natæ, earumque fructus sunt dominorum vicina prædia habentium. §. 4. *hoc tit.*

10. Q. IV. *Quid, & quæ sint res universitatis?* R. 1. sunt illæ, quarum proprietas spectat ad communitatem particularem v. g. unius municipii: usus vero ad singulos de tali communitate; cujusmodi sunt theatra, stadia, pascua, fora, scholæ &c. §. 6. *h. t.* nam in divisione rerum quædam res, quæ toti populo non suffecerunt, attributæ sunt particularibus communitatibus; ita ut eorum proprietas esset penes communitatem, ut personam fictam; usus vero penes singulos. At illæ res, quæ sunt in patrimonio communitatis, ut personæ privatæ, tam quo ad proprietatem, quam quo ad usum sunt ipsius communitatis; ut prædia, cellæ vinariæ, armamentarium, pecuniæ &c. *l. 1. ff. quod cujusque univers. Dices*: Civitates loco privatorum habentur per *l. 15. & 16. ff. de Verb. Sign.* ergo nunquam constituunt universitatem. R. loco privatorum haberi comparative ad Romam, seu populum Romanum, quo non obstante universitatem particularem constituere possunt. 2. Sicut res publicæ, ita res universitatis non possunt a privatis præscribi, quia non sunt in commercio; & ideo nec emi possunt. §. 2. & *fin. de empt. & vend.*

11. Ex dictis colligitur differentia inter res *communes*, *publicas*, & *universitatis*: nam *communes* in nullius proprietate sunt actu; usus vero est communis omnium hominum: *publicæ* sunt actu in proprietate Principis, seu Reipublicæ, & usus est promiscuus singulis de tali populo; *universitatis* res sunt actu in proprietate particularis communitatis; usus vero est communis singulis de tali communitate.

12. Q. V. *Quid, & quæ sint res Divini Juris?* R. 1. sunt illæ, quæ in nullius dominio sunt nec actu, nec potestate. §. 7. *h. t.* & per hoc differunt a communibus, quæ nostræ fieri possunt. 2. Res Divinæ sunt in triplici classe: *Sacræ*, quæ a Pontificibus consecrantur ad cultum Divinum §. 8. *h. t.* ut templa, calices, paramenta sacra &c. quæ tamen, licet in concreto, seu cum consecratione non sint in dominio humano, tamen secundum materiam æstimari, & vendi possunt, v. g. pro necessitatibus pauperum, dummodo confringantur, si ad usus profanos adhiberi deberent. *c. 70. aurum*. 12. *q.* 2. de quo plura in *tit. de Simon. Religiosæ* pro mortuo inferendo. Licet autem apud Gentiles quisque privata auctoritate potuerit sibi facere locum religiosum §. 9. *h. t.* hodie tamen non censetur locus religiosus, seu sepulchrum sacrum, nisi auctoritate Episcopi locus determinetur ad sepulturam fidelium. Vide *tit. de Sepulturis*. *Sanctæ*, quæ quodammodo sunt Juris Divini: quia, licet nec sacræ, nec religiosæ sint, tamen neque sunt profanæ, sed ad similitudinem rerum sacrarum speciali sanctione defenduntur ab injuria hominum; ut muri, & portæ civitatis. §. 10. *h. t. l. fin. ff. eod.* Unde violatores murorum, & portarum civitatis, ut si hostiliter, vel ludibrii causa muros transcendant, vel alia via, quam per portam, civitatem ingrediantur, pœna capitis puniuntur *ibid.* quæ pœna monet etiam illos, qui muros inferioris municipii, & non solius Romæ violarunt *l. 8. ff. h. t. in Municipio quoque muros esse sanctos Sabinus recte respondit*. Ad res *sanctas* referuntur *Leges*, *S. R. Imperium*, *asyla*, *termini lapidales*, *Magistratus*, *Legati*, *vigiles*, *nocturni*, *fœdera*, *ærarium*, *persona patris*, & *patroni* &c. nam hæc omnia speciali sanctione ab injuriis defenduntur. Vide hic Manz.

13. *Quid, & quæ sint res privatæ singulorum?* R. sunt illæ, quarum proprietas pertinet ad privatas singulares personas, & acquiruntur vel *jure gentium*, (quod hic ob similitudinem vocatur *Jus naturale*) per modos naturales, vel Jure civili per modos a Jure civili introductos. §. 11. *h. t.* in quo Imperator subdit commodius esse incipere a jure naturali, seu gentium, utpote vetustiori, quam sit Jus civile introducens modos acquirendi dominia rerum. Sed priusquam ordinem Imperatoris sequamur, & de rerum dominiis loquamur, necesse est, ut brevem tractationem de ipso dominio in genere interponamus.

§. II.

De Rerum Dominio.

14. *Nota* dominium a Theologis universalius considerari, prout præscindit a rebus materialibus, & spiritualibus; qualiter Angeli, anima rationalis dicuntur subjici dominio Divino, & actus liberi dicuntur esse in dominio voluntatis. Rursum aliqui DD. prout quisque suo sensu abundat, dominium dividunt in *domi-*

num

num jurisdictionis, quod est facultas disponendi cum subditis in bonum eorum, seu communitatis, & in *dominium proprietatis*, quod est facultas disponendi de re sua ad proprium suum commodum, & placitum. Sed Civilistæ, uti & Canonistæ ex communi usu Juris dominium restringunt ad solas res corporales, commercio humano subjectas, illudque tanquam speciem collocant sub jure reali potestativo. Quo in sensu

15. Q. I. *Quid sit dominium*? ℞. est jus reale perfecte disponendi de re corporali, nisi lege prohibeatur. Ita in re com. cum Bartol. in *l. 17. ff. de acq. poss.* *Dicitur* 1. *Jus*, quia dominium hic non accipitur *materialiter*, seu *objective* pro ipsa re dominio subjecta, sed *formaliter* pro potestate respectu rei: & per hoc dominium convenit cum aliis juribus potestativis tam realibus, quam personalibus, ut est jus jurisdictionis, servitutis &c. *Dicitur* 2. *jus reale*, quia dominium rem ipsam afficit, & obligat domino, ut a quocumque possessore vindicari possit. *Dicitur* 3. *perfecte*, ad denotandum, quod hic definiatur dominium proprie acceptum quo ad omnes effectus, seu *plenum*, vi cujus dominus habet potestatem non tantum re utendi, & fruendi, sed etiam abutendi, seu consumendi, alienandi, locandi, pignorandi &c. *l. 25. §. 11. ff. de hæredit. petit. l. 6. §. fin. C. de secund. nupt.* ibi: *pro suo arbitrio uti* &c. ita ut dominus hæc agendo, nulli injuriam faciat, & a nullo licite, seu jure impediri possit; cum rei suæ moderator sit, & arbiter. *lib. 21. C. mandati*. Et per hoc *dominium* differt ab aliis juribus realibus, ut emphyteusi, feudo, usufructu, servitutibus, pignore, jurisdictione &c. *Dicitur* 4. *de re corporali*, quia hic consideramus sola corporalia; incorporalium vero *quasi-dominium*, & *quasi possessio* dicitur. *Dicitur* 5. *nisi lege prohibeatur*. Lex duplici modo potest prohibere perfectam dispositionem: primo ob favorem domini, quia ei non expedit exercitium dominii, nisi cum certis solemnitatibus a Jure præscriptis; sicut pupillis & minoribus prohibetur alienatio rerum suarum: & talis prohibitio legis non destruit, sed conservat rationem perfecti, & pleni dominii. Secundo lex prohibere potest perfectam dispositionem in odium, & gravamen domini, qui propter jus alteri quæsitum non potest licite, & jure rem alienare, hypothecare, servitutibus subjicere &c. & talis prohibitio legis in jure alieno fundata minuit rationem perfecti, & pleni dominii. Unde in veriori sententia majoratus, primogenituræ, fideicommissa, & alia bona vinculata, seu jure alieno gravata, non sunt in pleno dominio possessoris, quod tribuit liberam facultatem utendi, & abutendi. Vide meas *Dispp. Jur. Disp. 5. Controv.* 2. & 3. Jam si definire velis dominium, prout præscindit a perfecto, & imperfecto, recte dixeris: dominium est *jus reale disponendi de re corporali*.

16. Q. II. *Quomodo dominium dividatur*? ℞. 1. in *plenum*, quod proprietatem, & commoda rei affert, estque simpliciter dominium ante definitum: & *semi-plenum*, seu *imperfectum*, quod vel solam proprietatem, vel sola commoda rei affert: & hoc subdividitur in *directum*, quod est jus proprietatis, & *utile*, quod est jus percipiendi commoda ex re. Sic in feudo dominus infeudans habet dominium *directum*, seu *proprietatem*, vocaturque *dominus directus*, seu *proprietarius*: vasallus vero habet *dominium utile*, seu commoditatem, & fructus rei infeudatæ, vocaturque *dominus utilis*, seu *utilitatis*, aut *fructuarius* latius acceptus: at qui habet proprietatem, & utilitatem, vocatur *dominus plenus*, *perfectus*, & simpliciter talis; qui communiter nomine *domini* sine addito intelligitur. 2. Dominium dividitur in *naturale*, seu *per anticipationem*, seu *verum*, quod connaturali modo habetur ex jure gentium, aut civili per usucapionem, legatum &c. & *civile*, seu *fictum*, quod ex dispositione, aut fictione Juris alicui conceditur. Sic in fundo dotali mulier, constante matrimonio, habet dominium *naturale*, & maritus *civile l. 30. C. de jure dot. lib. 75. ff. eod.* durante dominio civili interim dormit, & quiescit naturale quo ad exercitium, & suos effectus. Sic etiam in casu actionis publicianæ, & rescissoriæ fingitur aliquis dominus, qui re ipsa non est. *§. 4. de actionib.* 3. In dominium *absolutum*, & *irrevocabile*, quod de se perpetuo durat; & *conditionatum*, seu *revocabile*, quod resoluta conditione, & ex certis causis revocari potest. Tale dominium habet hæres in re legata sub conditione, possessor bonæ fidei in fructibus perceptis, quos interim suos facit. *l. 48. ff. de Aquir. Rer. Dom.* nam purificata conditione, & resoluta bona fide, resolvitur hoc dominium. 4. In dominium *universale*, quod habet hæres in rebus hæreditariis, fundatque petitionem hæreditatis, aut familiæ herciscundæ actionem. *tit. ff.* & *C. de petit. hæredit.* & *famil. hercisc.* *Generale*, quod datur circa plura genera rerum, ut in bonis Principum. *Singulare*, quod datur circa res singulas, fundatque rei vindicationem in corporalibus, & actionem confessoriam aut negatoriam in incorporalibus. 5. In *dominium altum*, seu *superius*, & *bassum*, seu *inferius*, quod varie a variis explicatur, & sæpe confunditur cum jurisdictione alta, & bassa, cum imperio mero, & mixto. Magis proprie tamen *dominium altum* est, quod habet Princeps in bona subditorum pro casu publicæ necessitatis, ut ex justa, & publica causa cum eis disponere possit, prout exigit bonum commune, & salus Reipubl. mutando, & transferendo dominia ab uno ad alterum, vel illa determinando, extinguendo, non attento jure privatorum. *Bassum*, seu *inferius* est, quod quisque civis habet in sua bona, uti & Princeps, tanquam privata persona in suis bonis. Hoc dominium inferius cessat, seu quiescit, dum exercetur dominium altum, ex principio naturali: *quia bonum publicum præferendum est privato*. A fortiori cessat dominium creatum, dum Deus exercet suum dominium increatum. 6. Olim dominium dividebatur in dominium *bonitarium*, seu *naturale*, *quiritarium*, seu *legitimum*, & *plenum*, seu *mixtum ex utroque*. Bonitarium est, quod secundum possessionem transibat in alium, non tamen modo legitimo; adeoque faciebat possessorem, non vero dominum more Quiritum. *Quiritarium*, quod secundum proprietatem transibat in alterum modo solemni, ut mancipatione, jure cessione, seu adjudicatione, lege, usucapione, & traditione. Gothofr. in *l. un. C. de nudo jure quirit.* & *l. un. C. de usucap. transfor.* At Gonz. *tit. ut lite non cont. num. 29.* Zoes, & alii dominium quiritarium confundunt cum *pleno*, & *absoluto*, quod est dominium perfectum, ab omni vinculo liberum, & modo solemni acquisitum, v. g. servus sine modo solemni venditus, jure, seu dominio bonitario transibat in bona emptoris, eique perpetuo acquirebat; at penes venditorem manebat in dominio quiritario, quod erat nudum jus sine ullo fructu: si vero venditus erat modo solemni, tunc jure, seu dominio quiritario transibat in bona emptoris. Dominium *quiritarium* dabatur in rebus *mancipi*, quæ poterant *mancupi*, seu plena mancipatione acquiri; uti erant prædia Italica libera, servi, & animalia quadrupedia, quæ dorso, collove domantur; ut boves, equi, muli &c. non tamen elephantes, & cameli, quia licet dorso, collove domentur, tamen de bestiarum numero sunt. *Bonitarium dabatur* in rebus *nec mancipi*, quæ pleno jure mancipari non poterant; uti erant prædia provincialia, stipendiaria, & tributaria. Sed Justinianus videns hoc *antiquæ subtilitatis ludibrium*, quod scilicet nudum jus quiritarium fit inane, nullamque utilitatem afferens, sustulit istud discrimen inter dominium bonitarium, & quiritarium, volendo, ut *sit plenissimus, & legitimus quisque dominus, sive servi, sive aliarum rerum ad se pertinentium l. un. C. de nudo jure quirit. tollend. l. un. C. de usucap. transfor.*

17. Q. III. *Quæ sint species dominii*? ℞. 1. Dominium *plenum* non videtur in creatis ullas habere species proprie tales, nisi materialiter ex parte rerum, siquidem omnium dominiorum plene talium eadem est ratio specifica, seu facultas perfecte disponendi, utendi, & abutendi.

18. ℞. 2. Dominii semipleni species magis perfectæ sunt: dominium *directum*, seu *proprietatis*, & dominium *utile*; sub quo continentur, *feudum*, *emphyteusis*, *libellaria concessio*, & *superficies*. Quæ nomina tripliciter accipi possunt: *objective*, seu *materialiter* pro ipsa re feudali &c. *formaliter* pro contractu, quo v. g. feudum constituitur, & *consecutive* pro jure inde quæsito, seu pro dominio. In quo ultimo sensu *feudum* est dominium utile rei immobilis concessum sub obligatione fidelitatis, & obsequii personalis. Dans feudum vocatur *dominus infeudans*, accipiens feudum

voca-

vocatur *vasallus*, *feudatarius*, & *miles* in libris feudor. *Emphyteusis* est dominium utile rei immobilis concessum sub obligatione solvendi canonem annuum, seu pensionem. *Libellus*, vel *libellaria* concessio est ipsum feudum subinfeudatum, & emphyteusis subemphyteuticata, dum scilicet emphyteuta, vel vasallus suum dominium utile, transferunt in alium sub simili obligatione, quam ipsi habuerunt. De feudo, & emphyteusi vide Jus Can. *lib.* 3. *tit.* 18. & 20. *Superficies* est dominium utile soli alieni ad aliquid ædificandum concessi: diruto autem ædificio, superficies soli redit ad dominum directum. Vide *tit. ff. de superficieb.*

19. ℞. 3. Species minus perfectæ dominii utilis sunt: *usufructus*, *usus*, *habitatio*, *servitutes*, *possessio*; de quibus suis locis.

20. Q. IV. *Qui sit effectus dominii?* ℞. 1. *jus re utendi*; ut colligendo fructus, locando, commodando, precario dando, pignorando &c. 2. *Jus abutendi*; ut vendendo, donando, vel alio modo alienando, aut rem destruendo. 3. Jus vindicandi rem a quocunque possessore per judicium petitorium. *l.* 23. *ff. de Rer. Vind. l.* 6. *§. fin. C. de secund. nupt.* ibi: *neque Vir*; qui effectus competunt dominio pleno, ceteris vero imperfecte secundum cujusque exigentiam.

21. Q. V. *An Princeps suos subditos spoliare possit dominio rerum suarum?* ℞. negative ex præcepto naturali, quod præcepit neminem lædere, jus suum cuique tribuere, cui juri etiam Princeps subjectus est. Excipe casum publicæ necessitatis: tunc enim Princeps tollere potest subditis dominia, & alia jura quæsita ex altero præcepto naturali, & altiori, dictante bonum publicum esse præferendum privato. Atque ita vi dominii alti inductæ sunt usucapiones, & tempore belli fit demolitio ædium, condonatio injuriarum, & perpetua amnestia &c. In his tamen casibus, in quibus v. g. unius, vel alterius civis diruendæ sunt ædes pro ampliandis mœniis, justitia dictat, ut jactura sit communis civium, secundum proportionem; vel jactura uni illata ex communi ærario resarciatur. *Dices*: Princeps dicitur *Dominus mundi*, seu terræ. *l.* 9. *ff. ad L. Rhod.* ergo cum bonis subditorum disponere potest ad placitum citra ullam injustitiam. ℞. Princeps est dominus mundi, hoc est suæ terræ quo ad gubernium, & protectionem: non vero quo ad proprietatem singularum rerum, nisi quæ dominio Principis attributæ sunt; ut bona fiscalia, & patrimonialia Cæsaris.

22. Q. VI. *Quodnam sit subjectum dominii?* ℞. sola natura intellectualis; nam bruta ratione carentia nullius dominii sunt capacia. Primus igitur dominus est, de quo Psalmista ait: *Domini est terra, & plenitudo ejus*, & omisso dominio Angelico, homo per se capax est dominii in res, quæ communiter hodie dispositioni humanæ subjiciuntur. Et quidem regna integra, sunt in dominio cujusque Reipubl. seu Principis qua talis repræsentantis totum populum: res universitatis sunt in dominio particularis communitatis: res singulæ in dominio privatorum. Excipe servos, qui jure gentium sunt incapaces dominii, & Religiosos, qui supposito voto paupertatis, Jure naturali nihil proprium habere valent, sed quidquid acquirunt, monasterio bonorum capaci acquirunt. *Dices*: Multi Religiosi, etiam privati vocantur domini; & filii parentes suos appellare solent *dominos parentes*. ℞. Ubusum istum non esse dignum solutione.

23. Q. VII. *An duo in solidum ejusdem rei dominium habere possit?* ℞. negative ex *l.* 5. *ff. commodati.* ubi *§. fin.* Ulp. ex Celso ait: *duorum quidem in solidum dominium, vel possessionem esse non posse*. Idem habetur *l.* 3. *§.* 5. *ff. de acq. poss. l.* 19. *ff. de precar.* & *c.* 9. *de probat.* ibi: *cum duo insimul eamdem rem, & eodem modo in solidum possidere non possint*. Ratio est, quia dominium est jus perfecte disponendi de re corporali: sed si duo haberent dominium solidum ejusdem rei, neuter de illa posset perfecte disponere, quia alter a jure alterius impediretur, ergo. Neque hic fingendum est dominium duplex instantaneum: nam illo momento, quo v. g. Titius donando transfert dominium in Cajum, privat se dominio, & conf. in istanti donationis non est dominus, nisi in effectu, quatenus dominium suum transtulit in alterum. Argumenta in contrarium plus non probant, nisi quod duo secundum diversa jura ejusdem rei dominium habere possint; ut unus directum, alter utile: vel quod duo sint domini indivisim, non vero divisim; quia concursu suo dominium dividunt, sicut duo legatarii concurrentes ad legatum ejusdem rei. Sic explicantur *l.* 15. *§.* 4. *ff. de precar. l.* 3. *uti possidetis. l.* 15. *§.* 18. *ff. de damno infect. §.* 8. *In delegat.* &c. Vide meas Disp. Juridic. *Disp.* 5. *Contr.* 4.

§. III.

De Variis Modis Acquirendi Dominium.

24. *Nota* Jure naturali proprie dicto non esse inducta rerum dominia: nam sola natura inspecta ager iste non magis est tuus, quam meus. Unde rerum divisio, & dominium reduci debent ad jus humanum scil. ad jus gentium, & ad jus civile §. 11. *h. t.* quod utrumque Jus valde est rationabile; quia stante communitate rerum non potuit quiete, & tranquille vivi in societate humana; ac proinde tacito gentium consensu, res, quæ communes erant, divisæ sunt, aliæ illis attributæ. Hac divisione supposita, de Jure naturali est, ne alter alterum suo dominio spoliet; & ideo locus est præcepto naturali: *non furtum facies*. Altera, & proxima causa acquirendi dominii est voluntas hominis volentis rem suam esse. Et de hac nihil speciale hic est examinandum; sed tota tractatio instituenda est de modis, seu justis titulis, quibus dominium acquiritur. Et quia Jus gentium, quod hic per catachresim vocatur *naturale*, vetustius est Jure civili, ideo Imp. prius agit de modis a Jure gentium introductis: uti sunt *occupatio*, *accessio*, & *traditio*, deinde de modis a Jure civ. adinventis; uti sunt usucapio, donatio, aditio hæreditatis, legatum & alii infra referendi n. 60. Porro res acquisitionis capax, vel nunquam fuit sub alicujus dominio; & hæc acquiritur *occupatione*; vel priorem dominium amisit, & hæc acquiritur *accessione*; vel actu est sub alicujus dominio, & ista acquiritur *traditione*, seu *translatione dominii*, ergo recte tres isti statuuntur modi, sub quibus ceteri continentur. Et quidem sub occupatione *venatio*, *piscatio*, *aucupium*, & *inventio*, sub accessione *fœtura*, seu *nativitas animalium*, *alluvium*, *insula*, *specificatio*, *intextura*, *confusio*, *commixtio*, *ædificatio*, *implantatio*, *satio*, *scriptura*, *pictura*, *perceptio fructuum* ex re aliena bona fide possessa. Sub traditione continentur varii modi tradendi, ut infra.

Modi Occupationis.

25. Q. I. *Quid sit occupatio?* ℞. est justa apprehensio rei animatæ, vel inanimatæ, quæ plerumque communis est, nullius dominio actu subjecta. Dicitur *plerumque*, quia res hostium, licet sub eorum dominio sint, tamen fiunt primi occupantis. Objectum occupationis sunt *feræ bestiæ*, quæ per venationem, pisces, qui per *piscationem*, volucres, quæ per *aucupium*, lapilli, & conchilia in mari, vel litore jacentia, quæ per *inventionem* acquiruntur. Ratio horum est, quia *quod ante nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur*. §. 12. *h. t.* Unde tritum illud: *res communis fit primi occupantis.*

26. Q. II. *Quæ animalia subsunt occupationi?* ℞. 1. omnia animalia fera suæ naturali libertati relicta; uti sunt ursi, apri, cervi, lepores, volucres, pisces &c. & hæc capta sive in nostro, sive in fundo alieno, tamdiu censentur nostra, quamdiu nostra custodia continentur; sicut feræ in roborariis (sic dictis a tabulis roboreis, quibus sepiebantur) aves in caveis, pisces in piscinis, proprio flumine, vel lacu, & conf. citra injustitiam, & delictum furti nequit alius feram e roborario, seu vivario, piscem e piscina tollere &c. §. 11. *v. quidquid autem h. t. l.* 13. *§. fin. ff. de injur.* At si animalia ista custodiam nostram evaserint, & in libertatem naturalem se receperint, desinunt esse nostra, & rursus fiunt primi occupantis. Tunc autem animal dicitur suam naturalem libertatem recepisse, dum prioris domini oculos effugit; vel ita est in conspectu illius, ut difficilis sit ejus persecutio *cit. §.* 11. *in fin. l.* 5. *pr. ff. de Acquir. Rer. Domin.*

27. ℞. 2. Animalia naturaliter fera, sed consuetudine mansuefacta, ut columbæ, pavones, apes domesticæ,

ſticæ, & quandoque cervi, tamdiu cenſentur eſſe ſub dominio noſtro, quamdiu retinent conſuetudinem revertendi, ſeu abeundi, & redeundi; quam ſi amiſerint, redeunt in naturalem libertatem, & fieri poſſunt primi occupantis §. 15. *h. t.* An autem duæ, vel tres vices, quibus talia animalia conſueto tempore non redeunt, ſufficiant ad amiſſionem dominii, relinquitur arbitrio Judicis, cum ſit res facti. *Dixi: apes domeſticæ:* nam apes ſilveſtres, etſi in arbore tua ſedeant, ſicut aves, non fiunt tuæ, donec eas tuo alveari concludas. §. 14. *h. t.*

28. ℞. 3. Animalia domeſtica, ſeu naturaliter manſueta, ut gallinæ, anſeres domeſtici, ſues, boves &c. licet ex aliqua turbatione abiverint extra conſpectum tuum, tua manent, ubicumque conſiſtant; adeoque qui illa detinet animo lucrandi, furtum committit, & ordinaria actione furti tenetur, licet unam ſolum gallinam contrectet. §. 16. *hoc tit.* nam talia animalia quæ fere inanimatis comparantur, nunquam habent inſtinctum ſe recipiendi in naturalem libertatem. *Dices:* Pro re parva non datur actio, & ideo de minimis non curat Prætor. *lib.* 10. & 11. *ff. de dolo. l.* 25. *ff. locati.* ℞. non dari actionem extraordinariam, & ſubſidiariam, bene vero ordinariam, uti eſt actio furti vi bonorum raptorum. *pr. In. de vi bonor. rapt.* condictio furtiva etiam ob cornua bovis. *lib.* 14. §. 2. *ff. de condict. furtiv.*

29. Q. III. *An vulneratio, illaqueatio, viſio v. g. gemmæ in litore, vim habeat occupationis?* ℞. 1. Fera vulnerata, ante actualem ejus apprehenſionem non fit vulnerantis, niſi aliud locorum conſuetudine receptum ſit. Ita contra Trebatium Imp. §. 13. *h. tit.* ex Gajo *l.* 5. §. 3. *ff. de Acquir. Rer. Dom. quia multa accidere poſſunt, ut eam non capiamus.* Unde ſi Titius feram vulneret, eamque perſequatur, & interim Cajus eam apprehendat, is non committit furtum, ut voluit Trebatius, contra pleroſque alios.

30. ℞. 2. Fera illaqueata in fundo alieno, ita ut ſe elaqueare non poſſit, non fit laqueum ponentis, niſi naturaliter apprehendatur. Ita Gothofr. in *l.* 55. *ff. de Acquir. Rer. Dom.* ubi Proculus, præmiſſis multis diſtinctionibus, tandem deciſionem nimis diminutam, & obſcuram ponit dicens, quod aper illaqueatus, *ſi in meam poteſtatem pervenit, meus factus ſit.* Sed non cenſetur venire in meam poteſtatem, niſi naturaliter capiatur, ut ibi notat Gothofr. ergo: tum quia dominus fundi prohibere poteſt, ne laqueum ponens fundum ingrediatur ad feram eximendam §. 14. *h. t.* ergo non cenſetur eam occupaſſe ſola illaqueatione. Huc etiam facit *lib.* 28. 29. *pr. ff. ad L. Aquil.* Dixi in *fundo alieno:* nam multi docent feram in proprio fundo, & laqueo captam, ita ut ſe extricare non poſſit, fieri domini fundi laqueum ponentis; tum quia Proculus *cit. lib.* 55. hanc diſtinctionem ponit: an laqueus poſitus ſit in *meo, an in alieno*? tum quia Dominus fundi, cum a nullo prohiberi poſſit, moraliter cenſetur feram occupaſſe, ita ut eam dimittens teneatur actione in factum. *ibid.* Bartolus tamen, & alii indiſtincte dicunt feram non fieri laqueum ponentis, niſi eam apprehenderit, licet oppoſita ſententia magis placeat Zoes. *tit. ff. de Acq. Rer. Dom. n.* 10. *Dices:* Proculus *cit. l.* 55. non attentis diſtinctionibus generaliter reſolvit aprum laqueo captum fieri meum, *ſi in meam poteſtatem pervenerit*, ſed ſola illaqueatione pervenit in meam poteſtatem, cum naturali libertate privatus ſit; ergo fera illaqueata abſque ulla diſtinctione fit laqueum ponentis. ℞. de hoc ipſo quæri, quomodo aper veniat in poteſtatem meam? an illaqueatione, an apprehenſione? Quod fera extricare ſe non poſſit, & aufugere, non ſequitur eam occupatam, & acquiſitam fuiſſe, ſicut in fera pedes frangeret, vel intricaret ſe in ramos arborum, quo caſu nullius eſt, donec apprehendatur. Utraque iſta ſententia videtur ſatis probabilis.

31. ℞. 3. Viſio non habet vim occupationis. Unde ſi unus prius videat rem communem v. gr. gemmam in litore feram in fovea, & alter eam citius apprehendat, res talis communis fit apprehendentis. Ita conformiter *lib.* 1. *in fin. l.* 3. §. 3. *ff. de Acq. Rer. Dom.* ubi non viſio, ſed apprehenſio requiritur ad acquirendam rem communem, alias volucres, quas in arbore noſtra videmus, noſtræ eſſent. *Dices:* Viſio eſt ficta apprehenſio. *l.* 79. *ff. de ſolution.* ℞. fictioni iſti non eſſe locum in occupatione rei communis, ſed ſolum in rebus, quæ per traditionem ab alio acquiruntur.

32. Q. IV. *An ſupremus Princeps ſubditis prohibere poſſit promiſcuas venationes?* ℞. 1. affirmative ex juſtis cauſis: cujuſmodi ſunt, ne cura agrorum negligatur, ne ſubditi armis aſſueti pacem publicam turbent rixis, cædibus, violentiis; ne penuria ferarum inducatur, & Principi honeſta recreatio tollatur. Ita conſtituit Frideric. *lib.* 2. *Feud. tit.* 27. *de Pace tenenda.* §. *ſi quis ruſticus.* Ferdinand. II. 1628. 20. *Novemb.* & alii Impp. quorum Conſtitutiones in hoc puncto non apparent injuſtæ, dummodo domini præcaveant omnia damna, quæ a feris cauſari poſſent ſubditis, alioquin damna illata tenentur domini in conſcientia reparare; ut ſi feræ devaſtent, & depaſcant ſata, vineas, arbores &c. & nolentes hæc damna compenſare non ſunt abſolvendi a Confeſſario defectu diſpoſitionis, cum retineant pravam voluntatem damnificandi ſubditos contra præceptum: *non furtum facies. Dices:* Jus venandi deſcendit ex Jure naturali, ergo a Principe tolli nequit, ut inſinuat Juriſconſultus *l.* 13. §. *fin. ff. de injur.* ℞. jus venandi deſcendere ex Jure naturali permiſſivo; quod tamen non extendit ſe ad illam circumſtantiam, in qua Princeps vi dominii alti ex cauſis publicis prohibet venationes.

33. ℞. 2. Non obſtante prohibitione venationis, feram capiens etiam in fundo alieno ſuam facit. §. 12. *h. t. l.* 3. §. 1. *ff. de Acq. Rer. Dom. l.* 13. §. 14. *ff. de acq. poſſeſſ.* ibi: *ſed eos piſces:* nam prohibitiones iſtæ ſunt pœnales, neque hominem inhabilitant ad acquirendum dominium feræ, multo minus ipſam feram afficiunt; ergo licet fericida, ſi deprehendatur, obligetur ad pœnam ſubeundam, tamen feram capiendo facit ſuam: tum quia feræ, quamvis ſuper terram gradiantur, tamen terræ non cohærent, ſed ob frequentem vagationem magis aere, quam terra continentur; ergo jure dominii non pertinent ad dominum fundi, & conſ. tanquam res communis fiunt primi occupantis. *Dices:* Venatio eſt in fructu, ſicut piſcatio *l.* 9. §. 5. & *l.* 62. *ff. de uſufr.* & ideo ingrediens fundum alienum tenetur actione injuriarum. *l.* 13. §. *fin. ff. de injur. l.* 16. *ff. de Ser. Præ. Ruſt.* ℞. Jus ipſum venandi, & piſcandi eſt in fructu, ita ut fructuarius impediri nequeat a venando, & piſcando; at ipſæ feræ, vel piſces liberi non ſunt in uſufructu *cit. l.* 62. *ff. de uſufr.* ibi: *nec aprum* &c. Nec obſtat *cit. l.* 13. nam licet ingredi fundum alienum ſit injuria, *in alieno* tamen *captum, quod nullius eſt, ſuum facere, nulla eſt injuria.* Covar Faber, & alii. Vide meas *Diſpp. Jur. Diſp.* 5. *Contr.* 9. & 11.

34. Q. V. *An, & quomodo res inimicorum per occupationem acquirantur?* ℞. 1. In bello juſto res inimicorum occupatæ fiunt occupantium, & capti rediguntur in ſervitutem. §. 17. *h. t. l.* 5. §. *fin. ff. de Acq. Rer. Dom.* hoc enim jure gentium introductum eſt: tum ut victi hoſtes coerceantur: tum ut milites ſpe prædæ alacriores reddantur ad certandum. 2. Res immobiles hoſtium, uti & tormenta, annona, & pecunia publica, publicantur, hoc eſt cedunt Principi bellum gerenti. *Receſſ. Imper. an.* 1500. nam pertinent ad amplificationem regni. At res mobiles fiunt cujuſque occupantis; & ſi plures occupaverint, dividuntur inter eos ſecundum diſpoſitionem Ducis, & cujuſque meritum. 3. Si res captæ hoſtium iterum ab eis recuperentur, illæ ſolum reſtituuntur prioribus dominis, quæ gaudent jure poſtliminii; uti ſunt res immobiles. *l.* 20. §. 1. & *l. fin. ff. de captiv.* item equi, naves onerariæ, homines &c. ceteræ res mobiles, ut veſtes, arma, pecunia privata, naves piſcatoriæ, & hujuſmodi fiunt primi recuperantis *l.* 2. 28. *ff. eod.* nam dominium talium rerum, mox ut captæ ſunt ab hoſtibus, perfecte ad hoſtes tranſivit jure gent. Hoc tamen limitat Kees dicens tales res intra 24. horas recuperatas gaudere jure poſtliminii, & prioribus dominis eſſe reſtituendas: quæ limitatio licet jure deſtituatur, videtur tamen æquitate niti. 4. Civitates ab hoſtibus captæ apud Chriſtianos non efficiuntur ſervæ, ſed tantum quoad juriſdictionem ſubditæ Principi: nam bellum non geritur inter privatos, ſed inter Principes, qui non habent dominium particulare in bona ſubditorum, ſed tantum juriſdictionem. Si tamen cives ſe opponerent, puniri poſſent deprædatione, cum cauſam alienam ſuſcipiant. *arg. c.* 3.

d. 86. Christiani a Christianis capti hodie non efficiuntur servi, sed tantum pro redemptione sui coguntur persolvere lytrum.

35. Q. VI. *Quæ inventio vim occupationis habeat?* ℞. Illa, quæ est justa apprehensio rei communis inanimatæ; uti sunt lapilli, gemmæ, conchilia, & similia, quæ in mari, vel litore maris inveniuntur, & fiunt primi occupantis §. 18. *h. t.* Cetera de inventione dicam infra n. 51.

Modi Accessionis.

36. Q. VII. *Quid sit accessio?* ℞. est modus, quo res aliena tuæ accedit, & transit in tuum dominium: nam ratio naturalis dictat congruum esse, ut adjunctum, licet pretiosius, cedat subjecto etiam viliori, ejusque conditionem sequatur. Unde gemma inserta poculo terreo ei cedit. Accessio est duplex: *naturalis*, quæ sine opera hominis; & *artificialis* quæ fit cum opera, & industria hominis. Sub naturali continetur, *fœtura*, *alluvio*, *insula*: sub artificiali *specificatio*, *intextura*, *confusio* &c.

37. *Fœtura* est nativitas, seu procreatio servorum, & animalium. Unde quidquid ex animali, vel ancilla tua nascitur, tuum est. §. 19. *h. t.* quia partus sequitur ventrem, licet ex alieno conceperit; quia fructus, etiam terræ non jure seminis, sed jure corporis, ex quo nascuntur, quo ad dominium æstimantur *lib.* 21. §. 1. *ff. de usur.*

38. *Alluvio* est incrementum latens, quo aliquid de tuo fundo detractum insensibiliter meo adjicitur, & juregent. meum fit. §. 20. *h. t.* At si vis fluminis notabilem partem tui prædii detraxit, & meo adjecit, tua manet, nisi negligens sis, & partem tuam relinquas meæ cohærere, & arbores radices agere. §. 21. *hoc tit.* Unde dominus, in cujus fundo arbor abrepta radices egit, pro illa habet rei vindicationem directam, quam Ulp. *lib.* 5. §. 3. *ff. de Rer. Uſ.* vocat *utilem*, hoc est efficacem. Porro jure alluvionis gaudent soli fundi illimitati, seu quorum limes est ipsum flumen, non vero prædia limitata, seu auctoritate Reipubl. signata; uti erant prædia militaria, quia per hanc signationem Respublica declarat sibi reservare jus alluvionis. *l.* 16. *ff. de Acquir. Rer. Dominio.*

39. *Insula* est terra recens nata, raro in mari propter impetum fluctuum, frequentius in flumine, quæ undique circumdatur aqua. Insula in mari nata nullius est, sed fit primi occupantis §. 22. *hoc tit.* Hodie saltem quo ad jurisdictionem subest ei, qui habet imperium in mare, nisi occupatores statim a principio jurisdictionem sibi vindicassent. 2. Insula nata in medio fluminis cedit dominis utrinque vicina prædia habentibus; quia censetur detracta ex ripis utrinque vicinis: si vero proximior sit uni prædio, ei cedit, quia videtur esse pars illius *ibid.* 3. Si flumen se dividat cingendo agrum, is manet prioris domini, cum species agri non mutetur. *ibid.* & *l.* 7. §. 4. *ff. de Acq. Rer. Dom.* licet extremitates talium insularum sint publicæ pro usu navium *lib. pen.* §. 1. & *fin. ff. eod.* 4. Alveus (venter, lectus,) fluminis ab aqua desertus cedit proxima prædia habentibus pro modo latitudinis. §. 23. *h. t.* novus vero alveus fit juris publici, sicut flumen. Si novus alveus aqua destituatur, non redit ad priores dominos, quorum agri sunt destructi, sed ad dominos vicina prædia habentes devolvitur. *ibid.* quia immutata specie agrorum, dominium eorum amissum fuit; licet æquitas suadeat alveum prioribus dominis reddi. *lib.* 30. *ff. de Acq. Rer. Dom.* 5. Ager totus inundatus amittitur quo ad possessionem facti, non tamen quo ad dominium, nisi inundatio esset perpetua, aut speciem agri mutaret. §. 24. *h. t. lib.* 3. §. 17. *ff. de acq. poss. lib.* 7. §. 6. *ff. de Acq. Rer. Dom. l.* 23. *ff. quib. mod. usufr. amitt.* Jam de modis accessionis industrialis.

40. *Specificatio* est novæ speciei ex aliena materia formatio, ut si ex alieno auro calicem, ex alienis uvis vinum conficias. Quær. cujus sit species nova? ℞. si species nova facile reduci potest in priorem materiam, sicut poculum resolvi potest in aurum, tunc species cedit domino materiæ; si vero facile reduci nequeat in priorem materiam, sicut vinum in uvas, & pannus in lanam, tunc species nova cedit specificanti. Ita Imp. cum media sententia §. 25. *h. t.* contra Sabinianos, qui pro domino materiæ; & contra Proculianos, qui pro specificante steterunt. *Ratio* est, quia in primo casu materia prævalet formæ; in secundo vero forma materiæ; ergo etiam dominium sequitur partem prævalentem. At si quis partim ex sua, partim ex aliena materia specificaret, fit dominus specificati; ut si mulsum conficiat ex suo vino, & melle alieno &c. quia plus præstat materiam, & operam conferendo *cit.* §. 25. *h. t. in fin.* Porro ne alter alterius jactura locupletetur, utrinque datur *actio in factum* ad consequendam æstimationem materiæ, vel laboris, seu artificii *l.* 23. §. 5. *ff. de Rer. Uſ. l.* 30. *ff. de donat. int. Vir. & Uxor. Dices*: frumentum est illius, qui excutit spicas *cit.* §. 25. *h. t.* quod tamen negat Jurisconsultus *l.* 7. §. 7. *in fin. ff. de Acquir. Rer. Dom.* dicens granum esse ejus, cujus spicæ erant. ℞. Si nomine frumenti intelligantur grana commolita v. gr. in farinam, tunc frumentum est specificantis; si vero intelligantur grana precise excussa e spicis, quo casu non est specificatio, sed detectio, & collectio specierum, tunc frumentum est ejus, cujus sunt spicæ. Et hoc sensu tollitur ista antinomia.

41. *Intextura* est, qua res aliena tanquam pars additur rei meæ tanquam tori, & tunc fit mea. §. 26. *h. t.* quia pars sequitur conditionem totius, licet pars sit pretiosior toto; ut si alienam purpuram vestimento meo intexam, vel gemmam alieno meo imponam poculo: quo casu pars intexta vindicari non potest, quia habetur pro extincta, sed contra intexentem datur actio furti, vel condictio sine causa ad æstimationem partis intextæ. 2. Si res intexta facile separari potest absque nocumento totius, agitur ad exhibendum, qua exhibitione facta, locus est reivindicationi. *l.* 23. §. 5. *ff. de Rer. Uſ.* ubi brachium alienum per ferruminationem statuæ junctum vindicari nequit; bene vero si junctum fit per applumbationem. Quo sensu etiam explicatur *l.* 27. *ff. de Acq. Rer. Dom.* 3. Si gemma imponatur ad ornandum aliud corpus, cedit corpori v. g. poculo aureo. At si aurum accessorie adhibeatur gemmis, & lapidibus pro commodiori portatione, cedit gemmis. 4. Si accidens tantum superveniat rei, ut si materia decoloretur, cedit domino materiæ *l.* 26. *in fin. ff. de Acq. Rer. Dom.*

42. *Confusio* est, qua plures materiæ dominorum ita inter se permiscentur, ut resultet alia species; sicut ex vino, & melle fit mulsum. Si confusio ista fiat casu, vel voluntate utriusque domini, species nova est utrique communis substans actioni communi dividundo: si vero fiat voluntate tantum unius, fit confundentis, salva æstimatione materiæ alterius domini. §. 27. *h. t.* nisi species ex confusione natæ facile separari possent; velut æs, argentum, & aurum in unum conflata *l.* 5. §. *sed si ff. de Rer. Uſ.*

43. *Mixtio* est, qua duo, vel plura solida corpora permiscentur absque resultantia novæ speciei. In quo differt mixtio a confusione, quæ fit ex pluribus corporibus liquidis cum resultantia novæ speciei. Jam 1. Frumentum duorum mixtum ex voluntate utriusque domini, commune efficitur, & subsfat judicio *communi dividundo* §. 28. *h. t. l.* 5. *pr. ff. de Rer. Uſ.* 2. Si mixtio facta est casu, vel ex voluntate unius domini, corpus mixtum non fit commune; sed materia mixta, si discerni potest, vindicatur; vel si utraque materia ejusdem fuit bonitatis, tantum ex acervo accipietur, quantum permixtum fuit: secus Judicis arbitrio relinquitur, si melius frumentum deteriori sit permixtum, ut desuper fiat æstimatio. Si neuter probare possit, quantum in acervo suo habuerit, Judex pro arbitrio divisionem faciet: is vero qui minus accipit, sibi imputet, quia diligens paterfam. non debet ignorare vires sui patrimonii. 3. Si miscens bona fide, corpus mixtum consumpsit, cessat vindicatio: quia consumptione fecit suum: condictione tamen personali, seu actione in factum ad compensandam materiam alienam tenetur, ne cum jactura alterius locupletetur. *argum. lib.* 30. *ff. ad Leg. Aquil.* at si mala fide consumpsit, tenetur vindicatione, quia dolo desiit possidere, & dolus rem ipsam repræsentat *argum. lib.* 1. 2. *ff. de tigno juncto.* licet vindicatio ista in effectu non sit, nisi condictio ad æstimationem. 4. In pecunia id speciale est, quod permixta cum nummis propriis, ita ut discerni nequeat, cedat permiscenti: ut si debitor alienam pecuniam dedit creditori,

tori, & is illam commiscuit cum sua absque discretione. *l.* 78. *ff. de solution.* *Ratio* hujus specialitatis est, quia pecunia continuo de manu in manum transit; ergo, ne continuo subsit timor pecuniæ furtivæ, recte Jura statuunt, dominium illius acquiri per commixtionem cum sua pecunia. In quo casu permixtio vim habet consumptionis, & consumptio vim solutionis. Wesemb. Manz.

44. *Ædificatio* est modus acquirendi, dum quis vel ex materia aliena in suo solo, vel ex materia propria in solo alieno ædificat. Jam 1. Qui in solo proprio ex alieno tigno (nomine tigni omnis materia significatur, ut lapides, cæmentum, ligna, perticæ in vineis &c.) ædificavit, fit dominus ædificati, seu ædium; quia solo inædificatum, solo cedit, non tamen fit dominus materiæ. §. 29. *h. t.* quia aliud est ædificatum, aliud partes ædificati: in quo casu dominus tigni contra ædificantem habet ex *L. XII. Tabb.* antiquam actionem dupli; non vero actionem ad exhibendum, vel rei vindicationem, ne ædificia in dedecus civitatis solvantur. *ibid. Si* tamen *ex aliqua causa dirutum sit ædificium, poterit materiæ dominus, si non fuerit duplum jam consecutus, tunc eam vindicare, & ad exhibendum de ea agere. ibid.* Qui textus generalis procedit etiam de illo, qui bona fide jungit tignum alienum, seu ædificat ex materia aliena: nam actio dupli non est pœnalis, sed compensatoria; quia dominus materiæ tenetur ea invitus carere. Quo facit *lib.* 23. §. 6. *ff. de Rer. Us.* Is vero qui mala fide, seu scienter junxit tignum alienum, tenetur insuper actione ad exhibendum, & rei vindicatione; adeoque in triplum, non quidem ut ædificium solvatur, quod prohibet Lex XII. Tabb. sed quasi dolo malo desierit possidere. *lib.* 1. *in fin. lib.* 2. *ff. de tigno juncto*. Opposita sententia Zoesii, quod bona fide jungens tignum alienum non teneatur dupli, est satis probabilis. 2. E contra qui ex materia sua ædificat in fundo, seu solo alieno, non fit dominus ædificii, sed hoc cedit domino soli. §. 30. *hoc tit.* Jam si quis bona fide ædificavit, amittere quidem videtur dominium materiæ. *lib.* 7. §. 12. *ff. de Acquir. Rer. Dom.* salva tamen condictione pretii pro materia, & expensis: & ideo domino soli ædificium petenti; materiam vero, & impensas solvere nolenti opponere potest exceptionem doli mali. *ibid.* & §. 30. *hoc tit.* Si vero mala fide ædificavit in alieno, attento rigore Juris, censetur totum ædificatum donasse domino soli; ita ut neque diruto ædificio materiam vindicare possit per *Jura citat.* at de benignitate, & æquitate vindicare potest materiam, ejusque pretium condicere, & impensas deducere, ne alter alterius jactura locupletetur. Hoc sensu explicatur, & conciliatur *lib.* 2. *Cod. de Rer. Us. lib.* 38. *ff. de hæredit. petit. lib.* 39. §. *unic. eod. lib.* 37. *ff. de Rer. Us.* De impensis necessariis, utilibus, & voluptuariis ago in Jure Can. *libr.* 2. *tit.* 13. Vide etiam meas *Dispp. Jurid. Disp.* 6. *Controv.* 9.

45. *Implantatio* est positio plantæ alienæ in proprio solo, vel suæ plantæ in solo alieno. Planta, si radices egit, cedit domino soli. §. 31. *hoc tit.* quia videtur esse pars soli. Si vero necdum est radicata, vindicari potest. *ibid.* & *lib.* 5. *ff. de Rer. Us.* De repetitione æstimationis pro planta radicata idem sentiendum, quod *num. præcedenti* dictum de repetitione materiæ, & impensarum. 2. Si arbor totas radices egit in fundum alienum, tota erit domini fundi. *cit.* §. 31. *hoc tit.* si vero tantum unam, vel alteram radicem porrigit in solum alienum, illius est, in cujus solo origo, & truncus fuerit. *lib.* 6. §. 2. *ff. arbor. furtim cæsar.* si vero in confinio plantata radices æqualiter mittat in utrumque fundum, fit communis utriusque domini, fructus ex æquo dividi debent. *cit.* §. 31. & *l.* 7. §. *fin. lib.* 8. *ff. Acq. Rer. Dom.* nam tali casu arbor censetur habere originem, & truncum in utroque fundo.

46. *Satio* est seminatio frumenti alieni in proprio solo, vel frumenti sui in solo alieno. Et tale frumentum, vel segetes cedunt Domino soli, salva condictione pretii pro semine. §. 32. *hoc tit.* Modi isti breviter his versiculis continentur: *Quidquid plantatur, seritur, vel inædificatur, omne solo cedit, radices si tamen egit.*

47. *Scriptura* in aliena charta, vel membrana exarata de rigore Juris cedit domino chartæ, vel membranæ; quia censetur accessoria, etsi litteræ sint aureæ. §. 33. *h. tit.* Ex quo colliges, quod Religiosus, sicut non est dominus chartæ, ita quoque non sit dominus suorum scriptorum, & conf. ea alienare non possit sine licentia sui Superioris. Scribæ tamen competit exceptio doli mali, si dominus chartam velit retinere, & scripturam solvere nolit. *ibid.* De hodierna consuetudine charta cedit scribæ; præsertim si scriptura sit nobilis, & pretiosa, salvo pretio chartæ domino solvendo. Schamb.

48. *Pictura*, si nobilis est, non cedit domino tabulæ, sed cum tabula pictorii, salva æstimatione tabulæ, domino solvenda. Ita Imp. §. 34. *h. t.* ubi rationem dat: quia *ridiculum est picturam Apellis, vel Parrhasii in accessionem vilissimæ tabulæ cedere.* Atsi pictura fiat in tabula multo digniore, vel in muro, aut statua, cedit domino tabulæ, muri, aut statuæ, ceu accessoria, salva compensatione picturæ: quo sensu conciliatur *l.* 23. §. 3. *ff. de Rer. Us.* 2. Si pictor tabulam pictam possideat, & nolit eam solvere, contra eum datur *utilis actio*, seu vindicatio competens domino tabulæ, ut æstimationem tabulæ recipiat; si vero dominus tabulam pictam possideat, pictor contra illum habet vindicationem directam: si tamen materiam tabulæ solvere nolit, doli mali exceptione repelletur. Si tertius eam possideat, pictor in vindicatione præferendus est; si vero furto sit sublata, utrique competit actio furti; quia utriusque interest tabulam non fuisse sublatam: imo si pictor mala fide tabulam surripuit, tenetur actione furti. *cit.* §. 34. *h. t.*

49. *Possessio* bona fide habita est modus acquirendi dominium fructuum perceptorum. §. 35. *h. t.* nam possessor bonæ fidei est instar domini; ergo fructus perceptos facit suos; non quidem dominio absoluto, & irrevocabili, sed conditionato, & revocabili, si ante triennalem præscriptionem fructuum bona fides non revolvatur. Plura de his *seq.* §. *n.* 68.

50. *Ususfructus* est modus acquirendi dominium omnium fructuum a fructuario perceptorum; dummodo ipse fructuarius, vel alius ejus nomine, eos a solo separaverit. §. 36. *h. t.* nam acquisitio ista fit voluntate, & consensu domini usumfructum concedentis. Ac fructus pendentes, cum sint pars fundi, pertinent ad dominum proprietatis; & ideo si fructuarius moriatur ante fructus maturos perceptos hæredes ejus non possunt pro fructibus istis agere. *ibid.* Secus est inhæredibus coloni, cujus contractus prodest hæredibus usque ad tempus conventum v. g. septennium §. *fin. de locat. & conduct.* Cætera, quæ hic §. 37. & 38. *h. t.* traduntur, commodius dicentur infra *tit.* 4. *de usufructu*.

51. *Inventio thesauri*, seu veteris pecuniæ depositæ, cujus memoria non extat, vario modo potest esse modus acquirendi dominium: 1. Si thesaurus repertus est in fundo proprio, fit totus inventoris; nisi annexa scheda contineret nomen domini: tunc enim existentibus hæredibus restituendus foret. §. 39. *hoc tit. lib.* 31. §. 1. *ff. de Acquir. Rer. Dom.* nam thesaurus in nullius bonis censetur esse. 2. Si thesaurus repertus est in loco sacro, aut religioso *privato*, pariter totus cedit inventori. *ibid.* at repertus in loco fiscali ubi religiosus locus, seu sepulchrum situm est, quo ad medietatem cedit Fisco: quo sensu conciliatur. *lib.* 3. §. 10. *ff. de Jure fisci.* ibi: *sive in locis fiscalibus*. Hæc ita de Jure. Sed de consuetudine thesaurus repertus in loco sacro, totus eidem cedit, seu Prælato in commodum loci sacri. 3. Si thesaurus modo licito, & fortuito inventus est in fundo alieno privato, vel fiscali, media pars est inventoris, & altera media domini fundi, aut Fisci. *cit.* §. 39. *hoc tit.* quia inventor operam, & dominus fundi quasi materiam tali inventioni subministrat: at si thesaurus data opera quæratur, & inveniatur in fundo alieno, privato, aut fiscali, totus cedit domino fundi, aut Fisco *l. un. C. de thesauris*, sic enim coercenda est cupiditas in alieno quærendi, & ædificia subruendi. Si denique per artes magicas repertus est in loco privato, medietas cedit domino fundi, & medietas Fisco per modum pœnæ: ad quam tamen inventor non obligatur ante sententiam Judicis: si in loco publico totus cedit Fisco *Peregr.* 4. Thesaurus repertus a vasallo, vel emphyteuta in loco feudali, aut emphyteutico, totus cedit inventori vasallo, aut emphyteutæ. Ita Zoes, Kees, & alii con-

tra Nav. Harpr. & alios dimidium vasallo, & dimidium domino directo attribuentes, sive iste, sive ille invenerit: & contra Lessium, qui dimidium inventori, alterum dimidium domino, & vasallo concedit æqualiter dividendum. Ratio est ex *reg. 55. in 6. qui sentit onus, sentire debet commodum*, ex æquitate naturali; ergo sicut vasallus, & emphyteuta sentiunt onus fundi, ita quoque sentire debent commoda, & beneficia illius. *Dices*: Thesaurus totus non cedit fructuario, & creditori. *l.un.C. de thesauris*; ergo nec vasallo. ℞. neg. conseq. nam thesaurus non est pars fructuum, cum nasci, & renasci non soleat, neque pars hypothecæ, sed est loci beneficium, quod domino utili æquum est obvenire. Hæc ita de Jure com. At hodie Principes thesauros ubicumque repertos, sibi vindicant vel ex toto, vel ex parte: quod justum esse potest, si utilitas publica, & legitima consuetudo id suadeat; sicut reservatio auri, & argenti fodinarum.

Modi Traditionis.

52. Q. VIII. *Quid, & quotuplex sit traditio?* ℞. 1. Traditio est datio, seu translatio dominii ab uno in alterum §. 40. *h. t.* ubi ratio additur: quia *nihil tam conveniens est naturali æquitati, quam voluntatem domini volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi*. Quod etiam procedit in rebus nec mancipi, & prædiis stipendiariis, & tributariis, cum nudum jus Quiritum sublatum sit a Justiniano, ut dictum *num.* 16. Res tamen venditæ, & traditæ non aliter fiunt emptoris, nisi is pretium persolverit, vel alio modo satisfecerit; ut per pignora, expromissorem, fidejussorem; vel nisi venditor fidem emptoris secutus fuerit v. g. præfigendo illi terminum solutionis, vel expresse volendo rem tolli, & suo tempore solvi §. 41. *h. t.* nam traditio rei venditæ est conditionata, si pretium solvatur, vel alio modo satisfiat. Quod nedum *lege XII. Tabb.* cavetur, sed etiam jure naturali, seu gentium, ut commercia sint liberiora, securiora, & multitudo litium vitetur. In dubio non præsumitur fides habita de pretio, sed, cum sit facti, est probanda ab allegante *argum. lib. 10. Cod. de non num. pecun.*

53. ℞. 2. Traditio est duplex: *Vera*, quæ fit per realem, seu physicam rei dationem, quasi de manu ad manum; ut si ego tibi dem librum, & tu mihi pecuniam. *Ficta*, seu *quasi-traditio*, est actus aliquis corporeus veræ traditioni æquivalens, ad translationem dominii adhibitus. Utraque ista traditio fieri potest, vel personaliter per dominum, vel per alium nomine domini: ut per servum, vel procuratorem cum mandato speciali, vel *cum libera*. §. 42. & 43. *h.t.* Mandatum vero generale *sine libera*, sicut non sufficit ad alienationem, ita neque ad traditionem *lib. 63. ff. de procurator.* imo mandatum *cum libera* non sufficit ad traditionem ex causa donationis. *l. 27. C. de pact. l. 16. C. de admin. tutor.* siquidem donare non est administrare, sed perdere. *l. 7. ff. de donation.*

54. ℞. 3. Modi traditionis fictæ sunt multi: 1. *Per fictionem brevis manus* §. 44. *h.t.* dum res antea tradita ex causa inhabili, ut commodati, depositi, locati, pignoris fingitur extradita, & iterum tradita ex causa habili ad translationem dominii; ut per venditionem, donationem, permutationem &c. *l.33. §. fin. ff. de donation. l. 44. §. un. ff. de jure dot. l. 15. in fin. ff. de reb. credit.* nam frustra fit per plura, quod fieri potest per pauciora. 2. Per *fictionem longæ manus*, ut si rem a longe ponas & velis meam esse: tunc enim quasi manu longa eam apprehendo *l. 79. ff. de solut. l. 18. §. 2. ff. de acq. possess.* Qui modus aliter vocatur: *traditio per visum. l. 1. §. si jusserim. ff. de acq. possess.* 3. Per *traditionem clavium*, sicut traditis clavibus horrei, censetur tradita proprietas mercium. §. 45. *h. t.* 4. Per *traditionem instrumenti*, seu *chirographi l. 1. C. de donation.* ubi tradito instrumento, censentur mancipia tradita. 5. Per *consignationem*, seu *sigillationem*, si emptor res a se emptas in signum dominii quæsiti consignet. *lib. 14. ff. de peric. & commod. rei vend.* 6. Per *appositionem custodis. l. 51. ff. de acquir. possess.* 7. Titulo *constituti*, seu *substituti*, si prior dominus domum mihi venditam, non amplius suo, sed nomine meo retineat. *l. 18. pr. ff. de acq. poss.* 8. Per *jactationem missilium*, seu pecuniarum, aliarumque rerum, ut quod quis acceperit, ejus sit. §. 46. *h. t.* sicut in electione Papæ, vel Imperatoris spargi in vulgus pecunia solet. De jactatione missilium vide *Nov. 105. c. 2.* ubi argentum spargere permittitur Consulibus in septem processionibus; aurum vero soli Imperatori.

55. Q. IX. *Quid requiratur ad hoc, ut traditio operetur effectum, seu translationem dominii?* ℞. 1. Ut tradens sit *dominus rei*, habeatque liberam potestatem, & seriam voluntatem alienandi. Unde non-dominus bona fide tradens, non transfert dominium, sed condictionem usucapiendi pro donato, empto, legato &c. Similiter pupillus, dominus fideicommissi, majoratus, & similium bonorum lege alienari prohibitorum, ex defectu liberæ potestatis non transferunt dominium. 2. Ut accipiens sit *capax dominii*, & simul habeat voluntatem illud acquirendi. Hinc Religiosus ut privato, vel alteri, ut invito, non quæritur dominium. 3. Ut adsit causa, seu titulus habilis ad transferendum dominium; uti est venditio, permutatio, legatum, hæreditas, dos: solutio &c. Tituli vero inhabiles sunt, depositum, commodatum, precarium, locatum, pignus.

56. ℞. 2. Falsitas causæ, seu tituli, modo iste sit habilis, non impedit traditionis effectum, seu translationem dominii. Ita constat ex toto *tit. ff. de condict. indeb.* ubi solutio indebiti, quod quis falso putavit esse debitum, transfert dominium pecuniæ solutæ; & ideo non datur ejus vindicatio, sed condictio, seu actio personalis ad repetendum indebitum solutum: nam falsitas causæ non mutat voluntatem domini volentis rem suam in alium transferre, dummodo de corpore constet. *l. 36. ff. de Acq. Rer. Dom. l. 9. ff. de contrah. empt.*

57. ℞. 3. Tradentis & accipientis consensus non necessario convenire debent in eamdem causam. Unde si quis tradat ex causa donandi, & alter accipiat ex causa mutui, dominium pecuniæ traditæ transfertur in accipientem. Ita expresse Julianus. *l. 36. ff. de Acq. Rer. Dom.* cui e diametro contradicit *Ulp. l. 18. ff. de Reb. Credit.* pro quorum concordia dicendum, quod tali casu dominium transferatur mero Jure, & revocabiliter; quia rationi naturali congruit voluntatem domini rem tradentis, ratam esse §. 40. *h. t.* non vero transferatur quo ad effectum, & irrevocabiliter; quia pecunia ita tradita condici potest. Si tamen accipiens consumpsit pecuniam ex causa donationis traditam, condicenti opponere potest exceptionem doli, *quia secundum voluntatem dantis nummi sunt consumpti tit. l. 18.*

58. Q. X. *Quid sint bona derelicta, & incerta, & quomodo acquiratur eorum dominium?* ℞. 1. Bona derelicta sunt, quorum quis a se projectorum non vult esse dominus. Et hæc ad instar missilium fiunt primi occupantis, cum hæc sit voluntas prioris domini. §. 47. *h. t.*

59. ℞. 2. Bona incerta sunt, quorum aliquis dominus est, hic & nunc tamen ignoratur. Sic merces, tempore tempestatis in mare projectæ, vel litus ejectæ, vel res ex curru, aut alias perditæ, non habentur pro derelictis, sed manent priorum dominorum: unde si quis eas contrectet animo lucrum faciendi, furtum committit. §. *fin. h.t. can. 6. si quid invenisti 14. q. 5.* Quare in tali casu inventor tenetur indagare dominum rei inventæ: si vero post diligentem inquisitionem v.g. per publicam proclamationem, aut schedam in loco publico affixam, dominum reperire non potest, tutius quidem est rem inventam in pias causas distrahere, ut eo, quo fieri potest modo restitutio fiat domino; probabile tamen est ex tacita voluntate hominum, quod inventor, maxime si pauper sit, rem istam sibi retinere possit; nisi esset res sacra, ut calix, quam tenetur Prælato ecclesiastico consignare, ut usui sacro applicetur.

60. Hactenus enumerati sunt modi, quibus connaturaliter, seu de Jure naturali, hoc est gentium, rerum dominia acquiruntur: de modis vero, quibus civiliter, seu de Jure civili dominia rerum quæruntur, hic non agit Imp. sed infra a *tit. 6.* suntque seq. *Usucapio, donatio, jus accrescendi, consolidatio, consumptio, hæreditatis ex testamento*, vel *ab intestato aditio, legatum, arrogatio, bonorum addictio libertatis causa, societas omnium bonorum, adjudicatio*: præter quos hodierni mores, præsertim apud Magnates, plures alios modos acquirendi dominia induxerunt. De his suo loco etiam in Jure Can. dicetur. Nunc præsentem titulum com-

compleamus necessaria doctrina de possessione, quia etiam in Pandectis post *tit. de acq. rer. dominio* sequitur titulus: *de acq. vel amittenda possessione.*

§. IV.

Ad tit. ff. De acquirenda, vel amittenda Possessione.

61. *Nota* possessionem grammatice derivari a *posse sedere;* juridice vero a *pedum quasi positione l. 1. ff. h. t.* eamque in præsenti non accipi pro usucapione, vel proprietate, vel objective pro rebus possessis, sed proprie pro actu, & jure possidendi; de quo, uti etiam de definitione, & divisione (in quibus assignandis tot sententiæ, quot capita) possessionis, aliqua dixi in Jure Can. *lib. 2. tit. 12.* hic propter integritatem doctrinæ, breviter repetam necessaria.

62. Q. I. *Quid sit possessio facti?* R. est *detentio rei corporalis, corporis, animi, & Juris adminiculo.* Dicitur 1. *detentio*, quia dum res primo apprehenditur, acquiritur possessio, & dum tenetur apprehensa, possessio continuatur; atque ita est *factum*, seu *actus*, quo res tenetur. *Dicitur 2. rei corporalis*, quia res incorporales dicuntur in Jure *quasi-possideri. l. 3. pr. ff. h. t. c. 3. de caus. possess.* licet etiam incorporalia dicantur quandoque possideri, sicut jus patronatus *cap. 19. de jure patronat. Dicitur 3. Corporis, animi, juris adminiculo*, quia tria hæc requiruntur ad omnem possessionem; scilicet ut res corporaliter apprehendatur vere, vel ficte; ut apprehendatur cum animo, seu intentione detinendi rem, ut nostram; ut Jus apprehendenti non resistat, inhabilitando illum ad possidendum; sicut laicus incapax est possidendi spiritualia. Non tamen requiritur, ut Jus positive approbet possessionem; quia etiam fur, & quiscumque malæ fidei possessor dicitur possidere. At si possessio subnixa sit justo titulo, dicitur possessio juris, quæ est *jus insistendi rei, tanquam suæ, non prohibitæ possideri.*

63. Q. II. *Quotuplex sit possessio?* R. 1. *Unum genus est possidendi, species infinitæ l. 3. §. 21. ff. h. t.* quibus verbis Jurisconsultus indicat possessionem penes rationem formalem non dividi, sed tantum plures habere species, seu ut Philosophi loquuntur, plura individua. Quidquid sit de hoc, saltem penes accidentia, & rationem materialem varie dividitur possessio. Hinc

64. R. 2. Possessio dividitur: 1. in tot genera, quot sunt causæ acquirendi dominium; ut pro emptore, pro donato, pro legato, pro dote, pro hærede, pro noxæ dedito, pro *suo* specifice; seu omnibus illis modis, quibus rem nobis acquirimus; ut occupatione, accessione, sicut priori §. dictum. *l. 3. §. 21. ff. h. t.* 2. In *justam*, quæ legitimo titulo, & *injustam*, quæ vitioso titulo acquiritur. 3. In *bonæ*, & *malæ fidei. Possessio bonæ fidei* est, dum quis prudenter existimat rem, quam apprehendit, suam esse. *Possessio malæ fidei* est, dum quis prudenter existimat rem apprehensam non esse suam. Jam formaliter loquendo omnis possessio bonæ fidei est justa, & malæ fidei injusta: at quo ad materiale justum, & injustum est discrimen; nam potest dari possessio bonæ fidei materialiter injusta; ut si quis bona fide detineat rem alienam, quam putat esse suam, & e contra possessio malæ fidei materialiter justa; ut si quis suam rem detineat, quam putat esse alienam. 4. In vacuam, quæ actu a nemine tenetur. *l. fin. C. unde vi & non vacuam*, quæ ab aliquo tenetur. 5. In *plenam*, dum res quo ad omnia jura tenetur, & *non plenam*, dum res quo ad aliquid jus tenetur; ut quo ad proprietatem, non vero quo ad utile dominium 6. In *pacificam*, dum res tenetur nomine contradicente; licet deinde lis futuro tempore moveatur; & *non pacificam*, cui ab initio, seu in continenti lis movetur. 7. In eam, quæ habet *plus juris, quam facti;* seu in qua plus Jus operatur, quam nostrum factum; ut si ignorantes possideamus per servum, aut filiumf. & in eam, quæ habet *plus, facti, quam juris*, in qua plus operatur nostrum factum, quam Juris dispositio; ut possidere per occupationem, sicut in prima rerum divisione. Item possidere prælaturam, vel quid aliud cum dubio Juris, aut titulo colorato. Denique in eam, quæ habet *multum Juris*, & *multum facti*, in qua & Jus, & nostrum factum multum operatur; ut possessio per procuratorem vel servum quæsita extrapeculiariter, quæ nobis, nisi scientibus, & volentibus, non prodest ad usucapionem. *l. 2. ff. pro soluto.*

65. R. 3. Possessio celebri, & adæquata divisione dividitur in *naturalem*, & *civilem*, quam varii varie explicant, ut in meis Dispp. Jurid. *Disp. 6. Controv. 2. Possessio civilis* est detentio rei jure consistens, seu animo sibi illam habendi quo ad jus quodcumque, sive proprietatis, sive dominii utilis, sive ususfructus, sive pignoris &c. *Possessio naturalis* est detentio rei nullo jure, sed solo corpore consistens. Ita clare deducitur ex *l. 10. C. de acq. possess.* ubi Constantinus ita rescribit: *nemo ambigit possessionis duplicem esse rationem: aliam, quæ jure consistit, aliam, quæ corpore.* Illam vocamus *civilem*, istam *naturalem* ex *l. 1. §. 9. ff. de vi arm.* ut non sint audiendi, qui sine ullo Juris fundamento tertiam ex utraque *mixtam* confingunt. Dominus directus civiliter possidet prædium quo ad jus proprietatis; vasallus idem prædium civiliter possidet, sed quo ad diversum jus dominii utilis, quia utriusque possessio jure consistit; ergo utraque est civilis; e contra vasallus idem prædium naturaliter possidet quo ad proprietatem; quia non jure, seu nomine suo, sed corpore, seu nomine domini directi eam possidet: atque ita non sequitur quod duo eamdem rem secundum idem jus in solidum possideant. Porro possessio naturalis aliquando est justa, & bonæ fidei; ut patet in exemplo allato: aliquando est injusta, & malæ fidei; ut si fur, vel prædo rem possideat. Ex hac doctrina conciliantur plurima Jura ad speciem contraria, quibus usufructuarius, creditor, pignoratarius, vasallus, emphyteuta, superficiarius, precarista dicuntur alicubi possidere, alicubi non possidere: nam quo ad jus sibi proprium, v. g. quo ad jus usufructus, pignoris &c. vere civiliter possident; non tamen quo ad alia jura. Vide *cit. Controv. 2.* ubi plerique textus Juris examinantur.

66. Q. III. *Quomodo acquiratur possessio?* R. apprehensione rei *l. 1. pr. §. 1. ff. h. t.* sive apprehendamus per nos, sive per alium nostro nomine; dummodo intellectum habeat, seu animum possidendi; uti per servum, filium, procuratorem, tutorem, curatorem. *lib. 1. §. 2. & seqq. ff. hoc tit.* Apprehensio ista est duplex: *vera*, dum rem mobilem manibus, & immobilem pedibus apprehendimus: & hæc requiritur ad acquirendam possessionem rei communis in nullius dominio existentis *lib. 1. §. 1. ibid.* item ad capienda bona defuncti, quia non est dominus, a quo tradantur; & ad capienda deposita, quorum sine contrectatione non est furtum. *lib. 3. §. 18. ff. eod. Ficta*, quæ est actus corporalis ex fictione, seu dispositione Juris vim habens apprehensionis, fitque iisdem modis, quos supra num. 54. retuli; ut longa, & brevi manu, traditione clavium, instrumenti, investitura in feudo &c. signatione rei, appositione custodis, titulo constituti: & si quis alius modus ex consuetudine transfert possessionem, ut Scotatio. *cap. 2. de consuet.* His additur *tertius modus*, dum lex ipsa, seu consuetudo transfert possessionem absque ullo actu corporali; in quo differt ab apprehensione ficta, in qua intercedit actus corporalis æquivalens apprehensioni; ut traditio clavium &c. Sic apud plures nationes possessio majoratus, quæ apud defunctum fuit, solo beneficio legis transfertur in filium, vel proximum agnatum. Modus iste videtur Juri Rom. incognitus; umbra tamen ejus conspicitur in *lib. 54. C. de Episc. & Cler. c. 3. de caus. poss. c. 9. de dolo*, soletque vocari possessio *civilissima.*

67. R. 2. Præter apprehensionem requiritur ad possessionem *animus* detinendi rem ut suam, & capacitas possidendi, seu juris admiculum, ut dictum n. 62. & constat ex *lib. 3. §. 1. ff. de acq. possess.* ibi: *adiscimur* (vel adipiscimur) *possessionem corpore, & animo: neque per se animo, neque per se corpore:* non *animo solo*, alias quidquid vellemus, possideremus; nec *corpore solo*, alias quidquid manibus contrectamus, vel pedibus calcamus, possidere diceremur; ergo.

68. Q. IV. *Qui sint effectus acquisitæ possessionis?* R. præcipui seqq. 1. Possessor onus probandi proprietatem transfert in adversarium. *l. 14. ff. & l. 2. C. de probat.* nam possessio parit præsumptionem dominii pro possessore. 2. Possessor defenditur in sua possessione, ejusque conditio est melior, quam non possi-

dentis. *l.* 1. *ff. uti possid. reg.* 65. *in* 6. 3. Possessio bonæ fidei est modus acquirendi dominium fructuum ex re possessa perceptorum, ut mox dicam. 4. Possessio bonæ fidei affert conditionem usucapiendi rem possessam, si legitimo tempore continuetur *tit. de usucap.*

69. ℟. 2. Possessor bonæ fidei facit fructus mere industriales omnes suos: cum hi ex industria illius proveniant; ut si quid lucretur negotiando cum vino, frumento &c. 2. Fructus industriales provenientes ex corpore, seu mixtos, in quibus requiritur opera hominis; uti sunt segetes ex seminato frumento natæ; item fructus mere naturales, quos natura producit fere absque ulla opera hominis; uti sunt poma, fœnum, fœtus animalium &c. facit suos *interim*, & conditionate, si res evicta non fuerit. *lib.* 48. *princip. ff. de Acquir. rer. Domin.* ubi ratio additur: quia possessor bonæ fidei *quod ad fructus attinet, loco domini pene est*. Plura de his vide in Jur. Can. *lib.* 2. *tit.* 12. & in meis Dispp. Jurid. *Disp.* 6. *Controv.* 6. *cum seqq.*

70. Q. V. *Quo modo amittatur possessio rerum corporalium?* ℟. 1. Non tantum corpore, & animo simul, sed etiam solo animo. Ita *l.* 3. §. 6. *ff. h. tit.* ibi: *itaque si in fundo sis, & tamen nolis eum possidere, protinus amittes possessionem: igitur amitti & animo solo potest, quamvis acquiri non potest*. Idem habetur *l.* 17. §. *un. ff. eod.* Quibus, uti & sibi isti contrariatur Ulp. *l.* 8. *ff. eod.* sed commoda conciliatio datur; quod, si amissio possessionis incipiat ab animo, hæc amittatur solo animo; quia minus requiritur ad destructionem, quam acquisitionem rei; si vero incipiat a corpore, tunc corpore, & animo simul amittatur. *Dices: dominium ejus manet, qui dominus esse non vult. cit. l.* 17. ergo & possessio manet ejus, qui non vult esse possessor. ℟. Neg. conseq. ex eadem *leg.* quia dominium sine facto nostro non amittitur; si quidem traditionibus, & usucapionibus, non nudis pactis dominia transferuntur *lib.* 20. *Cod. de pactu.* licet etiam nuda voluntate dominium amitti possit, si dominus velit rem haberi pro derelicta §. 47. *de rer. divis.* e contra possessio, utpote minus firma corruit, si animus possidendi desit.

71. ℟. 2. Possessio corporalium amittitur omnibus illis modis, quibus res ab uno ad alterum transfertur; cum duo in solidum possidere nequeant. Et quidem in specie rerum mobilium, & semoventium amittitur possessio, dum ex potestate, & custodia nostra evadunt, ut adhibita sufficienti diligentia reperiri nequeant; ut si anulus perdatur, animalia fugam capiant, vel si fur aliquid surripiat, vel depositarius rem depositam contrectet ut suam, eam loco movendo &c. At dominium talium rerum non amittitur, nisi animalia fera se recipiant in naturalem libertatem, ut supra dictum. Servus autem profuguus tamdiu manet sub nostra potestate, quamdiu ab alio non occupatur. *lib.* 1. §. 14. *lib.* 3. 15. 35. 47. *ff. hoc tit.* ubi plura exempla reperies. 2. Possessio rerum immobilium tunc amittitur injusta occupatione, dum possessor vi dejicitur, vel si prædo clam ingressus est possessionem, ei non resistit; vel si resistat, attamen repellatur ab invasore. *lib.* 3. §. 8. 9. *ff. h. tit.* Item inundatione fluminis, aut maris. *lib.* 3. §. 17. *eod.* cui non obstat *l.* 3. §. 30. *eod.* nam legitur affirmative in plerisque exemplaribus: *possidere nos desinimus*: vel procedit de modica inundatione, quæ cito transit. In hoc tamen casu, si inundatio non sit perpetua, nec speciem agri mutet, salvum manet dominium fundi *l.* 13. *pr. eod.* Varios de hac possessionis materia casus vide in hoc *tit. ff.* & *Cod. de acq. possess.* & in Jure Can. *lib.* 2. *tit.* 12.

TITULUS II.

De Rebus corporalibus, & incorporalibus.

1. AGitur de hac materia in Pandectis *libr.* 1. *tit.* 8. & affertur hic alia rerum divisio: in *corporales*, quæ tangi possunt, seu sensu corporali percipi; ut fundus, homo; & *incorporales*, quæ tangi non possunt, sed solo intellectu percipi, & plerumque in jure consistunt; uti sunt *hæreditas* accepta pro jure successionis, ususfructus, usus, obligationes, servitutes, seu jura prædiorum, possessio tam ut est juris, quam facti, & plurima alia jura; ut jus venandi, piscandi; & in spiritualibus jus officii, beneficii ecclesiastici, prælaturæ &c. Ita Imp. *h. t.* ubi aliqua, sed non omnia exempla, quæ innumera sunt, recenset. Multum autem interest has Jurium fictiones nosse: sic enim jus obligationis ad tradendam, vel condicendam pecuniam aliud est ab ipsa pecunia, jus venandi aliud a feris, jus hæreditatis, aliud a rebus hæreditariis; & ideo qui vendit jus hæreditatis, non tenetur de evictione rerum singularum; secus si vendat res singulares hæreditarias *l.* 1. *C. de eviction.*

2. Q. I. *Quomodo acquiratur proprietas rerum incorporalium?* ℟. 1. Jura personalia, seu *ad rem*, acquiruntur ex contractibus, vel quasi-contractibus, ex delictis, vel quasi-delictis; seu omnibus illis modis, quibus alterius persona nobis obligatur; uti sunt mutuum, commodatum, tutela, furtum, imperitia Judicis male judicantis, sponsalia, electio ad prælaturam &c.

3. ℟. 2. Jura realia, seu in re acquiruntur aliquo actu, qui vim habet traditionis; modo adsit justus titulus, capacitas in subjecto, & potestas in tradente, seu conferente jus reale. In specie Jura realia acquiri possunt emptione, donatione, permutatione, pro dote, legato, vel alia ultima voluntate, concessione, aut institutione Principis, vel alterius Superioris; qualiter officiales publici acquirunt jus jurisdictionis, & Magistratus &c. In spiritualibus jus reale conjugale acquiritur per matrimonium, jus Episcopatus, vel prælaturæ per confirmationem Superioris, jus Parochiæ, vel alterius beneficii per collationem liberam, vel institutionem canonicam, jus vivendi in statu regulari per professionem religiosam &c. Item acquisito principali, acquiruntur jura accessorie ei connexa; ut jus præsentandi annexum castro, jus eligendi annexum officio. Amittuntur autem jura ista contrario modo: & quidem si privata sunt, translatione ad alterum; si publica, renunciatione, aut privatione ob delictum, ut suis locis dicetur.

4. Q. II. *Quomodo acquiratur quasi possessio jurium, seu rerum incorporalium?* ℟. 1. Si jura inhærent rei corporali, acquisita hujus possessione, etiam acquiritur quasi-possessio jurium ei cohærentium; cum connexorum eadem sit ratio *c.* 3. *de constitut.* Unde possessor castri est etiam quasi-possessor jurisdictionis, juris patronatus, juris venandi, & aliorum jurium castro cohærentium. Sic per *l.* 3. *ff. de usufr.* legatarius ab hærede introductus in fundum, cui cohæret ususfructus, censetur usumfructum accepisse.

5. ℟. 2. Si jura nulli corpori inhæreant, eorum quasi-possessio acquiritur usu, & exercitio talium jurium, sciente, & non contradicente eo, cujus est actum concedere, vel negare; modo adsit animus acquirendi possessionem: nam jura incorporalia non possunt vere apprehendi, & tradi *l.* 43. §. 1. *ff. de Acq. Rer. Dom.* sed ipse usus juris, sciente, & non contradicente domino exercitus, vim habet apprehensionis, seu traditionis possessionis *l. fin. ff. de Servitut.* ergo. Quod si jus negativum, seu servitus negativa acquirenda sit, requiritur, ut eam acquirere volens contradicat alteri volenti jus suum exercere, & is acquiescat, v. gr. ne ædes suas altius tollat, ne in suo fundo venetur &c. Quot autem actus requirantur ad acquirendam quasi-possessionem Jurium, id Jure definitum non est, sed ex qualitate Juris, aliisque circumstantiis desumi debet.

6. ℟. 3. Ad acquirendam quasi-possessionem servitutis negativæ, seu juris negativi, sufficit unicus actus prohibitorius cum patientia adversarii, qui desistens a juris usu, hoc ipso fatetur tale jus alteri competere. Sic acquiruntur jura activa negativa v. g. ne alter altius ædificet, ne venetur in suo, ne Regulares certa hora concionentur, campanas pulsent, Divina celebrent &c. in quibus vigilem esse oportet, ne quis ad nudam alterius contradictionem desistat ab usu juris proprii; & ita sensim eo spolietur. 2. Ut acquiratur quasi-possessio juris affirmativi in illa materia, in qua actus concedi non solet absque expressa protestatione, sufficit unus actus juris v. gr. semel eligere, vel suffragari in capitulo, semel præsentare, semel visitare canonice. *lib.* 1. §. 21. *ff. de aqua quotid. cap.* 3. *de*

cauf. poss. c. 5. de Præb. in 6. ubi per unicam promotionem Clerici sæcularis, ex beneficio regulari factum est sæculare. 3. Ut acquiratur quasi-possessio Jurium in illa materia, in qua actus quandoque, raro tamen concedi solet ex gratia, & amicitia, non sufficit unus actus, sed plures arbitrio Judicis sunt necessarii; ita ut censeantur jure proprio exerciti. *l. 1. §. hoc interdicto. ff. de itinere, actuque privat.* Sic acquiritur jus eundi in fundum alterius, ibi ludendi, aucupium exercendi, pomum decerpendi, cœnandi &c. 4. In illa materia, in qua semper, vel saltem frequenter actus concedi solet ex amicitia, & gratia, nec plurimi actus sufficiunt ad acquirendam quasi-possessionem juris: quia tales actus sunt meræ facultatis, & voluntarii, seu gratiosi, non vero obligatorii. Unde si plurimis vicibus inviteris, & admittaris ad mensam magni domini, per hoc non acquires jus comedendi ad ejus mensam. Excipe, nisi aliud ex circumstantiis colligatur; ut si Episcopus a monasterio libero ratione visitationis exigat procurationes. *c. 14. de Censibus*, Ceterum ut scientia, & patientia domini probari possit, non est opus, ut illo personaliter præsente actus fiant, sed sufficit, quod res nota sit in vicinia, & dominus contra non reclamet, vel si reclamat, tamen alteri instanti non resistat. *argum. c. 8. de præsumpt.* nam non reclamans, vel a reclamatione desistens, censetur adversario consentire. *Excipe*, nisi quis contradictione sua efficaciter nequeat potenti adversario resistere: tunc enim patiendo non sibi præjudicat, quia *culpa caret, qui scit, sed prohibere non potest. lib. culpa caret, ff. de R. J.*

7. Q. III. *An quasi-possessio jurium acquiri possit mala fide?* R. affirmative: nam sicut corporalium, ita & incorporalium possessio alia est bonæ, alia malæ fidei; ut si quis dolose usurpet jus ususfructus, jurisdictionis, parochiæ &c. At bona fides requiritur: 1. ad valide exercendum jus v. gr. eligendi, præsentandi, instituendi &c. *c. 19. de Jurepatr.* ubi pacifica possessio includit bonam fidem. 2. Ad agendum interdicto; alias probata mala fide repellitur quis ab agendo. *l. 1. ff. de aqua quotid.* 3. Ad fructus faciendos suos, quia malæ fidei possessor nullum fructum facit suum *§. 35. de Rer. Dom. l. 22. C. de Rer. Us.*

8. Q. IV. *Quomodo amittatur quasi-possessio jurium?* R. 1. Nobis volentibus amittuntur cessione castri, aut dignitatis, cui jura annexa sunt; vel aliis modis translativis, uti & non usu; aut privatione nobis etiam nolentibus; ut si Clericus privetur beneficio. 2. Si quis ex timore, & pusillanimitate non prohibeat alterum ab usurpatione juris, quia censetur animum possidendi deseruisse: secus est, si contradicat, & protestetur se non velle possessionem juris amittere. *arg. can. 4. Pontifices. 7. q. 1. Dices:* Resistentia, & protestatio non sufficit ad retinendam possessionem corporalium *l. 25. §. fin. ff. de acq. poss.* ergo nec incorporalium. Nego conseq. nam incorporalia tenacius inhærent, & difficilius perduntur: e contra corporalia difficilius construuntur, sed facilius destruuntur. *c. 2. de translat. Episc.*

9. Q. V. *Quæ sint aliæ divisiones rerum?* R. 1. In *immobiles* soli, & *mobiles*, vel se moventes, quæ de loco ad locum moveri possunt *l. 93. ff. de V. S.* ex quibus aliquæ sunt *pretiosæ*, quæ servando servari possunt; ut vasa aurea, aliquæ *fungibiles*, quæ usu consumuntur; ut frumentum, vinum. *Jura, nomina*, & *actiones* sequuntur conditionem rei, circa quam versantur, atque ita annumerantur immobilibus, si circa immobilia, & mobilibus, si circa mobilia versentur. *l. 7. §. in peculio ff. de peculio.* Unde institutus hæres in mobilibus, habet jura mobilium, & in immobilibus habet jura immobilium.

10. R. 2. Pecunia numerata accensetur mobilibus. Ita com. contra Jason. ex *l. 95. ff. de leg. 3. Nov. 22. cap. 45. §. si vero universa* &c. nam pecunia pro commerciis instituta de manu in manum movetur. Nec obstat *l. 79. §. 1. ff. de legat. 3.* nam in priori membro pecunia non accensetur mobilibus legatis, quia fœnori destinata fingitur non existere in domo testatoris. 2. Pecunia ex venditione; immobilium redacta habetur pro re mobili; cum aliud sit pecunia, aliud res ipsa *lib. 82. ff. de Verb. Sign. lib. 28. ff. de novat.* Nec obstat *lib. 21. ff. de petit. hæred.* ubi dicitur *pretium succedere in locum rei*: nam id plerumque verificatur in judicio universali, & actione *quod metus causa. l. 18. ff. quod met. caus.* fallit autem in judiciis singularibus: sic enim pretium ex re furtiva comparatum, furtivum non est. *l. 48. §. fin. ff. de furt.* pecunia ex pignore distracto quæsita, non est pignus. *l. 7. §. un. ff. qui potior. in pignor.* res ab altero empta ex mea pecunia, non tamen meo nomine, mea non est. *l. 6. C. de Rer. Verb.* 3. Similiter pecunia destinata ad emptionem prædii, est res mobilis: nam destinatio ista non mutat naturam pecuniæ. Sic lignum destinatum ad carbones coquendos, non venit appellatione carbonum *l. 55. §. 7. ff. de legat. 3.* & pecunia destinata ad emendam mercem in societatem, non censetur communis sociorum. *lib. 58. §. 1. ff. pro Socio.* Oppositum probabiliter tenet Glstle. 4. Jus annuorum reddituum accensetur immobilibus: nam stabile est, ipsique redditus plerumque ex re immobili solvuntur.

Connexio Præcedentium, & Consequentium.

Actum est de divisione, acquisitione, & amissione rerum corporalium, & incorporalium in genere; nunc Imp. speciatim tractabit de incorporalibus; uti sunt servitutes, ususfructus, usus, habitatio; & licet in Pandectis prius agatur de usufructu, tanquam nobiliore specie servitutis; hic tamen agitur prius de servitutibus prædialibus, tanquam firmioribus, & diuturnioribus.

TITULUS III.

De Servitutibus Prædiorum.

Agitur de hac materia in Pandectis *lib. 8. per tot.* In Codice *lib. 3. tit. 34.*

1. *Nota* 1. *Servitutem* hic non accipi pro *conditione status*, sicut *tit. de jure person.* sed pro jure reali in re aliena; quo sensu *servitus* est jus reale aliquid habendi in re aliena, hujus dominium minuens, & tale jus habenti utilitatem afferens. Ita in re com. nam servitus duo importat: *gravamen rei alienæ*, impediendo ejus usum liberum, & commodum respectu habentis servitutem in re aliena; & ideo admittens ædibus suis servitutem, jus suum diminuit, alterius auxit. *l. 5. §. 9. ff. de Nov. Oper. Nunc.* In eo, cui debetur, dicitur *servitus activa* mox definita; in eo vero, a quo debetur, dicitur *servitus passiva*, seu subjectio rei propriæ ad commodum alterius.

2. *Nota* 2. Servitutem dividi: 1. In *personalem*, quæ a re debetur personæ; uti ususfructus, usus, habitatio: & *realem*, seu *prædialem*, quæ a re debetur rei, seu prædio alieno. *Mixta* ex utraque frustra, & sine fundamento fingitur: nam divisio ista spectatur ex termino *cui*, qui vel est persona, vel prædium. Dicitur autem *personalis*, non quasi esset *jus personale*, cum omnis servitus sit *jus reale*; sed quia cohæret ossibus personæ, & cum persona extinguitur; uti ususfructus, de quo *seq. tit. 2.* Prædialis subdividitur in *urbanam*, quæ debetur prædio urbano, & *rusticam*, quæ debetur prædio rustico; sive deinde debeatur a prædio urbano, sive rustico, cum in hac divisione non attendatur terminus, seu prædium, *a quo*, sed terminus, seu prædium *cui*. Prædium *urbanum* est, quod ordinatur ad usum urbanum, seu propter homines, v. gr. ad habitationem, negotiationem, recreationem, sive situm sit in civitate, sive ruri. *Rusticum* est, quod ordinatur ad usus rusticos; ut agri, vineæ, prata, stabula, horrea, sive situm sit ruri, sive in civitate; cum denominatio ista non desumatur a loco, sed a fine, seu usu, ad quem prædia ordinantur. *lib. 166. & 198. ff. de Verb. Sign.* Unde hortus recreationis causa constitutus ruri, *urbanus* est: si vero sit in redditu, ut uvas, olivas, vel alios fructus ferendo, est rusticus. *ibid.* Similiter stabula, si ordinantur ad continenda pecora, sunt prædium rusticum; si vero sint meritoria, vel concessa ad habitationem pauperum, fiunt prædium urbanum. *ibid.* Porro illud prædium, cui ab altero debetur servitus, vocatur *dominans*: illud vero, quod patitur, & debet alteri servitutem, dicitur *serviens*. Ex is patet quod servitutes ex natura sua nec sint *urbanæ*, nec *rusticæ*, sed hanc denomi-

nominationem accipiant à prædio dominante; ita ut ab urbano dicantur *urbanæ*, a rustico *rusticæ*. 3. Dividitur servitus in *positivam*, seu *affirmativam*, vi cujus aliquid fieri exigitur; ut iter, via, servitus oneris ferendi &c. & *Negativam*, vi cujus aliquid fieri prohibetur; ut altius non tollere ædes, non officere luminibus &c. 4. In *continuam*, quæ fere sine interruptione currit; ut aquæductus: & *quasi-continuam*, ut stillicidium; & *discontinuam*, quæ actus interruptos habet; ut iter, via, aquæ haustus &c.

3. Q. I. *Quis promittere, & constituere possit servitutem*? R. ille solus, qui pleno jure est dominus prædii, liberam habens facultatem alienandi: nam fundum subjicere servituti est diminuere ejus dominium, & alienare, quod non conceditur, nisi domino pleno. *Promissio* servitutis parit jus ad rem, seu obligationem personalem; *constitutio* vero jus in re, seu actionem realem confessoriam, aut negatoriam. Unde constituere servitutem nequeunt: 1. *Fructuarius*, imo nec proprietarius, si per hoc ususfructus redderetur deterior. *l.* 15. §. *fin. ff. de usufr.* 2. *Superficiarius*, licet conventionem ab eo initam Prætor tueatur. *lib.* 1. §. *fin. ff. de superficieb.* 3. Socius in fundo communi *l.* 2. *ff. h. t.* quo casu potior est conditio prohibentis *l.* 27. *ff. de Ser. Præd. Urb.* 4. Tutor, vel curator in fundo pupillari sine decreto Judicis *l.* 3. §. 5. *ff. de rebus Minor.* & Prælatus in fundo Ecclesiæ *l.* 14. *C. de SS. Eccl. c.* 5. *de reb. Eccl.* 5. Maritus in re dotali. *l.* 5. *ff. de fundo dotal.* 6. Vassallus, & emphyteuta, cum jure dominorum censeantur, servitutem quidem fundo imponere possunt; sed illorum jure resoluto, pariter servitus resolvitur. *l.* 12. *C. de fundis patrimon.* quia resoluto jure dantis, resolvitur quoque jus accipientis. *l.* 31. *ff. de pignor.* 2. *F. tit.* 8.

4. Q. II. *Quis acquirere possit servitutem*? R. quicumque jurium acquirendorum capax. Servitutem autem prædialem non acquirit alius nisi dominus prædii vicini, sive per se, sive per alienam personam connexam; ut per servum, fructuarium, vassallum, emphyteutam: *l.* 12. *ff. h. t. l.* 15. §. *fin. ff. de usufr.* nam per hoc conditio prædii, cui servitus inhæret, redditur melior. Sufficit autem prædium futurum, cui acquiratur servitus. *l.* 23. *ff. de Ser. Præd. Urb.* Servitus quoque, quæ regulariter est prædialis, tanquam personalis relinqui potest non habenti prædium; ut servitus aquam ducendi, pecus pascendi. *lib.* 4. 6. *pr. ff. de Servit. Præd. Rust.*

5. Q. III. *Quo modo constituatur, & acquiratur servitus*? R. 1. *Actu inter vivos* per stipulationem, vel aliam conventionem; quo casu necessaria est traditio, cujus vicem subit in servitute affirmativa usus unius, & patientia alterius; in negativa omissio actus liberi in fundo *arg. l. fin. ff. h. t.* 2. Ultima voluntate. §. 4. *h. t.* quo casu servitus legata, ipso jure transit ad legatarium, ut statim actione reali experiri possit. *l.* 80. *ff. de legat.* 2. 3. *Lege*, vel *statuto*, qualiter Princeps prohibere potest civibus, ne ædes altius tollant. 4. *Usucapione* decennii inter præsentes, & vicennii inter absentes. *l. ult. in fin. C. de præscr. long. temp.* ubi sublata est Lex Scribonia prohibens usucapionem servitutum. Nec obstat *l.* 3. *C. de præscr.* 30. ubi jura dicuntur præscribi spatio 30. vel 40. annor.: nam id procedit de juribus per se stantibus; non vero de servitutibus, quæ tanquam accessoria sequuntur naturam fundi immobilis, decennio, vel vicennio præscribibilis. An vero ad hanc præscriptionem, præter bonam fidem, requiratur justus titulus positivus, an sufficiat negativus, seu patientia domini contradicentis, dicam *lib.* 2. *Decretal. tit.* 26.

6. R. 2. Servitutes prædiales debent constitui pure, non ex tempore, vel ad tempus, non sub conditione, sive extinctiva, sive inchoativa, ut vult Accurs. non in opere temporario, & defectibili manufacto v. g. in castello, seu receptaculo, in quod rotis, & organis hydraulicis aquæ trahuntur. Ita *l.* 4. *ff. h. t. l.* 28. *ff. de Ser. Præd. Urb.* ubi Juris Consultus subdit, quod *omnes servitutes prædiorum perpetuas causas habere debeant*. scil. habitudine, & ex natura sua: nam servitus, tanquam affectio sequitur naturam fundi, seu prædii; sed hæc ex natura sua sunt perpetua: neque enim in rerum natura existere possunt ex tempore, vel ad tempus, vel sub conditione: ergo etiam servitutes ex natura sua sunt perpetuæ. Interim tales conventiones circa servitutem ex tempore, ad tempus, sub conditione, vel in re non perpetua observandæ sunt, easque Prætor tuetur *cit. l.* 4. *ff. h. t. l.* 2. *ff. communia prædior. Dices*; dominium acquiri potest sub conditione, saltem inchoativa *l.* 38. §. 1. *ff. de acquir. poss.* ergo & servitus. 2. Promissio servitutis fieri potest sub conditione, vel ex tempore certo; ergo & constitutio, ut indicatur *l.* 3. *de precar.* R. *ad* 1. Neg. conseq. nam dominium, & alia similia jura per se stant, neque sunt affectiones rebus ipsis inhærentes, sicut servitutes prædiales, quæ finguntur prædiis inhærere, & eorum naturam induere. *Ad* 2. Neg. conseq. nam promissio non afficit fundum, sicut servitus constituta, sed tantum personam obligat. *lib.* 98. *ff. de Verb. Oblig.* in *cit. lib.* 3. non agitur de servitute constituta, sed de facultate personali eundi, & ambulandi.

7. Q. IV. *Quæ sint servitutes rusticæ*? R. 1. *Iter*, seu jus eundi pedibus, equo, sella, aut lectica. *lib.* 1. *ff. de Servitutibus Præd. Rustic.* non tamen jumentum ducendi. 2. *Actus*, seu jus agendi jumentum, aut vehiculum. *ibid.* atque ita actus materialiter includit iter. 3. *Via*, seu jus eundi, agendi, & ambulandi. *ibid.* atque ita via includit iter, & actum. 4. Aquæductus, seu jus aquam ducendi per fundum alienum. *citat. lib.* 1. puta per canales, rivos aut fistulas ex fonte, aut castello, seu dividiculo, ubi aquæ dividuntur in usus prædiorum. *lib.* 19. *ff. de Ser. Præd. Urb.* His adduntur *aquæ haustus*, seu jus aquam hauriendi ex fonte alieno, jus adaquandi pecoris, jus pascendi, calcis coquendæ, arenæ fodiendæ, cretæ eximendæ &c. *cit. lib.* 1. & §. 2. *h. t.* Ceterum, ut dixi, servitutes istæ non sunt ex natura sua *rusticæ*, sed fieri possunt *urbanæ*, si debeantur prædio urbano; imo & personales, si debeantur personæ, & non prædio.

8. R. 2. Si servitus v. g. viæ non sit determinata a constituente, ejus determinatio pertinet ad cessionarium, cui debetur. *l.* 9. *ff. h. t.* nam licet in contractibus regulariter electio sit debitoris, hic tamen specialiter attribuitur creditori, seu cessionario: quia contra eum, qui legem dicere potuit clarius, interpretatio est facienda *l.* 39. *ff. de pact.* Semel autem electione facta non licet variare *citat. lib.* 9. neque etiam licet pro placito viam determinare, sed *civiliter*, seu cum minimo detrimento fundi; alioquin, si creditor minus civilem modum elegit, arbiter est adhibendus. *l.* 13. §. 1. 2. *ff. de Servitutibus Præd. Rustic.* 2. Similiter si servitus legata sit per vindicationem, electio est legatarii; quia testator verba ad illum dirigendo, censetur ei reliquisse optionem *arg. l.* 19. *ff. de legat.* 2. At si servitus legata sit per damnationem, seu simpliciter, determinatio pertinet ad hæredem, pariter civili modo facienda absque incommodo legatarii. *l.* 26. *ff. de Ser. Præd. Rust.*

9. R. 3. Habens iter, vel actum, non potest rectam hastam ferre; quia hæc non est necessaria ad eundum, vel agendum. At si viam habeat, utpote ampliorem, etiam cœlum versus, rectam hastam ferre potest; caute tamen, ne hasta ad latus mota fructus lædat. *l.* 7. *ff. de Ser. Præd. Rust.* Alii nomine *hastæ* intelligunt peditatum, seu exercitum, qui per viam duci possit. Mynsing. Schneidev. Varios casus de servitutibus rusticis vide *tit. ff. de servit. prædior. rustic.*

10. Q. V. *Quæ sint servitutes urbanæ*? R. Servitus *oneris ferendi*, vi cujus paries, aut columna vicini tenetur onus nostrarum ædium sustentare; ita ut dominus columnam suam reficere debeat, quatenus sufficiat oneri ferendo. *l.* 1. 33. *ff. de Ser. Præd. Urb.* 2. *Tigni immittendi* ex ædibus nostris in ædes vicini, ut ibi quiescat. *l.* 2. *ff. eod.* Hic nomine *tigni* venit illa res, quæ apta est ad *immissionem*, ut in alieno quiescat, ad *projectionem*, & *protectionem*, ut super alienum pendeat, non tamen in eo quiescat: cujusmodi sunt *maniana*, seu tabulata projecta, & *suggrunda*, seu *subgruenda*, a subgrediendo dicta, quia latenter e parietibus, & tectis progrediuntur. *l.* 20. *pr. ff. eod. l.* 242. §. 2. *ff. de Ver. Sign.* & *tit. ff. de damn. inf.* & *suggrund. & protectis*. 3. *Stillicidii recipiendi*, vi cujus vicinus cogitur in suam aream recipere aquam ex ædibus nostris guttatim cadentem; & *non recipiendi*, vi cujus vicinus aquam ex ædibus suis cadentem tene-

tur

tur nobis cedere v. g. ad implendam piscinam, cloacam eluendam &c. Est itaque servitus ista duplex; cui similis est servitus *avertendi*, & *non avertendi fluminis*. *l.* 1. *ff. de Ser. Præd. Urb.* 4. *Altius non tollendi* ædes, propter commodum nostrum, qua servitute sublata, cuilibet licitum est ædificare sursum usque ad cœlum, & deorsum usque ad infernum *l.* 9. *C. de servitut.* modo id non fiat ad æmulationem, seu ex malitia: ita ut nullum commodum sit ædificanti. *l.* 1. §. 12. & *pen. ff. de aqua pluv. arc.* quia malitiis non est indulgendum. *l.* 38. *ff. de Rer. Uf.* Huic contraria est servitus *altius tollendi ædes*, quæ potest esse utilis; ut si vicinus cogatur ædes tollere in commodum vicini v. g. ut ventus impediatur, vel lumen in officinis mercatorum *l.* 17. §. 2. *ff. de Ser. Præd. Urb.* 5. Servitus *luminum*, vi cujus vicinus tenetur pati fenestram in suo pariete apertam, per quam lumen descendat in ædes nostras; & ideo dicitur servitus *fenestræ*. *l.* 16. *eod.* In suo autem quisque fenestram aperire potest *l.* 8. §. 5. *ff. si servitus vind.* ibi: *in suo*, quamvis in civitatibus plerumque prohibeantur fenestræ prospectivæ in domum alienam *arg. l.* 12. §. 1. *C. de ædific. privat.* 6. *Ne luminibus officiatur*, vi cujus vicinus nec altius ædificare, nec aliud facere potest, quo cœleste lumen ædificii nostri minuatur. *l.* 4. *ff. de Servit. Præd. Urban.* 7. Servitus *prospectus*, seu *ne prospectui noceatur*, qua quis prohibeatur in parte superiori, vel inferiori ponere, quo liber prospectus impediatur ad mare, viridaria &c. Hæc servitus latius patet, quam prior, & ista latius, quam servitus altius non tollendi. His additur jus cloacæ, jus immittendi fumum ex taberna casearia *l.* 7. *ff. de Servit. Præd. Urban. cap.* 8. §. 5. *ff. si servitut. vindic.* & cetera similia jura.

11. Q. VI. *In quibus conveniant, & differant servitutes rusticæ, & urbanæ*? ℞. 1. conveniunt in seqq. Omnes sunt incorporales, prædiis inhærentes, causam perpetuam habentes, individuæ: cum v. g. pro parte non possis ire, & pro parte non ire, in commodum prædii dominantis, omnes fundant novi operis nunciationem, actionem confessoriam, & negatoriam, omnesque constitui possunt actu inter vivos, vel ultima voluntate, non tamen in locis sacris. Ita hæc, & plura alia inveniens *tit. ff. communia prædior. tum urban. quam rusticor.*

12. ℞. 2. Differunt notabiliter in seqq. 1. Urbana solo non usu non amittitur, sed contradictione, & patientia secuta; rustica vero solo non usu perditur. *l.* 6. *ff. de Ser. Præd. Urb. l.* 19. §. 1. *ff. quemad. Serv. amitt.* 2. In rusticis prædium medium liberum impedit servitutem *l.* 7. 31. *ff. de Serv. Præd. Rust.* non vero in urbanis; quia v. g. servitus *altius non tollendi* potest deberi a tertia, quarta domo, eritque tamdiu utilis, quamdiu intermediæ domus non tolluntur. *l.* 4. 5. *ff. si servit. vendic.* 3. Urbana prædia debent esse in conspectu, non vero rustica *l.* 38. *de Ser. Præd. Urb.* 4. Servitus urbana nequit pignorari, bene vero rustica *l.* 11. & 12. *ff. de pignorib.* sed probabilius neutra potest pignori dari: quia ejus causa non est perpetua, licet conventio talis sustineatur, ut commoditas pignori data prosit creditori *cit. l.* 12. cujus ratio æque procedit in servitute urbana, ac rustica.

13. Q. VII. *Quomodo servitus interrumpatur, seu impediatur*? ℞. 1. Rustica interrumpitur interpositione prædii liberi. *l.* 7. *in fin. ff. de Ser. Præd. Rust.* sic enim cessat servitus aquæ ducendæ ex prædio A ad prædium C, si mediet liberum prædium B per quod aqua duci deberet *arg. l.* 31. *eod.* Urbana vero servitus non aliter interrumpitur, quam si cesset ejus utilitas v. g. si intermedia libera domus impediat prospectum: tunc enim frustra esset servitus in domo remotiori. *l.* 4. *in fin.* & 5. *ff. si servitus vindic.* 2. Locus sacer, vel religiosus intermedius omnino impedit servitutem; cum per talia loca nulla servitus deberi possit. *l.* 14. §. *fin. ff. de servitutib.* 3. Servitus *itineris*, *actus*, & *altius non tollendi* non interrumpitur per locum publicum medium; bene vero quæ ducendæ, vel projecti, aut protecti, quo cœlum obscuraretur; nisi adsit licentia Principis *l.* 14. §. 2. *ff. de servit. l.* 1. *ff. de Ser. Præd. Urb.* Similiter flumen publicum, si vado transiri possit, aut pontem habeat, non interrumpit servitutem itineris; bene vero si pontonibus, seu navibus ad trajiciendos homines præparatis transiri debeat. *l. fin. ff. de Ser. Præd. Rust.* nam in priori casu usus servitutis est perpetuus, cum transitus medii loci semper sit paratus; secus in casu posteriori.

14. Q. VIII. *Quæ actiones pro servitutibus competant*? ℞. duæ actiones reales civiles: *confessoria*, qua actor dicit, seu confitetur sibi deberi servitutem in prædio alieno; & *negatoria*, qua actor negat prædium suum esse subjectum servituti alterius. *Directa* datur pro servitutibus; & quidem domino proprietatis; *utilis* vero pro aliis juribus: ut pro jure parochiæ, jurisdictionis, vel domino utili, ut vassallo, emphyteutæ pro servitutibus vindicandis. *l.* 2. *p.* §. 1. & *l.* 10. *ff. si servitus vindicet*, contra quemcumque, qui servitutem debitam subtrahit, aut impedit, vel indebitam prætendit. In hac utraque actione venit interesse, quantum interest v. g. iter non fuisse concessum, & cautio præstanda de non imminuendo jure alieno. Plura de his lege *tit. ff. si servitus vindicetur.*

15. Q. IX. *Quomodo servitutes amittantur*? ℞. 1. *Remissione*, si dominus prædii dominantis servitutem remittat expresse, vel ipso facto, patiendo aliquid fieri, quo servitus impeditur. *l.* 8. *ff. quemadm. servitus amittatur.* 2. *Confusione*, si idem fiat dominus prædii dominantis, & servientis. *l.* 1. *eod.* quia nemo sibi servitutem debet. At si fiat dominus pro parte, servitus pro parte retinetur. *l.* 8. §. 1. *ff. de servitut.* 3. *Rei interitu l.* 14. *ff. quemadm. serv.* si tamen res reviviscat, de æquitate salva est servitus priori domino *l.* 20. §. 2. *ff. de Ser. Præd. Urb. l.* 34. §. *fin.* & *l.* 35. *ff. de Ser. Præd. Rust.* 4. *Resoluto jure concedentis*, ut si hæres constituit servitutem in fundo sub conditione legato; hac enim purificata, servitus evanescit. *l.* 11. §. *fin. ff. quemadm. serv. amit.* 5. *Impletione pacti*, ut si servitus præternaturali modo concessa fuit ad decennium: hoc enim elapso cessat, eamque petens, doli mali exceptione repelli potest. *l.* 4. *ff. commun. præd.* 6. *Non usu*; & quidem servitutes rusticæ amittuntur sola omissione usus per decennium inter præsentes, & vicennium inter absentes: urbanæ vero interposito facto contrario, ex quo sequitur omissio usus; ut si vicinus foramen extruat, ædes altius tollat. *l.* 6. *ff. de Ser. Præd. Urb.* Ratio differentiæ assignari solet; quia rusticæ consistunt in facto ejus, cui debentur; facto autem cessante, sequitur non usus; e contra urbanæ consistunt in ædificiis; atque ita censentur durare; quamdiu ædificia sunt apta excipiendæ servitutis. Plura de hoc in Jure Can. *tit. de præscript. Dices*: Servitutes habent causam perpetuam. *l.* 28. *ff. de Ser. Præd. Urb.* ergo nunquam expirant. ℞. licet servitutes sint perpetuæ ex natura sua, seu habitudine, tamen ab extrinseco tolli possunt dictis modis; non tamen morte naturali, aut civili domini, cum prædiis inhæreant. *l.* 3. *ff. quemadm. serv. amitt.*

16. ℞. 2. Si prædium serviens ex confusione factum sit liberum, & postea vendatur, manet liberum; nisi nominatim ei servitus imponatur. *l.* 30. *ff. de Ser. Præd. Urb.* quia servitus semel extincta, sine nova causa non reviviscit. 2. Si confusio facta sit per aditionem hæreditatis, hac vendita servitus redit in pristinum statum. *l.* 8. *ff. commun. præd.* quia vendita censetur hæreditas gravata, sicut ante fuit, & consequenter venditori manet sua servitus. *l.* 2. §. *cumque ff. de hæredit. vendit.*

Hæc doctrina de servitutibus proportionaliter applicanda est aliis juribus realibus; ut juri venandi, calcem coquendi &c.

TITULUS IV.

De Usufructu.

AGitur de hac materia in Pandectis *lib.* 7. *per tot.* In Codice *lib.* 3. *tit.* 33.

1. Præcipua species servitutis personalis est *usufructus*, qui definitur quod sit *jus* reale *alienis rebus utendi fruendi*, *salva rerum substantia*. *pr. h. t. Dicitur* 1. *Utendi fruendi* per modum differentiæ ab *usu*: nam *utifrui* est percipere omnes fructus ex re fructuaria; *uti* vero est percipere fructus tantum necessarios ad quotidianam sustentationem. *Dicitur* 2. *salva rerum*

rum substantia, quia usufr. est *jus in corpore*, *quo sublato*, *& ipsum tolli necesse est pr. h. t.* tum quia ususfr. constitui debet in re usu non consumptibili; per quod differt a quasi usufructu in rebus fungibilibus constitui solito. Porro ususfructus dividitur 1. in *formalem* mox definitum, qui separatur a proprietate; ita ut penes alium sit proprietas, penes alium ususfructus; & *causalem*, qui conjunctus est cum sua causa, seu proprietate rei, dum quis utitur fruitur jure dominii; & de hoc in præsenti non agitur 2. In *usumfructum* proprie talem ante definitum, & improprie talem, seu *quasi usumfructum*, qui ex Senatusconsulto constituitur in rebus fungibilibus; ut vino, pecunia; eoque finito tantumdem restituitur. 3. Ex modo constituendi in *legalem*, *judicialem*, & *conventionalem*, ut mox dicetur.

2. Q. I. *Quis*, *& cui constituere possit usumfructum*? ℞. quilibet pleno jure dominus, liberam habens rerum suarum administrationem potest in re sua frugifera constituere usumfr. cuilibet capaci juris utendi fruendi: nam quilibet rei suæ moderator est, & arbiter. *l. 21. C. mandati*. Item lex, & quandoque Judex constituit usumfructum: pro quo.

3. Q. II. *Quo modo constituatur ususfructus*? ℞. 1. *Conventionalis* constituitur facto hominis, scilicet vel *ultima voluntate*, vel *actu inter vivos* per stipulationem, donationem &c. §. 1. *h. t.* 2. *Legalis* constituitur proxime a lege, seu ab ipso Jure; qualem habet pater in bonis adventitiis filii *l. 6. C. de bonis*, *quæ liber.* 3. *Judicialis* constituitur per sententiam Judicis in judiciis divisoriis familiæ herciscundæ, communi dividendo; si enim res commode dividi nequeat, solet Judex adjudicare uni proprietatem, & alteri usumfructum. *l. 6. ff. h. t.*

4. R. 2. Usufr. constitui potest *pure*, vel sub *conditione*, aut ex *die*, pro *parte divisa*, vel *indivisa*. *l. 4. 5. h. t.* nam usufr. commensuratur fructibus; qui conditionem, diem, & divisionem recipiunt; secus est in servitutibus prædialibus, quæ fundi naturam imitantes, nec conditionem, nec diem, nec divisionem recipiunt. *l. 17. ff. de servit.* 2. Relinqui potest ususfr. vel *partialiter* in certa re, vel *simpliciter*, seu *universaliter* in omnibus rebus: & hoc modo extendit se ad omnia prædia rustica, & urbana, omnem suppellectilem, mancipia, & nomina debitorum activorum. *l. 17. ff. de usufr. legat.* non tamen ad legitimam liberorum, quæ sine onere relinqui debet. Si tamen liberis, & matri legetur ususfructus, legitima prius non est deducenda, cum alimenta habeant ex usufructu. *l. 8. ff. de usufr. accrescendo.*

5. Q. III. *In quibus rebus constitui possit ususfructus*? ℞. in omnibus rebus fruitioni accommodis; puta immobilibus, mobilibus, corporalibus, incorporalibus; uti sunt nomina *l. 3. ff. de usufr. ear. rer.* servis, jumentis, & aliis rebus usu non consumptibilibus. *l. 3. §. 1. ff. h. t.* ibi: *constitit* (consistit) *autem ususfr. non tantum in fundo*, *& ædibus*, *verum etiam in servis*, *& jumentis*, *ceterisque rebus*, exceptis fungibilibus, quæ sunt materia quasi ususfructus.

6. Q. IV. *Quid Juris habeat fructuarius in se in corporibus*, *seu rebus usuifructui subjectis*? ℞. 1. Percipit omne, quod ex re nascitur, vel ex causa rei provenit: & quidem 1. omnes fructus naturales; uti sunt ex agris poma, segetes, ex pecudibus lac, lana, fœtus, apium favi; item creta, lapides ex lapidicinis, & cretifodinis, metalla, & marmora. *l. 9. ff. h. t.* Partus tamen ancillæ non est in fructu, sed cedit domino proprietatis. *l. 68. eod.* quia dignitas hominis non patitur, ut homo sit in fructu, cujus gratia omnes fructus rerum natura comparavit, §. 37. *de Rer. Divis.* nisi ipse partus usuifructui subjiceretur. *l. 68. ff. h. t.* 2. Percipit omnes fructus civiles; uti sunt pensiones reddituum, ædium, navium, servorum, & aliarum rerum locatarum. *l. 7. 12. §. 1. & seqq. ff. eod.*

7. ℞. 2. Si in silva cædua est ususfructus, potest fructuarius in ea arbores cædere, non attento modo, tempore, & qualitate utendi a domino servari solitis; dummodo tota substantia silvæ salva maneat. *l. 30. ff. de Verb. Sign. l. 9. §. fin. l. 48. §. fin. ff. h. t.* nam fructus silvæ est cædere arbores. Nec obstat *l. 10. eod.* nam, ne contradicat aliis, commode explicatur de illo fructuario, cui non ipsius silvæ, sed fundi habentis accessoriam silvam ususfr. relictus est; & is omnino cædere potest tantum ramos, qui silvam impediunt, & pedamenta, seu palos ad usum vineæ, eo modo, quo dominus cædere solebat. *cit. l. 9. §. fin. ff. eod.* At arbores grandes, dictæ *noncæduæ* non sunt in fructu, adeoque fructuarius non potest eas cædere *l. 11. eod.* imo nec maritus. *l. 7. §. 12. ff. solut. matrim.* nisi utilitas villæ aliud exposceret, vel nisi essent demortuæ *l. 18. ff. h. t.* Si autem vi evulsæ sunt, cedunt proprietario *cit. l. 7.* nisi fructuarius alia ligna non haberet. *l. 12. ff. h. t.* ubi limitatur prior *l. 11.*

8. ℞. 3. Venatio, piscatio, aucupium tunc solum est in fructu, dum fructus fundi ex tali venatione constat. *l. 9. §. 5. ff. h. t. l. 26. ff. de usur.* ubi Julian. *venationem*, *fructus fundi negavit esse*, *nisi fructus fundi ex venatione constet.* cum animalia fera non sint fructus fundi. Jam fructuarius habens jus venandi, non potest impediri in libero usu venationis intra suum fundum; imo etiam ex roborariis potest feras pro suo usu adhibere, dummodo finito usufr. tot feras relinquat, quot invenit. *l. 62. ff. h. t.*

9. ℞. 4. In perceptione fructuum naturalium, & civilium est notabile discrimen: nam fructus naturales etiam maturi non prius cedunt fructuario, nisi ipse eos perceperit, seu separaverit a solo, & corpore. §. 36. *de Rer. Divis.* Unde si fur fructus maturos decerpat, sola actio furti fructuario competit; cum ejus interfuit fructus non fuisse decerptos: condictio vero furtiva competit domino proprietatis *l. 12. §. fin. ff. h. t.* E contra fructus civiles ex locatione ædium, & operarum, cum singulis momentis cedant, statim acquiruntur fructuario pro rata temporis. *l. 26. eod.* Unde si domum locavit pro uno anno 100. florenis, & intra medium annum mortuus est, 50. percipit, reliquos 50. proprietarius.

10. ℞. 5. Fructuarius potest commoditatem fructuum vendere, donare, locare, imo & usumfr. pignori dare. *l. 12. §. 2. ff. & l. 6. C. h. t.* nam hæc omnia sunt fructus rei, & per alium fruens ipse frui videtur. *l. fin. ff. de usuris.* 2. Jus ususfructus non potest fructuarius extraneo cedere, nisi domino fundi. §. 3. *h. t.* ibi: *nam cedendo extraneo nihil agitur:* tum quia hoc esset in præjudicium domini; tum quia fructuarius non potest transferre jus illud, quod ipse habet; cum jus illud cohæreat personæ illius; neque aliud dare, cum non sit dominus rei: ac proinde sola utilitas cedi potest, non vero ipsum jus. Si tamen fructuarius de facto jus ususfructus cederet extraneo, per hoc non amitteret usumfructum; ut com. tenet contra Gloss. §. *finitur. h. t.* Hunn. Covarr. & alios; quia pœna ista privativa nullo Jure est expressa; ergo nec asserenda *arg. Nov. 2. c. 3.*

11. Q. V. *Quæ sint obligationes*, *& onera fructuarii*? ℞. 1. Fructuarius ante omnia tenetur domino proprietatis præstare cautionem idoneam de utendo boni viri arbitratu, & de restituenda re quo ad possessionem, & fruitionem *l. 1. pr. ff. Usufructuar. quemadm. cav. l. 13. pr. ff. h. t. l. 4. C. eod.* de quo plura infra. 2. Tenetur utifrui, sicut bonus paterfam. ut salvam servet substantiam rei, non vero deteriorem reddat. *l. 13. §. 4. ff. h. t.* 3. Potest meliorem facere causam proprietatis, ut describitur *cit. l. 13. §. 4. & seqq.* ipsum tamen statum rei sine licentia domini immutare nequit, ampliando, detrahendo, tectorium, seu incrustationem nudo parieti imponendo, inchoata perficiendo; nisi necessitas postulet propter fructus colligendos, *ibid.* & *l. 44. eod.* quia renovatio ista posset fieri damnosa domino. 4. Tenetur sarta tecta conservare, ædes non tantum necessarias, sed & voluptuarias modicis sumptibus reficere. *l. 7. §. 2. & fin. l. 94. ff. h. t.* Ea tamen, quæ vetustate corruerunt, reficere non tenetur, nec sumptus magnos, perpetuam rei utilitatem concernentes facere, *ibid.* alioquin eos repetet negotiorum gestorum actione. *l. 7. C. h. t.* 5. Tenetur gregem universim relictum conservare, & consf. in locum demortuarum ovium alias ex agnatis substituere, §. 38. *de Rer. Divis. l. 68. in fin. ff. h. t.* ergo a contr. si nullæ oves agnatæ sint, non tenebitur fructuarius complere numerum capitum defunctorum. Idem dic. de arboribus: quia in locum demortuarum arborum tenetur alias ex seminario substituere *l. 18. ff. h. t.* non vero in locum evulsarum, quæ cedunt pro-

proprietario. *l.* 59. *eod.* 6. Tenetur præstare modica tributa, non etiam ea, quæ absorbent usumfr. item dare salaria, & alimenta servorum, & impendia valetudinis, & alia consueta, quibus usufr. gravatur. *l.* 7. §. 2. *l.* 45. *ff. h. t.* 7. Tenetur compensare omnia damna illata etiam per culpam levissimam *l.* 1. §. *fin. ff. Usufructuar. quemadm. cav.* quia totus usufr. cedit in ejus commodum. Imo conveniri potest ex L. Aquilia. Interdicto *quod vi, aut clam.* & actione furti. *l.* 13. §. 2. *h. t.* 8. Onera, & debita hæreditaria, & legata non tenetur solvere fructuarius, etiamsi sit universalis omnium bonorum: nam horum solutio pertinet ad hæredem. *l.* 1. *C. si cert. petat. l.* 2. *C. de hered. vend. l.* 33. *ff. de legat.* 2. tum quia hæres creditoribus defuncti obligatur ex contractu, & legatariis ex quasi contractu: sed fructuarius, etiam universalis, non supponitur esse hæres, sed legatarius; ergo. *Excipe* legata annua, quæ communiter ex fructibus anni solvuntur; adeoque eorum solutio pertinet ad fructuarium, *l. fin.* §. 4. *C. de bonis, quæ lib.* ibi: *sin autem legata-annalia imminent.* & *l.* 26. §. 2. *ff. quand. dies legat. Dices*: Hoc modo gravabitur hæres, qui tamen de fructibus nihil percipit. ℞. hæredi hoc esse beneficium, quod ex bonis defuncti tantum deducere, & divendere possit, quantum necesse est ad hæreditaria onera, & legata statim exolvenda *l.* 69. *ff. ad L. Falcid. l. fin. ff. de Usu, & usufr. leg. l. fin.* §. 4. *C. de bon. quæ lib.* reliquam vero substantiam tradet fructuario utendam fruendam. Si in legato speciei proprietas uni, & alteri usufr. relictus sit, uterque utetur-fruetur, ne proprietas uni sit inutilis, nisi alia mens testatoris appareat. *lib.* 19. *ff. de usufr. legat.*

12. Q. VI. *Quid sit jus accrescendi in usufructu*? ℞. est jus retinendi partem deficientem alterius legatarii, qui noluit concurrere ad legatum, seu illud repudiavit. Locum habet inter legatarios conjunctos *re*, vel *re, & oratione*; & probabiliter *sola oratione*, quibus eadem res in solidum legata est: tunc enim si alter legatum acceptare nolit, portio ejus accrescit alteri collegatario. De hoc jure accrescendi ago in Jure Can. *lib.* 3. *tit.* 26. *n.* 58. Vide in Pandectis *tit. de usufructu accrescendo*.

13. Q. VII. *Quando dies usufructus legati cedat*? Dies *cedit*, quando legatum deberi incipit; licet necdum peti possit. Dies *venit*, quando debetur, & peti actu potest. *l.* 213. *cedere. ff. de Verbor. Sign.* Jam.

14. ℞. Dies legati usufructus primum cedit, & venit a die aditæ hæreditatis. *l.* 1. §. *dies ff. quando dies usufr. l.* 2. *ff. quand. dies leg.* nam ante aditam hæreditatem frustra dies cederet; quia, citius mortuo fructuario, usufr. illius personæ cohærens non transmittitur ad hæredem ejus. Idem ob eamdem rationem dicendum est, si usufr. relictus sit sub conditione, vel ex certo die: tunc enim dies illius non cedit, nisi posita conditione, vel die. At contra si proprietas pure legata sit, dies illius *cedit* statim a morte testatoris; quia tale legatum transmitti potest in hæredem legatarii; *venit* vero dies post aditam hæreditatem, quo tempore peti potest. *l.* 5. *pr.* §. 1. *ff. quand. dies legat. ced.* De quo in Jure Can. *lib.* 3. *tit.* 26. *n.* 61. Vide *tit. ff. quando dies usufructus legati cedat.*

15. Q. VIII. *Quo modo, & in quibus rebus constitui possit quasi-usufructus*? ℞. 1. Constitui potest ex Senatus Consulto innominato (necdum enim nomen ejus cognitum est) per ultimam voluntatem, & per actum inter vivos. §. 2. *h. t.* ubi Imp. docet quasi-usumfructum constitui ad similitudinem veri usufructus; ergo non tantum ultima voluntate, sed etiam actu inter vivos constitui potest; licet frequentius ultima voluntate constituatur: quod, & non plus probant exempla, & *l. ff. de usufr. earum rer.* & §. 2. *h. t.* 2. Constitutio ista fit *remedio introducto*, seu *cautione*, quam invicem corporis præstari voluit Senatus. 3. Fit in rebus fungibilibus, seu usu consumptibilibus, quæ numero, mensura, & pondere constat; uti sunt vinum, oleum, lana, aromata, odores, pecunia &c. §. 2. *h. t.* idque *utilitatis causa*: tum ut plures res in usumfr. deduci possent; tum ut voluntates ultimæ suum sortirentur effectum. Differt ergo quasi-usufr. a vero usufructu: quia in quasi-usufructu res est fungibilis, cujus proprietas transit ad fructuarium, & ab eo consumitur: neque aliter extinguitur, quasi-usufructus, nisi morte naturali aut civili fructuarii. *l.* 7. 9. 10. & *fin. ff. de usufr. ear. rer.* secus est in vero usufructu. Item differt a mutuo: quia mutuum quandocunque repeti potest, & reddi debet res ejusdem generis, & bonitatis. *l.* 2. 3. *ff. de R. C.* e contra res quasi-fructuaria repeti nequit, nisi mortuo fructuario, nec determinate reddi debet res ejusdem generis, sed alternative, vel res ejusdem generis, vel æstimatio rei. §. 2. *h. t.* & *l.* 7. *ff. de usufr. earum rerum, quæ usu consumuntur*. Ubi de hoc plura legere poteris. Exemplum de *vestimentis* §. 2. *h. t.* positum excitat quæstionem, an super illis constituatur quasi-usufructus? Affirmat Hunn. Fach. & alii. Distinguit Harpr. cum aliis, dicendo in vestibus quotidianis esse quasi-usumfructum, in vestibus vero rari usus, uti sunt scenicæ, festivæ, lugubres, verum usumfr. Sed sine distinctione.

16. ℞. 2. Vestimentorum est verus usufr. Ita Bachov. Zoes, & alii ex *l.* 15. *ff. de usufr.* ubi Ulp. §. 4. in vestimentis ordinariis, & §. 5. in vestimentis scenicis admittit verum usumfructum: tum quia Rubrica de hoc agit; tum quia Jurisconsultus dicit fructuarium *ita uti debere, ne abutatur*; re autem quasi-fructuaria abuti licet. Ratio est, quia vestimenta licet usu atterantur; non tamen usu consumuntur, sicut navis. Discrimen inter vestes ordinarias, & scenicas, seu rari usus dat Ulpian. *l. c.* quia istæ locari possunt, non illæ. Nec obstat §. 2. *h. t.* nam vel lectio mendosa est, vel explicanda ex Digestis, quod scil. nomine vestimentorum veniat materia; ex qua per immutationem formæ vestimenta fieri solent. Exemplum similis explicationis habes §. 25. *de rer. Divis.* de spicis e frumento excussis.

17. Q. IX. *An cautio sit de necessitate, & substantia veri, quasi-usufructus*? ℞. 1. Cautio idonea necessario præstanda est a fructuario, & quidem in usufructu de *bene utendo*, & de *restituenda, salva substantia rei*; in quasi usufructu alternative, vel de restituenda re ejusdem generis, & bonitatis v. g. de simili vino, oleo &c. vel de præstanda æstimatione rei. *l.* 1. *pr. ff. usufructuar. quemadm. cav. l.* 7. *ff. de usufr. ear. rer.* Idonea cautio est *fidejussoria*, vel per *pignora juratoria*; verum non sufficit, nisi inopia fructuarii aliam non suppeditet. *l.* 6. *ff. si cui plus*. modo persona fructuarii sit frugi, probæ, & honestæ vitæ; alioquin usufructus sequestratur penes honestum virum, qui fructus colligat fructuario. *arg. l.* 5. §. 1. *ff. ut legat. nom.*

18. ℞. 2. Testator non potest remittere cautionem super usufructu a se legato. Ita *l.* 1. *C. h. t. l.* 6. *ff. ut in poss. legat.* ubi permittitur exactio cautionis, licet prohibita sit a testatore. Ratio est, tum favor hæredis; tum ne remissio cautionis invitaret fructuarium ad delinquendum, seu male utendum; qualiter etiam dolus futurus remitti nequit. *l.* 27. §. *illud. ff. de pact.*

19. ℞. 3. Cautio non est de substantia veri, vel quasi-usufructus. Ita communior. DD. contra Gail, Schneidev. Bachov. & alios volentes quasi-usumfructum non consistere sine cautione. *Prob. prima pas* ex *l.* 71. *ff. ad L. Falcid.* ubi Jurisconsultus dicit cautionem istam remitti posse ab hærede, in cujus favorem introducta est; ergo non est de substantia usufructus; alias remitti non posset: tum quia ipsa lex certis personis remittit cautionem; ut *patri* in bonis adventitiis filii. *l. fin.* §. 4. *C. de bonis, quæ lib. Donatori*. omnium bonorum, qui sibi usumfr. reservavit. *l.* 19. §. 1. *ff. de re jud. Fisco l.* 1. §. 18. *ff. ut legator. nomin. Secunda pars prob.* ex *l.* 5. §. 1. *ff. de usufr. ear. rer.* ubi consistit usufr. absque cautione, quæ constante usufr. condici potest: eo vero finito, quantitas condicenda est. Idem colligitur ex *l.* 7. *in fin. ff. usufructuar. quemadm. cav. l.* 9. §. *Marcellus ff. ad exhibend.* Ratio est, quia cautio ista est in favorem proprietarii, cui utique renunciare potest, & cautionem remittere. *Dices*; Cautio ista introducta, & præcepta est a Senatusconsulto *l.* 2. 4. *ff. de usufr. ear. rer.* tenetque vicem *corporis*, sine quo usufr. non potest concipi. ℞. ex Senatusconsulto necessitas introducta est ex parte fructuarii, non vero ex parte domini, cui liberum est jus suum diminuere, & cautionem remittere:

rere: sufficit autem, quod obligatio tantumdem præstandi vicem corporis suppleat.

20. Q. X. *Quibus modis amittatur ususfructus?* ℞. 1. *Morte naturali fructuarii*, cujus ossibus cohæret §. 3. *h. t. l.* 3. *C. eod.* non tamen morte proprietarii, vel facto ejus; ut donatione &c. *l.* 17. §. 1. *ff. de usufr.* quia ususfr. nulla societate dominii conjungitur. *l.* 44. §. *non mutat. ff. de usurpat.* 2. Si ususfr. conductus est a fructuario, morte ejus expirat *l.* 9. §. 1. *ff. locat.* quia locatio ista mensuratur secundum jus fructuarii; at morte conductoris non expirat, quia hæres ejus continuat conductionem usque ad tempus conventum. *l.* 10. *C. de locato.* E contra ususfructus conductus a domino pleno, hujus morte non expirat. *l.* 3. *C. h. t.* quia hæres tenetur stare hac locatione; bene vero morte conductoris. *l.* 10. *C. h. t.* quia dominus præsumitur locasse conformiter naturæ ususfructus, qui vitam fructuarii non excedit. Secus est in proprietate locata, quæ transit ad hæredem conductoris. *cit. l.* 10. *C. h. t.* Aliqui tamen volunt usumfr. non expirare morte conductoris, quia in *cit. l.* 10. videtur legendum *morte locatricis*, loco *conductricis*. 3. Ususfructus patri per filium, & domino per servum quæsitus, his mortuis, non perit patri, aut domino. *l.* 15. *C. h. t.* quia semel in eorum persona fixus conservatur, ne casus filii, aut servi eis noceat. Et e contra morte patris non expirat ususfructus per filium quæsitus. *l. fin. C. eod.* cum plerumque verisimile sit, testatorem contemplatione magis filii, quam patris, usumfructum ei reliquisse.

21. ℞. 2. Ususfr. expirat *morte civili* fructuarii per maximam, vel mediam capitis diminutionem *l. pen.* §. *ult. C. h. t.* quia mors civilis, sicut tollit civitatem, ita quoque jura ab illa dependentia. Minima vero capitis diminutio hodie relinquit usumfr. penes arrogatum; cujus tamen commoditas cedit arroganti *ibid.* An professione religiosa, ceu morte civili, solvatur ususfr. vide in Jure Can. *lib.* 3. *tit.* 31. *num.* 14. *in fin.*

22. ℞. 3. *Rei interitu* perit ususfructus; quia est jus in corpore, quo sublato, & ipsum tolli necesse est. *pr. h. t.* Unde 1. perempto pecore fructuario, nec carnis, nec corii utilitas cedit fructuario *l. pen. ff. quib. mod. ususfr. amit.* 2. Domo fructuaria per ruinam, vel incendium sublata, ne quidem areæ ususfr. debetur. §. 3. *h. t. l.* 5. §. 2. *ff. d. t.* quia solius domus ususfr. censetur fuisse constitutus. 3. Fundo fructuario in aliam faciem mutato, ut si areæ imponatur insula, vel ex vinea fiat ager, perit. ususfr. *l.* 5. §. 2. *l.* 12. *ff. d. t.* nam nova forma facit rem novam esse. Hoc tamen in casu salvum est interesse fructuario, quoties in præjudicium illius res mutatur a proprietario; & ideo is tenetur de dolo, & interdicto *quod vi, aut clam. cit. l.* 5. *in fin.* & *l.* 6. *eod.* 4. Si res eadem numero restituatur, redit ususfructus, qui interim suspensus, & impeditus fuit. *l.* 23. & 26. *ff. d. t.* & *l.* 36. *pr. l.* 71. *ff. de usufr.* ut si tollatur insula areæ fructuariæ imposita, si navis dissoluta ex iisdem tabulis compingatur; nisi dissoluta fuisset eo animo, ut tabulæ alteri usui applicarentur, licet mutato consilio iterum ad navim componendam assumantur. *l.* 98. §. *aream. ff. de solution.* ubi etiam Paulus docet usumfr. in servo manumisso non redire, etsi is iterum in servitutem veniat: atque ita emendatur sententia Celsi contrarium opinantis *l.* 79. §. *fin. ff. de legat.* 3. E contra si res alia numero restituatur, non reviviscit ususfructus. *l.* 36. *pr. ff. h. t. l.* 10. §. 1. *ff. quib. mod. amit.* ut si domus diruta, alia numero ædificetur etiam ex eadem materia, vel scyphus confractus ex eadem materia refundatur &c.

23. ℞. 4. Ususfructus amittitur *cessione* domino facta; vel si dominus proprietatem cedat fructuario. §. 3. *h. t. l.* 27. *ff. quib. modis ususfr.* quo casu intervenit *consolidatio*; quatenus ususfr. conjunctus proprietati eam solidam & integram facit. Ratio utriusque est, quia res sua nemini servit. Item redit ususfr. ad dominum *lapsu temporis*, vel *deficiente conditione*, pro qua, & sub qua fuit constitutus. *l.* 5. *C. h. t.*

24. ℞. 5. Perit ususfructus *non-usu*, si fructuarius nec per se, nec per alium utatur. *l. pen. pr. C. h. t.* nam hic locus est præscriptioni extinctivæ. Unde 1. Si fructuarius alteri donavit commoditatem ususfructus, neutro utente, perit; secus si vendidit. *cit. l. pen.* & *l.* 38. *cum* 2. *seqq. ff. h. t.* nam donando, non fruitur; bene vero vendendo, locando, pignorando. 2. E contra si proprietarius usumfr. a fructuario sibi cessum alteri vendidit, aut locavit, neutro utente, perit ususfructus *l.* 29. *ff. quib. mod. ususfr.* nam hoc casu, licet proprietarius pensionem solvat fructuario, neuter tamen fruitur nomine fructuarii: non emptor, quia is non emit usumfr. a fructuario; non dominus, quia iste usumfr. sibi cessum suo, & non fructuarii nomine possidet *l. pen.* §. 1. *ff. qui satisd. cogant.* 3. Non-usu amitti potest certa, vel incerta pars ususfructus. *l.* 25. *ff. quib. mod. ususfr.* quia ususfr. divisionem patitur; ergo pro una parte retineri, & pro altera non usu amitti potest; modo decurrat legitimum tempus, scil. decennii, vel vicennii *l. pen. C. h. t.* 4. Si ususfr. alternis annis legetur, non amittitur non utendo, totus simul, sed per singula tempora annis diversis correspondentia. *l.* 28. *ff. quib. mod. ususfr. l.* 15. *ff. de annuis leg.* nam tali casu plura sunt legata *l.* 13. *ff. de usufr. leg.* & *cit. l.* 28.

25. R. 6. Ususfructus relictus Corpori, ut Ecclesiæ, monasterio, civitati, finitur spatio 100. annorum *l.* 56. *ff. h. t.* nam cum Corpus non moriatur, ne proprietas esset inutilis, determinari debuit aliquod tempus finiendi ususfructus; hoc autem convenienter clauditur spatio 100. annorum, tanquam termino vitæ longævi hominis. Nec obstat *l.* 68. *ff. ad L. Falcid.* nam in ea non agitur de duratione ususfructus, sed de ejus æstimatione ratione L. Falcidiæ, cujus nomine Reipublicæ relictus tanti æstimatur, quanti redditus triginta annorum. *Excipe* 1. nisi prius contingat civitatem aratrum pati, hoc est solo æquari, vel Ecclesiam destrui sine spe ædificationis; quia tunc habetur pro mortua. *l.* 21. *ff. quib. mod. ususfr.* 2. nisi civitas nomine civis, vel monasterium nomine Religiosi usumfructum habeat: tunc enim cive, vel Religioso mortuo, perit ususfr. ex reg. generali, quia civis, vel Religiosus plus juris non potuit transferre in civitatem, vel monasterium, quam ipse habuerit. *l.* 120. *ff. de Rebus Jur.*

26. ℞. 7. Morte, vel alio modo, finito usufructu, nec fructuarius, nec ejus hæres habet actionem realem, vel personalem pro fructibus maturis pendentibus. §. 36. *de Rer. Dom. l.* 12. §. *fin. ff. h. t. l.* 13. *in fin. ff. quib. mod. ususfr.* nam hæc, & similia Jura non aliter concedunt fructuario jus ad fructus, quam si ipse eos perceperit: & ideo si præmoriatur, fructus sunt proprietarii. *cit.* §. 36. ergo sicut finito usufructu, non habet fructuarius jus aliquod percipiendi fructus, ita neque illud transmittere potest ad suos hæredes. Unde condictio, seu actio personalis pro fructibus negatur fructuario *l.* 12. §. *fin. ff. h. t.* at pro expensis, quas fecit in fructus, compensatio ei facienda est, vel ejus hæredibus, saltem de æquitate *arg. l.* 7. *C. h. t. l.* 7. *pr. ff. solut. matr.* ne proprietarius cum alterius jactura locupletetur. Quod vero ipsi fructus ei non restituantur, nulla fit injuria: quia etiam fructuarius, si ei legentur fructus maturi, ipse eos percipit, non vero dividit cum hærede *l.* 27. *ff. h. t.* ergo cum sentiat commodum, sentire etiam debet onus. *Ex his colliges*, fructuarium certo respectu esse deterioris conditionis, quam bonæ fidei possessorem: nam is fructus suos facit, a quocunque percipiantur, seu a solo separentur, & jus istud transmittit ad hæredes; imo rem ipsam usucapere potest. §. 36. *de Rer. Dom. l.* 13. *in fin. ff. quid. mod. ususfr.* quorum nihil competit fructuario. Alio respectu fructuarius est melioris conditionis: nam fructus tota vita sua perceptos irrevocabiliter facit suos, eorumque dominium transmittit ad hæredes: e contra bonæ fidei possessor, re a domino evicta, tenetur fructus saltem extantes restituere.

27. Q. XI. *Quæ actio competat pro vindicando usufructu?* ℞. *Confessoria*, qua fructuarius confitetur, seu prætendit usumfructum sibi in re aliena constitutum: & *negatoria*, qua dominus negat in re sua constitutum esse usumfructum; seu prætendit fundum esse liberum a tali servitute personali. Plura in *tit. de actionib.* Vide *tit. ff. si ususfr. petatur.*

28. Q. XII. *Qualis sit servitus operarum servilium?* ℞. est personalis, seu jus reale percipiendi omnem utilitatem ex operis servi alieni. Et hæc præ-

cipua

cipua habet: 1. Dies operarum non cedit ex die aditæ hæreditatis, sed ex die, quo operæ petuntur. *l. 7. ff. de usufr. legat.* 2. Operæ non-usu, vel capitis diminutione non pereunt. *l. 2. ff. de oper. servor.* quia non censentur existere, nisi actu præstentur *l. 1. eod.* 3. Finiuntur morte illius, qui eas debet; non vero morte illius, cui debentur; sed ad hæredes transeunt pro toto tempore, quo servus vivit. *l. 2. ff. de usuf. legat.* 4. Servo usucapto, operæ amplius non debentur. *ibid.* Ex his patet aliud esse *habere usumfructum servorum*, & *habere operas servorum*. Vide *tit. ff. de operis Serv.*

29. Q. XIII. *An jus decerpendi pomum, spatiandi, vel cœnandi in fundo alieno sit servitus personalis?* ℞. affirmative cum Zoes, & aliis contra Cujac. qui vult esse tantum jus personale: nam hoc modo imponitur ipsi fundo aliquod onus contra naturalem libertatem; ergo jus illud est reale, afferens aliquam commoditatem, & utilitatem; sicut amœnitas, & delectio in servitute prospectus: & quia a re debetur personæ, recte dicitur servitus personalis *arg. l. 15. ff. de Servitut.* Nec obstat *l. 8. ff. eod.* nam loquitur de servitute prædiali, non personali.

TITULUS V.

De Usu, & Habitatione.

AGitur de hac materia in Pandectis *lib. 7. tit. 8.* In Codice *lib. 3. tit. 33. de usufr.* quia etiam *usus*, & *habitatio* pertinent ad servitutes personales.

1. *Usus* est jus reale alienis rebus utendi, salva earum substantia. *Habitatio* est jus reale incolendi alienas ædes salva earum substantia. Convenit usus cum usufructu, quia iisdem modis, & in iisdem rebus cum cautione constituitur, & iisdem modis finitur; differt vero, quia *minus juris est in usu, quam usufruct.* §. 1. *h. t.* siquidem usuarius capit ea solum, quæ necessaria sunt ad sustentationem quotidianam, non vero superflua ad quæstum, & compendium: at fructuarius capit omnes fructus ex re, quos etiam vendere, locare, & alio modo distrahere potest. *l. 11. ff. h. t. Habitatio* pariter iisdem modis constituitur cum cautione, & finitur, neque transit ad hæredes. Differt ab usufructu, & usu, quia habitatio tantum in ædibus habitandi causa constituitur; usus vero, & usufr. etiam in aliis rebus immobilibus, & mobilibus. Specialiter differt ab usu, quia habitatio locari potest, non vero usus; & ab usufructu, quia non amittitur capitis diminutione, vel non usu *l. 10. ff. h. t.* Ex his constat *ædes* tripliciter constitui posse: *jure usufructus, jure usus nudi, & jure habitationis:* quo ultimo modo, licet habitatio participet aliquid ab usu, & usufructu; tamen de se est jus separatum, propriam habens naturam. §. 5. *h. t.*

2. Q. I. *Quid jure suo possit usuarius?* ℞. 1. Habens usum fundi, potest uti oleribus, pomis, floribus, fœno, stramentis, & lignis ad usum quotidianum necessariis; potest in eo fundo morari, ne tamen molestus sit domino, ejusque ministris opera rustica exercentibus: neque jus illud, hoc est commoditatem aliis vendere, locare, aut gratis concedere potest; cum tamen fructuarius possit hæc omnia facere §. 1. *h. t.* nam usuario necessarii, fructuario omnes fructus obveniunt.

3. ℞. 2. Habens usum ædium, ipse tantum cum sua familia eas inhabitare potest, scilicet cum uxore, liberis, & ministris necessariis, & vix hospitem recipere potest. §. 2. *h. t.* quibus verbis indicat Imp. quod de æquitate, & benignitate ei liceat hospitem recipere; præsertim, si domus ampla sit, imo & inquilinum *l. 2. in fin. ff. h. t.* licet sine usuario hospites, liberti, clientes, & inquilini ædes inhabitare non possint. *l. 4. eod.* Si quam vero ab his *pensionem percipiat*, *non erit ei invidendum. ibid.* 2. Usus constitutus mulieri, si ista nupsit, extenditur etiam ad maritum, ut hic cum sua familia in eadem domo morari possit §. 2. *h. t.* nam licet mulier, utpote inferior, non trahat ad se maritum; hic tamen propter societatem conjugalem illum ad se trahit: uti & vidua, si nubat, imo & socero conceditur habitatio. *l. 4. §. 1. l. 5. ff. h. t.* In ceteris quoque rebus usus communis est marito, & uxori. *l. 9. eod.* 3. Habens usum servi, aut jumenti, ipse tantum, puta cum sua familia, opera, & ministerio eorum utetur; non vero alteri locabit. §. 3. *h. t. l. 12. §. 5. ff. eod.* licet opus a se conductum eorum opera expedire possit, *cit. l. 12. §. fin.* 4. Habens usum pecorum, vel ovium, non recipit lac, agnos, lanam, vitulos, vel alium fœtum, quod proprium est fructuarii, sed tantum iis utitur ad stercorandum agrum. §. 4. *h. t.* modico tamen lacte uti potest. *l. 12. §. 2. ff. eod.* cum hoc non sit uti ad quæstum, & compendium. 5. Si usus constitutus est habenti parvam familiam, debetur etiam in casu, quo familia augeatur: nam sub nomine collectivo continetur numerus, sive is crescat, sive decrescat *l. 65. pr. ff. de legat. 2. & l. 22. eod.* ergo etiam sub nomine familiæ venit numerus personarum, sive minor, sive major; nisi aliud ex mente constituentis appareat. Similiter si angustus sit usuarius, & totam domum amplam occupare non possit, proprietarius non utetur partibus vacantibus. *l. 22. §. 1. ff. h. t.* quia diversis temporibus poterit usuarius diversis domus partibus uti.

4. Q. II. *In quo casu commoditas usus cedi, aut vendi possit?* ℞. in eo tantum, in quo usus foret inutilis usuario *l. pen. ff. h. t.* nam usus debet aliquid operari, ne beneficium sit absque omni utilitate. Unde 1. habens usum silvæ, ligna cædere, & vendere potest, si pro vecturis tantum, vel plus præstare deberet. 2. Habens legatum usum in duabus silvis, ex una ligna adhibere potest pro suo usu, ex altera vero illa vendere. 3. Habens v. g. unum bovem usuarium, potest eum alteri concedere, ut is vicissim usuario concedat suum ad arandum: semper enim ita debemus interpretari usum, ut aliquid prosit.

5. Q. III. *An in eadem re concurrere possit usus-fructus constitutus uni, & usus alteri?* ℞. affirmative *l. 14. in fin. ff. h. t.* nam usus legari potest uni, & ususfructus alteri: & quod superest usui, ad fructuarium pertinet: quo sensu explicatur *l. 5. ff. usufructuar. quemadm. cav.* Licet autem usus legari possit sine usufructu, non tamen ususfructus sine usu: cum usuifructui ex natura insit commoditas utendi, *cit. lib. 14.*

6. Q. IV. *Quæ sint onera usuarii?* ℞. 1. Tenetur re uti boni viri arbitrio, ut substantia rei, & fructus superflui salvi maneant proprietario. *l. pen. in fin. ff. h. t.* 2. Refectio rei usuariæ communiter spectat ad dominum, & usuarium *l. 18. eod.* nam uterque sentit commodum rei; ergo uterque sentire debet onus refectionis: nisi talis esset usus, qui rem inutilem domino redderet. *ibid.* Usuarius tamen fundi non tenetur eum colere, sed hoc spectat ad dominum, quem tamen in colendo molestare non debet. *l. 15. eod.*

7. Q. V. *An quasi-usus constitui possit in rebus fungibilibus?* ℞. affirmative ex Senatusconsulto innominato *l. 5. §. 2. ff. de usufr. ear. rer.* ubi Jurisconsultus dicit *idem continere usum pecuniæ, & usumfructum*, atque ita *quasi usus*, & *quasi-ususfructus* in effectu non differunt.

8. Q. VI. *An quasi-usus separari possit a proprietate?* ℞. negative ex *l. 5. 7. & fin. ff. de usufr. ear. rer.* nam usus fungibilium est abusus; siquidem fungibilia usu consumuntur, atque ita fiunt consumentis; ergo non potest constitui quasi-usus, quin simul concedatur proprietas rei fungibilis. Unde quasi-usus ex Senatusconsulto introductus, est quidem jus reale, sed non diversum a jure proprietatis; adeoque non est usus formalis, sed causalis, seu cum causa proprietatis connexus. Confir. ex S. D. 2. 2. q. 78. art. 1. ibi: *Unde in talibus non debet seorsim computari usus rei a re ipsa; sed cuicunque conceditur usus, ex hoc ipso conceditur res, & propter hoc in talibus* fungibilibus *per mutuum trasfertur dominium.* Nec obstat *c. exiit. §. dicimus; de Ver. Sign. in 6.* nam textus ibi non procedit de quasi-usu; qui est jus reale utendi fungibilibus, sed de simplici licentia ad nutum Prælati, vel Papæ, quam ibi Nicolaus III. vocat *usum facti*, & hunc separari a proprietate non nego.

9. Q. VII. *Quid Juris circa habitationem?* ℞. 1. Habitatio, licet magis in facto, quam jure consistat; est tamen jus reale, seu servitus personalis medians inter usum, & usumfructum, qua datur potestas habitandi in alienis ædibus, salva earum substantia. §. 5. *h. t.* 2.

t. 2. Habitatio etiam locari poteſt. *ibid.* ex Marcelli ſententia *l.* 13. *C. de uſufr.* idque propter rerum utilitatem, ſeu ut plenius eſſet jus habitandi: & in hoc habitatio eſt pinguior uſu. 3. Habitatio amittitur morte inhabitantis, cum ſit ſervitus vitalitia, & lapſu temporis adjecti *l.* 10. *pr. ff. h. t.* non vero capitis diminutione, vel non-uſu. *l.* 10. *ff. de capite minut.* nam ea, quæ facti ſunt, capitis diminutione, aut non-uſu non pereunt; cum id, quod non eſt, amitti nequeat: habitatio autem magis eſt facti, quam juris. Gothofr.

Connexio Præcedentium, & Conſequentium.

10. IN §. *fin. h. t.* Imperator duas clauſulas ponit, quarum prima eſt, quod abſoluta tractatione de Juribus ſervitutum realium, & perſonalium, de aliis juribus, puta de hæreditatibus, & obligationibus, non hic, ſed infra ſuis locis ſit acturus. Altera, quod ſummatim abſolutis modis, quibus de Jure gentium dominia, & jura acquiruntur, nunc agendum ſit de modis civilibus acquirendi; cujuſmodi ſunt: *Uſucapio, donatio, legatum, fideicommiſſum particulare*, quibus res ſingulæ, *ſucceſſio ex teſtamento*, vel *ab inteſtato, bonorum poſſeſſio, acquiſitio per arrogationem*, & *bonorum addictio*, quibus res univerſæ acquiruntur.

Titulus VI. de Uſucapionibus. Uſucapio eſt modus acquirendi dominium per continuationem poſſeſſionis temporis a lege definiti. Mobilia uſucapiuntur per triennium, immobilia regulariter per decennium inter præſentes, & vicennium inter abſentes; modo ſit res apta præſcribi, adſit bona fides, titulus habilis ad transferendum dominium. De Uſucapionibus ago fuſe in Jure Can. *lib.* 2. *tit.* 26.

Titulus VII. De Donationibus. Donatio eſt modus acquirendi dominium per liberalem dationem, nullo Jure cogente factam, vel acto inter vivos, vel mortis cauſa. De hac ago in Jure Can. *lib.* 3. *tit.* 24.

TITULUS VIII.

Quibus alienare licet, vel non.

1. ISte, & ſequens titulus interponuntur hic tanquam connexi ratione dominii, cujus actus proprius eſt alienatio: & quia dominia acquiruntur non tantum per noſmetipſos, ſed etiam per eos, qui ſunt in noſtra poteſtate, ideo in *ſeq. tit.* recte agitur: per quas perſonas cuique acquiratur.

2. Q. I. *Qui alienare poſſint?* ℞. regulariter omnes, & ſoli domini; nam rei ſuæ quilibet moderator eſt, & arbiter. *l.* 21. *C. mandati:* ſiquidem dominium eſt libera facultas diſponendi de re ſua, ea utendi, vel abutendi, ſeu conſumendi, & alienandi. Quod intellige de quocunque Jure alicui proprio: quia quiſque juri ſuo renunciare, vel illud in alium transferre poteſt. *Dixi: regulariter*, quia aliqui domini ſunt, & libere alienare non poſſunt; & e contra aliqui domini non ſunt, & alienare poſſunt. *pr. h. t.*

3. Q. II. *Quid domini libere alienare non poſſint?* ℞. 1. Maritus, qui habet dominium civile prædii, ſeu fundi dotalis, non poteſt illud alienare, vel hypothecare, etiam accedente conſenſu uxoris *pr. h. t.* ubi Imp. Legem Juliam extendit ad plures caſus: nam licet Lex Julia prohibuerit oppignorationem, tamen permiſit marito alienationem in prædiis italicis, conſentiente uxore, & ea etiam non conſentiente in prædiis provincialibus. *pr. h. t.* ubi ratio datur: *ne ſexus muliebris fragilitas in perniciem ſubſtantiæ earum convertatur.* Atque id procedit de alienatione voluntaria, etiam per uſucaptionem, quæ incæpit conſtante matrimonio. *l.* 16. *ff. de fundo dotal.* tam rerum corporalium, quam jurium realium. *l.* 5. 6. *eod.* excepto uſufructu, qui non-uſu mariti amittitur. *l.* 78. §. 2. *ff. de jure dot.* At alienatio neceſſaria, quæ fit lege, vel Judice cogente, ſubſiſtit. *l.* 1. *ff. de fund. dot.* uti & illa, quæ firmata eſt juramento uxoris. *cap.* 28. *de jurejur.*

4. ℞. 2. Pupillus, & minor, licet domini ſint, tamen nullam rem ſuam ſine tutoris, vel curatoris auctoritate alienare poſſunt. §. 2. *h. t.* idque ob favorem proprium, ne fragilitate ætatis, rerum ſuarum diſpendium patiantur. Unde 1. Si dent pecuniam mutuam, non faciunt eam accipientis, ſed extantem vindicare poſſunt. Si nummi bona fide conſumpti ſunt, mutuum convaleſcit; quia conſumptione facti ſunt conſumentis. *ibid.* Ex quo colliges, quod conſumptio bona fide facta ſit per ſe modus civilis acquirendi dominium. *l.* 12. & 19. §. 1. *ff. de R. C.* quo caſu, non vindicatio, ſed actio perſonalis, ſeu condictio certi competit pupillo pro nummis repetendis *ibid.* & *l.* 78. *ff. de ſolution.* At ſi nummi mala fide conſumpti ſunt, pupillo competit actio ad exhibendum, & reivindicatio; quia, cum dolus rem ipſam repræſentet, nummi iſti finguntur extare, & poſſideri a mutuatario. *l.* 13. & 150. *ff. de Rer. Jur.* In effectu autem actio iſta eſt perſonalis, qua agitur non ſolum ad nummos reſtituendos, ſed etiam ad reparandum intereſſe, ſeu quanti intereſt pupillo nummos non fuiſſe exhibitos. *l.* 3. 5. *ff. de in litem jurand.* 2. Res minorum immobiles, vel mobiles pretioſæ, quæ ſervando ſervari poſſunt, etiam de conſenſu tutoris, vel curatoris alienari nequeunt; niſi duo concurrant; ſcil. juſta cauſa neceſſitatis, & decretum judicis, de quo vide *tit. ff. de rebus eorum.* 3. Debitor pupillaris ſine conſenſu tutoris invalide debitum ſolvit pupillo. *cit.* §. 2. *h. t.* cum conſenſu tutoris valide quidem ſolvit, ſed plene non liberatur; niſi ſolutio fiat interpoſito decreto Judicis. *ibid.* alioquin, ſi contingat pupillum lædi, debitor altera vice ſolvere debet; cum pupillus adverſus ſolutionem ſine decreto factam reſtitui poſſit. *l.* 1. *C. ſi adverſ. ſolution.* 4. Neque pupillus ſine tutoris auctoritate debitum ſuum exolvere poteſt. *cit.* §. 2. *h. t.* quia talis ſolutio pertinet ad adminiſtrationem, qua pupillus caret, & lædi poteſt, ſi præmature ſolvat, loco, & tempore indebito. Porro ſoluta pecunia, ſi extat, vindicari poteſt; ſi bona fide conſumpta eſt a creditore, convaleſcit ſolutio, quia nummi per conſumptionem facti ſunt creditoris, & pupillo contigit liberatio. *l.* 14. §. *fin. ff. de ſolut. l.* 14. 19. §. 1. *ff. de R. C. Dices:* ergo ſi nummi extantes apud creditorem caſu pereant, periculum erit pupilli, cum res ſuo domino pereat. *l.* 9. *C. de pignorat. act.* ℞. Neg. illat. regula enim iſta non habet locum in perſona privilegiata, ne favor in odium ejus detorqueatur; ſed in dato caſu fingitur pecunia apud creditorem conſumpta; conſumptione autem pupillus liberatur *cit. l.* 9. & conſ. periculum eſt creditoris.

5. Q. III. *Qui non-domini alienare poſſint?* ℞. 1. Creditores in certis caſibus pignus detrahere poſſunt. §. 1. *h. t.* ubi Imp. revocat ſe ad *l. fin. C. de jure domin. impetr.* ex qua ſeqq. colligimus: 1. Si pactum eſt ſuper pignore vendendo, niſi certo tempore ſolvatur, hoc lapſo, abſque ulla denunciatione pignus diſtrahi poteſt: nam diſtractio iſta fit voluntate domini. 2. Si pactum eſt ſuper pignore non alienando, pactum quidem non valet *l.* 4. *ff. de pignorat. act.* quia invitat ad malum, ſeu ad ſolutionem malitioſe differendam; id tamen operatur, quod creditor teneatur debitori facere trinam denunciationem de ſolvendo; deinde biennio expectare, & rurſum monere debitorem, ut pignus luat, quo differente, pignus licite diſtrahi poteſt. 3. Si nihil pactum eſt, creditor debet denunciationem facere debitori; ſi vero intra biennium non ſolverit, pignus vendi poterit. *cit. l. fin.* Emptore non invento, ſi adhuc monitus debitor non ſolvat, creditor fit dominus rei pignoratæ; ſed revocabiliter, ſi intra biennium debitum eum intereſſe ſolvatur: hoc autem lapſo, creditor fit pleno jure dominus rei. *ibid.* Hic autem juſtitia ſervanda eſt; ut, ſi pignus ſit majus debito, reſiduum pretium debitori reſtituatur. *l. pen. ff. de pignorat. act. l.* 3. §. 4. *ff. de jure dom. impetr.*

6. ℞. 2. Legitimi adminiſtratores, licet domini non ſint, alienare poſſunt res alienari conſuetas; uti res mobiles fungibiles, ut patet quotidie in tutoribus, curatoribus, Prælatis, & œconomis Eccleſiarum.

TITULUS IX.

Per Quas Perſonas cuique acquiritur.

AGitur de hac materia in Codice *h. t.* in Pandectis *tit. de Peculio*, & *tit. de Caſtrenſi pecul.* & *C. eod.*

1. *Peculium* eſt puſilla pecunia, ſeu puſillum patrimonium ſervi, aut filiifamilias, ſeparatum a rationibus

bus dominicis, vel paternis, deducto eo, quod domino, aut patri debetur. Ita com. ex *l.* 4. 5. *in fin. ff. de pecul.* nam ad excitandam industriam servorum, & filiorum solent eis domini, & patres relinquere distinctum patrimonium, vel expresse, vel tacite patiendo aliquam rem esse in illorum peculio *l.* 49. *eod.* ita tamen, ut id, quod servus, vel filius debet domino, aut patri non computetur in peculio, sed prius deducatur, & ex residuo satisfiat creditoribus. Porro in peculio servi nulla est differentia; at peculium filiifamilias est duplex: *paganum* extra militiam, & *castrense*, quod ratione militiæ armatæ, vel togatæ acquiritur. Utrumque est duplex, adeoque quadruplex peculium. *Profectitium*, quod ex bonis paternis proficiscitur, vel saltem intuitu patris acquiritur. *l.* 5. *ff. de jure dot.* ut si pater det filio pecuniam ad negotiationem. *Adventitium*, quod extrinsecus filio advenit, non vero ex bonis patris, vel ejus contemplatione, ut si filius acquirat ex prospera fortuna, ex testamento, vel legato matris, aut extranei, ex donationibus &c. *l.* 6. *C. de bonis, quæ lib. Castrense* simpliciter, quod filius acquirit ratione castrorum, seu militiæ armatæ: quo pertinent etiam omnia, quæ pater, consanguinei, vel extranei donarunt filio proficiscenti ad militiam *l.* 11. *ff.* & *l.* 1. *C. de castr. pecul. Quasi-castrense*, quod filius acquirit ratione militiæ togatæ v. g. ex officio Judicis, advocati, professoris liberalium artium, ex beneficio clericali &c. *l. fin. C. de inoff. testam.* quo veniunt etiam donata ab Augusto, vel Augusta *l.* 7. *C. de bonis, quæ lib.* His præmissis sciendum ex *pr. h. t.* acquiri nobis non solum per nosmetipsos, sed etiam per personas nostræ potestati subjectas; uti sunt filiifam. & servi; item per servos fructuarios, homines liberos, & servos alienos, quos bona fide possidemus. De quibus omnibus hic agendum.

2. Q. 1. *Quæ bona liberi utriusque sexus in potestate constituti, acquirant patri?* Olim omnia, exceptis castrensibus; sed juxta reformationem Justiniani. ℞. 1. Bona *profectitia* tam quo ad proprietatem, quam quo ad usumfructum acquiruntur patri. §. 1. *h. t.* ubi ratio subditur: *quæ enim invidia est, quod ex patris occasione profectum est, hoc ad eum reverti?* Unde filius diligenter administrando bona patris, quidquid lucratur, patri lucratur; & de rigore Juris nihil pro opera sua, etiam in divisione hæreditatis petere potest. Dicunt tamen Perez, Gomez, & alii, spectata benignitate, & æquitate, tantam portionem assignandam esse filio administranti, quanta competeret Institori secundum morem loci, pensatis laboribus, & commodis partis. *Dices*: Ergo hoc peculium est inutile filio. ℞. *Neg. ill.*, nam quædam commoda habet: 1. Possessionem cum potestate administrandi. 2. In casu, quo bona paterna confiscantur, peculium profectitium manet filio. *l.* 3. §. 4. *ff. de Minor.* 3. In casu emancipationis, si peculium hoc non est expresse ademptum, censetur donatum *l.* 31. §. 1. *ff. de donat.*

3. ℞. 2. Bona *adventitia regularia* quo ad proprietatem acquiruntur liberis, & quo ad usumfructum patri §. 1. *in fin. h. t. l.* 6. *ff. de bonis, quæ lib.* nam ex una parte inhumanum erat, ut quæsita a liberis parum, vel nihil eis prodessent; ex altera vero parte patri non erat consultum, si liberis omnia, & patri nihil acquireretur; ergo ad utrisque consulendum recte statuit Justinianus, ut bona adventitia quo ad proprietatem liberis, & quo ad usumfructum Patri acquirerentur. Nomine *patris* veniunt hic etiam *avi* patria potestate præditi in nepotes. 2. Pater, filio emancipato, hodie mediam partem ususfructus retinet in bonis adventitiis filiorum §. 2. *h. t. l.* 6. §. 3. *C. de bonis quæ liber.* ubi corrigitur jus antiquum, juxta quod tertia pars bonorum adventitiorum cedebat patri, tanquam pretium datæ emancipationis; quod etiam inhumanum videbatur.

4. ℞. 3. Bona *adventitia irregularia* tam quo ad proprietatem, quam usumfructum acquiruntur liberis, & nullo modo patri. His locus est in casibus seqq. 1. Si pater usumfr. remittat *l.* 6. §. 1. *C. de bonis, quæ lib.* 2. Si res donatæ sint ab Augusto, vel Augusta. *l.* 7. *eod.* 3. Si filio donetur aliquid ea conditione, ut plenam proprietatem habeat *Nov.* 117. *c.* 1. quam conditionem apponere potest etiam mater, vel avia quo ad portionem, quæ legitimam superat. *ibid.* cum talis portio etiam extraneo relinqui possit. *Legitima* vero, quæ non est in potestate matris, vel aviæ, sed nititur necessitate Juris, non potest talis conditio apponi, utpote præjudiciosa patri. Sic explicanda *l.* 25. *C. de inoffic. testament.* 4. Si filius invito patre hæreditatem adeat. *l. fin. C. de bon. quæ lib.* 5. Si pater cum filio succedat in hæreditate alterius filii *Nov.* 118. *c.* 2. quæ successio est pinguius beneficium, quam ususfructus, quem olim pater habuit in bonis, in quibus filius filio, seu frater fratri successit *l.* 11. *C. comm. de success. l.* 4. *C. de bonis, quæ lib.* At si pater cum filio succedat extraneo, acquirit usumfructum in parte filii.

5. ℞. 4. Bona castrensia, & quasicastrensia pleno jure acquiruntur filiis; ita ut de illis, tanquam patresfam. libere disponere possint, sive actu inter vivos, sive ultima voluntate. Ita *pr. In. quib. non est permiss.* & toto *tit. ff.* & *C. de castrens. pecul.* nam æquum fuit, ut bona illa tanquam merces laborum relinquerentur filiis, qui pro salute Reipubl. vitam, & vires ingenii exponunt.

6. Q. II. *Quæ bona servi acquirant dominis?* ℞. 1. Servi proprii ex omni causa, puta justa, acquirunt domino etiam ignoranti, vel invito. §. 3. *h. t.* nam, cum servi nihil proprium habere possint, omnia acquirunt domino: quam acquisitionem, utpote effectum dominicæ potestatis a Jure introductum, non potest dominus impedire; ut conf. non sit hic locus regulæ: *invito beneficium non datur*, Excipitur *aditio hæreditatis*, quam ignorante, vel invito domino servus adire nequit, ne domino sit præjudiciosa. *ibid.* Porro servus acquirit domino ignoranti non tantum dominium, sed etiam possessionem rerum tam peculiarum, quam extrapeculiarium, seu extra peculium servi existentium. *l.* 34. §. *fin. ff. acq. poss. l.* 10. §. 2. *ff. de Acq. Rer. Dom.* At possessio cum *conditione usucapiendi* extrapeculiariter non acquiritur domino, nisi scienti; ne forsan usucapio incipiat cum mala fide: quo sensu conciliantur Jura *l.* 1. §. 5. & 13. *l.* 4. *l.* 44. §. 1. *ff. de acq. poss.* Peculio vero acquisitum, possidetur cum conditione usucapiendi *l.* 2. §. 11. *ff. pro emptore*, ne dominus, aut pater per singula momenta cogantur species, seu corpora, & causas peculiorum inquirere. *l.* 44. §. 1. *ff. de acq. poss.* 2. Servus fructuarius in duplici casu acquirit usufructuario: si ex re nostra id proficiscatur, & si operæ servi locentur. §. 4. *h. t.* At servus usuarius tenetur quidem usuario operas necessarias præstare, locari tamen non potest. *l.* 14. *pr. ff. de Usu, & habit.* Cetera, quæ servus fructuarius acquirit v. g. ex donatione, legato, testamento, aut alia causa, quæ intra fructum non continetur, domino proprietatis acquirit: nam taliter quæsita non numerantur in fructu servi, cujus operæ tantum fructificare possunt. Idem dic. de homine libero, & servo alieno, si eos possideamus bona fide instar servi proprii, cum hoc discrimine: quod servus alienus cetera extra fructum proprietario suo acquirat, & intra triennium usucapiatur; liber autem homo bona extra fructum posita sibi acquirat, nec unquam usucapiatur. Ita *cit.* §. 3. & 4. *h. t.*

7. Q. III. *An per extraneam personam, seu potestati nostræ non subjectam, aliquid nobis acquiratur?* ℞. regulariter nihil directe acquiritur §. 5. *h. t.* ex quo fluit trita regula: *per extraneam personam nihil acquiri potest*: nam ideo filius patri, & servus domino acquirit, quia fictione Juris reputantur pro eadem persona; quæ ratio cessat in extraneo respectu extranei. Excipitur procurator, qui mandato, & nomine nostro acquirit nobis non solum possessionem, sed etiam dominium, vel usucapiendi conditionem. *ibid.* non tamen personalem actionem, vel obligationem *l.* 1. *C. h. t. l.* 11. §. 6. *ff. de pignorat. action.* Similiter per tutores, & administratores, institores, seu factores res dominis principalibus acquiruntur. Quare autem obligationes, & actiones per procuratorem, & similes extraneas personas nobis non acquirantur, ratio videtur esse, quia obligationes cohærent ossibus personæ acquirentis, licet utiles actiones dominis principalibus non sint denegandæ. *l.* 28. *ff. de procurat.*

Connexio Praecedentium, & Consequentium.

IMp. §. *fin. h. t.* insinuat, quod a modis, quibus acquiruntur res singulæ transiturus sit ad modos, quibus

bus acquiruntur res universæ: cujusmodi sunt successio ex testamento, vel ab intestato, bonorum possessio a Prætore introducta, arrogatio, assignatio bonorum libertatis conservandæ causa, emptio bonorum debitoris, successio ex Senatusconsulto Claudiano; quibus adde bonorum publicationem, seu confiscationem. *l.* 65. §. 12. *ff. pro socio,* & professionem religiosam. *Auth. ingressi C. de SS. Eccl.* Cum vero de his agam in Jure Can. hic nomina solum insinuabo.

Titulus X. De Testamentis ordinandis. Testamentum est ultima voluntas directam hæredis institutionem continens. *Scriptum* perficitur solemnitate septem testium rogatorum, qui illud subscribunt suis nominibus, & sigillis muniunt. *Nuncupativum* peficitur oretenus coram septem testibus nomen hæredis clare percipientibus. Vide in Jur. Can. *l.* 3. *tit.* 26.

Titulus XI. De Militari testamento. Hoc testamentum in acie confectum est privilegiatum; & quocunque modo fiat, sustinetur, etsi miles sanguine suo in vagina supremam voluntatem suam expresserit. Vide *cit. tit.* 26. *n.* 18.

Titulus XII. Quibus non est permissum facere testamenta. Tales sunt *filii familias*, excepto peculio castrensi, & quasi castrensi, de quo testari possunt: *impuberes*, ante quam masculus annum 14. & fœmina an 12. compleat: *furiosi: prodigi juridice: surdus, & mutus: captivi apud hostes:* & plures alii, de quibus *cit. tit.* 26. *a n.* 5.

Titulus XIII. De exhæredatione liberorum. Liberi, vel hæredes instituendi sunt, vel nominatim exhæredandi in testamento, expressa causa exhæredationis; secus testamentum non valet. Nomine liberorum veniunt etiam posthumi, emancipati, & adoptivi. Vide *cit. tit.* 26. *a n.* 15.

Titulus XIV. De Hæredibus instituendis. Hæredes institui possunt tam liberi homines, quam servi proprii, aut alieni, unus, vel plures usque in infinitum, eisque hæreditas dividitur plerumque in 12. uncias. Hæc institutio fieri potest, vel pure, vel conditionate sub conditione honesta, & possibili: conditio vero turpis, aut impossibilis; uti est adjectio *ex certo tempore*, vel *ad certum tempus*, habentur pro non scriptis. Vide *cit. tit.* 26. *a n.* 24.

Titulus XV. De vulgari substitutione. Substitutio est secunda institutio in locum primi hæredis. *Vulgaris* a vulgo, seu a quocunque fieri potest in casum, quo primus hæres *non erit*: qui casus vulgaris est duplex: *impotentiæ*, si ob defectum aliquem primo institutus hæres esse non potest: & *voluntatis*, si hæres esse non vult v. g. *Titulus hæres esto, & si Titius hæres non erit, Cajus hæres esto.* Vide *cit. tit.* 26. *a n.* 23. & 36.

Titulus XVI. De Pupillari substitutione. Hanc faciunt parentes liberis impuberibus in potestate constitutis; verbi gratia sub hac forma; *Titius filius meus hæres esto, & si hæres fuerit, & impubes decesserit, Cajus hæres esto.* Quasi-pupillaris substitutio est, qua parentes utriusque sexus filio furioso, aut mente capto alium hæredem substituunt in casum, quo filius in tali statu constitutus sine testamento decederet. Vide *cit. tit.* 26. *a n.* 37.

Titulus XVII. Quibus modis testamenta infirmentur. Testamenta Jure, seu valide facta infirmantur 1. dum testatore in eodem statu juridico permanente, testamentum *rumpitur agnatione* posthumi, vel *arrogatione*, vel *mutatione voluntatis*; qua prius testamentum cassatur, & alterum legitime conditur. 2. Dum testamentum *irritatur* propter mutatum statum testatoris; ut si maximam, mediam, vel minimam capitis diminutionem patiatur. 3. Dum testamentum *destituitur* per repudiationem hæreditatis delatæ. Ex his capitibus dicitur testamentum ipso Jure *ruptum*, *irritum*, & *destitutum*: *injustum* vero est, quod ab initio non valet: quale etiam est, si Princeps litis causa, hæres instituatur, vel in testamento imperfecto hæres scribatur. §. *fin. h. t.* Vide *cit. tit.* 26. *n.* 69.

Titulus XVIII. De inofficioso testamento. Querela *inofficiosi* testamenti, seu contra officium pietatis conditi, competebat liberis, qui in testamento paterno injuste exhæredati, aut præteriti sunt; ad hoc, ut rescindatur, & hæreditas ab intestato capiatur. Hodie testamenta inofficiosa videntur ipso Jure nulla per *Nov.* 115. *c.* 3. *in fin.* Vide *cit. tit.* 26. *n.* 70. Si liberi instituti sunt, non tamen in portione æqua, legitimam adæquante, non agunt *querela inofficiosi*, sed actione ad supplementum. §. 3. *h. t.* Legitima olim fuit *quarta*, seu *quadrans*; hodie est *tertia* pars, hoc triens totius assis, seu hæreditatis pro liberis quatuor, vel paucioribus; & media pars, seu semissis pro quinque, seu pluribus liberis. *cit. tit.* 26. *n.* 33. & *seqq.*

Titulus XIX. De hæredum qualitate, & differentia. Hæredes alii sunt *necessarii* tantum, qui instituti necessario adire debent hæreditatem, uti servi. Alii sunt *sui*, & *necessarii*, qui necessario institui debent; & olim necessario adire debebant hæreditatem, seu ei se immiscere, ut liberi in patria potestate constituti. Hodie vero propter beneficium *abstentionis* non tenentur se immiscere hæreditati, licet a parentibus necessario institui debeant hæredes: quo in puncto exequati sunt eis liberi emancipati. Alii denique hæredes sunt *extranei*, seu *voluntarii*, qui nec necessario institui, nec necessario adire debent hæreditatem, ut fratres, consanguinei, & alii quicunque. Vide *cit. tit.* 26. *num.* 22. & 25.

Titulus XX. De Legatis. Legatum objective est res aliqua singularis, una vel plures, alicui a testatore relicta, directis verbis v. g. *Titio lego centum*: si vero fiat verbis ad hæredem directis v. g. *Lucium hæredem meum rogo*, hoc est mando, *ut Titio det centum*, vocatur *fideicommissum particulare;* sed hæc duo a Justiniano exæquata sunt. De legatis vide *cit. tit.* 26. *nu.* 40. & *seqq.*

Titulus XXI. De Ademptione Legatorum. Tunc legata *adimuntur*, dum a testatore revocantur vel in eodem testamento, vel in codicillis: tunc vero *transferuntur*, dum uni adempta, alteri applicantur a testatore v. g. *vineam, quam Titio legavi, lego Cajo h.t.*

Titulus XXII. De Lege Falcidia. Lex ista, seu Plebiscitum a Falcidio Tribuno plebis latum, providet hæredi excessivis legatis gravato, ut si pro sua portione quartam non habeat, proportionaliter ex omnibus legatis tantum detrahat, quantum necesse est ad quartam constituendam. Et hæc quarta detracta vocatur objective *Falcidia*. Vide in Jur. Can. *cit. tit.* 26. *n.* 42. & *seqq.*

Titulus XXIII. De Fideicommissariis hæreditatibus, & ad Senatusconsultum Trebellianum. Hæreditas fideicommissaria, seu fideicommissum universale objective spectatum, est tota hæreditas, vel certa illius pars v. g. triens, semissis &c. quam hæres institutus a testatore rogatus, seu gravatus, tenetur restituere hæredi oblique substituto, seu fideicommissario; ut si testator dicat: *Titius hæres esto, eumque rogo* hoc est mando, *ut hæreditatem, vel quadrantem hæreditatis restituat Cajo.* Is, qui restituit, vocatur *hæres fiduciarius*, seu *gravatus*, is, cui restituit, vocatur *hæres fideicommissarius*: id, quod restituitur, vocatur *fideicommissum*. Ne vero hæres institutus parum, vel nihil ex hæreditate caperet, provisum est ei per Senatusconsultum Trebellianum, & Pegasianum, ut detrahere possit quartam totius, vel partis hæreditatis, quæ quarta communiter vocatur *trebellianica*. Vide *cit. tit.* 26. *num.* 40. 44. & *seqq.*

Titulus XXIV. De Singulis rebus per fideicommissum relictis. Fideicommissa particularia, quibus singulæ res, hoc est res particulares relinquuntur, exæquata sunt legatis; adeoque quæ legari, etiam fideicommitti possunt; uti res, & libertates: imo ipse legatarius, vel fideicommissarius gravari potest, ut alteri aliquid restituat; dummodo non gravetur in plus, quam a testatore acceperit. Vide *cit. tit.* 26. *n.* 42.

Titulus XXV. De Codicillis. Codicillus est ultima voluntas minus solemnis, ad cujus validitatem quinque tantum testes sufficiunt; & fieri potest etiam non condito testamento; & in eo fieri possunt legata, fideicommissa; non tamen directa hæredis institutio, sicut in testamento; alias institutio talis, ne pereat, flectenda est in substitutionem, & fideicommissariam hæreditatem. *l.* 29. §. 1. *ff.* qui testamenta facere possint. Vide *cit. tit.* 26. *n.* 66. Cetera invenies de ultimis voluntatibus, quæ hic repetere superfluum foret.

I N-

INSTITUTIONUM CIVICO-CANONICARUM LIBER TERTIUS.

1. IN hoc libro continuatur tractatio de secundo objecto materiali Juris, seu *De Rebus* universis acquirendis successione ab intestato, arrogatione &c. item de rebus incorporalibus, seu obligationibus acquirendis ex contractu, & quasi contractu, ex maleficio, seu delicto, & quasi-delicto; de quibus *seq. lib.* 4. *tit.* 1. *usque ad* 5. inclusive: quo usque aliqui extendunt hunc librum tertium, alii vero lib. 4. inchoant a *tit. de obligationibus*; quia obligatio tanquam mater *actionis* referenda videtur ad actiones, de quibus *lib. seq.* Porro ea, quæ hic traduntur de successionibus ab intestato per primos 10. titulos, fere omnia immutata sunt, & observantur Jura nova ut reperies in Jure Can. *lib.* 3. *tit.* 27. Similiter tractationem plenam de obligationibus, contractibus, & delictis reperies in Jure Can. *lib.* 3. & 5. adeoque in præsenti sufficiet voces aliquas explanare, ut in prioribus titulis factum.

2. *Titulus I. De Hæreditatibus, quæ ab intestato deferuntur.* Tunc locus est successioni legitimæ, seu ab intestato, dum testator vel nullum testamentum fecit, vel illud non-Jure, seu invalide fecit; vel quod fecit valide, hoc ruptum, aut irritum factum est. Qui autem, & quo ordine succedant hodie ab intestato vide in Jure Can. *lib.* 3. *tit.* 27.

3. *Titulus II. De Legitima Agnatorum successione.* Traditur hic, quomodo olim agnati proximi, per lineam masculinam descendentes ex L. XII. Tabb. successerint ab intestato.

4. *Titulus III.* & *IV.* De Senatus Consulto Tertylliano, vi cujus mater liberis: & *Orficiano*, vi cujus liberi matri suæ succedebant ab intestato.

5. *Titulus V. De Successione Cognatorum.* Deficiente ordine 1. Suorum, ac emancipatorum, & secundo ordine agnatorum, in tertio ordine Jureprætorio succedebant *cognati* per *Unde Cognati.*

6. *Titulus VI. De Gradibus Cognationum.* Quo modo computentur gradus cognationum de Jure Civ. in ordine ad hæreditates, vide *cit. tit.* 27. *n.* 14.

7. *Titulus VII. De Servili Cognatione.* Hæc datur inter liberos servorum. De Jure Justinian. filii libertinorum, sive ante, sive post manumissionem nati, modo liberi sint, succedunt parentibus; imo & fratres fratribus, jure patronatus sopito; nam hoc æquum videbatur.

8. *Titulus VIII. De Successione Libertorum.* In *h. t.* explicatur quomodo patronus succedat suis libertis; sed hi apud nos non dantur.

9. *Titulus IX. de Assignatione Libertorum.* Olim patronus suo filio, aut filiæ assignare potuit libertum, aut libertam, cui succederent tanquam patroni.

10. *Titulus X. De Bonorum Possessionibus.* Præmissi sunt duo modi acquirendi *res universas*, scil. successio testamentaria, & ab intestato; hic ponitur tertius modus, seu *Successio Prætoria*, quæ dicitur *Bonorum possessio*, a Prætore introducta, quia Prætor hæredem facere non potest, sicut lex, sed bonorum possessorem: licet in effectu parum differant hæc duo. Vide *cit. tit.* 27. *n.* 9.

11. *Titulus XI. De Acquisitione per arrogationem.* Arrogatio est quartus modus res universas acquirendi: & quidem hodie bona arrogati tantum quo ad usumfructum acquiruntur arrogatori: deinde bona profectitia quo ad dominium, & usumfructum; bona vero castrensia nullo modo: nam Justinianus in hoc puncto arrogatos exæquavit liberis naturalibus. §. 2. *h. t.* Jam si arrogatus pubes moriatur in familia adoptiva, proprietas bonorum transit ad arrogantem; nisi adsint personæ, quæ patribus in successione præferuntur, ut liberi arrogati. *l. fin. C. commun. de Success.* Si vero moriatur impubes, bona ejus transeunt ad agnatos etiam remotiores ex Constit. D. Pii §. 3. *de adoption.* E contra arrogator tenetur arrogatum defendere ratione debitorum, etiam ante arrogationem contractorum: nam qui sentit commodum, debet etiam sentire onus.

12. *Titulus XII. De eo, cui libertatis causa bona addicuntur.* Quintus modus res universas acquirendi est addictio bonorum libertatis causa ex Const. D. Marci, pro illo casu, quo libertates in testamento, vel ab intestato dantur, & nullus vult hæres esse: tunc enim is, cui libertas relicta est, poterit petere bona testatoris sibi addici; modo det idoneam cautionem de debitis in solidum solvendis. Ceteros autem servos, quibus libertas relicta est, non aliter suos libertos faciet, nisi isti consentiant. Hodie deficientibus servis, fere deficiunt ista Jura.

13. *Titulus XIII. de Successionibus sublatis, quæ fiebant per bonorum venditiones, & Senatus Consulto Claudiano.* Sextus modus res universas acquirendi olim fuit *Bonorum Emptio*, dum quis bona debitoris a creditoribus venum exposita emit; atque ita factus est successor debitoris. Sed scrupulosis solemnitatibus antiquatis, hodie creditores, implorato officio Judicis, jubentur bona possidere, atque de illis pro quantitate debiti disponere *Nov.* 53. *l.* 7. *ff. quib. ex. caus. in poss. eat.* Septimus modus res universas acquirendi olim erat ex Senatus Consulto Claudiano, vi cujus bona mulieris libera, quæ servo alieno se prostituit, acquirebantur domino istius servi, & ipsa mulier fiebat ancilla ejusdem domini cum prolibus ex tali contubernio natis. §. *fin. h. t. l.* 11. *C. Theod. ad Senatus Consultum Claud.* Quod indignum ratus Imp. Justinian. dispositionem Senatus Consulti sustulit, neque eam suis Digestis inseri permisit.

Connexio Præcedentium, & Consequentium.

HActenus tractatum est de modis, quibus acquiruntur res, tam singulæ, quam universæ: nunc de modis, quibus acquiruntur obligationes ex contractibus, vel quasi-contractibus: de quibus fusius ago in Jure Can. *lib.* 3. *a tit.* 14.

14. *Tit. XIV. De Obligationibus.* Obligatio est Juris vinculum, quo necessitate adstringimur alicujus rei solvendæ secundum nostræ civitatis Jura. Juxta quam definitionem obligatio summa divisione dividitur in *civilem* stricte, quæ ex aliqua specie Juris civilis, & *prætoriam*, quæ ex Jure prætorio descendit. Alioquin obligatio dividitur in *naturalem*, quæ ex solo Jure naturali descendit; uti ex pacto nudo, & *civilem* communiter talem, quæ ex Jure naturali, & simul civili descendit; ob quod etiam dici solet *mixta*; uti sunt fere omnes obligationes ex contractibus, & *pure civilem*, quæ ex solo jure civili, & non ex naturali descendit; uti est literarum obligatio, non-numerata pecunia. Hanc ultimam multi negant. 2. Obligatio dividitur in 4. species: *ex contractu*, *ex quasi-contractu*, ex *maleficio*, & *quasi-maleficio*, seu *delicto*. Obligationes ex contractu, vel quasi, aliæ sunt *reales*, aliæ *verbales*, aliæ *literales*, seu *chirographariæ*, aliæ *consensuales*: siquidem obligatio contrahitur aut *re*, aut *verbis*, aut *literis*, aut *consensu*. Vide in *Jur. Can. lib.* 3. *tit.* 14. *n.* 1. *usque ad* 22.

15. *Titulus XV. Quibus modis re contrahitur obligatio.* In *h. t.* explicantur quatuor contractus *reales*: *mutuum*, de quo *l.* 5. *tit. de usur. commodatum*, *depositum*, *pignus*, de quibus *lib.* 3. *tit. de commod. deposit. pignor.* & unus quasi-contractus *realis*, *indebiti solutio*, de qua *lib.* 3. *tit.* 22. *n.* 28. in Jur. Can.

16. *Titulus XVI. De Verborum Obligationibus.* In *h. t.* cum quatuor seqq. explicatur contractus, & obligatio verbalis, quæ oritur ex stipulatione, de qua *lib.* 3. *tit.* 22. *n.* 14. in Jur. Can. Hodie scupulositas formulæ stipulationis jam fere exolevit; quia nunc omnis seria promissio acceptata vim habet stipulationis, paritque obligationem, & actionem civilem.

17. *Titulus XVII. De duobus Reis stipulandi*, & pro-

promittendi. *Duo vel plures Rei stipulandi* sunt, qui stipulatur sibi aliquid ab altero dari, vel fieri, & promissor una responsione utrique, vel pluribus respondet v. g. utrique, vel cuique vestrum dare spondeo. Duo *Rei promittendi* sunt, dum uni stipulanti plures aliquid simul promittunt. v. g. *Titi, & Mævi spondes centum dare*? utroque respondente: *spondeo*, Titius, & Mævius fiunt *Correi promittendi*. In aliis contractibus vocantur *Correi credendi*, quibus aliquid debetur, & *Correi debendi*, qui debent aliquid alteri. Debitum ex hujusmodi obligationibus est *in solidum*; quia solidum singulis debetur, & promittentes singuli in solidum tenentur §. 1. *h. t.* æquitas tamen suadet, ut unus solidum solvens regressum habeat contra alterum pro dimidio debito, quasi negotium ipsius gessisset; imo beneficium divisionis non videtur Correis debendi denegandum *Nov. 89. c. 5. Auth. Hoc ita. C. h. t.* ex quo emendatur *l. 2. C. & l. 2. 11. ff. eod.* Ceterum non repugnat, ut ex duobus reis promittendi, alius *pure*, alius *sub conditione*, aut *in diem* obligetur. §. *fin. h. t.*

18. *Titulus XVIII. De Stipulatione Servorum*. 1. Servus, non quidem ex propria persona, sed ex persona domini (vel hæreditatis jacentis ceu dominæ) jus habet stipulandi, & quidquid rerum acquirit, domino acquirit. Liberi quoque in potestate patria positi stipulando acquirunt patri; & quidem peculium profectitium plene, adventitium quo ad usumfructum; castrense nullo modo, sed sibi. Manz. 2. Si servus *factum* stipuletur v. g. ire; vel agere per fundum alterius, obligatio quidem, & actio sustinetur in persona domini; ipsum vero factum solus servus, non dominus, exercere potest; ut ire per fundum alienum §. 2. *h. t.* 3. Servus communis communiter acquirit utrique domino; nisi specialiter jussu, aut nomine unius stipuletur; vel si alteri acquiri nequeat: tunc enim solidum uni domino acquiritur. §. *fin. h. t.*

19. *Titulus XIX. De divisione stipulationum*. Stipulationes aliæ sunt *judiciales*, aliæ *prætoriæ*, & aliæ *conventionales*, aliæ *communes* sive sint prætoriæ, sive Judiciales *pr. h. t. Judiciales* sunt, quæ fiunt ad præceptum Judicis; ut cautio *de dolo*, ne v. g. pendente judicio, res destruatur, cautio *de persequendo servo, qui in fuga est*, ne ipsum v. g. alteri legatum, hæres abire sinat &c. 2. *Prætoriæ* sunt, quæ descendunt ex Edicto Prætoris; & plerumque implorato nobili officio conceduntur; ut cautio *de damno infecto*, *de legato*, vel *fideicommisso* custodiendo in casu, quo sub conditione, vel in diem relictum est. Huc etiam spectant cautiones ædilitiæ y. g. duplæ in casum evictionis *l. 56. ff. de eviction.* de indemnitate, si res vitiosa vendita est *l. 1. §. 1. ff. de Ædil. Edict.* 3. *Conventionales*; quæ fiunt ex conventione partium, suntque innumeræ, sicut negotia. 4. *Communes*, quæ jussu Prætoris extra judicium, vel officio Judicis in judicio fiunt v. g. *rem pupilli salvam fore*, *rem ratam haberi* &c. Vide in Pandectis *lib. 46. tit. 4.* & *seqq.*

20. *Titulus XX. De inutilibus stipulationibus*. Stipulatio, cujus materia est omnis res dominio nostro subjicibilis, redditur vitiosa, seu inutilis ex pluribus capitibus: 1. Si fiat circa rem impossibilem, sacram, religiosam, & extra commercium humanum positam, turpem, vel suam, aut circa factum alienum, quod non est in potestate promittentis. §. 1. 2. *h. t.* Neque senatur talis stipulatio, si referatur ad tempus habile v. g. dum res sacra erit profana, dum liber homo erit servus: quia funestum est expectare eventum talis conditionis. 2. Si quis extraneæ personæ stipuletur, nihil agit, nisi sola solutio in extraneum referatur, ut *mihi, aut Sejo dare spondes*. Si quis vero sibi, & alteri stipuletur, valet quidem stipulatio in dimidium, sed non in solidum §. 3. 4. *h. t.* 3. Si responsio incongrua fiat, ut si interrogeris pure, & respondeas conditionate. Eo tamen casu, quo quis stipulatur decem aureos, & tu promittis quinque, non subsistit quidem stipulatio quo ad decem, ut loquitur Imp. §. 5. *h. t.* bene vero quo ad quinque; in qua summa ambo conveniunt, neque utile per inutile vitiandum est. 4. Si stipuletur quis ab eo, cujus juri subjectus est, & e contra; vel mutus, furiosus, vel a pupillo sine auctoritate tutoris. Pupillus tamen intellectum habens per se recte stipulatur. §. 6. 7. 8. 9. 10. *h. t.* 5. Si adjiciatur conditio impossibilis affirmative v. g. *si digito cœlum attigero*, *dare spondes*? at negative valet: *si digito cœlum non attigero*, non tamen inter absentes. §. 11. 12. *h. t.* 6. Stipulatio concepta in tempus mortis, vel pridie mortis, vel præpostere, ut *si navis ex Asia venerit, hodie dare spondes*; valet, quia contractus ex conventione legem accipiunt. §. 13. & *seqq. h. t.* 7. Si erretur in corpore, seu re, ut si tu Stichum stipuleris, & alter de Pamphilo sentiat. §. 23. *h. t.* 8. Qui stipulatur hoc anno, vel hoc mense sibi dari, non potest petere, nisi lapso toto anno, aut mense. §. 26. *h. t.* nam totum illud tempus est in favorem debitoris, additurque solutionis differendæ causa. §. 2. *Inst. de Verb. Oblig.* At si quis *annuum quid*, *quot annis*, *in annos*, vel *menses stipuletur*, pura est stipulatio, & statim a principio anni; vel mensis recte petitur, v. g. *decem quo ad vivam*, vel *in annos singulos dare spondes*? § 3. *In.* & *l. 56. §. 4. ff. de Verb. Oblig.* nam hoc casu tempus additur favore creditoris, non differendæ, sed multiplicandæ obligationis causa. 9. Si fundum, vel hominem stipuleris, stipulatio quidem pura est, sed civiliter intelligenda, ut tradita fiat tempore commodo. §. *fin. h. t.* quia creditor non statim debitorem *cum sacco adire debet*. *l. 105. ff. de solution.* Cetera vide in textu hic, & *tit. ff. de Verb. Oblig.* & *tit. C. de inutil. stipul.*

21. *Titulus XXI. De Fidejussoribus*. In *h. t.* continuatur materia stipulationum, quia fidejussio fit per stipulationem; estque obligatio accessoria, quæ omnibus obligationibus principalibus accedere potest ex hoc, ut creditoribus diligentius cautum sit. Vide in Jure Can. *lib. 3. tit. 22.*

22. *Titulus XXII. De litterarum obligationibus*. In *h. t.* agitur de tertia specie contractuum, seu de contractu chirographario, qui fere in uno tantum casu fieri solet, dum quis in chirographo confitetur, se numeratam pecuniam accepisse, quam tamen non accepit. Ex hoc chirographo scribens obligatur saltem mere civiliter; ei tamen succurritur per exceptionem pecuniæ non-numeratæ, quam intra biennium opponere potest. Vide in Jure Can. *lib. 3. tit. 22. n. 15.*

23. *Titulus XXIII. De obligationibus ex consensu*. In *h. t.* agitur de contractibus consensualibus in genere, ita dictis, quod solo consensu contrahantur, ut neque scriptura, neque præsentia contrahentium, neque verba formalia, neque traditio rei sit necessaria; sed sufficiat, quocunque modo consensus mutuus explicetur. Tales contactus sunt bonæ fidei, & numerantur seqq. *Emptio-venditio*, *locatio-conductio*, *societas*, *mandatum*, de quibus agitur titulis 24. 25. 26. 27. Vide in Jure Can. *lib. 3. tit. 17.* & *seqq.*

24. *Titulus XXVIII. De obligationibus ex quasi-contractu*, seu *quæ ex quasi-contractu nascuntur*. In *h. t.* agitur de illis obligationibus, quæ ex præsumpto consensu oriuntur, non vero proprie ex contractu, vel delicto, cujusmodi sunt: *Negotiorum gestio*, *tutela*, & *curatela*, *communitas rei singularis* absque societate, *communio familiæ herciscundæ*, seu hæreditatis dividendæ, *aditio hæreditatis* in ordine ad legata exolvenda, *indebiti solutio*. De quibus in Jure Can. *libr. 3. tit. 22. n. 23.*

25. *Titulus XXIX. Per quas personas nobis obligatio acquiritur*. A regula generali, secundum quam quisque sibi acquirit, excipiuntur personæ potestati subjectæ, per quas nobis obligatio, & actio acquiritur: & quidem 1. Quod per servos acquiritur, totum nostrum est; quod vero acquiritur per liberos in potestate patria constitutos, attenditur ratio peculii, juxta dicta supra *tit. per quas pers. cuique acq.* 2. Servi fructuarii, alieni, & liberi homines, quos bona fide pro servis nostris possidemus, acquirunt nobis obligationem tantum ex duabus causis, scilicet *ex operis suis*, & *re nostra*. 3. Servus communis communiter utrique domino acquirit, nisi specialiter jussu, vel nomine unius stipuletur. *h. t.* 4. Persona extranea, uti procurator, licet nobis res acquirat, non tamen obligationes, seu actiones, saltem directas, ut dictum supra *cit. tit.*

26. *Titulus XXX. Quibus modis tollitur obligatio*. Absolutis modis, quibus obligatio contrahitur ex contractibus, vel quasi, in *h. t.* ponuntur modi, quibus obligatio distrahitur, seu tollitur: cujusmodi principales sunt *Solutio*, *acceptilatio*, *novatio*, *mutuus consensus*, & alii, de quibus in Jure Can. *lib. 3. tit. 23.*

INSTITUTIONUM CIVICO-CANONICARUM LIBER QUARTUS.

De Actionibus.

PRincipale objectum materiale hujus libri sunt *Actiones* tam civiles, quam criminales: prius tamen quam de iis agat Imperator, præmittit quædam delicta privata, & quasi-delicta, ex quibus obligatio contrahitur. Cum vero de his agam in Jure Can. hic tantum nomina eorum insinuabo.

1. *Titulus I. De obligationibus, quæ ex delicto nascuntur*. Rubrica ista est una ex illis, quæ sunt strictiores nigro, seu textu supposito, cum in *h. t.* agatur non tantum de delictis in genere, sed etiam de furto in specie. Quamvis autem delictum theologice committi possit solo consensu; juridice tamen non censetur committi, nisi prorumpat in actum exteriorem sensibilem; & ideo Imp. *pr. h. t.* dicit, obligationes ex maleficio, & quasi, *unius generis esse*, puta summi: *nam omnes ex re nascuntur, id est, ex ipso maleficio, veluti ex furto, rapina* &c. Furtum est contrectatio fraudulosa lucri faciendi gratia, vel ipsius rei, vel usus, aut possessionis: adeoque furtum committitur, si quis invito domino dolose rem ejus auferat, vel ea utatur, vel possessionem ejus retineat. Pœna furti *manifesti*, in quo fur deprehenditur, est *quadruplum*; & furti *nec manifesti*, in quo fur non deprehenditur, est duplum. Vide in Jur. Can. *l.* 5. *tit.* 18.

2. *Titulus II. De Vi bonorum raptorum*. In *h. t.* agitur de rapinæ delicto, cujus pœna, est triplum. Vide in Jur. Can. *lib.* 5. *tit.* 17. *n.* 5.

3. *Titulus III. De Lege Aquilia*. In *h. t.* agitur de damno dato per dolum, culpam latam, levem, aut levissimam; ut si quis sine ullo suo commodo servum alienum, aut pecudem occidat, ædes succendat, vel aliud quid rumpat, frangat, adurat. Vide in Jur. Can. *lib.* 5. *tit.* 36. *a n.* 15.

4. *Titulus IV. De Injuriis*. In *h. t.* agitur de delicto *contumeliæ*, seu injuriæ specialiter sumptæ, dum quis alium inhonorat vel *facto reali*, illum fustibus cædendo, verberando, vel *verbo* aut *scripto* contumelioso, dicendo illum esse adulterum, furem &c. Vide in Jur. Can. *lib.* 5. *tit.* 36. *a n.* 1.

5. *Titulus V. De Obligationibus, quæ ex quasi-delicto nascuntur*. In *h. t.* enumerantur quasi-delicta, scil. *imperitia*, & *imprudentia* Judicis male judicantis, quasi delictum *effusi, dejecti, suspensi, exercitoris* navis, cauponæ, & stabuli malis hominibus, & in suo officio delinquentibus utentis. Vide in Jur. Can. *lib.* 5. *tit.* 36. *a n.* 31.

TITULUS VI.

De Actionibus.

HIc incipit tractatio de tertio objecto materiali Juris; scil. de *Actionibus* per totum fere Jus vagantibus. Cum vero notitia *Actionum* sit summe utilis, & necessaria, paulo fusius de illis agam; ita tamen, ut a methodo doctrinaliter scribendi non recedam.

§. I.

Tabula Generalis Actionum.

1\. 1. Actio ex parte *materiæ* dividitur in *realem*, quæ oritur ex jure in re; uti est *reivindicatio* pro rebus corporalibus; actio *confessoria*, & *negatoria* pro incorporalibus; *publiciana; rescissoria*; *serviana*, & *quasi-serviana*, seu *hypotecaria*: & *personalem*, seu conditionem, quæ oritur ex contractu, vel quasi, ex delicto, vel quasi; uti sunt omnes actiones ex contractibus, & delictis descendentes.

2\. 2. Actio ex parte *causæ efficientis* dividitur in *civilem*, & *prætoriam* §. 3. *h. t. Civilis* est, quæ descendit ex aliqua specie Juris civilis, puta ex legibus, vel Senatus Consultis, Plebiscitis, Constitutionibus Principum, vel Responsis Prudentum. *Prætoria*, seu *honoraria* est, quæ descendit ex Jure prætorio, seu ex Edictis Magistratuum. Sub *civili* continentur reales, *rei-vindicatio*, *confessoria*, *negatoria*, & plurimæ personales ex contractibus, & delictis. Sub *prætoria* continentur quinque reales: *publiciana*, *rescissoria*, *pauliana*, *serviana*, & *quasi-serviana*. §. 4. 5. 6. 7. 8. *h. t.* Personales de *constituta pecunia*, de *peculio*, *in factum ex jurejurando*, pœnales de *albo corrupto*, *in factum ex edicto: ne quis parentem, vel patronum in jus vocet*, & *in factum ex edicto: ne quis vi eximat eum, qui in jus vocatus est*: præjudiciales in causa *libertatis* inter dominum, & servum, in causa *ingenuitatis* inter patronum, & libertum, in causa *agnoscendi partus* inter patrem, & filium. Ex his patet, quod Prætor vi suæ jurisdictionis concedat actiones *reales*, *personales*, *pœnales*, & *præjudiciales*, ut docet Imp. a §. 5. *usque ad* 13. *h. t.*

3\. 3. Actio ex causa finali dividitur in *persecutoriam rei*, *persecutoriam pœnæ*, & *persecutoriam rei*, & *pœnæ simul*, seu *mixtam*. Sub *persecutoria rei* continentur omnes reales, tres præjudiciales, omnes personales civiles, excepta actione *depositi*, quæ in uno casu ruinæ, incendii &c. est mixta. §. 17. *h. t.* Sub *persecutoria pœnæ tantum* continetur actio *furti manifesti* in quadruplum, & *nec-manifesti* in duplum puræ pœnæ. §. 18. *h. t.* Sub *mixta* continentur: actio *vi bonorum raptorum*, in simplum rei, & triplum pœnæ, *L. Aquiliæ* contra inficiantem in duplum, & contra confitentem in simplum cum modica pœna ex *c.* 1. & 3. *L. Aquil.* Actio ex *testamento in duplum* contra hæredem, qui vel negat aliquid relictum esse venerabilibus locis, vel non vult id dare, nisi provocatus ad judicium. Ita hæc tradit Imp. a §. 16. *usque ad* 19. *h. t.*

4\. 4. Actio dividitur in *puram realem*, & *puram personalem*, & *mixtam* ex utraque, quæ partim in rem, partim in personam dirigitur. §. 20. *h. t.* cujusmodi sunt *petitio hæreditatis*, *familiæ herciscundæ*, *communi dividundo*, *finium regundorum*. Ubi adverte hic actionem *mixtam* alio sensu accipi, quam §. 16. & 19. *h. t.* nam hic in §. 20. accipitur actio mixta ex *reali*, & *personali*, ibi vero in §. 16. & 19. accipitur actio mixta ex *persecutoria rei*, & *pœnæ*. An vero inter actionem realem, & personalem mediet actio mixta substantialiter diversa, dicam *seq.* §. 2.

5\. 5. Actio ex parte *quantitatis*, seu *modi* dividitur in actionem *simpli*, seu *simplarem*, qua simplum rei petitur; uti ex stipulatione, mutuo, vendito &c. *Dupli*, seu *duplarem*; uti est furti nec manifesti, L. Aquiliæ contra inficiantem, depositi tempore ruinæ; vel incendii, servi corrupti, legati venerabilibus locis relicti. *Tripli*, seu *triplarem*; uti est condictio de sportulis majoribus. *Quadrupli*, seu *quadruplarem*, uti sunt furti manifesti, quod metus causa, calumniæ ex edicto Prætoris, condictio ex lege contra executores. Ita Imp. §. 21. *usque ad* 27. *h. t.*

6\. 6. Actio ex parte *qualitatis* dividitur in actiones bonæ fidei, & stricti juris. *Bonæ fidei* enumerantur §. 28. *h. t. ex empto*, *vendito* &c. ceteræ omnes sunt stricti juris; ut vindicatio, condictio certi ex mutuo, condictio indebiti, actio ex stipulatu, testamento, finium

finium regundorum, actiones in factum ex interdictis, actiones pœnales ex delictis, actiones ex donatione, & aliis contractibus unilateralibus. §. 28. 29. 30. *h. t.*

7. 7. Actio ex modo *condemnandi* dividitur in *arbitrariam*, & *non-arbitrariam*. In illa, non in ista permittitur Judici arbitrari per interlocutoriam, antequam condemnet per definitivam secundum rigorem Juris. Arbitrariæ sunt: *publiciana*, *serviana*, *quasi serviana*, *quod metus causa*, *de dolo*, *de eo*, *quod certo loco*, *ad exhibendum*, *noxalis ex delicto servi* §. 31. *h. t.*

8. 8. Actio ex parte *effectus*, alia est *in solidum*, seu *persecutoria solidi*, aut totius debiti; alia in non-solidum, seu *persecutoria minoris*; ut de peculio, actio contra eos, qui gaudent beneficio competentiæ, vel qui opponunt compensationem, vel bonis cesserunt. Ita §. 36. *usque ad* 40. *h. t.* Hæ sunt divisiones actionum, quæ in *h. t.* traduntur: ceteræ ex aliis titulis eruendæ erunt.

9. 9. Actio ex *modo obligandi* dividitur in *directam*, seu *principalem*, dum quis ratione propriæ personæ contrahentis, aut delinquentis obligatur; uti ordinarie accidit: & *indirectam*, *obliquam*, seu *accessoriam*, aut *adjectitiam*; dum quis ratione personæ alterius obligatur: cujusmodi sunt ex contractu; *quod jussu*, *exercitoria*, *institoria*, *tributoria*, *de peculio*, *de in rem verso*, de quibus *seq. tit.* 7. & ex maleficio *noxalis tit.* 8. *quadrupedaria tit.* 9. item actio *effusi*, *dejecti*, *suspensi*, *de dolo*, aut *furto* contra exercitorem navis, cauponæ, aut stabuli, de quibus supra hoc libro *tit.* 5.

10. 10. Actio *ex modo durationis*, & *transmissionis* dividitur in *perpetuam*, & *temporalem*, *transitoriam*, & *non-transitoriam* ad, vel in hæredes, de quibus infra *tit.* 12.

11. 11. Actio ex *consideratione legis* dividitur in *directam*, quæ descendit ex verbis legis; *utilem*, quæ datur ex interpretatione, & ratione legis, & *actionem in factum*, quæ neque ex verbis neque ex interpretatione legis datur, sed ex quadam æquitate conformi legi. §. *fin. In. de L. Aquil.* Sæpe tamen in hoc sensu *actio utilis*, & *in factum* confunditur etiam in Jure; ut patet ex §. *fin. In. de L. Aquil.* ubi causam mortis dans dicitur teneri *utili actione* L. Aquiliæ, & *l.* 7. §. 6. *l.* 9. *pr.* & §. 2. 3. *ff. eod.* dicitur teneri actione in factum. Alio sensu dicitur *actio in factum*, prout opponitur actioni *nominatæ*, quæ proprium nomen in Jure habet; & ita omnis actio proprio nomine in Jure carens, dici solet *in factum*, sicut ex contractibus innominatis &c.

12. 12. Actio ex *reciproco respectu contrahentium* dividitur in *directam*, quæ datur contra illum, qui per se, & principaliter obligatur ex contractu; & *contrariam*, quæ datur contra illum, qui secundario, & per accidens obligatur. Sic ex commodato *directa* actio datur commodanti contra commodatarium: *contraria* vero datur commodatario contra commodantem, si quid in rem commodatam expendere debuit. Tales actiones etiam sunt *depositi*, *mandati*, *negotiorum gestorum*, *pignoratitiæ*, *tutelæ*, *curæ*.

13. 13. Actio ex parte *rei petitæ* dividitur in *universalem*, qua res universa petitur v. g. titulo successionis ex testamento, ab intestato, arrogationis &c. & *generalem*, qua res plures diversæ, attamen sine universitate petuntur; ut actio negotiorum gestorum, tutelæ, pro socio &c. & *singularem*, qua res una petitur; ut hæc domus.

14. 14. Actio ex *ordine*, & *modo agendi* dividitur in *principalem*, quæ per se deducitur in judicium; *præparatoriam*, quæ sternit viam ad principalem, sicut *actio ad exhibendum* est præparatoria ad vindicationem; & *incidentem*, quæ intra judicium ratione causæ principalis incidit, seu emergit.

15. 15. Actio ex *radice sua*, seu *fundamento* dividitur in *nativam*, quæ nascitur ex materia, seu obligatione præexistente; & *dativam*, quæ licet strictam causam, & obligationem non habeat, tamen ob æquitatem, aut consuetudinem datur a lege, vel Prætore. Quotiescunque igitur lex, aut canon aliquam actionem concedit, neque nomen ejus exprimit, est actio dativa, seu condictio ex tali lege, aut canone; ut condictio ex *l.* 8. *si unquam. C. de revocand. donat.* condictio ex *c.* 18. *sæpe. de restitut. spoliat.*

16. 16. Actio ex fine dividitur in *civilem*, quæ sive ex contractu, sive ex delicto, sive ex alio titulo agitur civiliter ad privatum commodum actoris; & *criminalem*, qua tantum ex delicto agitur criminaliter ad vindictam publicam, seu ad pœnam corporalem, vel pecuniariam Fisco applicandam; & hæc actio vocatur *accusatio*.

17. 17. Præterea actio dividi potest omnibus modis, quibus dividitur judicium; qua de re vide in Jur. Can. *lib.* 2. *tit.* 1. Has divisiones summarie huc attuli, ut quoddam generale systema actionum conspiceretur, & facilior esset transitus ad specificam actionum tractationem.

§. II.

De Natura, & prima Divisione Actionum.

18. Q. I. *Quid sit actio in genere?* ℞. est *jus persequendi in judicio, quod sibi debetur pr. h. t. Dicitur* 1. *jus*, hoc est potestas legitima a Jure concessa: cum enim actio non sit res corporalis, recte numeratur inter jura, seu res incorporales. *Dicitur* 2. *persequendi in judicio*, per modum differentiæ ab aliis juribus: nam dominium est jus disponendi de re; ususfructus est jus utendi-fruendi; hæreditas est jus succedendi in bonis defuncti &c. sola autem actio est jus persequendi in judicio, seu jus insistendi apud Judicem pro eo, quod petitur, ne quis sibi debitum propria auctoritate extorqueat contra *l.* 7. *C. unde vi. Dicitur* 3. *quod debetur*: ubi verbum *debetur* accipitur in ampla significatione, non tantum pro eo, quod debetur, & nostrum non est; sed etiam pro eo, quod quidem nostrum est; attamen debetur nobis quo ad possessionem, & detentionem; sicut in rei-vindicatione: sic enim Ulp. *l.* 178. §. *fin. ff. de Verb. Sign.* ait: *Hoc verbum* DEBUIT *omnem omnino actionem comprehendere intelligitur*. Ex quo patet hic definiri non tantum actionem personalem, quæ persequitur *debitum juris*, ut nostrum fiat, sed actionem in genere, prout convenit reali, & personali, atque abstrahit a *debito juris*, & *facti*.

19. Q. II. *An actio adæquate dividatur in realem, & personalem?* ℞. affirmative ex §. 1. *h. t. Omnium autem actionum summa divisio in duo genera deducitur: aut enim in rem sunt*, aut *in personam*. Ratio est in textu posita: nam vel agimus contra eum, qui nobis jure obligatus est, seu tenetur nobis obligatione ex contractu, aut delicto; & sic datur actio *personalis*, ita dicta, quod sequatur personam obligati, sicut lepra leprosum: vel agimus contra eum, qui nullo jure nobis obligatus est; movet tamen nobis controversiam possidendo, aut detinendo rem nostram; & sic datur actio *realis*, ita dicta, quod rem sequatur, persona non attenta: alius vero modus agendi, qui ab his duobus sit substantialiter diversus, non est assignabilis; ergo divisio ista est adæquata. *Dices*: Quatuor in Jure enumerantur genera actionum: Actio pure realis, pure personalis, actio mixta ex utraque §. 20. *h. t.* actio personalis *in rem scripta*. *l.* 9. §. *fin. ff. quod met. caus. l.* 3. §. 3. *ff. ad exhibend.* ℞. cetera membra actionum non constituere diversitatem substantialem, sed accidentalem: nam actiones *mixtæ* in rem, & personam: ubi *petitio hæreditatis*, *familiæ herciscundæ*, *communi dividundo*, & *finium regundorum*, per se, & principaliter sunt reales; licet quandoque, & per accidens eis admisceatur aliquid de actione personali, si concurrant præstationes personales cum ipsa re solvendæ. Actiones in *rem scriptæ* sunt per se personales; ut actio *quod metus causa*. §. 31. *v. in personam h. t.* & actio ad exhibendum *cit. l.* 3. §. 3. *ff. ad exhib.* Similiter interdicta re ipsa sunt personalia, etsi in rem concepta; ut suis locis dicetur.

20. Q. III. *Quid sit actio realis, & personalis?* ℞. 1. *Realis* est jus persequendi in judicio id, quod nostrum est; ab alio tamen possessum, aut detentum. *arg.* §. 1. *h. t.* fundatur enim hæc actio in jure reali; uti est dominium, ususfructus, servitus, pignus &c. Sit casus: equus meus a me profugus detinetur apud te; ususfructus mihi constitutus in tuo prædio denegatur mihi a te: quæro qua actione te conveniam pro restituendo equo, & relinquendo usufructu? ℞. actione reali; quia in utroque casu actio nascitur ex jure reali.

21. ℞. 2.

21. ℞. 2. Actio personalis est jus in judicio persequendi id, quod alter nobis debet ex contractu, vel delicto. *arg.* §. 1. *h. t.* fundatur enim hæc actio non in ipsa re, sed in persona nobis obligata. Sit casus: Emi a te equum pecunia numerata, quem mihi non tradidisti; vel facta stipulatione promisisti mihi usumfructum in tuo prædio: quæro, qua actione te conveniam pro equo tradendo, vel usufructu realiter constituendo? ℞. actione personali; quia in utroque casu actio oritur ex obligatione contractus. Similiter si equum meum vulnerasti, ædes meas incendisti, conveniam te actione personali ex delicto. De Jure reali, & personali recole, quæ docui supra.

22. Q. IV. *In quibus differant actio realis, & personalis?* ℞. in nomine, causa, modo proponendi, & petendi: nam actio personalis est stricte actio, seu condictio; fundatur in titulo, seu causa specifica contractus, aut maleficii; proponitur cum medio determinatæ, & specificæ obligationis v. g. ex empto, locato, eaque petitur, ut reus condemnetur ad aliquid dandum, vel faciendum, prout obligatus est: e contra actio realis vocatur *petitio l.* 178. §. 2. *ff. de Verb. Sign.* fundatur in jure reali; proponitur cum medio proximo v. g. ex titulo dominii, non assignando causam remotam, ex qua dominium quæsitum est: & illa petitur, ut actor declaretur dominus rei, & conf. res ei ab alio possessa, vel detenta, restituatur. Manz. hic §. 1. *a n.* 29.

§. III.

De Actionibus Realibus tam Civilibus, quam Prætoriis.

23. Actiones reales civiles sunt tres: *Reivindicatio, Confessoria, & Negatoria.* Reales prætoriæ sunt quatuor, vel potius quinque: *Publiciana, Rescissoria, Pauliana, Serviana, & Quasi-Serviana.* Quæ in his, & aliis actionibus inquirenda veniunt, potissima sunt: *quid sit, cui, contra quem, & ad quid competat actio?*

24. Q. I. *Quid sit Rei-vindicatio? cui? contra quem? & ad quid competat?* ℞. 1. Vindicatio est actio realis, qua rem nostram ab alio possessam, vel detentam petimus. *l.* 25. *pr. ff. de O. & A.* nam vindicare idem est, ac suum ab alio petere. Qualitates hujus actionis sunt: quod sit *civilis*; quia legitimam causam habet, seu descendit ex Jure civili *XII. Tabb. Reipersecutoria*, quia per illam res nostra petitur. *Simplaris*, seu *in simplum*; quia ultra simplum rei, plus illa non petitur. *Stricti juris*; quia §. 28. *h. t.* non numeratur inter actiones bonæ fidei. Ex recepto DD. usu dividitur in *directam*, quæ descendit ex verbis legis; & *utilem*, quæ descendit ex interpretatione legis.

25. ℞. *ad* 2. Vindicatio competit domino rei, cui proinde tanquam actori incumbit probatio dominii ex modis acquirendi, per testes, instrumenta, præsumptiones, indicia, usucapionem, publicam famam. Bald. *Directa* competit domino proprietatis, qui Jure-gentium, aut civili est dominus *l.* 23. *ff. de Rer. Vs.* ubi plura exempla reperies. *Utilis* competit domino utili, seu habenti dominium utile in re; uti est vassallus, & emphyteuta. *l.* 1. *in fin. ff. si ager vectig.*

26. ℞. *ad* 3. Vindicatio competit adversus possidentem. *l.* 25. *pr. ff. de O. & A.* ibi: *semper adversus eum est, qui rem possidet.* Et quidem datur 1. contra eum, qui vere possidet sive civiliter, sive naturaliter. *l.* 9. *ff. de Rer. Vs.* 2. contra eum, qui possidet de facto tantum, seu pure detinet rem, & restituendi habet facultatem; ut commodatarius, depositarius, conductor, existens in possessione rei servandæ causa. *cit. l.* 9. *in fin.* Sed hi detentores evitare possunt judicium, laudando dominum commodantem, deponentem &c. *l.* 2. *C. ubi in rem actio.* 3. Contra eum, qui dolo desiit possidere, hoc est, qui ex metu intentandæ vindicationis rem data opera alienavit, ne apud se reperiretur. *l.* 27. §. 3. *ff. de Rer. Vs.* nam paria sunt possidere, & dolo desiisse possidere; cum dolus rem ipsam repræsentet. *l.* 131. *ff. de Reg. Jur.*

27. ℞. *ad* 4. Vindicatio competit ad petendam rem suam corporalem, sive sit mobilis, aut se movens, sive immobilis soli, sive res singulæ, sive universitas facti; sicut grex ovium; ita ut actor declaretur dominus, eique res petita tanquam sua restituatur. *l.* 1. §. 2. *l.* 23. *per tot. ff. de Rer. Vs.* Fructus autem rei in hanc actionem non veniunt, nisi nominatim petantur, vel accessorie cum vindicatione, vel implorato officio Judicis, vel condictione sine causa. *l.* 17. §. 1. *ff. l.* 5. & 12. *C. de Rer. Vs. l.* 25. §. 8. *ff. de Ædil. edict.* in quo vindicatio notabiliter differt ab hæreditatis petitione, in quam fructus veniunt, etsi nominatim non petantur; cum fructus augeant hæreditatem. *l.* 1. *C. de petit. hæred.* E contra in hanc actionem non veniunt res incorporales, universitas juris; ut est hæreditas, tignum alienis ædibus junctum, liberæ personæ, ager militibus assignatus, peculium; cum pro his speciales actiones proditæ sint. Ceterum, quia probatio dominii est difficillima, ideo Juris Consultus *l.* 24. *ff. de Rer. Vs.* suadet non intentari vindicationem, si quis *aliquo interdicto possit nancisci possessionem: quia longe commodius est ipsum possidere, & adversarium ad onera petitoris compellere, quam alio possidente petere.* De hac actione varios casus vide *tit. ff.* & *C. de Rer. Vs.*

28. Q. II. *Quid sit actio confessoria, & negatoria? cui? contra quem? & ad quid competat?* ℞. 1. *Confessoria* est actio realis, qua petitur res incorporalis, tanquam nostra. *arg.* §. 2. *h. t.* Dicitur *confessoria*, quia actor confitetur, seu asserit sibi competere jus reale in re aliena; etsi id verbis negativis exprimat, v. g. *nego Titium ædes altius tollere posse*; quod idem est, ac dicere: *assero in ædibus Titii mihi competere servitutem altius non tollendi. Negatoria* est actio realis, qua negamus alicui competere jus aliquod in re nostra, sive id negativis, sive affirmativis verbis exprimatur. v. g. *assero me posse ædes altius tollere*; vel *nego vicino meo in ædibus meis competere jus*, seu *servitutem altius non tollendi*. Qualitates harum actionum sunt eædem, quæ vindicationis, ut dictum *n.* 24.

29. ℞. *ad* 2. Confessoria competit ei, qui prætendit jus aliquod in re aliena; & conf. jus istud reale sibi fuisse acquisitum legitime probare debet. *Directa* datur pro vindicandis servitutibus, & usufructu; cum lex de istis expresse loquatur §. 2. *h. t. tit. ff. si ususfr. petatur.* & *tit. ff. si servitus vindicetur. Utilis* vero ex interpretatione horum Jurium datur pro vindicandis aliis juribus; ut pro Jure fodiendi arenam, venandi, piscandi in alieno, pro jure parochiæ, prælaturæ, jurisdictionis &c. 2. *Negatoria* competit ei, qui prætendit rem suam liberam esse a servitute, & jure alterius: & quidem *directa* datur dominio proprietatis; *utilis* vero dominio habenti dominium utile. Item *directa* datur pro negando usufructu, & servitute, ut dictum de confessoria; *utilis* vero pro negandis aliis juribus; ut jure parochiæ, jurisdictionis, venandi, lignandi &c.

30. ℞. *ad* 3. Confessoria datur contra dominum prædii servientis, & quemcunque extraneum, qui in usu servitutis, vel alterius juris impedit; uti etiam fructuario contra dominum non patientem uti frui *l.* 5. §. 1. *ff. si ususfr. petat.* ne tamen servitus servitutis constituatur, fructuarius contra dominum, vel extraneum directe non vindicat servitutes prædiales, sed indirecte, & in consequentiam, quatenus vindicando usumfructum, vindicat etiam cetera jura ad usumfructum pertinentia: quo sensu procedit *l.* 1. *pr. l.* 5. §. 1. *ff. si ususf. petat.* 2. Negatoria datur contra eum, qui in re nostra prætendit servitutem, vel aliud jus: vel aliter juribus istis utitur, quam fuerit constitutum. *l.* 2. 4. 8. 14. *ff. si servitus vind.* In qua actione negatoria actor regulariter relevatur ab onere probandi; quia Jus præsumit quamlibet rem esse liberam, donec probetur servituti obnoxia *l.* 8. *C. de Servit.* adeoque reus, qui prætendit jus in re aliena, probare debet illud legitime sibi acquisitum fuisse, nisi reus esset in notoria quasi-possessione servitutis; tunc enim, priori præsumptione elisa, actor probare deberet fundum suum esse liberum a servitute. Alciat. Mascard.

31. ℞. *ad* 4. Confessoria datur ad hoc, ut actor declaretur prætensum jus in re habere, & reus condemnetur ad cessandum ab impedimento fructus, atque interesse compensandum *l.* 2. 5. §. 5. & *fin. ff. si ususfr. petat.* Negatoria vero datur ad hoc, ut vindicetur liber-

tas rei noſtræ, ſeu ut declaretur fundum actoris liberum eſſe a ſervitute, & jure alieno. Vide *cit. tit. ff. ſi uſufr. petat.* & *tit. ff. ſi ſervit. vindic.*

32. Q. III. *Quid ſit actio publiciana cui? contra quem? & ad quid competat?* ℞. 1. Publiciana eſt actio realis, qua res bona fide, & juſto titulo a non-domino accepta, & nondum uſucapta petitur ab illo, qui eam poſſidet, vel detinet. *arg.* §. 4. *h. t.* Actio iſta eſt *prætoria* a Publicio Prætore introducta ob æquitatem; quia in tali caſu, quo res necdum uſucapta ab altero detinetur, æquum eſt concedere actionem pro illa repetenda. *cit.* §. 4. *h. t.*

33. ℞. *ad* 2. Publiciana datur quaſi-domino, qui rem non uſucaptam caſu amiſit; quatenus a Jure fingitur eam uſucepiſſe, atque ita jus reale dominii acquiſiviſſe; vi cujus actionem realem intentare poſſit. *ibid.* An vero publiciana concedi poſſit vero domino, ſaltem pro caſu, quo probatio dominii eſt difficilis, controvertunt DD. Affirmativam ſatis probabilem defendo in meis Diſpp. Jurid. *Diſp.* 18. *Controv.* 3. ubi eam cumulari poſſe cum reivindicatione aſſero. Neceſſe autem eſt ex parte actoris, ut rem iſtam bona fide, & ex juſta cauſa acceperit, ſeu cum habili titulo ad acquirendum dominium; uti eſt titulus empti, donati, dotis, legati &c. *ibid.*

34. ℞. *ad* 3. Publiciana datur contra poſſidentem, aut detinentem abſque titulo *l. fin. ff. de Publician. in rem act.* At contra dominum verum, aut contra titulo poſſidentem regulariter non datur: nam titulo poſſidens, præter titulum, in quo par eſt actori, inſuper habet poſſeſſionem; conditio autem poſſidentis eſt potior. *reg.* 65. *in* 6.

35. ℞. *ad* 4. Publiciana datur ad perſecutionem rei non uſucaptæ, ut reſtituatur, ac ſi fuiſſet vere uſucapta, ſeu dominio actoris quæſita. De hac actione vide *tit. ff. de Public. act.*

36. Q. IV. *Quid ſit actio reſciſſoria? cui? contra quem? & ad quid competat?* ℞. 1. Reſciſſoria eſt actio prætoria, per quam reſciſſa uſucapione petitur res ab alio uſucapta, acſi nunquam uſucapta fuiſſet. *arg.* §. 5. *h. t.* Hæc actio eſt ſuperiori e diametro contraria; & ideo vocatur *quaſi*, vel potius *anti-publiciana*; nam ſicut publiciana uſucapionem nondum completam adjuvat, & fingit eam interveniſſe; ita reſciſſoria uſucapionem completam diſſolvit, & fingit eam non interveniſſe. Quamvis autem actio iſta numeretur inter reales, quia frequentius datur pro rebus uſucaptis repetendis; ſi tamen detur pro reſcindenda uſucapione obligationis, & actionis perſonalis, erit omnino perſonalis; cum ſit acceſſoria, atque ita ſequatur naturam actionis principalis, ſive realis, ſive perſonalis.

37. 2. Quidam DD. duas hic diſtingunt actiones: *remedium reſcindens*, quo uſucapio completa tollitur; & *remedium reſciſſorium*, ſeu *reſtitutorium*, quo remota uſucapione, prior actio reſtituitur pro vindicanda, ſeu repetenda re. Sed melior ſententia tenet unicam eſſe actionem, cujus duo ſunt actus, ſeu munera: *reſcindere uſucapionem*, & *reſtituere priorem actionem*: nam hoc ipſo quod concedatur reſtitutio in integrum adverſus uſucapionem, tacite, & re ipſa reſcinditur uſucapio. *l.* 9. §. 7. *ff. quod met. cauſ. l.* 28. *C. de poſtlim. reverſ.*

38. ℞. *ad* 2. & 3. Reſciſſoria competit domino rei præſenti contra abſentem; dummodo præſens non habuerit facultatem conveniendi abſentem; abſenti contra præſentem, & abſenti abſentem; dummodo abſentia fuerit neceſſaria, & probabilis v. g. in cauſa Reipublicæ: voluntaria vero abſentia regulariter non prodeſt. §. 5. *h. t. l.* 21. §. 2. *l.* 22. 28. & *fin. ff. ex quib. cauſ. major.* Neceſſe autem eſt, ut, ceſſante impedimento, actio iſta, olim intra unum annum utilem, hodie de Jure novo *l. fin. C. de temp. in integr. reſtitut.* intra quadriennium intentetur ſecundum dicta in Jur. Can. *l.* 1. *tit.* 41. *n.* 15. nam licet aliæ actiones prætoriæ regulariter ſint annales; tamen reſciſſoria reſtitutioni in integrum annexa, hujus naturam ſequitur, & intra quadriennium proponi poteſt.

39. ℞. *ad* 4. Reſciſſoria datur primo ad tollendam uſucapionem; & ſecundo ad reſtituendam priorem actionem, qua res ex titulo dominii vindicatur. Porro actio iſta, ſeu vindicatio reſtituta, non eſt in rigore *directa*, ſed *utilis*; quia non deſcendit ex Jure civili, ſed prætorio: in quo caſu Prætor partim corrigit, partim ſupplet Jus civile. Vide de hac actione *tit. ff. ex quibus cauſ. maj. tit. C. quib. ex cauſ. maj.*

40. Q. V. *Quid ſit actio pauliana? cui? contra quem? & ad quid competat?* ℞. 1. Pauliana eſt actio realis prætoria, qua revocantur omnia a debitoribus in fraudem creditorum alienata. *arg.* §. 6. *h. t.* Introducta eſt a Paulo Prætore ob æquitatem, ne creditores defraudentur. Licet autem DD. merito dubitent, an actio iſta ſit *realis*, an *perſonalis pura*, vel *in rem ſcripta*; recte tamen dicitur *realis*; quia bona alienata fictione Juris cenſentur remanſiſſe in bonis debitoris, cujus nomine creditores illa revocant, & vindicant, acſi alienata non fuiſſent.

41. ℞. *ad* 2. Pauliana generaliter competit creditoribus, quibus debitor obligatus eſt ex contractu, aut delicto. *l.* 10. & *ſeqq. ff. de Verb. Sign. l.* 1. 2. 3. *ff. quæ in fraud. cred.* Debent autem actionem iſtam, utpote prætoriam, intentare intra unum annum utilem *l.* 1. *ff. quæ in fraud. cred.* qui annus probabilius computari incipit a die factæ excuſſionis, quo ex decreto prætoris bona debitoris venduntur; quo ſenſu explicatur *l.* 10. §. 18. *l. fin. in fin. ff. eod.* niſi alienatio facta ſit titulo lucrativo; tunc enim revocatio eſt perpetua, ſeu 30. annis durans *cit. l.* 10. §. 24. Si vero alienatio facta eſt in rebus incorporalibus; ut juribus, & obligationibus, revocatio durat tanto tempore, quanto actio duraſſet. *ibid.* §. 23. quia in fraudem alterius non eſt favendum lucris: 2. Quia fraus non præſumitur, creditores obligantur probare alienationem fuiſſe fraudulentam: & quidem in ultima voluntate ſufficit ſola *fraus eventus*, ſeu re ipſa, dum reſidua bona debitoris non ſufficiunt creditoribus: nam ex ultima voluntate nihil debetur, niſi deducto ære alieno. *l.* 1. §. 1. *ff. ſi quid in fraud. patr.* At ſi alienatio facta ſit actu inter vivos, copulative probari debet *fraus conſilii*, quod debitor perverſo animo ad creditores fraudandos alienaverit; & ſimul *fraus eventus*, quod reliqua bona non ſufficiant. *lib.* 10. §. 1. *ff. quæ in fraud. cred.* Dicunt tamen aliqui ad revocandas alienationes lucrativas ſufficere probare fraudem eventus, cum creditores certent de damno vitando.

42. ℞. *ad* 3. Pauliana datur: 1. contra debitorem fraudulose alienantem. 2. Contra poſſeſſorem, qui alienata titulo lucrativo per donationem accepit; ſive fuerit fraudis conſcius, ſive non. *l.* 6. §. 11. *ff. d. t.* quia donatarius certat de lucro captando; creditores de damno vitando. 3. Contra poſſeſſorem, qui conſcius fraudis titulo oneroſo alienata accepit. *l.* 10. §. 1. 2. *eod.* quia dolus ei patrocinari non debet. Non tamen contra poſſeſſorem, qui bona fide, & titulo oneroſo alienata accepit, v. g. per emptionem; cum hujus bona fide poſſidentis melior ſit conditio, quam creditorum. *cit. l.* 10. §. 2. 4.

43. ℞. *ad* 4. Pauliana datur ad revocanda quæcunque bona alienata mobilia, vel immobilia; corporalia, vel incorporalia; uti jura, & nomina: item ad fructus reſtituendos illos tantum, qui tempore alienationis terræ cohæſerunt, & qui poſt litem conteſtatam percepti ſunt *l. fin.* §. 4. *cum ſeqq. ff. d. t.* non vero qui medio tempore percepti ſunt; quia hi non erant in bonis debitoris. Secus eſt in vindicatione, ubi res vindicata ſemper fuit in bonis domini; adeoque ſemper ei fructificavit. Vide de hac actione *tit. ff. quæ in fraud. creditor.* & *tit. C. de revocand. quæ in fraud.*

44. Hic adverte actionibus revocatoriis accenſeri, & paulianæ ſimiles eſſe: *Favianam*, *Quaſi-Favianam*, & *Calviſianam*. *Faviana* eſt, quæ datur patrono pro revocandis bonis liberti actu inter vivos, vel ultima voluntate in fraudem patroni alienatis; ut ſcil. patronus minus tertia parte haberet. *Quaſi-Faviana* eſt, quæ datur arrogato ad revocandum id, quod in fraudem ejus pater adoptivus alienavit; ne juſtam quartam conſequeretur. *Calviſiana* eſt, qua ſive creditores, ſive patroni revocare poſſunt alienationes in fraudem eorum factas: adeoque ſi actio iſta intentetur a creditoribus, ſimilis eſt paulianæ; ſi a patronis, ſimilis eſt favianæ. De his vide *tit. ff. ſi quid in fraud. Patron.* & *tit. C. ſi in fraud. Patroni.*

45. Q. VI. *Quid ſit actio Serviana? cui? contra quem?*

quem? & ad quid competat? ℞. 1. Serviana est actio realis prætoria a Servio Prætore introducta, per quam res in prædium illatæ invectæ, in præjudicium locatoris alienatæ, revocantur. *arg.* §. 7. *h. t.* nam tales res pro mercede sunt tacite hypothecatæ locatori. *l.* 2. 4. *ff. in quib. cauſ. pign.* ergo sine consensu locatoris, in ejus præjudicium alienari non debent.

℞. *ad* 2. Serviana competit locatori prædii urbani: an vero competat locatori prædii rustici, controvertunt DD. alii negant ex *cit. lib.* 4. ubi Neratius ait: *Eo jure utimur, ut quæ in prædia urbana inducta illata sunt, pignori esse credantur, quasi id tacite convenerit; in rusticis prædiis contra observatur:* nam locatori prædii rustici ipsi fructus agrorum tacite obligantur pro mercede *l.* 7. *ff. in quib. cauſ. pign.* ergo aratra, ligones, & alia instrumenta rustica non censentur pignorata locatori, nisi per expressam conventionem hypothecentur. Sed probabilius affirmant alii ex *l.* 3. 4. *in fin. eod.* & §. 7. *h. t.* ubi actio ista conceditur de rebus coloni; huic autem locatur prædium rusticum. Id vero, quod *contra observatur in rusticis prædiis*, est, quia res rusticæ non censentur tacite pignoratæ, nisi, sciente, & volente domino, illatæ sint in prædium rusticum *l.* 5. *C. de locato*. E contra illata in prædium urbanum, censentur tacite pignorata, licet locator nihil de illis sciverit.

46. ℞. *ad* 3. Serviana datur contra conductorem, seu inquilinum prædii urbani, & colonum prædii rustici; eoque excusso, & mercedem cum reparatione damnorum solvere non valente, contra quemcunque possessorem, in quem res illatæ alienatæ sunt: nam actio ista est realis; adeoque sequitur rem apud quemcunque possessorem repertam. *Auth. hoc si debitor. C. de pignorib.*

47. ℞. *ad* 4. Serviana datur ad revocandas res illatas invectas in prædium, a conductore distractas non tantum post inclusionem, seu arrestationem rerum, dum locator ob moram conductoris in solvenda annua mercede commissam, curat fieri publicum instrumentum, seu inventarium bonorum conductoris *lib.* 56. *ff. locati*, sed etiam ante talem inclusionem; alias tacitum pignus nihil operaretur. Excipitur servus, qui illatus in prædium, seu generali hypothecæ subjectus, manumitti potest ante inclusionem bonorum; idque favore libertatis. *lib. penult. ff. in quib. cauſ. pignor. lib.* 29. *ff. qui, & a quibus.* Item pecuniæ ad usum quotidianum destinatæ, vestes usuales, libri studiosorum, & aliæ res quotidiani usus. *l.* 6. §. 2. *ff. de pignorib.* & quæ illata sunt in prædium, ut ibi non permanenter, sed transeunter essent. At merces censentur tacite obligatæ; non quidem in specie, sed in genere, quatenus aliæ aliis substituuntur. *l.* 34. *ff. de pignorib.* Vide de hac actione *tit. ff. in quib. cauſ. pignus tacite contrah.*

48. Hic adverte pro illatis invectis in prædium competere etiam interdictum salvianum *tit. ff. de Salvian. interd.* quod pinguius est serviana; quia in hac probari debet illata invecta fuisse in dominio conductoris; in isto vero sufficit probare conductorem fuisse illatorum possessorem: si tamen possessio probari nequiret, necessaria esset serviana. Scheneid. hic *n.* 67.

49. Q. VII. *Quid sit actio quasi serviana? cui? contra quem? & ad quid competat?* ℞. 1. Quasi-serviana est actio realis prætoria, qua creditor agit ad possessionem rei tacite, vel expresse hypothecatæ consequendam, vel ad rem pignoratam alienandam; nisi a debitore redimatur. §. 7. *h. t.* Actio ista aliter vocatur *utilis serviana*, seu *hypothecaria*, quæ, licet prætoria sit, tamen est *perpetua*, cum sit rei persecutoria. Differt 1. a *serviana*, tanquam genus a specie: nam quasi-serviana datur pro persequendis quibuscumque rebus expresse, aut tacite pignoratis, etiam immobilibus: e contra serviana datur tantum pro persequendis mobilibus in prædium illatis. Differt 2. *hypothecaria* actio a *pignoratitia*: nam pignoratitia est personalis, & *directa*, competit debitori ad luendum pignus, si integrum debitum solutum sit creditori; *contraria* vero pignoratitia competit creditori ad repetendum quod in rem pignoratam impendit: e contra *hypothecaria*, seu *quasi-serviana* est actio realis persequens rem pignoratam, ubicumque sit.

50. ℞. *ad* 2. Quasi-Serviana competit creditori, cujus erit probare sibi pignus fuisse constitutum in re, remque istam tempore pignoris constituti fuisse in bonis, seu dominio debitoris *l.* 16. §. 3. *ff.* & *t.* 18. *C. de pignorib.* neque contra audietur debitor excipiens se non fuisse dominum rei pignoratæ: quia allegans propriam turpitudinem non est audiendus *l.* 21. §. 1. *ff. de pignor. l.* 41. *ff. de pignorat. act.* Nomine creditoris venit etiam ejus hæres, cessionarius, emptor hypothecæ, substitutus creditor, cui prior nomen suum hypothecavit, seu pignus pignori dedit, legatarii, & fideicommissarii, quibus res hæredis tacite pignoratæ sunt. Ita hæc habentur *l.* 1. 2. *C. si unus ex plurib. hæred. tit. ff.* & *C. de hæred. vel act. vend. toto tit. C. si pignus pignori dat. l.* 1. *C. comm. de legat.*

51. ℞. *ad* 3. Quasi-Serviana datur contra debitorem, ejusque hæredes *l.* 24. *C. de pignorib. l.* 1. 2. *C. si unus ex plurib.* & contra quemcumque tertium possessorem *l.* 17. *ff.* & *lib.* 18. *C. de pignorib.* nam actio ista, cum sit realis, sequitur rem a quocumque possessam, utpote cum suo onere reali transeuntem; modo prius excutiatur debitor principalis juxta *Auth. si debitor. C. de pignorib.* Cui non obstat *Nov.* 112. *c.* 1. §. 1. procedit enim in casu speciali, quo debitor post litem contestatam alienavit rem hypothecatam, quæ, utpote *litigiosa*, ante omnia revocanda est.

52. ℞. *ad* 4. Quasi-Serviana datur pro quibuscunque rebus mobilibus, vel immobilibus, corporalibus, vel incorporalibus tacitæ, vel expressæ hypothecæ subjectis, ad hoc, ut actor eas consequatur pro suo debito, vel eas retinendo, vel distractas recuperando, vel alienando, servatis servandis; si debitor eas luere, seu redimere nolit.

53. Hic adverte creditori pro casu, quo probatio dominii est difficilis, a multis concedi Interdictum salvianum utile; a multis negari, de quo dicam *tit.* 15. *n.* 18. De actione hypothecaria vide *tit. ff.* & *C. de pignor.* in Jure Can. *lib.* 3. *tit.* 21.

Casus pro Actionibus Realibus.

54. 1. Habui duos boves, qui aberrantes profugerunt ad villam Titii, quos cum quæsivissem, interim Cajus occupavit meam domum. Q. qua actione boves a Titio, & domum a Cajo petere possim? ℞. *reivindicatione* fundata in titulo dominii, & consequenter *directa*.

55. 2. Tenui feudum in villa mihi tradita, & habui vicinum agrum mihi in emphyteusim datum. Interim Titius me turbat, se in possessione hujus villæ, & agri constituendo. Q. qua actione experiar contra Titium pro ista villa, & agro? ℞. *reivindicatione*, non *directa*, sed *utili* fundata in titulo dominii utilis.

56. 3. Titius ultima voluntate constituit mihi in prædio suo servitutem viæ, in horto usumfructum, in silva jus venandi, & aucupandi; sed Cajus ejus hæres non sinit me libere his juribus uti. Q. quæ sit mihi actio contra Cajum? ℞. pro via, & usufructu est *confessoria directa*; pro jure venandi, & aucupandi est *confessoria utilis*.

57. 4. Lucius parochus prætendit usumfructum in fundo capitulari, vocem activam in capitulo, sed ei resistere volunt Canonici. Q. qua actione contra illum agent? ℞. *negatoria directa* contra usumfructum, quia fundus capitularis liber est a servitute usufructus: & *negatoria utili* contra prætensam vocem, quia Clericus extraneus nullum jus habet ad suffragandum in capitulo.

58. 5. Emi horologium a Cajo, illudque a me biennio possessum, & deinde perditum pervenit ad Titium, illud restituere nolentem quia Cajus venditor non erat dominus hujus horologii. Q. qua actione horologium repetam a Titio? ℞. actione *Publiciana* ex titulo quasi-dominii, cum intra biennium non sit mihi quæsita usucapio horologii.

59. 6. Titius proficiscens ad bellum amittit gemmam, quam reperit Cajus, quæsitoque, & non invento Domino, ex aliorum sententia (quæ tamen non est tenenda) suo nomine illam possidet quasi derelictam. Redit Titius ex bello post 6. annos, & visitando Cajum, agnoscit gemmam suam. Q. qua actione eam petere possit? ℞. actione *rescissoria*, ut usu-

usucapio rescindatur, & Titius in vindicationem suæ gemmæ restituatur.

60. 7. Titius debet Cajo mille florenos, & quia facultatibus lapsus agnoscit se non esse solvendo, reliqua bona sua mobilia, ut vasa argentea, vestes pretiosas &c. ne ea cedere cogatur creditoribus, hinc inde distrahit, & donat. Q. quæ hic competat actio Cajo? R. excusso Titio, & solvere non valente, habet Cajus actionem *Paulianam*, qua revocare possit res istas fraudulenter a Titio alienatas.

61. 8. Titius conducit domum Caji pro centum florenis annuis, & in eam infert varias res, ut cistas, picturas &c. quos lapso uno, & altero anno solvere, & damna in domo facta reparare nequeat, res illatas distrahit partim donando, partim vendendo. Q. quæ actio competat Cajo, cum sic per actionem locati parum, vel nihil consequi possit ob inopiam conductoris? R. actio *Serviana*, qua illata, & distracta revocentur a quocunque possessore propter jus reale tacitæ hypothecæ.

62. 9. Titius mille florenos mutuos accipit a Cajo, eique oppignorat fundum tusculanum; sed paulo post eumdem fundum vendit Mævio, & in facultatibus excussus reperitur non esse solvendo. Q. qua actione consultum sit Cajo? R. quasi-serviana, seu hypothecaria, qua fundus alienatus revocetur, & ex illo satisfiat Cajo.

§. IV.

De Actionibus Personalibus Prætoriis.

63. TRes sunt persecutoriæ rei: *de constituto, de peculio, in factum ex jurejurando*. Tres pœnales, quibus agitur ad pœnam actori applicandam: *de albo corrupto, de non vocando patre, vel patrono in jus, de non vi eximendo in jus vocato*. Tres præjudiciales, quæ præjudiciari, non prius discuti debent ante causam principalem: *circa libertatem*, *libertinitatem*, & *de partu agnoscendo*.

64. Q. I. *Quid sit Actio constitutoria, seu de constituto, aut de constituta pecunia? cui? contra quem, & ad quid competat?* R. 1. Constitutoria est actio personalis competens creditori contra eum, qui nudo pacto constituit, seu promisit se certo die, aut loco soluturum suum, aut alienum debitum. *§. 9. h. t.* ut si debeas 100. fl. Titio, & promittas te illos soluturum Kalendis Maij, vel Viennæ: tunc enim a Titio actione constituti conveniri potes. Est actio ista perpetua, quia rei-persecutoria; & hodie cum illa commixta est actio *receptitia*, quæ olim dabatur pro quibuscunque rebus; actio vero *constituti* tantum pro fungibilibus. Dicitur autem *nudo pacto*; quia si quis constituat stipulatione, datur ordinaria actio ex stipulatu; licet in effectu nulla sit differentia. Ex his patet *cui*? & *contra quem* detur ista actio.

65. R. 2. Actio de constituto datur ad solvendum debitum antea contractum ex quacunque causa, sive sit debitum civile, & naturale; sive tantum naturale; non vero si debitum sit mere civile *l. 3. §. 1. ff. de const. pecun.* quia Prætor tuetur æquitatem naturalem, quæ deficit in debito pure civili. Nec obstat, quod fidejussor accedere possit obligationi pure civili *§. 1. de fidejuss.* nam fidejussio est contractus Juris civilis, stipulatione factus; adeoque accedere potest obligationi civili, quam nec firmat, nec infirmat; e contra constitutum est Juris prætorii; adeoque nequit accedere illi, quod est naturaliter indebitum. Quod si debitum nullum præexistat, constitutum nullum est; sive quis sciens, sive ignorans constituat super indebito. Vide *tit. ff.* & *C. de constitut. pecun.*

66. Q. II. *Quid sit actio de peculio? cui? contra quem? & ad quid competat?* R. 1. Actio de *Peculio* est prætoria personalis rei persecutoria, qua creditor ex contractu servi, vel filiifam. agit contra dominum, vel patremfam. ut is solvat secundum vires peculii, deducto eo, quod domino, vel patri debetur ex contractu post concessum peculium inito. *§. 10. h. t. l. 9. §. 1. ff. de pecul.* nam concesso peculio, hoc ipso conceditur potestas contrahendi, & oritur obligatio solvendi. Unde si servus emat vinum 100. fl. & in peculio habeat 100. tenetur dominus 100. dare venditori; nisi servus domino deberet v. g. 20. flor. tunc enim his deductis, reliquum datur creditori. Vide *tit. ff. de peculio*. Ceteræ qq. ex his solvuntur.

67. Q. III. *Quid sit actio in factum ex jurejurando?* R. est actio personalis prætoria, quæ competit facienti juramentum ab adversario delatum, vel relatum, & a Judice approbatum super re, aut debito, ad hoc ut talis res ei detur, vel debitum solvatur. *§. 11. h. t.* nam tale juramentum litis decisorium vim habet transactionis. Plura de hoc vide in Jure Can. *lib. 2. tit. 24.* ubi etiam alia Jura allegantur.

68. Q. IV. *Quid sit actio de Albo corrupto?* R. est actio personalis prætoria, pœnalis, popularis cuilibet de populo competens contra eum, qui publica Magistratuum edicta corrupit, tollendo, lacerando, vel delendo ad pœnam 50. aureorum actori applicandam. *§. 12. h. t.* ut scilicet hoc modo alii invitarentur ad corruptores deferendos. Hodie actio ista saltem utilis accomodari potest contra eos, qui publica Edicta in valvis Ecclesiæ, vel aliis conspicuis locis appensa corrumpunt. Fuit autem Album Prætorium tabula gypsata, in qua continebantur Edicta Prætoris, & formulæ Actionum.

69. Q. V. *Quid sit Actio ex Edicto l. 4. §. 1. ff. de in jus voc.?* R. est actio in factum, prætoria, pœnalis, competens patri contra filium, & patrono contra libertum, qui sine impetrata venia Prætoris illos in jus vocarunt ad pœnam 50. aureorum patri, vel patrono applicandam. *§. 12. h. t.* Hodie non est in usu, quia ille mos vocandi in jus manu injecta, & collo obtorto jam exolevit.

70. Q. VI. *Quid sit Actio ex Edicto expresso in rubrica ff. ne quis eum, qui in jus vocabitur, vi eximat?* R. est actio prætoria pœnalis in factum, competens legitime citanti in jus contra eum, qui citatum, quo minus in judicio compareret, per se, vel per alium dolo malo exemit, vel impedivit. *cit. §. 12. h. t.* Certa pœna hic definita non est; sed impediens citatum, tantum pendere debet, quantum valet res controversa, præmisso juramento affectionis in litem. *l. 5. §. 1. ff. ne quis eum.*

71. Q. VII. *Quid sint actiones præjudiciales circa statum privatum?* R. sunt actiones prætoriæ, in quibus ratio status vertitur: & quidem 1. *Causa liberalis* est actio competens domino contra servum gerentem se pro libero: & e contra competens libero homini contra dominum tractantem eum, ut servum. *§. 13. h. t.* Hæc actio quo ad originem est civilis, seu legitimam causam habet. *ibid.* quia descendit ex *L. XII. Tabb.* vel ex Senatus Consulto *l. 8. §. 1. ff. de liberal. caus.* cum vero per varias additiones multum alterata sit a Prætore, solet actionibus prætoriis accenseri. 2. Causa *libertinitatis* est actio competens patrono contra libertum gerentem se pro ingenuo; & e contra competens ingenuo contra patronum tractantem eum, ut libertum *cit. §. 13. h. t.* Neutra ista actio *directa* datur apud nos ob defectum servitutis: *utilis* vero accommodari potest dominis, & subditis, censitis, adscriptitiis, & originariis. 3. Causa de *partu agnoscendo* est actio prætoria competens filio contra patrem negantem se esse patrem, & competens patri contra filium negantem se esse filium. *cit. §. 13. h. t. Directa* adhuc hodie datur, cum duret causa paternitatis, & filiationis: *utilis* accomodari solet fratri contra fratrem, cognato contra cognatum, si neget se fratrem, vel cognatum esse. Hæc, & prior actio dicitur prætoria; quia circa has duas causas nihil Jus civile disposuit. Omnes tres videntur esse reales instar confessoriæ, & negatoriæ; quia versantur circa jura realia servitutis, & dominii libertatis, libertinitatis, juris patronatus, paternitatis, & filiationis. Quia vero actiones istæ fundantur in quibusdam obligationibus servi ad dominum, liberti ad patronum, non male actionibus personalibus accensentur. Corvin. Vide hic Manz. In exemplo vide, quomodo actiones istæ sint præjudiciales. Titius operas serviles exigit a Cajo, reverentiam libertinicam a Lucio, filialia obsequia a Mævio; sed Cajus negat se esse servum, Lucius libertum, & Mævius filium. In his casibus, ut patet, priores causæ definiri non possunt, nisi præjudicentur, seu prius cognoscantur causæ status tanquam præjudiciales. Plura de his vide in Jur. Can. *lib. 2. tit. 10.* & quæ supra dixi *lib. 1. tit. 7. a n. 5.*

27. Hic adverte Imperatorem post allatas actiones personales prætorias nihil agere de actionibus personalibus civilibus: tum quia inferius sub aliis divisionibus ponuntur; tum quia facile per oppositum sciuntur, & ex regula generali, qua dicitur omnis actio esse civilis, nisi reperiatur a Prætore, vel alio Magistratu esse concessa.

Explicatur §. 14. *&* 15. *h. t.*

73. IMp. §. 14. *h. t.* ponit hanc regulam: Non potest actor suam rem petere sub hac forma: *S. A. E. D. O. si apparet eum dare oportere*, seu sub hac: *A. T. M. D. O. ajo te mihi dare oportere*: nam *dare* est dominium transferre *cit.* §. 14. & *l.* 131. §. 1. *ff. de Verb. Oblig.* atqui in actorem cum sit dominus rei suæ, non potest amplius dominium transferri; ergo. Ex quo tamen non inferas actione personali non posse peti rem suam; vel actionem realem, & personalem non posse concurrere in eamdem rem, & personam; nam licet res sua non possit peti sub dicta formula, ut *detur*, potest tamen peti actione v. gr. commodati, depositi, locati, ut *restituatur*. Illa autem actio, quæ fundatur in titulo translativo dominii secuta traditione, ut ex empto, donato, legato &c. procedit sub hac formula. *A. T. M. D. O.* A priori regula excipitur *Condictio furtiva*, qua res sua petitur sub dicta formula; quia odio furum Jus fingit rem furto sublatam transivisse in dominium furis; atque ita dominus non tenetur probare dominium rei. Vide hic Manz.

74. In §. 15. *h. t.* Imp. dicit actiones *in rem* vocari *Vindicationes*; quia vindicare est suum asserere, & actiones in *personam* vocari *condictiones* a condicendo, seu denunciando; quia olim creditor debuit denunciare debitori certum diem, quo in jus veniret. Hodie sublatis denunciationum solemnitatibus, solum nomen *condictionis* remansit; ita ut actio personalis vocetur *condictio*, etsi non fiat cum denunciatione.

§. V.

De Actionibus Persecutoriis rei, pœnæ, & utriusque.

HÆc divisio traditur §. 16. *h. t.* ut sciamus quid, quantum, & quomodo ab adversario sit petendum.

75. Q. I. *Quid sit actio rei persecutoria*? ℞. est illa, qua petimus vel rem nostram, vel nobis debitam, non pœnam legalem. §. 17. *hoc tit.* pœnam verò conventionalem alicui contractui adjectam persequimur eadem actione, qua negotium principale. Actiones rei persecutoriæ sunt: 1. Omnes reales §. 2. relatæ. 2. Fere omnes personales ex contractu, vel quasi-contractu, excepta actione depositi in casu ruinæ, naufragii, & simili, quo depositarius negat aliquid apud se fuisse depositum: tunc enim contra eum datur actio in duplum: qua tamen non tenentur hæredes, nisi & isti fuissent doli participes. §. 17. *v. plane. h. t.*

76. Q. II. *Quid sit actio pure pœnæ persecutoria*? ℞. est illa, qua actor ex delicto rei agit in pœnam legalem, seu in id, quod nec sibi abest, nec reo adest. §. 18. *h. t.* ut ita delicta coerceantur. Tales actiones sunt duæ: furti *manifesti* in quadruplum; & furti *nec-manifesti* in duplum puræ pœnæ, salva vindicatione, vel condictione furtiva pro re furto sublata restituenda. Hodie ob inopiam furum raro locus est istis pœnis, sed plerumque fures puniuntur pœna corporali.

77. Q. III. *Quid sit actio mixta, rei, & pœnæ persecutoria*? ℞. est illa, qua petimus rem ipsam, & simul pœnam legalem. §. 18. *h. t.* Tales actiones hic enumerantur quatuor: *depositi* in casu ruinæ §. 17. *in fin. h. t.* ut ante *nu.* 75. dictum, *vi bonorum raptorum*, *L. Aquiliæ*, & *pro legatis piis*.

78. *Actio vi bonorum raptorum* est prætoria competens ei, cui res per vim rapta fuit, contra dolosum raptorem intra annum in quadruplum, post annum in simplum. §. 19. *h. t.* in quadruplo simplum est rei, & triplum pœnæ. Cum vero vis sit de genere illicitorum, semper in raptore præsumitur dolus, nisi probet errorem, quod existimaverit esse suam. Edicta Prætoris vide *tit. ff. vi bonor. raptor.* & in Jur. Can. *lib.* 5. *tit.* 17.

79. *Actio L. Aquiliæ* est civilis ex Plebiscito Aquilii competens domino contra damnificantem, ut damnum cum pœna legali resarciat. §. 19. *h. t.* Si reus neget, agitur in duplum, simplum rei, & alterum tantum pœnæ in punitionem mendacii. *ibid.* si vero confiteatur, aliquid pœnæ infligitur ex *cap.* 1. & 3. *L. Aquil. l.* 2. *pr.* & *l.* 27. §. 5. *ff. ad L. Aquil.* de quo vide in Jur. Can. *lib.* 5. *tit.* 36.

80. *Actio pro legatis piis* est civilis competens piis causis contra eum, qui dolose negat, vel sine causa differt solvere legata pia ad hoc, ut pendat duplum *cit.* §. 19. *h. t.* *Directa* datur contra hæredem; *utilis* vero contra legatarium, vel fideicommissarium a testatore gravatos ad largiendum quid pro piis causis.

§. VI.

De Actionibus mixtis in rem, & personam.

81. ACtiones mixtæ, quæ juxta superius dicta *nu.* 4. partim reales, partim personales sunt, tres hic numerantur §. 20. *h. t. familiæ herciscundæ, communi dividundo, & finium regundorum*: quibus adde quartam, *hæreditatis petitionem*; a qua, utpote celebriori hic incipiam.

82. Q. I. *Quid sit hæreditatis petitio? cui? contra quem? & ad quid competat*? ℞. est actio civilis, qua hæres verus totam hæreditatem, vel partem ejus petit cum omnibus accessionibus ab illo, qui eam pro hærede, vel possessore possidet. Qualitates hujus actionis sunt, quod sit *universalis*; quia per illam non res singulæ, sed hæreditas, ut est jus universum petitur; ut non sit audiendus Seneca, & alii hæreditatem a rebus hæreditariis non discernentes contra *l.* 50. *pr. ff. de hæred. petit.* *Mixta*, quia per illam non tantum res ipsæ, sed etiam præstationes personales petuntur: si enim possessor hæreditatis aliquos fructus percepit, aut consumpsit, vel culpa sua res hæreditarias deterioravit, ad hæc omnia compensanda manet personaliter obligatus, & vi hujus actionis convenitur. In quo notabiliter differt hæreditatis petitio a reivindicatione; quia in hac non veniunt præstationes personales, nisi expresse, & nominatim petantur: siquidem commoda non augent res singulas, bene vero hæreditatem. *Bonæ fidei*, quia §. 28. *h. t.* numeratur inter actiones bonæ fidei *civilis*, quia a Jure civili *L. XII. Tabb.* introducta est.

83. ℞. 1. Hæreditatis petitio competit vero hæredi, sive scripto in testamento, sive legitimo ab intestato, sive per se, sive per alium in potestate constitutum sit hæres: imo etiam si sit hæres hæredis. *l.* 1. 2. 3. *ff. de hæred. petition.* sive sit hæres ex asse, sive ex parte; cum idem juris observetur in parte quo ad partem, quod in toto quo ad totum. Unde in Digestis post *tit. de hæred. petit.* statim subjicitur alter *titulus*: *si pars hæreditatis petatur*. 2. Hæreditatis petitio, non *directa*, sed *utilis* competit emptori hæreditatis, sive a fisco, sive a privato eam emerit. *l.* 13. §. 9. *l.* 54. *ff. de hæred. petit. l.* 5. *C. de hæred. vend.* idque ex rescripto Divi Pii. *l.* 16. *de pact.* nam emptor, vel donatarius non titulo universali, sed potius singulari hæreditatem accipit; cum lex, aut testamentum, non conventio, seu contractus hæredem faciat. *l.* 5. *C. de pact. convent.* Si tamen cessa sit hæreditatis petitio, videtur directa competere cessionario. *cit. l.* 5. 3. Actio ista non tantum uni, sed & pluribus hæredibus competit, sive simultanee, sive seorsim agant; nisi quis tacite ei renunciet v. g. scienter legatum accipiendo, atque ita pro legatario se gerendo; & testamentum approbando. *l.* 10. *ff. de inoff. testam. l. fin. C. de codicill.* Non prius autem actio ista competit, nisi post agnitam hæreditatem, dum hæres eam adivit, aut ei se immiscuit: nam ipsa non agnita, nullus est actu hæres.

84. ℞. 3. Hæreditatis petitio competit contra illum, qui rem hæreditariam bona, vel mala fide possidet titulo *pro hærede*; cum re ipsa non sit hæres *lib.* 9. 11. *ff. de hæred. petit.* vel titulo *pro possessore*, qui nullam justam, vel coloratam causam possidendi habet, præter illam: *quia possideo*. *l.* 11. §. *fin.* & *l.* 7. *Cod. eod.* ut fur, & quivis malæ fidei possessor: vel qui possidet titulo de jure invalido; ut si emat a furioso, minorenni, pupillo *l.* 13. §. 1. *ff. eod.* 2. Qui rem hære-

reditariam bona fide, & titulo singulari de Jure valido possidet v. g. pro emptore, donato, dote, legato, non tenetur hac actione *lib.* 9. 11. *ff. eod.* tum quia possidens titulo singulari, habet jus fortius: nam præter titulum, in quo par est hæredi, habet etiam possessionem rei; tum quia hæres allegando titulum hæreditatis, non contradicit intentioni allegantis titulum singularem empti, donati &c. *l.* 2. *C. de petit. hæred.* Excipe nisi emptor modico pretio emerit, vel nisi hæredi contra venditorem uon sit consultum; ut quia abest, vel non est solvendo. *lib.* 13. §. 4. *ff. de hæred. petit.* Alioquin hæres pro recuperandis rebus hæreditariis venditis intentare debet reivindicationem probando dominium. *l.* 2. *in fin. l.* 7. *in fin. C. eod.*

85. ℞. 4. Hæreditatis petitio competit pro rebus universis, quæ mortis tempore erant in bonis testatoris, vel hæreditati jacenti accesserunt. *l.* 18. §. *fin. l.* 20. §. 3. *ff. de hæred. petit.* uti sunt corpora, jura, nomina, fructus, usuræ, reparationes damnorum ex lege Aquilia: item res illæ, quarum periculum tangit hæredem; ut res defuncto depositæ, pignoratæ, commodatæ. *l.* 9. *pr. l.* 54. *ff. eod.* Feuda, cum hodie naturam bonorum patrimonialium imitentur, etiam merito cadunt sub hanc actionem; non tamen servitutes *l.* 19. §. *fin. eod.* quia hæ restitui non possunt; sed si quis prohibeat usum servitutis prædio debitæ, propria actione confessoria experiendum erit. E contra ususfructus, & aliæ servitutes personales peti possunt hæreditatis petitione *arg. a f.c. l.* 19. *in fin. cit.* Varios casus de hac actione vide in Pandectis *lib.* 5. *tit.* 3. & 4. in Codice *lib.* 3. *tit.* 31.

86. Hic adverte hæreditatis petitionem concedi Jure veteri *XII. Tabb.* hæredi civili ex testamento, vel ab intestato. Jure prætorio conceditur hæredi, seu bonorum possessori possessoria hæreditatis petitio, qua Prætor providet iis, quibus dat bonorum possessionem; & in effectu non differt a civili hæreditatis petitione. Vide *tit. ff. de possessoria hæreditatis petitione*. 2. Jure civili novo ex Senatus Consulto Trebelliano inducto datur fideicommissaria hæreditatis petitio illi, cui per fideicommissum restituta est hæreditas, contra possessores rerum hæreditariarum; non tamen contra hæredem fiduciarium, qui restituit; quia si integre non restituit, contra eum agitur ex testamento. Actio ista in effectu non differt ab hæreditatis petitione. Vide *tit. ff. de fideicommissaria hæredit. petitione*. Ex his patet tres dari hæreditatis petitiones, duas civiles ex Jure civili veteri, & novo, & unam prætoriam ex Jure prætorio *l.* 1. 2. 3. *ff. de hæred. petit.* 3. Pro hæreditatis petitione substituitur salubriter Interdictum saltem utile *quorum bonorum*, de quo infra *tit.* 15. *n.* 16.

87. Q. II. *Quid sit actio familiæ herciscundæ? cui? contra quem? & ad quid competat?* ℞. 1. Actio fam. herciscundæ est actio civilis, mixta, duplex, competens hæredi contra hæredem primario ad hæreditatem dividendam; & secundario ad præstationes personales ex bono, & æquo adjudicandas. Nomine *familiæ* hic venit *hæreditas*, quæ ex L. XII. Tabb. dicitur *herciscunda*, hoc est dividenda ab antiquo verbo *herciscere*, seu dividere. Est autem actio ista *universalis*, quia versatur circa universitatem hæreditatis: *mixta* quia *familiæ herciscundæ judicium ex duobus constat; id est, rebus atque præstationibus, quæ sunt personales actiones l.* 22. §. 4. *ff. familiæ herciscundæ*. Oritur ista actio personalis ex quasi-contractu, qui hoc ipso censetur initus, quod quis sit cohæres, seu hæres cum aliis hæredibus §. 4. *de oblig. ex quasi-contr.* nam ratione fructuum, damnorum, & aliarum obventionum, vel deteriorationum agitur in personam, ut fructus percepti æqualiter dividantur, incommoda æqualiter sentiantur, damna dolo, vel culpa etiam levi data reparentur; & si quid ab uno utiliter impensum est in res hæreditarias, id ei pro rata compensetur. Igitur vi h... rum præstationum actio ista est personalis; primario vero realis ad hæreditatem dividendam. Dicitur autem actio ista *duplex*: quia uterque cohæres est actor, & reus, utpote alter alteri obligatus; in processu vero judiciario is tenet partes actoris, qui primus ad judicium provocavit. *lib.* 13. 29. *ff. de judic. l.* 2. §. 1. *ff. communi divid.*

88. ℞. 2. Actio familiæ herciscundæ competit *directa* vero cohæredi ex testamento, aut ab intestato; *utilis* bonorum possessori, fideicommissario, & ei, qui verus hæres non est. *l.* 2. §. [illegible] *ff. fam. hercisc.* eam tamen sine decreto Judicis non tentat pupillus; quia divisio hæreditatis est quædam alienatio pupillis, & minoribus prohibita *tit. ff. de reb. eorum.* Nec obstat *l.* 5. *in fin. l.* 7. *pr. ff. de reb. eorum:* nam Jura ista loquuntur de divisione, & alienatione necessaria, dum hæres, vel socius majorennis provocat minorennem ad divisionem hæreditatis, vel rei communis. Ex his etiam patet actionem istam dari contra cohæredem unum, vel plures.

89. ℞. 3. Actio *familiæ herciscundæ* competit pro dividendis rebus hæreditariis; & quidem ab intestato æqualiter; ex testamento vero arbiter sequitur judicium patris, ita dividendo, sicut pater præscripsit, salva semper legitima. *l.* 1. 16. *C. fam. hercisc.* Hodie, si pater nihil divisit, major partes facit, & æstimat; minor vero eligit. Non veniunt autem in hoc judicium res *inhonestæ*, ut furto quæsitæ; quia restitutioni sunt obnoxiæ; *perniciosæ*, ut mala medicamenta; libri hæretici, aut magici, quæ statim a Judice corrumpi debent *l.* 4. §. 1. & *pen. ff. eod. nomina*, quorum non divisio, sed assignatio fit *lib.* 6. *C. eod.* peculium *castrense*, vel *quasi*, & *adventitium l. pen. C. eod.* bene vero *profectitium*, *l.* 13. *C. eod.* & ea, quæ collationi sunt obnoxia. 2. Veniunt in hoc judicium præstationes personales, commoda, & incommoda æqualiter pro rata sentienda, debita hæreditaria luenda *l.* 3. 9. *C. eod.* & si res hæreditaria uni adjudicata, evicta est, tenetur cohæres de evictione: nisi quisque periculum suæ partis in se susceperit. *l.* 14. *C. eod.* Varios casus circa hoc judicium vide *tit. ff.* & *Cod. familiæ herciscundæ*.

90. Q. III. *Quid sit actio communi dividundo?* ℞. est actio civilis, mixta, duplex, competens illis, qui ex justa causa habent rem singularem communem; primario ad rem istam dividendam, & secundario ad præstationes personales ex æquo adjudicandas, sicut in judicio familiæ herciscundæ. §. 20. *h. t.* Dicitur 1. *ex justa causa*, quia inter prædones, & dolosos possessores non datur hæc actio, ne ex improbitate sua beneficium actionis consequantur. *l.* 7. §. 4. *ff. communi divid. Dicitur* 2. *rem singularem* v. g. ex legato, donato, empto acquisitam; per quod differt hoc judicium a priori, in quo dividitur res universa hæreditatis. Inventæ autem sunt actiones istæ divisoriæ ad tollendas discordias, quarum mater est communio; ita ut neque testator prohibere possit divisionem rei communis. Cetera pleraque servantur, sicut in judicio fam. herciscundæ: hoc tamen excepto quod communi dividundo sæpius agi possit: judicio vero fam. herciscundæ utpote universali, non nisi semel; ita ut, si res aliquæ inter cohæredes indivisæ maneant, deinceps communi dividundo agendum sit. *l.* 20. §. 4. *ff. fam. hercisc. l.* 3. §. 2. *ff. com. divid.* Varios casus de hac actione vide *tit. ff.* & *C. communi dividundo*.

91. Q. IV. *Quid sit actio finium regundorum?* ℞. est actio civilis, mixta, duplex, competens habentibus confines agros; primario ad divisionem agrorum secundum terminos, & secundario ad præstandum interesse ratione ejus, quod fundi domino abest. *l.* 1. *ff. finium regundor.* Hæc actio ex *L. XII. Tabb. introducta*, ideo dicitur *finium regundorum*, quia agitur illa de finibus confusis regendis: regere autem fines, est terminos agrorum confusos discernere, & demonstrare, vel antiquos reparando, vel novos constituendo *l.* 3. *Cod. eod.* ob quod etiam vocatur *actio limitaris*, vel *jurgium finale;* estque stricti juris, cum §. 28. *h. t.* non numeretur inter actiones bonæ fidei; atque ita fructus in ea non veniunt, nisi post litem contestatam. *l.* 4. §. 2. *ff. fin. regund.* 2. Hæc actio *directa* datur dominis; utilis vero quasi-dominis; & in ea uterque litigans tenetur fines probare per instrumenta, sepes, fossas, lapides, & alia signa terminantia, quæ in postremo contractu erant. *l.* 1. *C. eod.* In casu, quo termini sunt obscuri, vel agri commode terminari non possunt, locus est adjudicationi ex bono, & æquo. *l.* 2. 4. *ff. eod.* ne rixis detur occasio. Ceterum dum in his tribus judiciis divisoriis res, quæ commode dividi nequit, adjudicatur alteri, is tenetur pecunia, vel alio modo resarcire interesse alterius partis. *ibid.* & §. 20. *v. in quibus. h. t.* quia tali casu pretium succedit lo-

co

eo rei. Illi autem res est adjudicanda, qui in ea majorem partem, vel plus juris habet; quia plus trahit ad se minus: secus si jura sint æqualia, res sorti committenda est. *l.* 14. *ff. de judic.* Vide de hac actione *tit. ff.* & *C. fin. regundor.* Item contra eos, qui terminos movent, competit actio criminalis ex *tit. ff. de termino moto*, & illa *Lex. XII. Tabb. qui terminum exarassit, ipsus, & boves ejus sacrati sunto.*

Hic adverte in Pandectis *lib.* 10. *tit.* 4. actionibus mixtis conjungi actionem *ad exhibendum*; non quod sit proprie mixta, sed quod imitetur naturam mixtarum. De se autem est personalis: attamen in rem scripta, & reivindicationis præparatoria, ut dicam *n.* 112.

§. VII.

De Actionibus in simplum, duplum, triplum, quadruplum.

NE pœnæ civiles in infinitum extenderentur, determinavit eas Imp. usque ad quadruplum; cujus ratio non est alia, nisi voluntas Legislatoris.

92. Q. I. *Quæ sint actiones in simplum?* R. omnes illæ, quibus præcise petimus rem nostram, vel nobis debitam absque addito pœnæ legalis; uti ex stipulatione, mutuo, vendito &c. §. 22. *h. t.* pœna conventionalis non mutat actionem simpli; ut si morosus debitor pro pœna conventa debeat aliquid solvere. Similiter actio L. Aquiliæ, licet ex *c.* 1. & 3. sit pœnalis quo ad excessum, tamen quia pœna non duplicatur cum re, est actio simpli.

93. Q. II. *Quæ sint actiones duplares?* R. illæ, quibus agitur in duplum, vel solius pœnæ; sicut furti nec manifesti, vel in simplum rei, & alterum tantum pœnæ superaddendo æstimationem rei, §. 21. *h. t.* cujusmodi sunt actio L. Aquiliæ contra inficiantem, actio prætoria depositi tempore ruinæ, actio ex legato pio venerabilibus locis relicto, de quibus supra dictum *n.* 75. *& seqq.* item actio *servi corrupti*, qua dominus, vel fructuarius agit contra eum, qui doloso consilio, vel hortatu ex servo bono fecit malum, vel ex malo deteriorem. Est hæc actio prætoria ex Edicto Prætoris *l.* 1. *ff. de servo corrupto, mixta*, seu rei, & pœnæ persecutoria in *duplum*: atque ita si servus ante corruptionem valuit 40. solvi debent 80. una cum eo, quod interest, & quod servus abstulit. *lib.* 1. §. 3. *ff. eod.* & in odium hujus delicti est perpetua *l.* 13. *eod. Utilis* hæc actio competit patri, marito, domino, magistratui, patrifam., Prælato regulari contra corruptorem liberorum, uxoris, famulorum, subditorum, familiæ, Religiosi. *arg. l.* 14. §. 1. *eod.* quo casu liberæ personæ non æstimantur, sed eorum operæ, quibus ob mores malos inductos privantur Superiores. Unde Mynsing. hic *num.* 4. docet, quod, si pater filiam morigeram elocare potuit cum dote 100., nunc vero quo ad mores corruptam vix cum dote 300. collocare possit in matrimonium, corruptor filiæ teneatur ad solvendos 200. At si filiam defloravit dolose, de Jure Canon. *c.* 2. *de adulter.* tenetur eam ducere, vel dotare.

94. Q. III. *Quæ sit actio in triplum?* R. unica, scilicet condictio ex lege ob majores sportulas, quæ datur reo contra actorem, qui fraudulenter plus in libello complexus est; & quidem in triplum ex gravamine sportularum metiendum. §. 24. *hoc tit.* ubi Imp. revocat se ad constitutionem suam, quæ in primo Codice extabat; in moderno vero desideratur: olim enim reus tenebatur executoribus, hoc est apparitoribus, & nunciis publicis dare sportulam (hoc est pecuniam, sumendo continens pro contento; quia pecunia in sportulis, seu calathis ex vimine contextis ferebatur) secundum quantitatem summæ in libello expressæ; ut unus aureus pro 200. adeoque si actor dolose expressit 400. debebant dari duo aurei. Ad hoc igitur præcavendum, præsens actio civilis inventa est, quæ mixta est in simplum sportulæ, & duplum pœnæ: sed hodie, ubi ministris publicis salaria definita sunt, vix ei est locus.

95. Q. IV. *Quæ sint actiones in quadruplum?* R. illæ, quæ persequuntur, vel quadruplum puræ pœnæ; uti actio furti manifesti, vel simplum rei, & triplum pœnæ; uti actio vi bonorum raptorum, actio de calumniatoribus, condictio ex lege adversus executores, & actio quod metus causa. §. 25. 26. 27. *h. t.* quæ ultima a ceteris differt, quia illæ sunt absolute in quadruplum: e contra actio *metus* est tantum conditionate in quadruplum, si a Judice jussus restituere, non pareat; quia tunc secundum rigorem Juris condemnatur in quadruplum. *cit.* §. 27. & 31. *h. t.* de quo infra *n.* 106. Hic solum duæ mediæ actiones explicandæ.

96. *Actio calumniæ*, puta civilis a Prætore introducta, est illa, quæ datur contra eum, qui pecunia accepta, vel data, alterum vexat in judicio; & quidem intra annum in quadruplum, post annum in simplum §. 25. *h. t. l.* 1. *ff. de Calumniator.* In quadruplo continetur simplum rei datæ, & triplum pœnæ; adeoque actio ista est mixta, seu persecutoria rei, & pœnæ. Vexatio ista in judicio fit dupliciter: *faciendo*, cum quis a tertio accipit pecuniam, ut innocentem injuste provocet ad judicium; & *non faciendo*, dum quis ab innocente accipit pecuniam, ne illum vexet in judicio, ad quod aliunde ex jure naturali tenebatur. Non est autem locus huic actioni, si pecunia accipiatur via transactionis, vel in casu calumniæ criminalis, qua falsum crimen objicitur; sed tunc observatur Senatus Consultum Turpillianum. Gothofr. ad *lib.* 8. *ff. de calumniatorib.* 2. Actio calumniæ competit vexato, sive is pecuniam dedit tam contra eum, qui pecuniam ab eo recepit, ne sibi litem intentaret; tam contra alium, qui pecuniam dedit ad litem intentandam, ne vexaretur, sive alius, ut vexaretur contra alterutrum; cum uterque pari turpitudine laboret. *lib.* 3. §. *fin. ff. eod. l.* 31. *C. de Episc. & Cler.* Si alius dedit pecuniam, ne me calumnieris, illi competit actio in simplum rei, & mihi in triplum pœnæ. *l.* 7. §. 1. *ff. de calumniatorib.* Item hæc actio saltem utilis accommodatur contra procuratorem, & advocatum, qui pecuniam acceperunt, ut paterentur se vinci in judicio. In hæredem in tantum datur, in quantum lucra turpia ad eum pervenerunt. *l.* 5. *pr. ff. eod.* 3. Si pecunia data est, ne moveretur aliquod negotium extrajudiciale, non hæc, sed alia actio datur v. g. condictio ob turpem causam. Vide *tit. ff. de calumniatorib.*

97. *Actio*, seu *condictio ex lege adversus executores* est illa, quæ competit gravato contra Judices, & alios ministros publicos exigentes majores sportulas, quam sint a lege taxatæ; & quidem in simplum rei datæ, & triplum pœnæ. *Utilis* datur contra omnes publicos officiales, si quid ultra consuetas sportulas exigant. Manz. Dicitur autem condictio ista *ex lege*; quia actio a lege concessa, si proprium nomen non habeat, vocatur condictio ex lege. *tit. ff. de condict. ex lege.* Hodie videtur pœna arbitraria; quia salaria fere ubique publicis ministris sunt constituta.

Explicantur §. 26. *&* 27. *h. t.*

98. §. 26. *h. tit.* ponitur differentia in actionibus duplaribus: nam actio furti nec manifesti, & servi corrupti semper est in duplum: actio vero L. Aquiliæ, testamenti pro legatis piis, & prætoria depositi in casu ruinæ, in solo casu inficiationis sunt in duplum.

§. 27. *h. tit.* ponitur differentia in actionibus quadruplaribus: nam actio metus est in quadruplum conditionate, si reus non pareat Judici interloquenti: ceteræ vero sunt absolute in quadruplum; & quidem actio furti manifesti in quadruplum puræ pœnæ; actio autem in factum de calumniatoribus, & condictio ex lege contra executores in simplum rei, & triplum pœnæ.

§. VIII.

De Actionibus bonæ fidei, & stricti juris.

99. SIcut in Jure Can. *lib.* 3. *tit.* 14. divido contractum in bonæ fidei, & stricti juris, ita quoque hic §. 28. cum Imp. recte dico: *actionum quædam bonæ fidei sunt, quædam stricti juris:* quæ divisio a Jure Can. non reprobatur, sed potius approbatur *cap.* 6. *de exception. c.* 3. *de caus. possess. Bona fides* hic non accipitur ut opponitur dolo, & fallaciæ, seu malæ fidei; quia sic omnis actio debet esse bonæ fidei, seu sincera, & ab omni dolo libera; sed prout importat quamdam æquitatem oppositam stricto, & summo juri, hoc est conventioni secundum expressos apices consi-

fideratæ: quo sensu dicimus: *summum jus*, *summa injuria*.

100. Q. I. *Quid sit actio bonæ fidei*, *& stricti juris*? R. *ad* I. Actio *bonæ fidei* est illa, in qua Judex habet amplam potestatem ex æquo, & bono judicandi non tantum de expresse conventis, sed etiam de his, quæ neque dicta, neque cogitata sunt; attamen ob æquitatem naturalem censentur tacite inesse conventioni. R. *ad* 2. Actio *stricti juris* est, in qua Judex, servata justitia, tenetur judicare stricte secundum expressos conventionis terminos; ita ut nec in plus, nec in minus condemnet. Cape utriusque exempla: I. Titius vendit Cajo equum interno vitio laborantem, quo casu, etsi nihil dictum, vel cogitatum fuerit; tamen secundum Ædilitium Edictum tenetur Titius ad instantiam Caji equum recipere, & pretium ei restituere; vel si Cajo placet, tantum de pretio remittere, quanto minoris equus valet: e contra Titius donat equum morbidum Cajo, quo casu non potest Cajus agere contra Titium, quod equum sanum non donaverit. *l.* 12. *ff. de ædilit. edict.* quia juxta illud S. Hieron. *equi donati dentes non sunt inspiciendi*. Vides in priori casu non attendi strictam conventionem; bene vero in posteriori; quia emptio, venditio est bonæ fidei, donatio vero est stricti juris. 2. Vendit Titius hortum pendentibus fructibus, de quibus nihil est expressum in contractu; hic ex bono, & æquo censetur simul venditi fructus *l.* 13. §. 10. *ff. de action. empt.* e contra per stipulationem promisso, vel donato horto, si de fructibus nihil sit expressum, fructus non censentur promissi, aut donati. *l.* 78. §. 3. *ff. de Verb. Obl.* 3. Titius agrum suum permutavit cum agro Caji, qui a domino evictus est: hic Cajus tenetur Titio de evictione, etsi de illa nihil fuerit cogitatum. *l.* I. *C. de rer. permut.* at si ager donatus, vel legatus evictus sit, donans, vel hæres donantis non tenetur de evictione. Nec obstat *c. 6. de donation.* nam in eo plus non dicitur, quam donationem non esse restringendam contra mentem donatoris: at ubi de mente donantis non constat, recte donatio, tanquam stricti juris, strictam recipit interpretationem.

101. Q. II. *Quæ sint actiones bonæ fidei*, *& quæ stricti juris*? R. *ad* I. Illæ tantum sunt actiones bonæ fidei, quæ enumerantur §. 28. *h. t.* suntque I. Actio *ex empto*, quæ datur emptori contra venditorem. 2. Actio *ex vendito*, quæ datur venditori contra emptorem, 3. *Ex locato* competens locatori contra conductorem. 4. *Ex conducto* competens conductori contra locatorem. 5. *Negotiorum gestorum directa* competens domino contra gestorem: & *contraria* competens gestori contra dominum principalem. 6. *Mandati directa* competens mandanti contra mandatarium; & *contraria* competens mandatario contra mandantem. 7. *Depositi directa* competens deponenti contra depositarium; & *contraria* competens depositario contra deponentem. 8. *Pro socio* utrinque *directa* competens socio contra socium ejusdem societatis. 9. *Tutelæ directa* competens pupillo contra tutorem; & *contraria* competens tutori contra pupillum. Sub his continetur *actio curæ*, seu *curatelæ*. 10. *Commodati directa* competens commodanti contra commodatarium; & *contraria* competens commodatario contra commodantem. 11. *Pignoratitia directa* competens debitori ad repetendum pignus soluto debito; & *contraria* competens creditori, si quid ex suo rem pignoratam impendit. 12. *Familiæ herciscundæ* competens cohæredibus ad dividendam hæreditatem. 13. *Communi dividundo* competens pluribus ad dividendam rem singularem, quam citra contractum societatis communem habent. 14. *Præscriptis verbis de æstimato*, seu *actio æstimatoria*, quæ est civilis personalis competens æstimanti contra eum, qui rem ab illo æstimatam, seu certo pretio vendendam accepit, ad hoc, ut vel æstimationem rei, vel ipsam rem integram reddat una cum fructibus. 15. Actio *præscriptis verbis ex permutatione*, quæ est civilis personalis competens ei, qui rem unam dedit pro altera ad hoc, ut interesse præstetur, si vicissim alter rem suam dare nolit. Et quia in veriori sententia permutatio non differt a contractu innominato *do*, *ut des*, sequitur ex hoc contractu actionem esse bonæ fidei. 16. *Hæreditatis petitio*, quæ olim fuit stricti juris, nunc ex Constit. Justiniani *l. fin. in fin. C. de petition. hæred.* facta est actio omnimodo bonæ fidei. 17. Actio *rei uxoriæ*, quæ olim soluto matrimonio dabatur uxori contra maritum, vel ejus hæredes ad res dotales repetendas; sed ex constitutione Justiniani *l. un. princ. C. de rei uxoriæ act.* actio rei uxoriæ transfusa est in actionem *ex stipulatu de dote petenda*, vel *repetenda*, quam Imp. voluit esse bonæ fidei; cum alias actio ex stipulatu sit stricti juris. Et quidem actio *ex stipulatu de dote petenda* competit, constante matrimonio, marito contra promissorem, ut is dotem promissam tradat cum fructibus, & usuris a tempore moræ debitis; sicut accidit in aliis actionibus bon. fid. Actio *ex stipulatu de dote repetenda* competit uxori, vel aliis contra maritum, vel alium dotis possessorem, ut, soluto matrimonio illam reddat cum fructibus, & usuris. *cit. l. un.* Plura, quæ de his actionibus quæri possent, invenies in Jure Can. suis locis, & titulis. Actio *funeraria*, qua quis persequitur sumptus funeris a se factos, est quidem bonæ fidei *l.* 14. §. 6. *ff. de religios. & sumpt. funer.* sed continetur sub negotiorum gestorum actione, tanquam species sub suo genere. *arg. cit. lib.* 14. §. 11. & 13. *ff. eod.* Zoes. tamen dicit illam esse stricti juris.

102. R. *ad* 2. Cæteræ omnes actiones, præter enumeratas, sunt stricti juris; ut reivindicatio cum aliis realibus: condictio certi ex mutuo; condictio indebiti cum pluribus aliis condictionibus; actio ex stipulatu; finium regundorum; ex testamento; actio præscriptis verbis, seu in factum contractibus innominatis *do*, *ut facias*, *facio*, *ut des*, *facio*, *ut facias*; actiones in factum ex interdictis; omnes actiones pœnales &c. Ratio, quare illæ sint actiones bonæ fidei, & istæ stricti juris, a Jasone non redditur alia, quam voluntas legislatoris. Alii tamen DD. & cum his Manzius varias assignant congruentias: I. quia ex actionibus bon. fid. aliquæ sunt universales, & amplæ; adeoque requirunt amplam interpretationem ex bono, & æquo: ut hæreditatis petitio, fam. herciscundæ, commune dividundo, negotiorum gestorum, tutelæ, pro socio. 2. aliquæ fundantur in favore, & amicitia humana; atque ita petunt large judicari; ut in mandatis, depositis, commodatis. 3. Actiones bonæ fidei fere omnes important mutuam obligationem passivam; adeoque utrique contrahenti utile est, ut non præcise verba, sed mens & æquitas naturalis attendatur: e contra actiones stricti juris plerumque ex parte unius important obligationem passivam; atque ita æquum est, ut partis obligatæ, & non obligatæ causa stricte secundum verba conventionis judicetur; ut in mutuo, donato, stipulatione &c. Ceterum quia actiones sunt Juris publici, pactis privatorum non mutantur; adeoque actio stricti juris non efficietur bonæ fidei, etsi illi addatur clausula, ut Judex ex bono, & æquo judicet. Harpr. Manz. & alii contra Wesemb.

Explicatur §. 30. *h. t.*

103. HIc Imp. ponit differentiam in actionibus, seu judiciis bonæ fidei & stricti juris: nam I. in judiciis bon. fid. Judex habet liberam potestatem ex æquo, & bono æstimandi, quantum actori adjudicare debeat: e contra in judiciis stricti juris judicare debet secundum expressa verba conventionis. 2. In judiciis bon. fid. Judex ipso Jure admittit compensationem; ut si actor petat 100. & debeat reo 50. Judex non condemnabit reum nisi in 50. quia reliqua summa compensatur cum debito 50. At in judiciis stricti juris olim non admittebatur compensatio; deinde ex Rescripto D. Marci inducta est compensatio per viam oppositionis, seu exceptionis: & tandem Imp. Justinianus voluit ipso jure admitti compensationem in judiciis omnibus sive bon. fid. sive stricti juris: puta in quantitatibus, non corporibus; sicut pecunia compensari potest pro pecunia, vinum pro vino ejusdem generis, & bonitatis. *l. fin. C. de compensat.* Plura de compensat. vide in Jur. Can. *lib.* 3. *tit.* 23. *num.* 19.

§. IX.

§. IX.

De Actionibus Arbitrariis, & Non-Arbitrariis.

104. IN §. 31. *h. t.* actiones stricti juris subdividuntur in *arbitrarias*, & *non-arbitrarias*, quas varii varie explicant. Sed conformius *cit.* §. 31. *Arbitrariæ* sunt illæ, in quibus Judici ante sententiam definitivam permittitur arbitrari per interlocutoriam, seu simplex præceptum; cui si reus paret, absolvitur; sin minus, definitive condemnatur secundum rigorem Juris: nam quædam actiones prima fronte sunt severæ, adeoque ut benignius cum reo agi possit ex æquitate, recte simile arbitrium Judici permittitur. Actiones *non-arbitrariæ* sunt, in quibus Judex nequit arbitrari per interlocutoriam, sed secundum petitionem actoris debet reum condemnare. De his nihil hic speciale dicendum, cum ex opposito omnia intelligantur secundum regulas communes judiciorum.

105. Q. I. *Quæ sint actiones arbitrariæ, & quomodo fiat in eis arbitrium?* ℞. 1. *Reivindicatio*, in qua Judex ante definitivam jubet rem actori, tanquam domino, restitui; cui præcepto si reus non pareat, fertur in eum severior sententia definitiva, ut res illi violenter, seu manu militari auferatur, & interesse compensetur. *l.* 58. *ff. de Rer. Usf.* 2. *Publiciana*, in qua idem observatur, quod in rei-vindicatione. 3. *Serviana, & quasi-Serviana*, in quibus similiter, si ad primum Judicis præceptum pignus non restituatur, hoc manu militari aufertur reo; & si is dolo desiit possidere, definitiva secundum juramentum in litem profertur. *l.* 16. §. 3. *ff. de pignorib.* Hæ actiones sunt reales arbitrariæ; ceteræ sunt personales: *quod metus causa, de dolo, de eo, quod certo loco, ad exhibendum, & actio noxalis*: in his enim, si reus non pareat primo præcepto Judicis, gravius condemnatur, ut in seqq. patebit.

106. Q. II. *Quid sit actio, quod metus causa? cui? contra quem? & ad quid competat?* ℞. 1. Actio metus est personalis, in rem scripta, prætoria, mixta, arbitraria, competens metum passo ad aliquid dandum, faciendum, vel non faciendum; principaliter contra metum inferentem intra annum in quadruplum, post annum in simplum. §. 25. & 31. *h. t.* Dicitur 1. *Personalis*, quia principaliter oritur ex delicto metus illati. 2. *In rem scripta l.* 9. §. *fin. ff. quod metus causa.* quia imitatur actionem realem in eo, quod non solum detur contra delinquentem, seu metus illatorem, sed etiam contra quemcunque possessorem, qui ex metu illato sentit commodum; cum æquitas naturalis non sinat aliquem ex delicto alieno lucrum sperare, aut quærere. *l.* 14. §. 3. *ff. quod met. caus. l.* 134. *ff. de Reg. Jur.* 3. *Prætoria*, quia ex Edicto Prætoris descendit *l.* 1. *ff. quod met. caus.* 4. *Mixta*, quia rem, & pœnam tripli persequitur. 5. *Arbitraria*, quia Judex primum ex bono, & æquo jubet rem restituere: si vero reus non pareat huic arbitrio, condemnatur in simplum rei, & triplum pœnæ v. g. dedisti ex metu gravi injusto 100. fl. si reus a Judice jussus nolit eos restituere, condemnatur in quadruplum, seu in 400. *lib.* 14. §. 4. *ff. d. t.*

107. ℞. *ad* 2. Actio, quod metus causa, competit metum passo sive in se, sive in suis liberis, uxore, aut subditis, ut Religiosis *l.* 8. *ff. d. t.* & cum sit rei persecutoria, transit ad hæredes metum passi. *lib.* 16. §. 2. *eod.*

108. ℞. *ad* 3. Actio *metus* datur: 1. contra metum, seu vim cumpulsivam inferentem, ejusque hæredes secundum id, quod de lucro turpi ad eos pervenit *l.* 16. *eod.* imo contra hæredes hæredis; etsi ad eos nihil pervenerit; quia sufficit aliquid pervenisse ad primum hæredem *l.* 17. *eod.* Si tamen res ante litem contestatam apud primum hæredem bonæ fidei possessorem casu periit, hæres hæredis non tenetur hac actione *arg. a sens. contr. l.* 18. 19. 20. *eod.* 2. Contra quemcunque possessorem, vel detentorem rei per metum ablatæ, sive eam habeat ex lucrativo, sive ex oneroso titulo. *l.* 14. §. 3. *eod.* nam actio ista, cum sit in rem scripta, sequitur conditionem actionis realis; adeoque datur contra quemcunque possessorem rei.

109. ℞. *ad* 4. Actio *metus* persequitur rem, & triplum pœnæ, etiam ab illo præstandæ, qui rem bon. fid. acceptam possidet, & ad mandatum Judicis restituere recusat. *l.* 14. §. 1. *eod.* Si tamen metum passus aliquod pretium accepit v. g. pro re metu vendita, tenetur illud restituere emptori. *l.* 3. *C. de his, quæ vi, metusve caus. fiunt.* Plura de hac actione vide in Jur. Can. *lib.* 1. *tit.* 40.

110. Q. III. *Quid sit actio de dolo?* ℞. est actio personalis arbitraria competens decepto contra malo dolo decipientem pro reparanda indemnitate decepti. *l.* 1. §. 1. *ff. de dolo malo.* ubi ponitur Edictum Prætoris his verbis: *quæ dolo malo facta esse dicentur, si de his rebus alia actio non erit, & justa causa esse videbitur, judicium dabo.* Actio ista est: 1. *Personalis*, quia oritur ex delicto doli facti. 2. *Arbitraria*, quia deceptus suæ imprudentiæ aliquatenus imputare debet, quod se decipi passus sit: deceptor vero, si rem dolo acceptam non restituat, condemnatur ad simplum & simul infamia notatur; ex quo capite actio ista *famosa* est. *lib.* 18. *ff. de dolo mal.* 3. *Reipersecutoria*: non vero pœnalis, sicut actio metus, furti, & violentiæ: tum quia non infert vim aliquam, sicut metus, furtum, & rapina; tum quia sufficienter punitur infamatione, *l.* 1. §. 4. *eod.* 2. Actio ista, cum sit personalis pura, & non in rem scripta, competit contra solum decipientem, ejusque hæredes, si quid ad eos pervenit, vel eorum dolo factum est, quo minus perveniret *l.* 17. *in fin. l.* 26. 27. *eod.* Si autem plures deceperunt, singuli tenentur in solidum, utpote ex delicto obligati; uno tamen solvente omnes liberantur, ne idem bis exigatur. *cit. l.* 17. & *l. bona fides. ff. de Reg. Jur.* 3. Cum actio ista sit gravis, & infamans, non conceditur, nisi *causa cognita*, & in *defectu alterius actionis*, ut patet ex *cit.* Edicto. Unde requiritur *summa notabilis*; quia de minimis non curat Prætor *l.* 4. *ff. de in integr. rest. defectus alterius actionis*; quia si adsit remedium ordinarium, non conceditur extraordinarium, & subsidiarium; uti est actio doli *arg. l.* 16. *pr. ff. de Minor.* Persona, cui accomodari possit actio doli: quia si personæ debetur pietas, & reverentia, contra eam non datur actio doli; sed in factum, qualiter liberi contra parentes, liberti contra patronos, plebeji, & viles contra virum consularem, prodigi, & inhoneste viventes contra virum honestum non intentant actionem doli; sed in factum. *lib.* 11. *ff. de dolo mal.*

111. Q. IV. *Quid sit actio de eo quod certo loco dari promissum est?* ℞. est arbitraria, qua debitum petitur in alio loco, quam conventum est, salvo interesse utriusque partis v. gr. Titius promisit se soluturum Viennæ Kalendis Junii; & quia hoc tempore Viennæ non comparuit, peto debitum Pragæ, ubi Titium deprehendi. Et quidem 1. si reus fuit in mora, quo minus loco convento solutum fuerit, Judex arbitrio suo condemnabit eum non tantum ad summam debitam, sed etiam ad interesse actoris. Si vero justo impedimento ad locum conventum venire non potuit, condemnabitur ad summam contractam. *lib.* 4. *ff. de eo, quod certo loco.* 2. Si debitor non fuit in mora, & pecunia in alio loco petatur, attenditur utriusque partis interesse, & quidem si rei interest in loco convento solvi, minoris fit condemnatio; si vero actoris interest, fit condemnatio majoris; ex quo capite actio ista est arbitraria *l.* 2. *ff. eod.* Vide de hac actione in Pandectis *libr.* 13. *tit.* 4. in Codice *lib.* 3. *tit.* 18.

112. Q. V. *Quid sit actio ad exhibendum?* ℞. est civilis, personalis, in rem scripta, arbitraria, competens ei, qui prætendit interesse justum, & pecuniarium ad hoc, ut res mobilis exhibeatur videnda contra quemcunque possessorem, reque exhibita sit potestas actori illam vindicandi. Est actio ista 1. *Civilis*, quia datur ex legibus, sicut reivindicatio. 2. *Personalis l.* 3. §. 3. *ff. ad exhibend.* quia hac actione non petit actor rem sibi restitui, sed intendit præcise, ut reus aliquid faciat, hoc est exhibeat rem videndam, vel solvat, quanti ea res erit, quod est proprium actionis personalis. 3. *In rem scripta*, quia imitatur actionem realem in eo, quod procedat contra quemcunque possessorem, vel detentorem, ut rem exhibeat. *l.* 3. §. *fin. ff. eod.* Unde datur contra creditorem ratione pignoris, fructuarium, vasallum, emphyteutam, depositarium, commodatarium &c. *l.* 4. 5. 7. 12. *eod.* atque ita actio ista est

est præparatoria ad vindicationem. *l. 2. ff.* & *l. 1. Cod. eod.* quia si res exhibita apparet esse actoris, eam vindicare poterit. 4. *Arbitraria*, quia si reus ad jussum Judicis rem non exhibeat, condemnatur, quanti interest actoris. *l. 7. §. fin. l. 9. §. fin. ff. eod.* quod interesse subsistere debet, & tempore litis contestatæ, & tempore sententiæ, ut ita subsistat & petitio, & condemnatio. *cit. l. 7. §. fin.* Requiritur autem, ut interesse istud sit *justum*, quia si Judex summarie cognoscendo, videt causam non esse justam, non debet hanc actionem concedere. *l. 3. §. 9.* & *11. eod.* item ut sit *pecuniarium*, & in ordine ad vindicationem; quia si cujus interest rem exhiberi ex alia causa, non est locus huic actioni; & ideo non sunt exhibendæ rationes adversario, etsi ejus multum intersit, neque libri studioso, vel advocato, etsi eos legendo doctior, & melior evaderet. *lib. 13. 19. eod.* quia hoc interesse non est pecuniarium. Vide de hac actione *tit. ff.* & *Cod. ad exhibend.*

113. Q. VI. *In quo actio noxalis sit arbitraria?* ℞. in eo, quod, si dominus servi, aut animalis nolit æstimationem damni dare, vel servum, aut animal noxæ dedere, condemnetur, quanti Judex æstimaverit. *l. fin. ff. de interd.* de hac actione agetur infra *tit. 8. 9.*

Explicatur §. 32. usque ad 35.

114. IN his paragraphis Imperator incidenter ponit ea, quæ pertinent ad judicia, & condemnationes. Et quidem, sive proponatur *actio certi*, qua certum quid, quantum, quale petitur, sive *actio incerti*, qua determinate non exprimitur quid, quantum, & quale petatur, ut in hæreditatis, tutelæ, & similibus actionibus amplis: Judex tamen quantum possibile est, debet ferre sententiam certam quo ad rem principalem, & ejus accessoria §. 32. *h. t.* Excipe 1. nisi sententia ex natura actionis concipienda sit alternative v. g. in judicio noxali, ut reus vel damnum reparet, vel servum noxæ dedat &c. 2. In actionibus universalibus, & generalibus, in quibus determinatio rerum plerumque fit in executione; maxime quo ad fructus, & alia accessoria: nam licet libellus debeat esse certus, & sententia ei conformis; tamen certitudo ista maxime attenditur in *re petita*, & *causa petendi*; ne v. g. fundus petitus ex causa empti, adjudicetur actori ex causa donati. At in quantitatibus sæpe fit variatio, si in decursu judicii appareat Judici majorem, vel minorem quantitatem esse solvendam. Vide in Jure Canon. *lib. 2. tit. 27.*

115. In §. 33. *h. t.* ponuntur quatuor modi plus petendi: *Re*, dum res major petitur, ut totum pro parte, 20. pro decem. *Tempore*, dum citius petitur, quam sit conventum. *Loco*, dum alio loco petitur, quam convento. *Causa*, dum in genere, vel alternative debitum petitur in specie; & determinate. Vide in Jur. Can. *lib. 2. tit. 11.*

116. In §. 34. *h. t.* traditur, quod actor, qui minorem quantitatem, quam sibi debitam petiit, sine periculo agat, hoc est sibi non præjudicet: quia in eodem, vel alio judicio reliquum petere potest. Neque ei obstat exceptio rei judicatæ, cum de alia re agatur.

117. In §. 35. *h. t.* traditur, quod actor, qui aliud pro alio, vel ex alia causa petiit, sibi non præjudicet; quia errorem corrigere potest emendato, vel mutato libello. Vide Jus Can. *lib. 2. tit. 3.*

§. X.

De Actionibus in solidum, & non-solidum.

118. Q. I. *Quid sit actio in solidum?* ℞. est persecutoria totius, quod nobis debetur: nam quanta est obligatio debiti, tanta debet esse condemnatio, & solutio; ut ita æqualitas servetur. Hujusmodi actiones regulariter sunt omnes, nisi ob specialem rationem Jus velit condemnationem esse minorem debito.

119. Q. II. *Quid sit actio in non-solidum?* ℞. 1. est persecutoria minoris, dum Judex ob certas rationes reum non condemnat in totum debitum, etsi hoc velit actor. §. 36. *h. t.* quod quidem oritur non ex natura actionis, sed ex æquitate, & ratione personarum; sicut etiam in criminalibus propter excellentiam personæ pœna mitigari solet. *l. 31. ff. de pœnis.*

120. ℞. 2. Actio degenerat in non-solidum in casibus seqq. 1. Si contra partem agatur ex contractu filii; tunc enim pater non condemnatur in solidum, sed peculiotenus, ut supra *n. 66.* dictum. 2. Si agatur contra personam munitam privilegio *competentiæ*, ne cogatur ad solvendum ultra quam possit, salva sua competenti, & honesta sustentatione. Tale privilegium habet maritus contra uxorem in repetitione dotis, parentes, patroni, socius contra liberos, libertos, & socium. §. 37. 38. *hoc tit.* nam specialis amor, reverentia, & amicitia similium personarum non permittit condemnationem in solidum; ne alter per alterum depauperetur. Idem beneficium competentiæ habent donator contra donatarium. *l. 12. ff. de donation. lib. 28. 29. ff. de Reg. Jur.* Miles armatæ militiæ. *l. 6. pr. ff. de re judic.* quod etiam accommodari solet militi togato, ut doctoribus, medicis, advocatis: & de Jure Can. Clericus, seu miles cœlestis eodem privilegio gaudet. *c. 3. de solution.* quia vero exceptio competentiæ est personalis, non prodest hæredi, aut successori. *l. 7. pr. ff. de exception.* 3. Debitor, qui omnia bona sua creditoribus cessit, si postea perveniat ad pinguiorem fortunam, non condemnatur in solidum. §. *fin. h. t.* quia respectu priorum creditorum gaudet beneficio competentiæ. Quod aliqui extendunt ad eos, qui bellorum, incendii, aut simili calamitate ad incitas redacti sunt; cum & pro his militet eadem ratio, quod *inhumanum sit spoliatum fortunis suis in solidum damnari*. 4. Compensatio in quantitatibus minuit actionem in solidum, quia debitum cum debito in vicem solutionis compensatur. §. *pen. h. t.*

De ceteris actionibus agetur *tit. 7. 8. 9.* & *12.*

TITULUS VII.

Quod cum eo, qui in aliena potestate est; negotium gestum esse dicetur.

1. IN h. t. & duob. seqq. traditur divisio actionis in *principalem*, seu *directam*; dum quis ex propria persona obligatur ratione contractus a se initi, vel delicti a se commissi, & *accessoriam*, seu *indirectam*, *obliquam*, seu *adjectitiam*; dum quis ex alterius persona, seu ratione alieni contractus, aut delicti obligatur. De priori nihil hic speciale dicendum. Posterioris sex sunt species ex contractu: *quod jussu*, *exercitoria*, *institoria*, *tributoria*, *de peculio*, *de in rem verso*. Ex delicto est actio *nodalis*, de qua *seq. tit.* & actio *quadrupedaria*, de qua *tit. 9.* Omnes hæ indirectæ actiones sunt prætoriæ ob æquitatem introductæ: quia æquum est, ut patres, & domini, qui ex personis sibi subjectis commodum sentiunt, etiam ex illis sentiant onus, & incommodum. Quæ hic dicentur de servis, & dominis, eadem fere omnia intelligenda sunt de filiis, & parentibus. *pr. h. t.*

2. Q. I. *Quid sit actio quod jussu?* ℞. est actio prætoria personalis competens in solidum contrahenti contra dominum, vel patrem, quorum jussu servus, aut filius contraxit. §. 1. *h. t.* ubi ratio additur; *quia is, qui ita contrahit, fidem domini sequi videtur*. *Jussus* est mandatum, quod datur personæ in potestate constitutæ etiam invitæ: & per hoc differt a mandato specifice tali, quod datur personæ extraneæ volenti. *lib. 8. §. 1. ff. de procurator.* Porro ad hanc actionem sufficit jussus, vel formalis, vel æquivalens; ut si dominus contractum servi subscribat, vel sigillet, vel ratum habeat. *l. 1. §. 4. 5. ff. quod jussu*. In quo *tit.* plures casus de hac actione videre poteris.

Q. II. *Quid sit actio exercitoria?* ℞. est actio prætoria personalis in solidum competens contra exercitorem navis, ut contrahenti præstet, quod ei debetur ex contractu magistri, vel sub-magistri navis. §. 2. *h. t.* nam exercitor omnia facta magistri tenetur præstare, ne contrahentes decipiantur. *Exercitor* navis vocatur principalis dominus, navarchus, seu nauclerus, ad quem omnes redditus navis spectant. *Magister* navis est ille, qui præpositus est navi regendæ, cujuscumque sit conditionis, aut sexus, sive major, sive minor, vir fœmina &c. *Sub-Magister* navis est, qui a magistro substituitur, etiam exercitore prohibente; quia ob utili

tatem,

tatem, & necessitatem navigandi Jus permittit talem substitutionem magistro. *l.* 1. §. 5. *ff. de exercitoria*. 2. Ut hæc actio procedat, debet esse contractus cum magistro; vel sub-magistro; non vero cum nautis: licet alioquin si nautæ, vel magister in suo ministerio delinquant, exercitor teneatur ex eorum delicto; quia opera malorum hominum utitur. §. 3. *de oblig. ex quasi delict.* 2. Ut magister non excesserit fines suæ negotiationis; ut si constitutus est ad vecturas exigendas, seu pensiones, & is navim locavit. *l.* 1. §. 2. *ff. de exercitor.* 3. Exercitor contra magistrum regressum habet per actionem mandati, locati, negotiorum gestorum, prout inter eos convenit. *l.* 1. §. 18. *eod.* In quo *tit.* plures de hac materia casus reperies. Hic adverte in Pandectis post *tit. de exercitoria* subjici titulum *Ad Legem Rhodiam de jactu*; qua disponitur, ut si levandæ navis causa merces aliquorum ejiciantur, damnum hoc fit omnibus mercatoribus commune pro rata, nisi merces ejectæ recuperarentur: tunc enim suæ cuique manent. Vide Zoes. ad *cit. tit. ff. ad L. Rhod. de jactu.*

4. Q. III. *Quid sit actio institoria?* ℞. est personalis prætoria in solidum competens contra principalem præponentem, ut solvat contrahenti, quod ei debetur ex contractu institoris. §. 2. *h. t.* quia etiam hic contrahens sequitur fidem præponentis. Hæc actio non vocatur a principali, sicut prior; sed a ministro præposito negotiationi terrestri, seu tabernæ, qui vocatur *Institor*, vulgo *Factor*, seu præpositus tabernæ. *l.* 2. *ff. de institor. act.* Hæc actio in plerisque convenit cum superiori: differt vero, quia oritur ex negotiatione terrestri, & institor nequit sibi substituere alium subinstitorem absque speciali mandato; cum non sit ista necessitas in terra, quæ in mari, ubi locus, & tempus sæpe non admittit plenius deliberandi consilium. *lib.* 5. *ff. de exercitor.* Vide *tit. ff. de institor.*

5. Q. IV. *Quid sit actio tributoria?* ℞. est prætoria personalis ad æqualiter pro rata dividendas merces peculiares inter dominum, & alios creditores §. 3. *h. t.* Dicitur *tributoria* a distributione; quia ex peculio servi, vel filiifam. cuilibet creditori id tribuitur, quod sibi debetur pro rata. 2. Actio ista datur tantum in mercibus peculiaribus, & quas servus sciente, & patiente domino administrat. *l.* 1. §. 3. *l.* 5. §. 17. *ff. de tributor. action.* Unde si servus in peculio habeat 2000. & unum mille dat in merces, alterum ad usuras, tantum unum mille in merces expositum venit in tributoriam, in qua dominus, vel pater non gaudet privilegio *deductionis*. Item si dominus ignoret merces peculiares servi, non est locus tributoriæ, sed actioni de peculio, in qua dominus, & pater habet privilegium *deductionis*, ut id, quod post concessum peculium sibi civiliter, vel naturaliter debetur, ante alios creditores deducere possit. §. 5. *h. t. l.* 9. §. 2. *ff. de peculio*. Ex quo patet differentia harum actionum. Vide *tit. ff. de tributor. act.*

6. Q. V. *Quid sit actio de peculio?* ℞. est prætoria personalis competens creditori ex contractu servi contra dominum, ut solvat secundum vires peculii. §. 4. *h. t.* Differt a prioribus, quia in illis requiritur jussus, consensus, vel scientia, & patientia domini, non vero in ista; quia hoc ipso, quod dominus servo, & pater filio concedat peculium profectitium, dat ei potestatem contrahendi, & consf. ex eorum contractu obligatur peculiotenus, salvo privilegio *deductionis* v. g. filius habet in peculio 100. debet vero patri 40. & Titio creditori 80. in hoc casu pater sibi deducit 40. & residuum dat Titio, scil. 60. secundum vires peculii, non vero solidum, seu 80. Vide *tit. ff. de peculio*. 2. Extincto peculio v. g. per revocationem, manumissionem, vel mortem servi, ne creditores defraudentur, datur eis actio annalis de peculio, quæ porrigitur ad unum annum utilem, sicut aliæ prætoriæ. Vide *tit. ff. quando de pecul. actio annalis est.*

7. Q. VI. *Quid sit actio de in rem verso?* ℞. est prætoria personalis competens creditori, qui inscio domino, vel patre contraxit cum servo, vel filiofam. ut solvant id, quod in rem, seu utilitatem eorum versum est §. 4. *h. t.* ne scilicet dominus, vel pater cum jactura alterius locupletetur. Et quidem, si solidum versum est in rem domini, is tenetur in solidum; si pars tantum, etiam pro parte tantum tenetur: v. g. servus pro alimentis familiæ accepit mutuos decem modios frumenti, eosque in alimenta familiæ convertit, dominus tenetur ex hoc contractu in solidum. 2. Actio ista saltem utilis, competit ex contractu famulorum conductitiorum, qui in locum servorum successerunt: item pro illo casu, quo res ad utilitatem domini comparata casu periit. *l.* 1. §. 1. *ff. de in rem verso*, cui non obstat *l.* 10. §. 6. *eod.* uam procedit in casu, quo dominus servo solvit rem ab eo comparatam; & tunc actio erit contra servum peculiotenus. E contra cessat actio ista, si servus simulet se rem versurum in utilitatem domini, & ita creditorem decipiat. *l.* 3. §. 9. *eod.* ne facilis credulitas creditoris obsit domino; sed eo casu procedet actio de peculio.

8. Q. VII. *Quid Juris in concursu harum actionum?* ℞. 1. Cui competit actio *quod jussu*, *exercitoria*, *institoria*, & *tributoria*, etiam ei competunt duæ reliquæ, scil. *de peculio*, & *in rem verso*: una vero electa, ceteræ consumuntur. §. 5. *h. t.* adeoque prudens creditor eligat pinguiorem, qua solidum consequi possit. 2. Si concurrant actio *quod jussu*, *exercitoria*, vel *institoria*, stulte aget creditor, si eligat actionem *de peculio*, vel *in rem verso*: nam in prioribus consequetur solidum cum facili probatione; in posterioribus vero non consequetur plus, quam sit in peculio, vel in rem versum, & cum difficili probatione. 3. Si concurrant *tributoria*, *de peculio*, & *in rem verso*, aliquando pinguior est tributoria, quam de peculio, & in rem verso: aliquando e contra; adeoque considerandæ sunt vires peculii, mercium peculiarium, & rei versæ. Ex his melior est actio de in rem verso, dummodo actor probare possit rem in utilitatem domini versam fuisse, quia sic solidum consequetur. *cit.* §. 5. *h. t.*

Explicatur §. 6. 7. 8. *h. t.*

9. IN §. 6. *h. t.* dicit Imp. ea quæ dicta sunt de servo contrahente, & domino, pariter intelligenda esse de filio, & filia, nepotibusque in patria potestate constitutis; quia pariter ex eorum contractibus obligatur paterfam.

10. In §. 7. *h. t.* ponitur differentia, quod licet dominus ex contractu mutuæ pecuniæ a servo acceptæ obligetur, tamen nec liberi in potestate constituti, nec pater eorum in effectu obligentur ex tali mutua pecunia a liberis accepta propter exceptionem, seu beneficium Senatusconsulti *Macedoniani*; qua repellitur fœnerator, ut nulla actio vel petitio illi judicio concedatur. Ratio ibi datur: *quia* liberi *sæpe onerari ære alieno creditarum pecuniarum, quas in luxuriam consumebant, vitæ parentum insidiabantur*. Vide in Jur. Can. *l.* 5. *tit.* 19. & *tit. ff.* & *C. ad Senatusc. Maced.* His addi potest alia differentia: quia servus obligatur tantum naturaliter, non civiliter; cum non sit caput civile, nec ultra vires peculii; neque fidejubere, & mandare potest extra causam peculiarem. *l.* 3. §. 5. 6. *ff. de pecul.* e contra filius obligatur civiliter ex omni suo contractu in solidum; & ex ejus fidejussione quacumque obligatur pater peculiotenus: siquidem filius plus juris habet in peculio, quam servus; & confiscatis bonis paternis, salvum ei manet peculium profectitium *l.* 3. §. 4. *ff. de Minorib.*

11. In §. *fin. h. t.* Imp. reformans priora Jura dicit, actionem *quod jussu* de *in rem verso*, *exercitoriam*; *& institoriam*, non tantum obliquam, sed etiam directam concedi contra patrem, & dominum principalem: nam fictione Juris censetur contractus cum eis celebratus: siquidem quod quid per alium facit, est perinde, acsi faciat per se ipsum. *l.* 180. *ff. de Reg. Jur.*

De his actionibus relege Jura in Pandectis *l.* 14. & *l.* 15. *per tot.* & in Codice *l.* 4. *tit.* 25. & 26.

TITULUS VIII.

De Noxalibus Actionibus.

1. ACtiones noxales, de quibus agitur in *ff.* & *C. h. t.* oriuntur ex delictis privatis servorum, & filiorumfam. ut si quid furentur, vi rapiant, pecora occidant, vel quid destruant, & tanquam obliquæ dantur contra dominum, vel patrem, idque ob æquitatem: nam contra servum agere non possum: tum

quia

quia non habet legitimam personam standi in judicio: tum quia proprio carens, nequit damnum datum reparare. Neque etiam directe agere possum in dominum; quia is non deliquit; ergo æquum est, ut saltem actio obliqua concedatur in dominum. At ex delictis publicis ipsi servi tenentur, & pœnæ corporali subjiciuntur. *l.* 12. §. 3. *ff. de accusation.*

2. Q. I. *Quid sit actio noxalis ex delicto servi?* ℞. est prætoria personalis obliqua, quæ datur contra dominum alternative: ut vel noxiam servi reparet, vel servum noxæ dedat. *pr. h. t. Noxia* est ipsum maleficium; seu delictum, quo damnum datum est, *Noxa* est pœna, vel corpus quod nocuit, ut servus: sæpe tamen metonymice alterum pro altero usurpatur. *Lexic. Calv.* Jus ergo non condemnat dominum in solidum; ut si servus valens 50. dedit damnum, quod æstimatur 100. sed liberum est ei vel damnum reparare, vel servum pro noxa dare, nisi delictum jussu, aut consensu domini patratum fuisset; tunc enim dominus tenetur in solidum, nec liberatur noxæ deditione. *l.* 2. 3. 4. *ff. h. t.* 2. Electio competit domino usque ad executionem rei judicatæ, *l.* 20. §. 3. *ff. de hæredit. petit.* quod si non pareat, & actione judicati conveniatur, secundum rigorem condemnatur in solidum; cum actio ista sit arbitraria. Is vero dominus tenetur hac actione, qui tempore litis contestatæ servum possidet. §. 5. *h. t.* quia noxa caput sequitur. Si vero interim manumissus sit, ipse suo nomine actionem excipit: nam licet manumissus conveniri nequeat ex contractu in servitute inito, tamen conveniri potest ex delicto: siquidem contractus, non delicta fiunt nomine domini. 3. Actio noxalis, utpote adjectitia, sequitur conditionem actionis principalis; atque ita v. g. ex furto manifesto est in quadruplum &c. §. 4. *h. t.* Cetera vide hic in textu.

3. Q. II. *An detur actio noxalis contra patrem ex delicto filii?* ℞. olim dabatur ex *L. XII. Tabb.* quia sicut pater in filios habuit vitæ, & necis potestatem; ita quoque eos noxæ dare potuit. Sed hodierno Jure non datur ista actio §. *fin. h. t.* ac proinde ipsi filii conveniuntur ex delictis suis: & si ex bonis castrensibus satisfacere nequeant, luere debent in cute, salvo patri peculio *l.* 58. *ff. de Reg. Jur.* Vide in Jure Can. *l.* 5. *tit.* 36. *n.* 29. Hodie deficientibus servis, deficiunt actiones noxales.

TITULUS IX.

Si Quadrupes pauperiem fecisse dicatur.

1. IN hoc titulo affertur duplex actio noxalis; *Quadrupedaria* contra dominum quadrupedis pauperiem facientis; & *Ædilitia* in factum contra dominum animalis ferocis in via publica nocentis. Nocumentum ab homine datum proprie vocatur *damnum*; datum vero ab animali, seu pecude vocatur *pauperies*, seu *damnum sine injuria facientis datum. pr. h. t. nec enim potest animal injuriam fecisse dici, quod sensu caret*, seu ratione.

2. Q. I. *Quid sit actio noxalis quadrupedaria?* ℞. est civilis personalis ex *L. XII. Tabb.* quæ datur contra dominum animalis mansueti, præter naturam pauperiem facientis, alternative, ut dominus vel damnum reparet, vel animal noxæ dedat. *pr. h. t.* Utilis hæc actio datur, si animal bipes, ut gallus, vel pavo pauperiem fecit: *l. pen. ff. h. t.* nam æquum est, ut damnum resarciatur ab eo, qui non sine culpa est dominus animalis mansueti præter consuetudinem sui generis, seu præter communem naturam nocentis. At si animal juxta naturam suam nocumentum faciat, v. g. sata depascendo: non hæc; sed alia actio datur v. gr. utilis de pastu pecoris; vel in factum, quatenus dominus ex eo pastu factus est locupletior. Oportet autem, ut animal vivat, saltem tempore litis contestatæ *l.* 1. §. 13. *ff. h. t.* alias alternative electio non suppeteret. 2. Si animal non sponte, sed provocatum, & irritatum pauperiem fecit v. g. calce feriendo, cornu petendo, contra irritantem datur actio L. Aquiliæ *l.* 1. §. 6. *eod.* In casu, quo v. g. duo boves luctam iniverunt, & bos provocans occisus est, dominus bovis provocati ad nihil tenetur; quia defensio fuit naturalis; si vero periit bos provocatus, dominus bovis provocantis tenetur de pauperie *cit. l.* 1. §. 11. *ff. h. t.* ubi plures casus legi possunt. Hodie noxæ deditio non est in usu, sed pauperies æstimatur arbitrio Judicis.

3. Q. II. *Quid sit actio Ædilitia in factum?* ℞. est prætoria personalis contra dominum animalis ferocis, quod sive ligatum, sive solutum nocuit in via publica; uti canis, verres, leo, ursus &c. §. *un. h. t. l. un. ff. de via publ. l.* 40. *& seqq. ff. de ædilit. Edict.* nam publice interest viam publicam esse securam. Et quidem si liber homo occisus est, agitur ad 200. solidos: si ei tantum nocitum fuit, pœna est arbitraria: si servo, vel alteri rei nocitum est, pœna est dupli, & hodie arbitraria ex Const. Carol. *art.* 136. In casu talis nocumenti datur etiam actio noxalis alternativa; non quidem directa, sed utilis: imo & concurrere potest actio L. Aquiliæ, quarum una alteram non tollit. §. *un. in fin. h. t.* quod est contra *l.* 43. §. 1. *ff. de Reg. Jur.* sed concilia hæc Jura: quod una actio non consumat aliam secundum excessum, qui alia actione datur, vel si in uno facto concurrant plura delicta. Circa hoc vide Zoes. *tit. ff. de Obl. & Act. n.* 83.

4. Q. III. *Quid sit actio de pastu?* ℞. est personalis ad reparandam pauperiem, quam fecit animal secundum naturam sui generis; ut si sata depascatur &c. quo casu æstimatio non fit secundum præsentem fundi statum, sed secundum lucrum speratum. *l.* 3. *in fin. ff. h. t.* 2. Attento rigore Juris animal sata depascens non licet pignorare, seu includere *l.* 39. §. 1. *ff. ad L. Aquil.* consuetudo autem permittit talia animalia includi, donec pro damno satisfiat. *l.* 8. *ff. de incend. l.* 9. §. 3. *ff. de damn. inf.* maxime si dominus animalis sit ignotus. 3. Animal inventum in pascuis Principis, pro noxa cedit Fisco *l.* 1. *C. de fund. & satisfd. Domin. in l.* 11. quod singulare est ob prærogativam fundorum principalium.

Hic adverte, quod seqq. duo tituli intermisceantur actionibus: quia ad agendum necessariæ sunt personæ, per quas agatur, & satisdationes, ne judicia eludantur.

Titulus X. De iis, per quos agere possumus. Hic Imp. refert Jura antiqua, juxta quæ quilibet in propria persona agere debuit, exceptis quatuor casibus: *pro populo*, *libertate*, *tutela*, & *pro absentibus* apud hostes, vel Reipubl. causa ex L. Hostilia. Sed novo Jure agi potest etiam nomine alieno, ut *procuratorio*, *tutorio*, & *curatorio*. *pr. h. t.* quia per alios posse agere suadet æquitas, & variæ causæ; ut morbi, absentiæ, & alia impedimenta. De procuratore vide in Jur. Can. *lib.* 1. *tit.* 38. de tutoribus, & curatoribus vide *lib.* 1. *Inst. a tit.* 21.

Titulus XI. De Satisdationibus. De his ago in Jur. Can. *lib.* 3. *tit.* 21. *n.* 16. & Jura, quæ hic affert Imp. non ubique vigent; sed circa satisdandum in judicio praxis cujusque Curiæ consulenda erit.

TITULUS XII.

De Perpetuis, & Temporalibus actionibus, & quæ ad hæredes, & in hæredes transeunt.

1. IN h. t. afferuntur duæ ultimæ divisiones, quibus actio penes affectionem *durationis*, & *transmissionis* dividitur in *perpetuam*, & *temporalem*, in *transitoriam*, & *non transitoriam* ad hæredes active, & in hæredes passive.

2. Q. I. *Quid sit actio perpetua, & temporalis?* ℞. 1. Perpetua est, quæ regulariter descendit ex aliqua specie Juris civilis, puta ex legibus, Plebiscitis, Senatusconsultis, Constitutionibus Principum, aut Responsis Prudentum; & olim duravit perpetuo, hodie durat tantum 30. vel 40. annis, retento tamen nomine actionis *perpetuæ*. *pr. h. t.* nam omni actioni præscribitur spatio 30. vel 40. annor. *tit. C. de præscr.* 30 *vel* 40. *an.* Aliquæ actiones civiles breviori tempore finiuntur; sicut actio pro usufructu extinguitur decennio, vel vicennio; aliquæ longiori tempore durant; ut pro rebus immobilibus Ecclesiæ Romanæ &c.

3. ℞. 2. Temporalis actio est, quæ plerumque uno tantum anno durat; uti sunt plurimæ honorariæ, seu prætoriæ, quia & ipsius Prætoris intra annum erat imperium *pr. h. tit.* Circa prætorias rei-persecutorias est discrimen: nam illæ, quæ non tam emendant rigorem Juris civilis, sed potius defectum supplent, sunt perpetuæ 30. vel 40. annis durantes; ut possessoria, & fideicom-

deicommissaria hæreditatis petitio, furti constitutoria &c. e contra illæ, qui rigorem Juris civilis emendant, plerumque sunt annales, ut Pauliana, rescissoria, redhibitoria &c. In actione metus id speciale est, quod perpetuo duret *l.* 21. §. 1. *ff. quod met. caus.*

4. ℞. 3. Actio de se temporalis ex accidenti fit perpetua, scilicet per litis contestationem. *l. ult. C. de præscr.* 30. omnes enim actiones, quæ morte, aut tempore pereunt, semel inclusæ judicio, salvæ permanent. *lib.* 139. *ff. de Reg. Jur.* Sic perpetuo manent ad excipiendum, juxta illud; *temporalia ad agendum, sunt perpetua ad excipiendum lib.* 5. *in fin. ff. de doli mali except.* actor enim in sua potestate habet quando utatur jure suo, & agat. *lib.* 42. *ff. de Reg. Jur.* e contra reus non habet in potestate quando conveniatur, & excipiat.

5. Q. II. *Quæ actiones transeant in hæredes active, & passive?* ℞. 1. actiones ex contractibus transeunt active, & passive in hæredes; seu competunt hæredibus, & contra hæredes. §. 1. *h. tit. lib.* 49. *ff. de Obl. & Act.* nam contractus ita censentur iniri, ut includantur hæredes, quibus contrahens intendit prospicere. Excipit Imp. contractum dolo celebratum, cujus actio non transit contra hæredes, nisi & isti fuissent doli participes. 2. Actiones pœnales ex delictis non transeunt contra hæredes delinquentis quantum ad pœnam privatam, seu pecuniariam §. 1. *h. t.* nisi hæredes participes fuissent delicti, vel actio per litis contestationem fuisset perpetuata. *l.* 139. 164. *ff. de Reg. Jur. l.* 26. *ff. de pœnis.* nam litis contestatione quasi-contrahitur; ergo sicut hæres tenetur ex contractu, vel quasi-contractu defuncti, ita quoque ex delicto in judicium deducto. Secus est in delictis publicis, in quibus hæres non punitur pro malefactore *lib. fin. C. si reus mort. fuer. lib.* 20. *ff. de pœnis.* nisi delicto annexa sit confiscatio bonorum, quam patitur hæres; ut in crimine læsæ Majestatis, peculiatus, mariti ab uxore veneno interfecti, hæresis. *lib. fin. ff. ad L. Jul. repet. lib.* 9. *in fin. ff. de jure fisc. l.* 4. §. 4. *Cod. de hæretic.* 3. Actio pœnalis transit active ad hæredem defuncti delicto læsi contra malefactorem. Unde hæres agere potest actione furti contra furem, qui res defuncto abstulit, cum succedat in totum jus defuncti. *lib.* 37. *ff. de acq. hæred.* 4. Actiones ex delicto descendentes, quantum ad persecutionem rei, & reparationem damnorum utrinque transeunt ad hæredes. *l.* 7. §. 2. *ff. de action. empt.* maxime de Jure Can. quo hæres tenetur exonerare conscientiam defuncti, reparando damna ab eo facta. *c. ult. de sepult. c.* 5. *de rapto. c.* 9. *de Usur.* quod Jus cum disponat de materia peccati, in utroque foro observari debet.

6. In §. *fin. h. t.* dicit Imp. si actor plene probavit, & reus ante sententiam ei satisfecit, non esse condemnandum per sententiam; quia actor suum consecutus, non debet reum lite vexare. *Actore* vero *non probante*, reus, *qui convenitur, etsi nihil ipse præstat, obtinebit. l.* 4. *C. de edendo.* Subdit Imp. *vulgo dici omnia judicia absolutoria esse*, puta aptitudine; si vel actor non probet, vel reus ante sententiam satisfaciat: secus actore probante, & reo non satisfaciente, judicium erit *condemnatorium* rei, licet absolutorium sit processus judicialis.

Hactenus de actionibus, quas hic in Institutionibus retulit Imperator: quia vero quædam speciales non erant nominatim expressæ, eas ex Pandectis suppleo.

Supplementum Actionum ex Digestis.

7. I. *Actio in factum contra falsum mensorem*, qui renunciavit falsum modum, hoc est falsam quantitatem, seu mensuram agri, vini, & aliarum rerum, ut præstet dolum, & culpam latam ei, cujus interfuit verum modum renuntiari. *l.* 1. §. 1. *ff. si mensor.* Tenetur hac actione etiam calculator, qui falso computavit. *l. fin. in fin. eod.* estque actio ista famosa ob dolum, prætoria, & perpetua ratione suscepti negotii *l.* 4. *eod.* Si mensor ex imperitia falsum modum renunciavit, imputatur ei, qui eum adhibuit. *l.* 1. §. 1. *eod.* in quo titulo plura de hoc videre potes.

8. II. *Actio in factum* contra eum, qui cadaver intulit in locum alienum, ut illud tollat, vel loci pretium præstet. *l.* 8. §. *pen. l.* 9. *in fin. ff. de relig.* Hodie in hoc puncto attenditur Jus Canon. *tit. de sepultur.*

9. III. *Actio funeraria* pro repetendis impensis funeris ab eo, qui eas facere debuisset. *l.* 12. *ff. de religios.* Huic similis est actio de impensis in morte defuncti, seu in morbo ejus factis v. g. pro medicis, vel medicinis. *l.* 3. *C. eod.* Agens funeraria præferendus est ceteris creditoribus, saltem non hypothecariis, ut ita pietas excitetur ad sepelienda cadavera mortuorum. *l.* 14. §. 1. *ff. eod.* Vide *tit. ff.* & *C. de religiosis.*

10. IV. *Condictio certi* est actio personalis ex omni causa competens, ex qua certum petitur, seu debitum, quod apparet, *quid, quale, quantumque* sit. *lib.* 9. *ff. de Reb. Cred. l.* 74. *ff. de Verb. Oblig.* ut si petas 100. aureos mutuo datos, vel decem urnas vini rhenani antiqui. E contra *condictio incerti* est actio personalis, qua aliquid incertum petitur, seu quod non apparet *quid, quale, quantumque* sit. *l.* 75. *ff. de Ver. Oblig.* ut si quis in genere petat hominem, seu servum, vinum, frumentum, fundum, condictio est incerti. *ibid.*

11. V. *Condictio causa data, causa non secuta* est actio personalis, qua repetitur res data intuitu alterius rei dandæ, vel faciendæ, si ejus datio, vel factio non sequatur: nam per *causam* nihil aliud hic intelligitur nisi res, aut factum de futuro per modum finis v. gr. dedi tibi equum, vel pecuniam, vel aliam rem, ut Stichum manumitteres; vel ut mihi negotia expedires, ut scriberes, si manumissio, vel negotiorum expeditio, vel scriptio convento tempore non sequatur, datum condicere, seu repetere possum condictione *causa data, causa non secuta*, non vero reivindicatione, quia dando, dominium transtuli in accipientem, nisi forsan adjecta fuisset causa impossibilis, quæ facit in contractibus (excepto matrimonio imitante ultimas voluntates) nihil actum esse. *lib.* 31. *ff. de Oblig. & Action.* De hac actione vide *tit. ff. & C. de condict. causa data.*

12. VI. *Condictio ob turpem causam* est actio personalis, qua repetitur res data propter actum turpem, & inhonestum. Quo in genere varii casus distinguendi sunt: 1. Si turpitudo versetur ex parte solius accipientis, condictioni locus est *l.* 1. §. *fin. lib.* 2. *ff. de condiction. ob turp. caus.* ut si Titius dedit 10. aureos Cajo, ne furetur, ne occidat, ne virginem rapiat, vel defloret &c. nam Cajus ex justitia tenetur ab his actibus abstinere; ergo ne lucrum ex sua turpitudine sentiat, recte subjicitur condictioni. 2. Si turpitudo versetur ex parte solius dantis non est locus condictioni. *lib.* 4. §. 3. *eod.* ubi datum meretrici pro actu turpi non condicitur; quia meretrici, qua tali non est turpe accipere; licet esse talem sit turpe. 3. Si turpitudo versetur ex parte dantis, & accipientis, cessat condictio, cum in pari causa melior sit conditio possidentis. *l.* 3. 4. §. 1. & *lib. penult. ff.* & *lib.* 5. *Cod. eod.* ut si quis dedit Judici, ut pro se sententiet in causa injusta, si fur dedit, ne proderetur; at si fugitivus dedit, ne quis eum indicaret, dominus ei condicere potest, quasi furi. 4. Datum ob turpem actum, hoc peracto, retineri potest in foro conscientiæ si lucrum non prohibeatur a lege v. g. quod sicarius, adultera, vel alius malefactor accepit. Ita S. Thom. *in* 4. *sentent. dist.* 15. *q.* 2. *art.* 4. *q.* 2. *ad secund.* & *q.* 3. *ad tert.* nam opera locata in actu turpi est pretio æstimabilis, maxime ratione periculi, & discriminis, cui quo ad honorem, bona, & vitam se exponit malefactor: quamvis non desint qui admittant tantum retineri posse lucrum ex meretricio reportatum, utpote tolerato, non vero ex aliis delictis. 5. Promissum ob turpem causam, seu actum in foro externo condici, seu exigi non potest. *l.* 5. *C. de condict. ob turp. caus.* nam talis promissio fuit nulla §. 24. *de inutilib. stipul.* & promissarius repelli potest exceptione in factum, seu doli mali. *lib. pen. ff. eod.* Meretrici tamen, sicut non est turpe accipere datum, ita nec turpe est exigere promissum. 6. Si quid datum est ob causam injustam v. g. ex promissione, vi, dolo, vel contra Jus publicum exorta, condici, seu datum repeti potest *condictione ob causam injustam l.* 6. 7. *ff. eod.* De his condictionibus vide *tit. ff.* & *C. de condictione ob turpem, vel injustam causam.*

13. VIII. *Condictio indebiti* est actio personalis, qua repetitur solutum civiliter, aut naturaliter non debitum: ut si

ut si solvisti 100. & debuisti tantum 80. residua 20. utpote indebita repetere potes *condictione indebiti*. Vide *tit. ff.* & *C. de condictione indebiti*, & in Jur. Can. *lib.* 3. *tit.* 22. *n.* 28.

14. VIII. *Condictio sine causa* est actio personalis, qua res repetitur, ex eo quia sine causa est apud alterum, etsi ex causa fuerit apud illum. Sic re evicta repetuntur fructus a possessore, pecunia in dotem data ob causam matrimonii, hoc non secuto, condicitur, quia sine causa est apud virum; sic etiam chirographa, & obligationes condicuntur, quæ sine causa sunt apud alterum. Hos & alios casus vide *tit. ff.* & *C. de condictione sine causa*, ubi etiam *lib.* 1. invenies condictionem istam concurrere cum condictione ob turpem causam, vel honestam non secutam.

15. IX. *Condictio ex lege* est actio personalis a lege introducta, non expresso nomine hujus actionis: sicut enim per legem novam obligatio introducitur, ita actio; & quia nomen specificum illius non exprimitur, generali nomine dicitur *condictio ex Lege N.* Exempla habes in actione ex *l. diffamari C. de ingenuis*, *l.* 2. 3. *de jure emphyt. l.* 35. *§. fin. ff. de donat. l.* 35. *C. de donation. l.* 2. *C. de rescind. vendit. l.* 30. *ff. de inoff. testam. l.* 1. *C. de condit. ex lege* &c. Item in Jure Can. condictio ex *cau. redintegranda*, 3. q. 1. ex *c. sæpe de rest. spoliat.* &c. Vide *tit. ff.* & *C. de condict. ex lege*.

16. X. *Condictio triticaria*, vel potius *triticiaria* a Tritico auctore suo dicta, est actio personalis, qua præter pecuniam numeratam, omnes aliæ res condicuntur, seu petuntur, sive sint mobiles, sive immobiles, sive constent mensura, numero, & pondere, sive non; adeoque condictio ista concurrit cum aliis condictionibus. Exempla vide *tit. ff. de condictione triticiaria*.

17. XI. *Actio damni infecti* est prætoria personalis, qua vicinus petit sibi caveri de damno, si quod ex vicini ruinosis, seu vitiosis ædibus eveniret: nemo enim ex re aliena damnum pati cogitur. Dicitur autem damni *infecti*, seu nondum facti, quod tamen futurum timetur; quia actio ista non datur de damno *facto*, quod ex L. Aquilia, vel alia simili reparari debet; sed ad præcavendum damnum futurum, hac interposita stipulatione: *Quod mihi ex domo tua damnum accidere potest, præstare spondes? l.* 7. *ff. de damno infecto*. Jam si reus cautionem petitam dare negligat, actor ex primo decreto Prætoris mittitur in possessionem rei, cujus ratione cautio petita est; & si reus perseveret non cavere, actor ex secundo decreto efficitur verus possessor rei cum condictione usucapiendi. Vide *tit. ff. de damno infecto*.

18. XII. *Actio aquæ pluviæ arcendæ* est personalis contra vicinum, ex cujus opere manufacto aqua de cœlo pluvia immittitur in agrum alienum, eique nocet. Est actio ista in rem scripta competens contra quemcunque possessorem agri *l.* 6. *§.* 4. *ff. de aqua, & aquæ pluv. arc.* ejusque finis est, ut restituatur opus, ratione cujus damnum causatur, vel causari potest. Vide *tit. ff. de aqua, & aquæ pluviæ arcendæ*, subaudi *actione*. & in Codice *lib.* 3. *tit.* 34.

19. XIII. *Actio contra Publicanos* majora vectigalia exigentes ex Edicto Prætoris intra annum est in duplum, post annum in simplum. *l.* 1. *ff. de Publicanis*. Præter hanc specialem actionem Publicani conveniri possunt actione furti, vi bonorum raptorum, damni, injuriæ &c. E contra *actio commissi* datur contra eos, qui vectigalia defraudant; ita ut illa res cadat in commissum, quam quis non manifestavit Publicano. Vide *tit. ff. de Publican. vectigal. & commissis*.

Ceteræ actiones, maxime ex contractibus, uti & actiones criminales ex delictis partim supra insinuatæ sunt, partim in Jure Can. suis locis afferentur.

Titulus XIII. De Exceptionibus. Reo contra actorem competunt exceptiones, quæ sunt actionis mero Jure competentis elisio, seu exclusio; ut exceptio metus, doli, erroris, non-numeratæ pecuniæ, pacti de non-petendo &c. de quibus in Jur. Can. *l.* 2. *tit.* 25.

Titulus XIV. De Replicationibus, quæ sunt exceptionis elisio, seu submotio, quibus rursum opponitur duplicatio, huic triplicatio &c. Vide in Jur. Can. *lib.* 2. *tit.* 25.

TITULUS XV.

De Interdictis.

Agitur de hac materia in Pandectis *lib.* 43. *per* 33. *titulos*, in Codice *lib.* 8. *tit.* 1. *usque ad* 9.

1. *Nota* 1. Post actiones, & judicia ordinaria sequi actiones, & judicia extraordinaria, quæ dicuntur *Interdicta* quasi *inter duos*, vel *interim dicta* §. 1. *in fin. h. t.* quia secundum illa Prætor interim, seu summarie dixit, quid in aliqua controversia observandum esset, donec plene causa cognosceretur. Sumuntur Interdicta dupliciter: 1. pro ipsis Edictis, quæ sub certis formulis proponebantur: quo sensu Interdicta sunt mandata, *quibus Prætor aut jubebat aliquid fieri, aut fieri prohibebat. pr. h. t.* uti sunt *l.* 1. *pr. ff. de liber. hom. exh.* sub hac formula: *Quem liberum hominem dolo malo retines, exhibeas*. & *l.* 1. *ff. ne quid in loco sacr.* sub hac formula: *in loco sacro aliquid facere, inve eum immittere quid, veto* &c. 2. Pro actionibus, & judiciis; quo sensu Interdicta sunt *actiones extraordinariæ in factum ex Jure prætorio introductæ*. Ita conformiter Rubricæ *ff. de interdictis, seu extraordinariis actionibus, quæ pro his competunt*. Differunt ab actionibus ordinariis; quia omnia interdicta sunt prætoria, personalia, utpote ex delicto descendentia; licet pleraque sint in rem scripta: versantur potissimum circa causam possessionis; neque totaliter causam finiunt, sed viam sternunt ad petendam proprietatem: e contra actiones ordinariæ plurimæ sunt civiles, reales, & personales in causa proprietatis propter jus in re, vel ad rem; & causam totaliter terminant.

2. *Nota* 2. quædam Interdicta dari in materia proprietatis, & jurium incorporalium, ut *lib.* 1. *§. final. ff. de aqua quotid. lib.* 3. *§. hoc autem. ff. de itinere, actuque privat.* At potissima dantur de possessione, aut quasi-possessione; & ideo sumpta denominatione a potiori. Interdicta, præsertim hodierno tempore, & usu accipiuntur pro *judiciis possessoriis*, in quibus causa possessionis tractatur; & ab his transiri solet ad *judicia petitoria*, in quibus tractatur causa proprietatis. Porro licet Interdicta ex sua origine sint judicia summaria, in quibus de plano sine figura, & strepitu judicii agitur, hodie tamen omnia judicia possessoria, sive summarie, sive plenarie tractentur, consueverunt dici *Interdicta*. De modo tractandæ causæ possessionis, & proprietatis vide in Jure Can. *libr.* 5. *tit.* 12. *a num.* 9.

3. *Nota* 3. *tit. ff. de interd.* varias tradi divisiones Interdictorum: nam 1. alia sunt de *Divinis rebus*; ut de locis sacris, aut religiosis: alia de *humanis rebus*, quæ vel alicujus sunt, vel nullius; ut liberæ personæ, de quibus ducendis datur Interdictum. 2. Interdicta de rebus alicujus, alia sunt de *rebus publicis*; ut de locis, viis, & fluminibus publicis: alia de *rebus privatis*, vel universalibus; ut *quorum bonorum*; vel singularibus v. gr. uti possidetis, de itinere &c. 3. Alia sunt *exhibitoria*, *prohibitoria*, *restitutoria*, alia *mixta* ex prohibitoriis, & restitutoriis; de quorum exemplis infra. 4. Alia sunt in *præsens*; ut *uti possidetis*; alia in *præteritum*; ut *de itinere actuque*, de *aqua æstiva*. 5. Alia sunt *annalia* in agendo, licet in excipiendo sint perpetua; alia *perpetua* in agendo, quæ rei sunt persecutoria. 6. Alia sunt *duplicia*, in quibus uterque litigans est actor, & reus; ut *uti possidetis*, *utrobi*: alia *simplicia*, in quibus clare discernitur quis litigantium sit actor, & quis reus. 7. Alia sunt *noxalia*, quæ ex delicto servi competunt contra dominum, ut vel damnum reparet, vel servum noxæ dedat; ut si servus aliquem vi dejecit, vel vi, aut clam opus fecit. 8. Alia sunt *quasi petitoria*, quæ præter causam possessionis, etiam causam proprietatis continent; ut de itinere, actuque privato, de locis sacris, & religiosis, de liberis exhibendis: alia pure *possessoria*, quæ dicuntur ad rem familiarem pertinere: & celebri divisione dividuntur in Interdictum *adipiscendæ*, *retinendæ*, & *recuperandæ* possessionis, de quibus infra. Ita *l.* 1. 2. 5. *ff. h. t.* Porro finis Interdictorum est, ut Prætor jura possessionum tueatur, ne partes ad arma concurrant propter habendam possessionem, cujus ingentia sunt commoda, ut in Jur.

Can.

Can. *lib.* 2. *tit.* 12. *n.* 3. Jam ad considerandа Interdicta secundum ordinem Institutionum (in Pandectis, & Codice est ordo diversus) veniamus.

4. Q. I. *Quid, & quæ sint Interdicta prohibitoria?* ℞. Prohibitoria sunt, *quibus Prætor vetat aliquid fieri.* §. 1. *h.t.* & sunt 1. *Ne vis fiat ei, qui in possessionem missus est. tit. ff. ne vis fiat.* Hoc interdictum est generale *l.* 1. §. 2. *eod.* competens omnibus, qui a Prætore missi sunt in possessionem, sive ex primo, sive ex secundo decreto; estque partim *prohibitorium*, *ne vis fiat*, partim *restitutorium l.* 3. §. 2. *eod.* quia reus hoc interdicto conventus condemnatur *quanti ea res fuit l.* 1. §. 1. *eod.* hoc est quantum ejus interest possessionem habere: & quia hoc interesse possessoris majus est, quam interesse actoris, ex hoc capite interdictum hoc pœnale est, & annale non transiens ad hæredes. *ibid.* §. 8. excepta legatorum missione; cum in potestate hæredum sit evitare interdictum, oblata satisdatione. *ibid. Requisita* hujus interdicti sunt ex parte rei, quod missum in possessionem dolo malo, vel prohibuerit, vel turbaverit, vel aliam vim ei intulerit; & ex parte actoris, quod ex justa causa v. g. veri, & non falsi debiti, validoque decreto Prætoris missus sit in possessionem *l.* 1. §. 5. *eod.* In specie defenduntur hoc interdicto, qui mittuntur in possessionem rei servandæ causa ex primo decreto; vel ut possessores ex secundo: item missi legatorum servandorum causa, vel ventris nomine, vel ex causa damni infecti. *l.* 1. §. 2. *l.* 3. & *fin. ff. ne vis fiat. l.* 1. *ff. ut legatorum nom.* Præter hoc interdictum datur misso actio in factum ad id, quod interest *l.* 3. §. 2. *ff. ne vis fiat.* imo hodie hoc interdictum in effectu non differt ab actione in factum. Mynf. hic *n.* 3.

5. Secundum est de *mortuo inferendo*, ne quis in locum suum prohibeatur mortuum inferre. Vide *tit. ff. de mortuo infer.* Hoc interdictum saltem directum videtur cessare apud Christianos: *utile* tamen servire potest contra eum, qui prohibet mortuum inferre in commune cœmeterium.

6. Tertium est: *Ne quid in loco sacro, vel sancto fiat. tit. ff. ne quid in loco sacro.* Hoc interdictum populare est, seu cuilibet de populo competens contra illum, qui aliquid in loco sacro in ejus damnum, vel deformitatem facere vult, ad hoc ne ædificet; vel si ædificavit, ut ædificatum destruat; atque ita priori modo est prohibitorium, & posteriori restitutorium. *arg. l.* 2. §. 19. *ff. ne quid in loc. publ.* Vide etiam *l.* 10. *C. de Episc. & Cler.*

7. Quartum est: *Ne quid in flumine publico, ripave ejus fiat, quo pejus navigetur.* v. gr. ne molendina, aut alia ædificia usum navigationis impedientia extruantur; vel si extructa sunt, ut destruantur: quo secundo modo est restitutorium: & cum hoc interdictum concernat utilitatem publicam, est populare. De illo vide *tit. ff. de fluminib. ne quid. in flum.* Hæc quatuor prohibitoria recensentur in Institutionibus, quibus reliqua adde ex Pandectis.

8. Quintum est ex *tit. ff. ne quid in flumine publico fiat, quo aliter aqua fluat, atque uti priore æstate fluxit.* v. g. ne aquæ aliter ducantur, ne fossæ fiant, vel ædificia, ob quæ aqua elevetur cum damno accolentium. 6. Ex *tit. ff. ne quid in loco publico, vel itinere fiat.* v. g. ne quid in eo exstruatur, vel elevetur, vel aqua ducatur, fossa eruatur &c. 7. Ex *tit. ff. de loco publico fruendo*, ne quis Publicanum, qui vectigalia conduxit, ejusque socium impediat in colligendis vectigalibus secundum legem locationis, quod est loco publico frui. 8. Ex *tit. ff. ut in flumine publico navigare liceat.* ubi Prætor vetat vim fieri illi, qui navigare vult in flumine publico. 9. Ex *tit. ff. de locis, & itineribus publicis*, ne quis prohibeatur in locum publicum exire, vel per iter publicum ambulare. 10. Ex *tit. ff. de via publica, & si quid in ea factum esse dicatur.* Hic Ædiles admonentur, ut viæ sint adæquatæ, ne effluxiones noceant domibus; ut pontes fiant, ne parietes sint caduci; ne viæ suffodiantur; ne quid indecorum in eis exponatur; ne rixæ fiant in viis &c. 11. Ex *tit. ff. de via publica, & itinere publico reficiendo*, ubi Prætor vetat vim fieri illi, qui viam publicam ad veterem altitudinem, latitudinemque restituit, vel eam purgat; quia *purgare refectionis portio est.* 12. Ex *tit. ff. de ripa munienda*, ubi Prætor vetat vim illi fieri, qui ripam publici fluminis munit, dummodo per hoc munimentum navigatio non fiat deterior. 13. Ex *tit. ff. de cloacis.* ubi Prætor vetat vim fieri illi, qui purgat, vel reficit cloacam, per quam colluvies fluit. 4. Ex *tit. ff. de arboribus cædendis*, ubi Prætor duplex interdictum concedit: primo vetat, ne dominus, aut fructuarius impediatur cædere arbores suis ædibus impendentes, eisque officientes, & ligna tollere, si dominus arboris nolit eam adimere. Secundo vetat, ne quis impediatur ramos quindecim pedibus a terra amputare, & sibi eos habere, si dominus nolit eos amputare. 15. Ex *tit. ff. de glande legenda*, ubi Prætor vetat illi vim fieri, qui glandem alienam in suum fundum cadentem tertio die colligit, quasi pro derelicta habitam, eo quod facile putrescat. Nomine *glandis* venit omnis fructus *l.* 1. *d.t.* & *l.* 236. §. *glandis. ff. de Ver. Sign.* Hodie de consuetudine fructus caducus ei cedit, in cujus fundum propendet. 16. Ex *tit. ff. de migrando*, ubi Prætor vetat vim fieri inquilino, vel conductori, qui, persoluta pensione, vult ex prædio migrare, & res suas auferre. *Utile* datur ei, qui ex habitatione gratuito concessa vult emigrare. *l.* 1. §. 3. *eod.* His interdictis prohibitoriis accenseri solent alia accessorie prohibitoria, de quibus in seqq.

9. Q. II. *Quid, & quæ sint interdicta restitutoria?* ℞. Restitutoria sunt, quibus restitui aliquid jubet Prætor. §. 1. *h. t.* & sunt: 1. *Quorum bonorum.* 2. *Quorum legatorum* 3. *Salvianum* 4. *Unde vi*, de quibus infra. 5. Ex *tit. ff. quod vi, aut clam*, ubi Prætor jubet restitui id, quod aliquis *vi* contra prohibitionem, vel clam non denunciando adversario, cujus litem timuit, vel timere debuit, aliquid ædificavit, vel quid aliud fecit in ejus præjudicium. 6. Ex *tit. ff. de Remissionibus*, quo interdicto Prætor restituit, seu declarat liberam facultatem novum opus ædificandi; nam *remissio* in præsenti est abolitio, seu rejectio nunciationis novi operis, quam facit Prætor, dum nunciatio re ipsa non tenet; & ea non obstante, non potest quis dici per vim, aut clam facere. Vide in Jur. Can. *l.* 5. *tit.* 32. *de Nov. Oper. Nunc.* 7. Ex *tit. ff. de Precario*, ubi Prætor jubet restitui id, quod quis ab alio habet precario, seu precibus concessum, vel dolo malo habere desiit. Hoc interdictum in defectum actionis civilis introductum est, quia precarium magis ad beneficii causam, quam contracti negotii spectat. *l.* 14. *eod.* Vide in Jure Can. *lib.* 3. *tit.* 14. *ad fin.*

10. Q. III. *Quid, & quæ sint Interdicta exhibitoria?* Exhibitoria sunt, per quæ Prætor jubet aliquid fieri. §. 1. *v. exhibitoria h. t.* Talia sunt: 1. *De libero homine exhibendo*, quod est perpetuum; & favore libertatis datur cuicumque contra eum, qui dolo malo liberum hominem invitum detinet, quasi servum, ut eum exhibeat. *l.* 3. §. 9. *ff.* & *l.* 1. *C. de liber. hom. exhib.* Datur etiam contra absentem; & si is non defendatur, itur in ejus bona; & si liberum hominem non exhibeat, litis æstimationem præstare tenetur *cit. l.* 3. §. *pen.* imo conveniri potest criminaliter ex L. Fabia de plagiariis, *ibid.* ita tamen ut agens ista lege non impediatur agere hoc interdicto. E contra non datur contra patrem, cui licet suos liberos detinere; nec contra eum, qui captivum redemit, eumque detinet instar pignoris. *ibid.* & *l.* 2. *C. de postlim. reverf.* nec contra illum, qui volentem detinet; cum volenti non fiat injuria. *l.* 1. §. *filii. ff. de injur.* Vide *cit. tit. ff.* & *C. de liber. hom. exhib.*

11. Secundum est: *De Liberto exhibendo* competens patrono adversus eum, qui libertum suum detinet ad hoc, ut eum exhibeat. *Utile* porrigitur ad omnes, qui jus aliquod reale in persona habent, ut Prælatus respectu monachi, dominus respectu vassalli. Vide *tit. ff. de lib. hom. exhib.* ad cujus similitudinem hoc interdictum introductum est.

12. Tertium est: *De Liberis exhibendis, & ducendis* competens patri pro exhibendis, & ad se reducendis liberis in patria potestate constitutis contra eum, qui liberos invitos detinet. *lib.* 1. 3. *ff. de libert. exhibend.* Non competit matri, quia caret patria potestate; & si mater ex justissima causa retinet, contra patrem agentem tueri se potest exceptione. *l.* 1. §. 3. *eod.* Neque competit contra illum, apud quem liberi sponte manent, vel ex certa causa fient; sicut filia apud maritum, vel filius in Religione, seu monasterio *l.* 1. §. *fin.*

§. *fin. eod.* Hoc interdictum saltem utile competit marito pro exhibenda, & ducenda uxore, etiam contra socerum, penes quem est *l.* 2. *eod. l.* 11. *C. de nuptiis*: tum quia uxor est sub potestate mariti; tum quia præstat filiam separari a patre, quam concordantes nuptias dissolvi. Est hoc interd. ex altera parte *de ducendis liberis* prohibitorium; cum Prætor edicat: *ne vis fiat* ducenti liberos suos *l.* 3. *ff. eod.* & continet causam quasi proprietatis fundatam in jure patriæ potestatis *l.* 1. §. 1. *ff. de Rer. Us.* Vide *tit. ff.* & *C. de liber. exhib.*

13. Quartum est: *De Tabulis exhibendis*, quo agitur ad exhibendum testamentum, vel aliam ultimam voluntatem. Competit eis, quibus in primis, vel secundis tabulis debetur hæreditas, legatum fideicommissum testamento, vel codicillis relictum, contra possessorem, vel detentorem tabularum; si neget se posse, vel debere tabulas exhibere. Vide *tit. ff. & C. de tabul. exhib.*

14. Adverte in fine §. 2. *h. t.* dici juxta aliquos interdicta proprie esse ea, quæ prohibitoria sunt, ita dicta ab *interdicere*; restitutoria vero & exhibitoria proprie *Decreta* vocari. *Sed tamen obtinuit omnia interdicta appellari: quia inter duos dicuntur.* Transeamus ad Interdicta *adipiscendæ*, & *recuperandæ* possessionis.

15. Q. IV. *Quid & quæ sint Interdicta adipiscendæ?* R. esse illa, quibus agitur ad hoc, ut possessio rei nunquam antea habita, acquiratur, §. 2. *v. ideo, h. t.* sunt tria: *quorum bonorum, quorum*, vel *quod legatorum*, ita a primis verbis dicta, & *Salvianum* a suo auctore Salvio Juliano Jurisconsulto.

16. *Quorum bonorum* est, quod datur hæredi ad acquirendum possessionem hæreditatis contra illum, qui res hæreditarias omnes vel aliquas possidet *pro hærede*; cum hæres non sit; vel *pro possessore*, qui nullum jus, seu titulum eas possidendi habet §. 3. *h. t. lib.* 1. *ff. quor. bonor.* ubi Ulp. dicit hoc interd. esse *restitutorium*. At sicut hæreditatis petitio, ita quoque hoc interdictum non datur contra possidentem titulo singulari v. gr. exempto, pro dote &c. cum in Edicto *cit. lib.* 1. exprimatur solum: *pro hærede*, *aut possessore*; neque datur contra debitores hæreditarios, sed *tantum corporum possessores lib. fin. eod.* 2. Hoc interd. *directum* competit hæredi prætorio, cui a Prætore decreta est bonorum possessio: *utile* vero ob identitatem rationis accommodatur hæredi civili ex testamento, vel ab intestato; estque pinguius hæreditatis petitione: quia sufficit in illo summaria probatio semiplene, aut præsumptive concludens; cum sit modici præjudicii: e contra in petitione hæreditatis requiritur plena probatio, cum tendat simul ad declarationem juris, & proprietatis. 3. Præter interd. *quorum bonorum* datur celebre remedium ex *l. fin. C. de Edict. D. Adriani.* quo hæres testamento scriptus mittitur in possessionem hæreditatis absque ulla alia probatione; dummodo proferat testamentum prima figura nullo visibili vitio laborans; puta nec vitio cancellationis, nominis hæredis, testium, sigillorum. De hoc interd. *quor. bonor.* vide *tit. ff.* & *C. quor. bonor.*

17. *Quorum legatorum* (in Digest. *quod legatorum*) est, quod datur hæredi contra legatarium, ut restituat rem legatam, quam propria auctoritate ex hæreditate jacente accepit. *l.* 1. §. 2. *ff. quod legat. lib.* 1. *Cod. quor. legator.* nam licet legatarius a morte testatoris fiat dominus rei legatæ, tamen res ista debet ei tradi ab hærede, cujus interest habere omnes res hæreditarias penes se, ut facilius detrahere possit falcidiam, si ultra dodrantem legatum est. In hoc tamen casu legatarius non amittit rem legatam: nam *lib.* 7. *Cod. unde vi* procedit de illo, qui rem sibi debitam in alterius possessione constitutam propria auctoritate occupat; atque ita meretur ipsa privari: hæreditas autem jacens in nullius est possessione. At si legatarius post aditam hæreditatem occuparet legatum, ex rigore *cit. lib.* 7. videtur illo privandus. 2. Hoc interdictum, cum sit in rem scriptum, competit etiam contra tertium possessorem, qui rem habet a legatario. *l.* 1. §. 13. *ff. quod legator.* non vero contra donatarium mortis causa, qui rem sibi a defuncto traditam ejus voluntate possidet, salva hæredi falcidia. *l.* 1. §. 5. *eod.* Ceteros casus vide *tit. ff. quod leg.* & *tit. C. quod legator.*

18. *Salvianum* est, quod datur locatori contra conductorem, ut restituat possessionem rerum in prædium illatarum, & pro mercede conductionis pignori obligatarum. §. 3. *in fin. hoc tit. Directum* datur contra colonum, seu conductorem: *utile* vero contra quemcunque extraneum, in quem res pignoratæ translatæ sunt. *lib.* 1. *pr.* & §. 1. *ff. de Salvian. Interd.* estque pinguius actione serviana; quia agens serviana, ceu petitoria, probare debet rem in bonis, seu proprietate debitoris fuisse tempore contractus: e contra in Salviano sufficit probare rem in possessione debitoris fuisse tempore contractus, non admissa exceptione dominii. An vero Salvianum, seu quasi-Salvianum competat aliis creditoribus hypothecariis non locatoribus? dissentiunt DD. Negant Menoch. Harp. & alii, quibus adhæret Kees hic *num.* 43. licet *tit. de actionib. num.* 79. *in fin.* dixerit longe commodius, & consultius esse intentare Salvianum, vel quasi, quam servianam, vel quasi-servianam. Affirmantium opinio, quam tenent Wesemb. Bartol. Mynf. *tit. de action.* §. 7. *item Serviana num.* 41. & alii, videtur probabilior ex *l.* 1. *C. de precar.* ubi rescribitur Interd. Salvianum competere *adversus conductorem, debitoremve*; ergo illo tenentur non tantum conductores, sed quicumque alii debitores, qui res suas creditoribus pignorarunt. Ratio est, quia æquitas suadet ut, sicut locatoribus præter servianam conceditur facilius remedium Salviani Interdicti, ita quoque aliis creditoribus hypothecariis præter quasi-servianam concedatur Salvianum, seu *quasi-Salvianum*, vel *utile* Salvianum. 2. Si res pluribus est obligata pignoris nomine, in solidum agetur Salviano, etiam contra extraneum; & in casu, quo inter duos locatores contenditur, potior erit possessor. *citat. lib.* 1. §. 1. *ff. de Salvian.* Si vero res tantum pro partibus est obligata, non est locus Salviano, quo agitur de solida possessione, sed servianæ, vel quasi, qua agitur de jure partium, quod singulis pro rata competere potest. Cujac. Zeos, & alii. Vide *tit. ff. de Salvian. tit. C. de precar.*

His adde quartum interdictum *adipiscendæ*; *quo itinere venditor usus est, quo minus emptor utatur, vim fieri veto. l.* 2. §. 3. *ff. de interdict.*

19. Q. V. *Quid, & quæ sint Interdicta* RETINENDÆ? R. esse illa, quibus agitur ad hoc, ut possessio actu habita retineatur. *Directa* competunt pro retinenda possessione corporalium; *utilia* pro retinenda possessione incorporalium. Et sunt duo præcipua: *Uti possidetis* de immobilibus, & *Utrobi*, seu *Utrubi* (ab *utrum* & *ubi*, seu apud quem ex duobus) pro mobilibus; & utrumque est *duplex*, quia uterque litigantium sustinet partes actoris, & rei, licet in processu judiciario is soleat esse actor, qui primus provocavit ad judicium. Tunc autem interdicta ista competunt, dum duo dicunt, & contendunt se possidere, & incertum est, quis eorum vere possideat? *lib.* 1. §. 3. *v. sed si ff. uti possidetis.* Si vero certum est unum possidere, & alterum esse turbatorem possessoris, vel detentorem possessionis, tunc locus est aliis interdictis v. g. *ne vis fiat ei*, *de superficiebus de itinere* &c. Cum ergo in casu *Retinendæ* non sciatur quis sit possessor, ante omnia instituendum est judicium possessorium: *quia nisi exploratum fuerit, unius eorum possessio sit, non potest petitoria actio institui.* §. 4. *h. t.* & conf. interdictum *retinendæ* non potest cumulari cum petitorio; sed finito possessorio *retinendæ*, ex quo apparet quis possideat, tunc primum transitur ad petitorium, ut in Jur. Can. *lib.* 2. *tit.* 12. *num.* 11.

20. *Uti possidetis* est, quod datur possessoribus de proprietate contendentibus pro retinenda possessione rei immobilis. Est hoc interd. prohibitorium, & præparatorium ad reivindicationem. §. 4. *hoc tit. lib.* 1. §. 1. & *seqq. ff. uti possidetis.* ubi Prætor ita edicit: *Uti has ædes, de quibus agitur, nec vi, nec clam, nec precario alter ab altero possidetis, quo minus ita possidetis, vim fieri veto.* Ex quo patet ad hoc interdictum requiri, ut ambo possideant, & ne *vi*, *clam*, *aut precario* alter ab altero possideat; ut non obstet, si quis eorum a tertio *vi*, *clam*, aut *precario* possideat; quia contra sic excipientem actor replicare potest; *quo ad te liberas ædes habeo l.* 1. *in fin. eod. l.* 4. §. 7. *ff. si servitus vind. Vi* possidet, qui alterum violenter armata manu ex possessione exturbavit; vel terrore incusso eum expu-

expulit. *l.* 1. §. 28. *ff. de vi armat. Clam* possidet, qui altero ignorante furtive ingressus est possessionem *l.* 6. *ff. de acq. poss. Precario* possidet, qui precibus ab altero impetravit possessionem ad ejus placitum retinendam. *l.* 2. *ff. de precar.* 2. In specie hoc interdictum competit domino, vassallo, emphyteutæ, fructuario; cum hi omnes suo nomine rem possideant quo ad proprietatem, vel dominium utile, vel jus ususfructus; ut etiam interdictum *Unde vi* eis competat. *lib. fin. ff. uti possid.* Item illi, quo absente fundus occupatus est, cum possessionem retineat *l.* 6. *ff. de acq. poss.* nisi reversus repellatur a possessione, atque ita dejiciatur ex ea; quo casu agere debebit interd. *Unde vi*; & in ordine ad hoc dicitur quasi possidere *l.* 17. *ff. de acquir. possess. Utile* competit quasi-possessori jurium; ut servitutum, juris venandi, piscandi, lignandi, decimandi, jurisdictionem exercendi &c. At nudo detentori non competit hoc interdict. ut commodatario, depositario, colono, creditoribus in possessionem missis custodiæ causa. *l.* 3. §. 8. *ff. uti possid.* 3. Datur contra alterum, qui prætendens suam possessionem; alium possidentem per se, aut per alium turbat, & impedit possessionis usum, ad hoc ut turbare desinat, & cautionem præstet de non turbando amplius una cum interesse, seu *quanti res est*, hoc est *quanti uniuscujusque interest*, *possessionem retinere l.* 3. §. *fin. ff. uti possid.* 4. Si uterque, actor, & reus probet suam possessionem, is præfertur qui probat antiquiorem possessionem, & titulatam; si etiam in hoc probationes sunt æquales, favetur loco contra provocantem; si vero nesciatur, quis primus provocaverit. Prætor pronunciat secundum formam interdicti. *uti possidetis*, *ita possideatis. l.* 3. *pr. ff. eod.* Vide in Jur. Can. *lib.* 2. *tit.* 12. *n.* 13. & *seqq.* & *tit. ff. uti possidetis.*

21. *Utrobi*, vel *utrubi* est, quod datur possessoribus de proprietate contendentibus pro retinenda possessione rei mobilis. §. 4. *h. t.* & *tit. ff. utrubi*. ubi Imp. & Jurisconsultus dicunt hoc interdictum exæquatum esse superiori: adeoque eadem in eo observari: licet olim in interdicto *Utrubi* is victor extiterit, qui majori parte anni, scil. 7. mensibus possedisset. En utriusque exemplum: Est silva media, in qua rustici ex duobus pagis ligna cædunt, quia existimant se esse possessores: sed quia mutuo se turbant, & impediunt, veniunt ad Judicem; quæritur quo interdicto experientur? ℞. interd. *uti possidetis*. Rursum: Titius possidet equum, Cajus contra dicit, quod equum istum deposuerit apud Titium; adeoque uterque contendit se possidere: quæritur quo interdicto experientur? ℞. interd. *utrubi*.

22. Ad interdicta *retinendæ* spectant plura alia: 1. Ex *tit. ff. de superficiebus*, vel juxta Cujac. de *Superficiis*, cum etiam *Superficium* dicatur *l.* 32. *ff. de jur. dot. l.* 39. *ff. de legat.* 2. quo nomine venit quidquid super faciem terræ, seu soli existit. Hoc interd. vetat Prætor vim fieri superficiario, qui superficiem nec vi, nec clam, nec precario ab adversario possidet. Et si superficiarius non ad modicum tempus conduxit superficiem, utilis in rem actio ei conceditur. *lib.* 1. §. 3. *eod.* 2. *Ex tit. ff. de itinere*, *actuque privato*. Hoc interdicto Prætor vetat in usu itineris, vel actus impediri illum, qui itinere, actuque privato, hoc anno nec vi, nec clam, nec precario usus est. 3. Ex *tit. ff. de aqua quotidiana*, *& æstiva*. Hoc interdicto Prætor vetat vim fieri illi in aqua ducenda, etiam ex castello, seu receptaculo publicæ aquæ, qui hoc anno illam nec vi, nec clam, nec precario duxit. 4. Ex *tit. ff. de rivis*. Hoc interdicto vetat Prætor vim fieri illi, qui vult purgare, & reficere rivos, specus, septa aquæ ducendæ causa, dum ne aliter aquam ducat, quam uti priore æstate non vi, non clam, non precario duxit. 5. Ex *tit. ff. de fonte*. Hoc interdicto Prætor vetat vim fieri illi, qui aquam ducit, seu haurit de fonte vivo, seu istum purgat; sicut hoc anno fonte usus est nec vi, nec clam, nec precario.

23. Q. VI. *Quid, & quæ sint Interdicta Recuperandæ*? ℞. esse illa, quæ dantur spoliato contra spoliantem ad recuperandam possessionem amissam. De Jure civili datur tantum unicum *Unde vi tit. ff. de vi*, *& vi armata. tit. C. unde vi*. ita dictum a primis verbis, quod competit pro recuperanda possessione soli, seu rerum immobilium; *directum* quidem in corporalibus; *utile* vero in incorporalibus, seu juribus, de quibus aliquis violentè dejectus est. Formula hujus interdicti *l.* 1. *ff. de vi armat.* ita concipitur: *Unde tu illum vi dejecisti; aut familia tua dejecit: de eo, quæque ille tunc ibi habuit, tantummodo intra annum, post annum de eo; quod ad eum, qui vi dejecit, pervenerit, judicium dabo.* Ex quo patet. 1. Hoc interdictum dari soli possessori, sive justo, sive injusto, ut prædoni, vi spoliato, seu dejecto. 2. Contra solum spoliantem, seu dejicientem. 3. Pro recuperanda possessione rei immobilis, & per accidens, seu accessorie rei mobilis, si quæ cum re immobili occupata est; ut si quis te dejecit de domo tua, in qua plures res mobiles habuisti; tunc enim eodem interdicto *unde vi* repetere potes possessionem domus principaliter, & rerum mobilium accessorie. At si quis spoliavit te possessione rei mobilis per se principaliter, non est locus huic interdicto, sed actioni *vi bonorum raptorum*, vel *furti*, vel *ad exhibendum. l.* 1. §. 6. *ff. eod.* Cetera de hoc interdicto, uti & remedia canonica spoliatorum ex *can. redintegrandæ.* & *c. sæpe contingit*. vide in Jure Can. *l.* 2. *tit.* 13. Vide etiam *tit. ff. de vi arm. tit. C. unde vi*.

24. Inter alia remedia spoliatorum etiam sequentia numerantur. 1. Ex *lib.* 7. *si quis in tantum C. unde vi*. contra illum, qui non dolo, sed forsan ignorantia Juris rem vi invadit: & quidem si invadit rem propriam ab alio possessam, privatur ejus dominio, & possessione; si alienam, sibi tamen debitam, privatur jure quæsito ad illam; si alienam sibi indebitam, duplum rei cogitur præstare, ut ita animus malignandi coerceatur. Hæc tamen lex, utpote pœnalis, non extenditur ad commodantem, deponentem, locantem, qui rem suam subtrahunt a commodatario, depositario, & conductore; cum isti non sint possessores, sed detentores. 2. Condictio ex *l.* 5. *Invasor. C. unde vi*. contra eum, qui ingressus est possessionem ex incuria domini vacantem, cogitans illam esse derelictam. Si errorem suum probet, liberatur a pœnis violenti invasoris, de quibus *cit. l.* 7. *C. unde vi*. 3. Ex *l. fin. cum quærebatur. C. unde vi*. contra eum, qui dolose occupavit possessionem vacantem rei immobilis, vel mobilis, & iste subjacet pœnis dictæ *l.* 7. *C. unde vi.* 4. Ex *l.* 13. *extat. ff. quod metus cauf.* & *l.* 7. *creditores. ff. ad L. Jul. de vi privat.* contra creditores, qui propria auctoritate bona debitorum occupant ad sibi satisfaciendum. Pœna eorum est amissio juris, & actionis ad creditum post sententiam Judicis; confiscatio tertiæ partis bonorum cum infamia. *l. fin. C. ad L. Jul. de vi priv.* 5. Denique remedium est ex implorato officio Judicis. Ex his Juribus nata est illa regula: *Spoliatus ante omnia restituendus est*, non obstante exceptione dominii, criminis, ætatis minorum: præter excommunicationem, vel aliud crimen, quo actor impeditur ab agendo.

25. In §. 7. *h. t.* Imp. affert divisionem interdictorum in *Simplicia*, & *duplicia*, de qua supra. In §. *fin.* subdit supervacaneum esse loqui de veteri ordine, & solemnitatibus interdictorum, quia exoleverunt: & hodie interdicta tractantur sicut judicia possessoria plenarie, vel summarie, prout ratio causæ, ac personarum postulat.

Titulus XVI. De pœna temere litigantium. Temerarius litigator est, qui inconsulto movit litem, vel motam suscepit; qualis censetur ille, qui in lite inconstans est, libellum mutat, de petitorio transit ad possessorium, vel personam, cui debetur reverentia, sine venia Prætoris vocat ad judicium. Pœna illius, præter juramentum calumniæ, est condemnatio in expensas secundum taxationem Judicis. Vide in Jure Canon. *lib.* 2. *tit.* 17. *ad fin.*

Titulus XVII. De Officio Judicis. Præcipuum Judicis officium est judicare secundum leges, constitutiones, & mores, seu probatas consuetudines. Exempla vide hic in textu, quomodo judicandum sit in noxali judicio, in petitorio, ad exhibendum, in judicio familiæ herciscundæ, communi dividundo, finium regundorum. Vide de jurisdictione, & officio Judicis in Jur. Can. *l.* 1. *tit.* 28. *a n.* 9. & *tit.* 29. *&* 32.

Titulus XVIII. De Publicis Judiciis. Judicia publica sunt, in quibus judicatur ad vindictam publicam malefactorum. De Jure Rom. illa censentur delicta *publica*, quæ descendunt ex aliqua lege publica; ut ex L. Julia Majestatis; ex L. Julia de adulteriis coercen-

cendis, ex L. Cornelia de Sicariis, ex L. Pompeja de Parricidis, ex L. Cornelia de falsis, ex L. Julia de vi publica, & privata, ex L. Julia peculatus, ex L. Flavia de plagiariis, ex L. Julia de ambitu, repetundarum, de residuis, de annona; ut videre est in Pandectis *lib.* 48. *per tot.* & in Codice *lib.* 9. Quibus hodie accedit furtum, simonia, hæresis; imo fere omnia delicta, præsertim de Jure Can. facta sunt publica, ut vindicta publica coerceri possint. Dicuntur etiam *Publica*, quia *cuivis ex populo executio eorum*, hoc est accusatio *plerumque datur*. §. 1. *h. t.* Sunt autem publica judicia duplicia: *Capitalia*, quæ *ultimo supplicio efficiunt homines, vel aqua, & ignis interdictione, vel deportatione, vel metallo*, §. 2. *h. tit.* Ex quo utiliter notabis, quod pœna *capitalis* a Jure lata non semper significet mortem; sed quandoque mitiorem pœnam; ut deportationem &c. *Non capitalia*, quæ infamiam irrogant cum damno pecuniario Fisco applicando; vel quæ pœnam corporalem mitiorem infligunt. De his delictis, quantum necesse est ad notitiam Canonistæ, ago in *lib.* 5. *Decretal.*

Restant adhuc aliquæ materiæ civiles, ut ex Pandectis *lib.* 49. *tit.* 14. & *seqq.* & *lib.* 50. & nonnullæ aliæ; sed quia Jura ista pleraque ab usu recesserunt, & ex ipso fonte facile hauriri possunt, consulto eorum tractationem hic prætermitto.

TITULUS ULTIMUS.

De Jure Publico.

NOn est mei instituti plene, & ex professo agere de Jure publico, quod relinquo Publicistis; sed quia Canonistæ hinc inde aliqua afferre solent ex Jure publico, quædam pro notitia terminorum tantum tangam.

§. I.

De Natura, Divisione, & Principiis Juris Publici.

1. Q. I. *Quid sit Jus publicum, & quod ejus objectum* R. *ad* 1. Jus publ. in communi est, quod ad statum alicujus Reipubl. spectat, ejusque utilitatem per se, & principaliter respicit. *arg.* §. *fin. de Just. & Jur.* de qua definitione vide dicta *tit. In. de Just. & Jur. num.* 26.

2. R. *ad* 2. Objectum materiale remotum Juris publici est triplex: *personæ, res*, & *actiones*, seu *judicia*. *Personæ* sunt Magistratus politici, quibus Respubl. regitur. *Res* sunt partim *corporales*, quæ dominio Reipubl. qua tales subjiciuntur; partim incorporales, seu jura ipsi Reipublicæ, ejusque Magistratibus competentia, uti & obligationes illorum. *Actiones*, seu *judicia* sunt, in quibus de publicis negotiis, & causis Magistratuum, earumque delictis disceptatur, ac definitur. Nec obstat *l.* 1. §. 2. *ff. de Just. & Jur.* ubi Ulpian. dicit Jus publicum consistere *in sacris Sacerdotibus*, & *Magistratibus*. nam loquitur pro statu Reipubl. ethnicæ, in qua Reges, & Imperatores erant simul *Pontifices Maximi*, & ad eos directio sacrorum, & Sacerdotum pertinebat; at in Republica christiana, saltem catholica, directio sacrorum, & Sacerdotum est penes Pontifices Ecclesiæ. *cap.* 10. *de Constit. c.* 2. 4. *de Judic.* &c. idque Constantinus, aliique pii Imperatores, ac Principes christiani agnoverunt: neque se sacris unquam intromiserunt, nisi implorati a Pontificibus, ut advocati Ecclesiæ, & executores SS. Canonum.

3. Q. II. *Quotuplex sit Jus publicum?* R. Juris publici tot possunt esse divisiones, quot sunt diversi populi: seu Respublicæ *arg.* §. 2. *de Jur. Nat. Gent. & Civ.* nam quælibet Respubl. suo publico Jure regi potest. Omissis aliis, huc pertinet Jus publicum Romanum, & hodie Romano-Germanicum, vel Germanico-Romanum, ut alii dicunt. Hoc partim est scriptum, ut mox videbitur, partim consuetudinarium; quia in Imperio Romano-Germanico multa per consuetudinem introducta, instar legis publicæ observantur.

4. Q. III. *Quæ sint principia Juris publici?* R. 1. Remota sunt Jus naturale, & Gentium, ex quibus cetera humana Jura, utpote inferiora, permodum conclusionum ratione nitentium derivantur; non quidem necessario, sed contingenter, licet Jure jam condito, sequatur necessitas parendi: quia justo præcepto Superioris parendum est ex præcepto 4. Decalogi. Jus civile privatum, uti & Jus Canonicum in materia de se profana disponens, in materia accommoda deserviunt Juri publico: non multum vero curantur in iis, quæ principaliter veniunt ex Jure publico decidenda.

5. R. 2. Principia Juris publici romani proxima sunt, quæ traduntur in Volumine Justinianeo, uti de Magistratibus in Pandectis *lib.* 1. *tit.* 9. & *seqq.* in Codice *lib.* 1. *tit.* 26. & *seqq.* & maxime tres ultimi libri Codicis, cum quibusdam Novellis; sed propter immutatam formam Reipublicæ Romanæ Jura ista ab usu recesserunt; & ideo nec in scholis traduntur.

6. R. 3. Principia Juris publici Romano-Germanici sunt 1. *Aurea Bulla*, a sigillo aureo ita dicta (sigilla enim barbare vocantur *Bullæ*, quæ instrumento alicui affigi possunt aureæ, vel argenteæ, vel plumbeæ &c. aut forsan per similitudinem denominatio ista trahitur ab aureis bullis, quas de collo pendentes portabant pueri prætextati. (Lex. Calv.) Quo ad rem *Aurea Bulla* est Constitutio, seu Sanctio Pragmatica auctoritate Caroli IV. Imp. cum consensu Statuum, & Ordinum Imperii lata de Imperatoris electione, & coronatione, Electorum juribus, aliisque ad regimen publicum spectantibus; & promulgata partim Norimbergæ usque ad *c.* 23. partim Metis a *c.* 24. usque ad fin. ann. Christi 1356. Dicuntur hujus Bullæ tria extare authographa; unum Francofurti ad Mœnum; alterum Moguntiæ; & tertium Romæ; alias Heidelbergæ; licet in numero titulorum, & nonnullis aliis discrepent.

7. 2. *Pax publica profana*, seu Pragmatica sanctio adversus vim privatam, seu jus manuarium a Maximiliano I. *an.* 1495. in Comitiis VVormatiensibus primum edita, & *an.* 1500. in Comitiis Augustanis confirmata, pœna banni, seu præscriptionis imperialis violatoribus decreta.

8. 3. *Pax religiosa* sub Carolo V. Imp. primum Passavii facta *an.* 1552. deinde firmata Augustæ *an.* 1555. qua ad evitandas publicas perturbationes, Lutheranis, & Calvinianis permissum est liberum exercitium religionis.

9. 4. *Pax Cæsareo-Svecica*, a loco dicta *VVestphalica*, seu *Osnaburgo-Monasteriensis*, post acre bellum inter Ferdinandum II. & Gustavum Adolphum Svecorum Regem habitum, & deinde continuatum: tandem sub Ferdinando III. & Christina Svecorum Regina Pax ista conclusa est *an.* 1648. 24. *Octobr.* qua pax religiosa partim confirmata, partim aucta est in favorem Acatholicorum, pluribus Diœcesibus sæcularizatis. Et quamvis aliqui ex catholicis defendant, Principes Orthodoxos in hac dirissima belli necessitate licite potuisse consentire in dictam pacem suis articulis munitam, eam tamen reprobavit Innoc. X. Const. incip. *Zelo Domus DEI.*

10. 5. *Capitulatio Cæsarea*, seu certi articuli, ab Imperio facti, quos Imperator electus ante coronationem acceptat, seque eos servaturum jurejurando spondet. Videntur Capitulationes cœpisse sub Carolo V. cui tanquam potenti Principi Electores certos articulos præscripserunt, quibus ille assensit, ne forsan a dignitate Imperiali excluderetur.

11. 6. *Recessus Imperii*, seu Decreta Comitialia ab Imperatore, & Statibus Imperii conclusa; & quia sub recessum a Comitiis finiri solent, barbare vocantur *Recessus Imperii.*

12. 7. *Ordinationes Cameræ*, & *Judicii Imperialis Aulici* pro administranda justitia in his supremis tribunalibus. Judicium Imperiale aulicum est Viennæ; alias in eo loco, in quo residet Imperator. Camera Imperialis fuit Spiræ, deinde ob tumultus bellicos translata est VVezlariam. His adduntur *Concordata Germaniæ*, de quibus in Jure Can. *lib.* 3. *tit.* 5.

13. Q. IV. *Qui legibus istis publicis obligentur?* R. 1. Omnes Status Imperii, & alii immediate, vel mediate Imperio subjecti. R. I. *an.* 1654. §. 6. lex enim cum sit commune præceptum, omnes subditos tangit. 2. Imperator legibus publicis obligatur non tantum directive, sicut alii Principes suis legibus, sed speciali modo; non quidem vi jurisdictionis, cum in Imperio superiorem se non habeat; sed vi pacti publici, & ju-

juramenti, quo Capitulationes acceptat; ut proinde neque leges publicas abrogare, neque eis derogare possit sine consensu Statuum Imperii. Quia vero extrema necessitas non habet legem, multi DD. tenent in casu talis necessitatis, licitum esse Imperatori a legibus publicis recedere; cum casus necessitatis etiam in Capitulationibus soleat excipi; quamvis id non liceat regulariter in casu utilitatis.

§. II.

De Forma, & Membris Imperii Romano-Germanici.

14. *Recole* 1. Imperium Romanum, postquam in summum elevatum est, ut toti fere orbi leges daret, mole sua cœpisse paulatim deprimi, & amissis Africa, & Asia, ac potiori Europæ parte, in eas venisse angustias, in quibus illud hodie intuemur.

15. *Recole* 2. tempore, quo Irene Imperatrix in Oriente regnavit, ob gravissimas causas, temporumque necessitates, consensu Populi Romani, Clerique rogatu, Imperium Romanum a Græcis per Leonem III. Pontificem Rom. translatum esse ad Francos, populos Germaniæ in persona Caroli Magni, Pipini filii, quem dictus Pontifex aureo diademate redimitum Occidentis Imperatorem, & Augustum salutavit. 8. *Kal. Januar. an.* 800. Quam translationem justam, & legitimam fuisse (quidquid in contrarium nonnulli dicant) clare demonstrat Baron. Spondan. Bellarm. & alii Scriptores catholici. In Imperio ita translato variæ erant vicissitudines, & mutationes, quas usque ad nostra tempora Historici describunt.

16. Q. I. *Quæ sit forma Reipublicæ Romano-Germanicæ*? ℞. Monarchia, nam 1. ex meliori sententia Imperium Rom. dicitur esse illa quarta Monarchia, cujus meminit Daniel *c.* 2. & 7. tum 2. quia illud est Regnum Monarchicum, cujus summa potestas, seu majestas residet in uno, tanquam Capite, & Principe totius regni *arg. l.* 1. *ff. de constit. Princ.* sed summa potestas Imperii hodierni residet penes unum, scil. Imperatorem: tum quia illi totus populus Imperio subjectus obedientiam promittit; quod non fit in Aristocratia, vel Democratia: tum quia omnes Status Imperii legibus directe obligantur, & transgressores etiam banno puniri possunt: tum quia omnes respectu Imperatoris crimen læsæ Majestatis committere valent; quæ, & similia sunt manifesta indicia Imperii monarchici; ergo. Interim negari nequit summam illam potestatem pro communi utilitate Imperii in quibusdam articulis arctatam esse, ut in actuale imperandi exercitium prodire nequeat, nisi cum certa solemnitate, verbi gratia, cum consensu Electorum, vel omnium Statuum; prout cavetur in Instr. Pac. Osnabr. & Capitulationibus. Ex quo nonnulli bene inferunt Imperio Romano Germanico aliquid admixtum esse de Aristocratia. Neque hoc destruit, sed perficit formam monarchicam, cum juxta Platonem *lib.* 4. *de LL. interitus paretur illi civitati, in qua non lex Magistratibus, sed Magistratus legibus dominantur*. Sic etiam in antiquis Monarchiis Reges multa non potuerunt facere sine consilio, & consensu populi, prout legitur de Dario *Daniel.* 6. *vers.* 8. & 15. *Dices*: Imperator Rom. non videtur aliter se habere, quam Dux Reipublicæ Venetæ: quia utriusque potestas limitatur. ℞. Neg. ant. nam Dux Venetus habet regulam negativam, quod solus nihil possit, nisi quod ei expresse concessum est a Republ. e contra Imperator habet regulam affirmativam, quod solus possit omnia; nisi aliquid exceptum sit. Illa, & non ista regula est unum ex signis Aristocratiæ.

17. Q. II. *Ex quibus membris constet Imperium Romano-Germanicum*? ℞. ex seqq. 1. Caput illius principale est Imperator. 2. Capita Vicaria sunt Rex Romanorum, & duo Vicarii Imperii Jure publico introducti. 3. Præcipua membra sunt Status Imperii: quorum tres sunt Ordines, scil. *Electorum, Principum* generalius acceptorum, prout hoc nomine veniunt etiam Comites, & Barones; & *Civitatum liberarum Imperialium*. 4. Minus præcipua membra sunt Nobiles immediate Imperio subjecti. 5. Membra inferiora sunt reliquus populus mediate Imperio subjectus; qui communiter Landsassiorum nomine exprimitur, & immediate alicui Domino territoriali subjicitur; uti in Austria, Saxonia &c. Ex his solus Imperator est tantum imperans, non vero subditus; cum superiorem jurisdictione non habeat: ceteri omnes respectu Imperii, & Imperatoris sunt subditi: at Status Imperii respectu sui territorii sunt imperantes, uti & nobiles immediate Imperio subjecti; cum in suo territorio Superiorem non recognoscant; tantumque in eo possint, quantum Imperator in toto Imperio, ex vulgata regula, sane tamen intellecta. De his singillatim aliqua dicenda erunt.

§. III.

De Imperatore.

18. IMperator est princeps, seu caput totius Imperii, qui ad hanc dignitatem, non via successionis hæreditariæ, sed liberæ electionis evehitur.

19. Q. I. *Quæ requirantur qualitates in eligendo Imperatore*? ℞. 1. Ut sit *Mas*: nam ex antiqua lege Francorum, seu Germanorum, quæ dicitur *Salica* a Sala fluvio, fœminæ excluduntur a publicis regni gubernaculis, ut insinuat Vitriar. Gold. & alii. 2. Ut sit *Germanus*, seu ex Germano sanguine procedens, licet extra Germaniam natus sit, uti Fridericus II. in Sicilia, & Carolus V. in Hispania: idque partim ex Constit. Ottonis I. aut III. partim ex antiqua consuetudine introductum fuit. 3. Ut sit e legitimo thoro genitus. 4. Ut oriatur ex illustri familia, qualis non solum Principum, sed etiam Comitum, & Baronum familia reputatur. 5. Ut sit laicus, ceu temporale caput, & Religionis christianæ, seu Romano catholicæ; cum jurare debeat quod Apostolicam Sedem, & Romanam Ecclesiam defendere velit. Circa ætatem non reperitur determinatio.

20. Q. II. *A quibus, & qua forma eligendus sit Imperator*? ℞. *ad* 1. a solis Electoribus; quorum tres sunt Ecclesiastici, scil. Archi-Episcopus Moguntinus, Coloniensis, & Trevirensis; ita tamen ut Sede vacante Capitulum non succedat in jure hoc eligendi; cum annexum sit ipsi Dignitati Archi-Episcopali. Laici Electores ex Aurea Bulla sunt quatuor; sed ex Pace VVestphalica quinque: Rex Bohemiæ, Dux Bavariæ, Dux Saxoniæ, Marchio Brandeburgensis, & Comes, seu Princeps Palatinus, quibus nostris temporibus *an.* 1692. cum effectu *an.* 1708. additus est Princeps, seu Dux Brunsvicensis ex linea Luneburgensi Hanoverana; atque ita hodie sunt novem Electores.

21. ℞. *ad* 2. Forma eligendi Imperatoris consistit in seqq. 1. Moguntinus, seu Decanus Collegii Electoralis intra mensem a die vacantiæ cognitæ, singillatim omnes Electores per litteras patentes majori sigillo munitas convocat, ut intra trimestre Francofurti, (nisi causa gravis exigeret tempus istud prorogari, vel restringi, aut alium locum determinari) conveniant ad futuram electionem; puta vel personaliter per se, vel per suos Plenipotentiarios, vel per commissionem voti ab uno ex Coelectoribus dandi nomine absentis. Si quis contemptus sit, seu non-vocatus, electio quidem a majori parte facta probabilius non est ipso Jure irrita: contemptus tamen Elector persequi potest injuriam sibi factam a Moguntino. Si quis vero legitime vocatus non venerit, pro hac vice privatur suffragio; & si tarde veniat, in eo Statu admitti debet, in quo est electio adventus sui tempore. 2. Electores 200. equitibus stipati, non nisi cum 50. armatis singuli Francofurtum admittuntur, ubi præstituto die in curia comparentes, excepto a Francofurtensibus juramento de securitate sibi præstanda, vestitu electorali induti, & equis insidentes solido ordine ad Ecclesiam Metropolitanam procedunt. 3. His in choro constitutis cantatur hymnus *Veni Creator Spiritus*, tum Moguntinus jurat in manibus Trevirensis: & ab isto, uti & cæteris Electoribus juramentum excipit: hisque cæremoniis præmissis soli Electores intrant conclave electionis, quique sua subsellia occupantes. 4. Moguntinus rogat vota, primum a Trevirensi, deinde a Coloniensi, Rege Bohemiæ, Duce Bavariæ, cæterisque Electoribus: qui tandem omnes ex Moguntino suum quærunt votum; isque censetur Electus, pro quo omnes, vel

vel major pars Collegii Electoralis stat. Et quamvis aliqui velint sufficere majorem partem respective, seu respectu minorum partium; probabilius tamen est requiri majorem partem absolute ex toto Collegio Electorali; ut 5. ex novem. Id speciale est, quod Elector non tantum quatuor consentientibus accedere, & electionem sui complere, sed etiam directe sibi votum dare possit, sicut teste Dubrav. *lib.* 22. *Hist. Boem.* Sigismundus Rex Bohemiæ se ipsum nominavit: *Me*, inquiens *ego novi, alios non itidem, an æque mecum Imperio Orbis digni sint*. Si Electores intra 30. dies non conveniant, pane, & aqua sunt nutriendi. 5. Perfecta electio a Moguntino in conclavi promulgatur per notarios, testibus adhibitis in instrumentum redigitur, Electorum sigillis munitur, & solitis solemnitatibus populo proclamatur. Hæc, & cetera huc pertinentia reperies in Aurea Bulla *cap.* 1. & *seqq.* 6. Electus, si præsens est, ad servandam capitulationem juramento se obstringit, & Electoribus, ceterisque Statibus: mox, vel deinde ex intervallo temporis privilegia confirmat.

Q. III. *Qua forma fiat Coronatio Imperatoris*? ℞. 1. Prima coronatio, & inunctio fit Aquisgrani: nisi ex justa causa alia Imperii civitas huic actui determinetur; & primo Imperator jurat, quod *fidem catholicam operibus justis servare, Ecclesiarum tutor, & defensor existere, regnum efficaciter secundum justitiam defendere, jura regni dispersa congregare, viduarum, miserabiliumque personarum defensor, & Judex esse, Romano Pontifici debitam subjectionem exhibere velit*. 2. Traduntur Imperatori insignia imperialia Norimbergæ asservari solita, scil. corona Imperialis clausa cum cruce superposita, gladius, anulus, sceptrum, pomum cum cruce superimposita, amictus, & pallium regale. 3. Lis de actu coronandi, transactione finita est; atque ita si coronatio celebretur in territorio Coloniensi, Imperatorem coronat Archi-Episcopus Coloniensis, si in Moguntino, Moguntinus, si extra utriusque territorium, datur alternativa. 4. Præter coronationem aquisgranensem dantur aliæ duæ: *Lombardica* Mediolani, & *Romana* Romæ; quæ sæpius jam omissæ sunt, propter graves causas; quamvis Imperator in capitulationibus jurare cogatur, quod, quam primum fieri potest, coronam romanam accipere velit. Omnes tres istæ coronæ sunt aureæ; licet vulgus dicat romanam esse auream, lombardicam argenteam, & germanicam ferream. De Coronatione vide Auream Bullam *c.* 27. & 28.

23. Q. IV. *Quæ sint Jura Imperatoris*? ℞. 1. Jura majestatica, & reservata soli Imperatori competentia, sunt præcipua 1. Jus præcedentiæ inter omnes Principes christianos; & ideo Legati Cæsaris, etiam apud Turcam omnium Regum Legatis præferuntur. 2. Jus gerendi in insigni aquilam bicipitem, vel ad significandum regnum Romanum, & Germanicum; vel potius ad significandam divisionem Imperii inter Græcos, & Romanos. 3. Jus creandi Reges, & alias dignitates, & nobilitates conferendi; quæ tamen potestas limitari solet in capitulationibus; ne quid fiat in præjudicium antiquarum familiarum. 4. Jus conferendi investituras feudorum regalium: at si tale feudum apertum sit, nullo existente legitimo successore, sine consensu Electorum alteri de novo conferri nequit, sed reservari debet pro necessitatibus Imperii. 5. Jus cognoscendi, & judicandi in causis Principatuum, Ducatuum, Comitatuum &c. in quo judicio probabilius non sunt adhibendi *Pares Curiæ*, seu Principes Imperii, nisi de feudo regali agatur criminaliter, & Status declarandus sit in pœnam banni: tunc enim consensus saltem Electorum requiritur; ut communiter cavetur in capitulationibus. 6. Jus instituendi suprema tribunalia; uti est Consilium Imperiale Aulicum, & Camera Imperialis, cui constituendæ, & ordinandæ etiam Statuum consensum esse necessarium nonnulli asserunt. 7. Jus belli defensivi in casu necessitatis. 8. Jus mittendi proprios Legatos, & exteros recipiendi; licet super re, seu materia Legationis Imperium concernente, consensus Statuum requirendus sit. 9. Jus legitimandi filios naturales, & spurios Principum, Comitum, & Baronum, famam restituendi, ætatis veniam concedendi, rescripta moratoria largiendi, academias erigendi, jus civitatis, vel nundinarum, emporii, stabulæ, geranii, & hujusmodi tribuendi, in legibus dispensandi, & privilegia conferendi; modo id fiat sine aliorum præjudicio, & juxta limitationes in capitulationibus expressas.

24. ℞. 2. Jura Imperatori conjunctim cum Electoribus communia sunt: 1. Jus indicendi comitia imperialia. 2. Jus deliberandi, & statuendi de negotiis Imperii pro casu necessitatis, dum res moram non patitur. 3. Jus concedendi privilegia v. g. cudendæ monetæ, stapulæ, novorum vectigalium, vel immunitatis a vectigalibus &c.

25. ℞. 3. Jura Imperatori, & Statibus conjunctim communia sunt: 1. Jus ferendi leges universales, easque interpretandi. 2. Jus decernendi bellum, vel concedendi repressalias, quæ sunt species belli, concludendi pacem, fœdera, & similia negotia. 3. Jus indicendi tributa, & collectas extraordinarias per capitationem, vel per modum expeditionis romanæ; sicut olim quilibet vassallus Imperatori Romam eunti, seu transalpinanti certum quantum solvere debebat &c.

26. Q. V. *Quibus modis inducatur vacatio throni Imperialis*? ℞. tribus: *morte* Imperatoris, *resignatione* ex justis causis, & *depositione* ob gravia, & Reipublicæ perniciosa delicta, notoriamque incorrigibilitatem. Modus iste rarior est, quia pericula, & gravia damna secum trahit; nisi aliter afflicto Imperio succurri nequeat.

27. Q. VI. *Quæ sint Jura Augustæ*? ℞. 1. Coronatur Aquisgrani, & augustali amicta vestitu Regem, & Imperatorem immediate sequitur. 2. Cancellarium habet Abbatem Fuldensem, & Archi-Capellanum Abbatem S. Maximi apud Treviros. 3. Quamvis Augusta subdita sit legibus; Augustus tamen ei sua privilegia communicat, quorum capax est. *l.* 31. *ff. de LL.*

§. IV.

De Rege Romanorum, & Vicariis Imperii.

28. Q. I. *Quid sit Rex Romanorum, & quæ ejus potestas*? ℞ *ad* 1. est Princeps Imperii, qui vivo Imperatore, volente, vel invito, eligitur ab Electoribus, ut sit perpetuus Imperii Vicarius cum jure succedendi in Imperio absque ulla alia electione. Ad evitanda interregna, & perturbationes Reipublicæ, utile judicatur eligere Regem Romanorum.

29. ℞. *ad* 2. Rex Rom. ceu Caput Vicarium Imperii, absente Imperatore, vel impedito, fere omnia jura Imperatoria exercet potestate delegata, ut quidam volunt: sed probabilius potestas illius est ordinaria quidem, utpote ex Jure publico descendens, sed limitata, & dependens, fere eo modo, quo coadjutor perpetuus Episcopi, vel ejus Vicarius generalis ordinaria pollent potestate, sed limitata.

30. Q. II. *Quid sint Vicarii Imperii, & quæ illorum potestas*? ℞. *ad* 1. sunt Principes lege publica constituti ad hoc, ut vacans Imperium administrent, ejusque regimen in manus Electi Imperatoris resignent. Tales sunt duo: Princeps, seu Comes Palatinus ad Rhenum (quod tamen ejus controversum ei facit Dux Bavariæ) cujus administrationi subsunt ditiones, quæ olim Francico jure utebantur; ut Suevia, Franconia, Ripa Danubii usque ad limites Hungariæ, Tyrolis, Carinthia, Bavaria, Austria &c. Alter est Dux Saxoniæ, cujus administrationi subsunt inferior, & superior Saxonia, Marchionatus Brandeburgensis, Ducatus Brunsvicensis, Thuringia &c. licet pro varietate temporum non raro Jura ista varientur.

31. ℞. *ad* 2. Potestas Vicariorum Imperii est ordinaria, utpote ex lege descendens, sed multum limitata: quia Vicarii Imperii probabilius illa tantum possunt, quæ sunt eis expresse concessa, cum Carolus IV. signate hanc potestatem determinet in Aurea Bulla *c.* 5. ut proinde non possint ea omnia, quæ Imperator. Pertinet autem ad eorum potestatem: 1. Jus exercendi judicia; & ne alter alteri præjudicare videatur, acta Cameræ Imperialis utriusque Vicarii nomine, & sigillo expediuntur. De feudis autem regalibus non judicant, quia non minus judicium, quam collatio eorum reservata est Imperatori. 2. Vicarii habent jus investiendi in feudis minoribus, seu nonregalibus, & juramenta fidelitatis nomine Imperii excipiendi. 3. Jus colli-

gendi redditus imperiales, non tamen sibi applicandi; & multo minus aliquid de rebus Imperii alienandi &c.

§. V.

De Statibus Imperii.

32. Q. I. *Quid sit Status Imperii?* R. est Civis Reipublicæ Romano-Germanicæ jus sessionis, & voti in Comitiis Imperialibus habens: nam cum Status Imperii sint coimperantes, substantialiter in eis requiritur jus voti decisivi. *arg.* 1. *Politicor.* 1. ubi Aristoteles in Cive Democratico requirit, jus suffragii. Præterea regulariter ad Statum Imperii requiritur, ut sit immediate Imperio subjectus, atque territorium suum immediate ab Imperio recognoscat, Circulo alicui, & Matriculæ legitime inscriptus, censum in illa determinatum pendat. Est autem Matricula liber publica auctoritate confectus, in quo omnium Statuum nomina describuntur cum expressione tributi, quod quisque Statuum ad communes usus pendere tenetur. Inter plures Matriculas, quæ circumferuntur melior, & quasi authentica censetur Matricula Wormatiensi facta *an.* 1521. ut insinuatur in Recessu Imperii *an.* 1576. §. *99.* cujus textum refert Beckerus in Jur. Publ. ad fin. Status isti dividuntur in tres ordines, seu in tria Collegia, scil. Electorum, Principum, & Civitatum Imperialium.

33. Q. II. *Quid sint Electores, & quæ illorum jura?* R. *ad* 1. sunt Principes Imperii publica lege constituti, ut vacante Imperio, Imperatorem, vel necessitate postulante Regem Romanorum eligant: nam ad evitandas confusiones ex promiscua confusione, sequi solitas, potestas eligendi Imperatorem translata est in paucos, qui Electores vocantur; idque sub Innoc. IV. in Concil. Lugdun. *an.* 1244. plenius firmatum fuit.

34. R. *ad* 2. Præcipua Electorum jura sunt; 1. Omnes Electores habent Archi-Officium: *Moguntinus* est Archi-Cancellarius per Germaniam, & Decanus Collegii Electoralis. *Trevirensis* est Archi-Cancellarius per Galliam, & Regnum Arelatense. *Coloniensis* Archi-Cancellarius per Italiam. Sed hi duo posteriores Archi-Cancellariatus hodie quo ad exercitium quiescunt. *Rex Bohemiæ* est Archi-Pincerna; & si ministrat, potest, non tamen tenetur coronam regalem gestare. *Dux Bavariæ* est Archi-Dapifer, *Saxo* Archi-Mareschallus, *Brandeburgus* Archi-Camerarius, *Palatinus* Archi-Thesaurarius, *Luneburgicus*, seu *Hanoveranus* Archi-Vexillifer. Qui omnes in his Archi-Officiis suos subofficiarios habent. 2. Electores semper, & ubique unum singulare corpus, seu collegium faciunt ad negotia expedienda. 3. Singuli in Camera habent jus præsentandi duos Assessores; cum alias integri Circuli totidem præsentare possint. 4. Pro investituris, & confirmationibus suorum privilegiorum nihil in aula solvunt. 5. Habent jus ultimatæ sententiæ; ita ut a sententiis eorum appellari, imo nec subditi illorum ad extraneum tribunal trahi possint. 6. Regibus æquiparantur, soli cum Imperatore prandent, vel cœnant in publico in sua quisque mensa &c. De peculiaribus cujusque juribus nullus mihi hic sermo.

35. Q. III. *Qui contineantur in secundo ordine Statuum Imperii?* R. Omnes alii Status, præter civitates: & in hoc genere omnes sunt sibi pares; cum omnes principali gaudeant jure, licet in alio genere alii aliis præcellant. Hujusmodi sunt: 1. Principes Ecclesiastici, ut Archi-Episcopi Magdeburgensis, Salisburgensis, Bremensis, & Vesontinus: ex quibus præter Salisburgensem, ceteri sunt sæculares; Episcopi Germaniæ; Abbates nonnulli; ut Fuldensis, Murbacensis, Campidonensis, Corbojensis, Prumiensis, Stabulensis, Ratisbonensis ad S. Emeramum, Hirschfeldensis est sæcularizatus: Præpositi Elwacensis; & Berchtolsgadensis; Abbatissæ, ut Quedlimburgensis, Buchaviensis, Essensis, Herwordensis &c. 2. Inter Status sæculares sunt: Archi-Dux Austriæ, Duces Brunsvicenses, Bremenses, & Verdonenses, Melckemburgenses, Holsati, Lewemburgici &c. Principes in specie, qui de Principatu investiti sunt; ut Anhaltini, Principes Rugiæ, Furstembergici: & qui ad Principatum evecti sunt sub Ferdinando II. & III. puta Hohenzollerensis, Salmensis, Lobkowitzensis, Eggembergensis, Dietrichsteinensis (cujus familiam erga nostram Scholarum Piarum Religionem fundationibus, & beneficiis munificentissimam, Deus quam diutissime conservet) Nassovius in Hadamar, & Dillemburg, Auersperggensis, & Piccolominius; de quibus fit mentio in Recessu Imperii 1654. §. 197. Item Landgravii Thuringiæ, Hassiæ, Alsatiæ &c. Marckgravii, Marchiones; ut Misnensis, Badensis &c., ceterique omnes Comites, & Barones, qui sunt Status Imperii. Hoc tamen nota, quod Principes, Comites, & Barones ab Imperatoribus creati, qui sessionem, & votum in Comitiis Imperialibus non habent, nullatenus referendi sunt inter Status Imperii. Insuper nota, quod Officia, quæ olim erant temporaria; ut Ducis, Landgravii, Marckgravii, Burggravii, Comitis, tandem in Imperio collata sint in feudum perpetuum cum jure primogenituræ, & successionis, ut hodie videre est.

36. Q. IV. *Qui sint in tertio, seu ultimo ordine Statuum?* R. Civitates Imperiales, prout sunt quoddam corpus, seu universitas; ita ut in particulari nullus civis, neque Consul sit Status Imperii; bene vero totum corpus civitatis, velut persona ficta hanc dignitatem sustineat. Porro licet civitates *imperiales simpliciter*, quæ ab Imperatoribus erant conditæ, quo ad aliqua privilegia differant a civitatibus *liberis Imperii*, quæ olim alicui domino parebant, sed libertatem adeptæ sunt; differentia tamen ista in ratione Status non attenditur; cum omnes civitates Imperii eodem jure Status gaudeant; ut Francofurtum, Norimberga, Augusta &c.

37. Q. V. *Quæ sint jura omnibus Statibus communia?* R. Jus præcipuum est *Superioritas territorialis*, vi cujus ex reg. vulgata, Status tantum possunt in suo territorio, quantum Imperator in toto Imperio, exceptis summæ Majestati reservatis, vel lege prohibitis: atque ita superioritas ista est potestas regalis Statibus communicata exercendi quidlibet, nisi lege prohibeatur. Alii potestatem istam vocant *Jurisdictionem altam, absolutam, independentem*: alii *imperium*, vel *dominium universale*: alii eam exprimunt nomine *regalium majorum*, & *minorum*. Hoc tamen certum est, quod potestas ista modo altiori subordinata sit potestati monarchicæ; cum omnes Status Imperatorem, seu Principem jurisdictione superiorem recognoscant.

38. R. 2. Status vi superioritatis territorialis habet: 1. Jurisdictionem universalem in omnes personas, & res sui territorii; nisi quis probet exemptionem: & ideo potest *leges condere* provinciales, & municipales, etiam contrarias Juri Justinianeo; non tamen contrarias Juri publico principaliter circa Imperium disponenti: judicia civilia, & criminalia per se, vel suos Magistratus exercere, & ab his causas avocare, dietas provinciales indicere, tabelliones, seu notarios publicos constituere, famam Jure suo, vel Justinianeo amissam restituere, legitimare naturales, vel spurios; non tamen Principum, Comitum, aut Baronum filios; pœnas ex jure aggratiandi relaxare &c. 2. Vi ejusdem superioritatis Status habet jus dominii universalis: & quidem bona domanalia, seu dominicalia possidet jure feudi, bona patrimonialia Jure dominii, & proprietatis, & bona subditorum jure dominii alti pro casu publicæ necessitatis. Unde etiam habet jus foresti, seu silvarum, jus venandi majores, & minores feras, jus piscandi, ædificandi, navigandi in flumine publico, jus cudendi monetam, tributa justa, collectas, & pretium emigrationis (quod jus detractionis vocant) exigendi, & omnia alia agendi, quæ summus Princeps agere potest; nisi quid specialiter excipiatur.

39. R. 3. Hac eadem superioritate territoriali gaudent civitates imperiales; cum sint veri Status Imperii: item multi Nobiles immediati, qui licet Status non sint, tamen ex variis privilegiis nulli subsunt domino territoriali, sed immediate Imperatori, & Imperio; uti est Nobilitas Franconica, Suevica, Rhenana, Alsatica; quæ extinctis Ducibus in libertatem se erexerunt, & immediatam respectu Imperii subjectionem acquisiverunt. At ceteri Nobiles mediante imperio subjecti, qui domino territoriali immediate parent; uti plerique Nobiles in utraque Bavaria, Austria, Saxonia, non gaudent superioritate territoriali, nec ejus juribus; & multo minus alii cives ignobiles, vel Psalburgeri, seu instar pali adittitii, quorum civitas prohibetur.

§. VI.

§. VI.

De Comitiis, & Judiciis Imperii.

40. Q. I. *Quid Juris circa Comitia Imperialia?* ℞. 1. Comitia *generalia* indicuntur ab Imperatore cum consensu Electorum pro imperii necessitate, vel utilitate. 2. Vocantur omnes Status, non edicto generali, ut olim, sed intimatione speciali per litteras cuique missas, ut per se, vel per Legatos suos pleno mandato instructos, seu per Plenipotentiarios suos compareant. 3. Sedent in tribus ordinibus, seu collegiis: in primo Electores, in secundo Principes Ecclesiastici, & Politici cum Comitibus, & Baronibus; in tertio Plenipotentiarii Civitatum. Cum Ecclesiastici speciale scamnum habeant, & in eo admittere noluerint Acatholicos nomine Ecclesiarum comparentes, factum est inter Ecclesiasticos, & Sæculares tertium scamnum transversum pro ipsis *Querbanck*, cujus hodie vix ullus est usus; siquidem Episcopatus plerique sunt sæcularizati. Sede vacante Plenipotentiarius Capituli admittitur. 4. Hi Status omnes auctoritative intersunt Comitiis cum voto decisivo: & quidem vota colliguntur primo in Senatu Electorum; qui deinde mentem suam aperiunt Principibus; & si hi cum illis concordent, bene est; si vero discordent, vocantur civitates; & istæ accedunt vel Electoribus, vel Principibus, vel ab utrisque discedunt.

41. ℞. 2. Præter Comitia *generalia* solent quandoque celebrari *specialia*; uti est conventus solorum Electorum, conventus *Deputatorum*, ad quos, præsentibus Cæsareis Commissariis, certi Ordines, seu Status vocantur v. g. pro sedandis tumultibus, vel pro alia necessitate. Item fieri solent conventus Visitatorum Cameræ, circulares in certo circulo Imperii, & conventus civitatum.

42. Q. II. *Quæ sint suprema judicia, seu Tribunalia Imperii?* ℞. 1. *Judicium Camerale* antea Spiræ, nunc Wezlariæ auctoritate Imperatoris cum Statuum consensu institutum, in quo Judex cum Assessoribus suis ab Imperatore, & Statibus constitutis causas totius Imperii judicat, & definit. Ad hoc tribunal non spectant causæ criminales, feudales, matrimoniales, & aliæ spirituales; neque causæ appellationum in minori quantitate, quam sint 400. imperiales. Cum hoc tribunal sit supremum, non datur ab illo appellatio; bene vero revisio intra quadrimestre a Moguntino petenda; quod tempus computatur a die latæ sententiæ.

43. ℞. 2. Judicium, seu *Consilium Imperiale Aulicum*, seu Aula Cæsarea, in qua Præses cum Assessoribus jus dicit in causis totius Imperii. Caput hujus supremi tribunalis est Imperator; cujus vices supplet aliquis Princeps, Comes, aut Baro Imperii ab Imperatore in Præsidem institutus. Hoc judicium, licet causas a Camera Imperiali avocare nequeat; tamen cum ipsa Camera habet concurrentem jurisdictionem: & insuper ampliorem quo ad plures causas, quæ in Camera tractari nequeunt; ut causæ feudales circa feuda regalia, causæ criminales Statuum, causæ Italiæ, concessio veniæ ætatis, confirmatio privilegiorum &c. In causis Statuum primus ex equestri Ordine votum dicit: in causis vero justitiam maxime vindicativam concernentibus primum votum a Jureconsultis requiritur.

44. ℞. 3. Judicium Rothwillense, in quo Judex cum Assessoribus nomine Cæsaris jus dicit pro certis Germaniæ Provinciis, ut pro Circulo Austriaco, Suevico, Franconico, & Rhenano. Ab hoc judicio appellari potest ad Cameram, vel ad Aulam Imperatoris; imo Consilium Aulicum avocare potest causas pendentes in judicio Rothwillensi.

45. Judicium *VVestphalicum*, in quo occultis modis delinquentes inquirebantur, & inauditi condemnabantur; ob crudelitatem suam recte sublatum est; uti & *Regimentum* Imperii, quod fiebat in locum annuorum Comitiorum.

46. Q. III. *An Status Imperii præter Cameram, & Consilium Aulicum habeant aliud forum, in quo conveniantur?* ℞. habent forum privilegiatum *Austregarum* a Germanico, cum enim Statuum Imperii forum sit Camera, & Consilium Aulicum, a quibus, utpote supremis tribunalibus nulla datur appellatio, nimis durum eis videbatur; & ideo æquitate suadente, ut plures instantiæ competerent Statibus; a Maximiliano I. introductæ sunt *Austregæ* legales, seu judicium extraordinarium, in quo coram Judicibus electis Status in prima instantia convenirentur, a qua provocare possent ad Cameram, vel Consilium Aulicum. 2. Judices Austregarii, cum a lege publica constituantur, videntur esse ordinarii, modo tamen extraordinario constituti; vel ut alii volunt, sunt delegati ab ipso Jure; licet nonnulli eos tantum Arbitros esse contendant. 3. Ad Forum Austregarium probabilius spectant illæ tantum causæ, a quibus appellari potest ad judicium camerale, non vero aliæ; ut criminales, matrimoniales. 4. Ex novem modis, qui instituendis Austregis præscribuntur, duo sunt usitatiores. *Primus*, ut reus denominet tres Principes, e quibus actor unum eligat, coram quo causa judicetur. *Alter*, ut impetretur Commissarius cæsareus, tanquam Judex primæ instantiæ. 5. Beneficio Austregarum gaudent Status Imperii, uti & Nobilitas immediata; non tamen civitates imperiales; nisi provisæ sint privilegio quo ad Austregas saltem conventionales, uti Ratisbone, Norimberga &c. Hæc obiter de Jure publico insinuasse sufficiat. Cui necessarium est, cetera videat in fontibus Juris publici, scil. in *Bulla Aurea*, super qua Discursus fecit Dominic. Arumæus, in *Instrumento Pacis VVestphalicæ*, quam eruditis observationibus Historico-Politicis illustravit Godofrid. de Buckisch S. R. I. Eques, & in variis Recessibus Imperii. Videantur etiam Lymnæus, Goldastus, Peckerus, Vitriarius, & alii Publicistæ; & præsertim Politici, qui Statum Imperii describunt; ex quibus tamen plerique Acatholici caute legendi sunt: maxime a junioribus, inter falsum, & verum discernere non valentibus; ne sinistris contra Ecclesiam Romanam relationibus, & doctrinis decipiantur.

INDEX

Materiarum notabilium in hoc Præcursu explicatarum.

Numerus primus romanus indicat librum, secundus vulgaris titulum, tertius numerum marginalem tituli.

A

Actio: Tabula generalis actionum. IV. 6. n. 1.
Actionis definitio, divisio. ibid. n. 18.
Actiones reales civiles: Reivindicatio, Confessoria, Negatoria. n. 23.
Reales Prætoriæ: Publiciana, Rescissoria, Pauliana, Serviana, Quasi-Serviana. n. 32. & seqq.
Personales Prætoriæ: de constituto peculio, in factum ex jurejurando &c. n. 63. & seqq.
Præjudiciales. n. 71.
Persecutoriæ rei, pœnæ &c. n. 75.
Mistæ in rem, & personam: hæreditatis petitio, famil. herciscundæ, communi divid. finium reg. numer. 81.
Actiones in simplum &c. n. 92.
Bonæ fidei, & stricti juris. n. 99.
Arbitrariæ. n. 104.
Actiones metus, doli, de eo, quod certo loco, ad exhibendum, noxalis. n. 106. & seqq.
In solidum, & non solidum. n. 118.
Actio quod jussu, Exercitoria, Institoria, Tributoria, de in rem verso. IV. 7. n. 1. & seqq.
Actio noxalis. IV. 8. n. 1.
Actio de pauperie, Ædilitia in factum, de pastu. IV. 9. n. 1.
Perpetua, temporalis, transitoria, non-transitoria. IV. 12. n. 1.
Actiones in factum IV. 12. n. 7.
Adoptio, & *Arrogatio*. Ejus definitio, divisio, forma, personæ. I. 11. n. 1. & seqq.
Ædificatio in solo proprio, vel alieno. II. 1. n. 44.
Alienare qui possint. II. 8. n. 1.
Alienatio in fraudem Creditorum. IV. 6. n. 40.
Alluvio. II. 1. n. 38.
Apprehensio vera, & ficta. II. 1. n. 66.
Aurea Bulla. IV. tit. ult. n. 6.
Austregæ. IV. tit. ult. n. 46.

B

Bello occupata. II. 1. n. 34.
Bona derelicta, incerta. II. 1. n. 58.

C

Capitis diminutio. I. 15. n. 5.
Causa liberalis circa statum. I. 7. n. 5. & circa diffamationem. n. 9.
Condictiones certi, & incerti, causa data, ob turpem causam, sine causa, ex lege, Triticiaria, damni infecti. IV. 12. n. 10. & seqq.
Confusio rerum. II. 1. n. 42.
Constitutio Principis. I. 2. n. 38.
Curator. I. 23. n. 1. & seqq.

D

Digesta, seu Pandectæ. I. 1. n. 6.
Divisio rerum in communes, publicas &c. II. 1. n. 1. & seqq.
Dominium: Ejus natura, divisio, species, effectus, subjectum. II. 1. n. 14. & seqq.
Varii modi acquirendi dominium per venationem &c. eod. n. 24. item per modos accessionis, uti sunt: fœtura, alluvio, insula, specificatio &c. n. 36. & seqq. item dominium acquiritur traditione vera, vel ficta. n. 52. & seqq.
Dominica potestas. I. 8. n. 2.
Dotis pacta. I. 10. n. 8.

E

Edicta Prætorum. I. 2. n. 39.
Electorum S. R. I. jura. IV. tit. ult. n. 33.
Emancipatio liberorum. I. 13. n. 7.

F

Familiæ hercisc. judicium. IV. 6. n. 87.
Finium regundor. IV. 6. n. 91.

G

Gentilitia pacta. I. 2. n. 41.
Gentium jus. I. 2. n. 22.

H

Habitatio quid sit. II. 5. n. 1. & 9.
Hypothecaria actio. IV. 6. n. 49.

I

Ignorantia Juris, & facti. I. 2. n. 45.
Imperium Romano-Germanicum: Ejus forma, & membra. IV. tit. ult. n. 14.
Imperatoris qualitates, electio, coronatio, jura. ibid. n. 18. & seqq.
Imperii Vicarii. n. 28.
Imperii Status, eorumque jura. n. 32.
Imperii Comitia, & Judicia. n. 40.
Ingenuus quis sit? I. 4. n. 1.
Interdicta definiuntur, & dividuntur. IV. 15. n. 1.& n. 2. Prohibitoria. n. 4. Restitutoria. n. 9. Exhibitoria. n. 10. Adipiscendæ. n. 15. Retinendæ. n. 19. Recuperandæ. n. 23.
Inventio rerum. II. 1. n. 59.
Jus aureorum annulor. I. 6. n. 4.
Juris varia acceptio. I. 1. n. 1.
Juris Civ. Romani volumina, partes authoritas, synopsis. I. 1. n. 3. & seqq.
Juris accepti pro scientia definitio, objecta, præcepta, ibid. n. 20.
Juris naturalis existentia, definitio, divisio, præcepta, & proprietates. I. 2. n. 2. & seqq.
Juris gentium existentia, divisio, differentia, ibid. num. 22.
Juris Civilis natura, divisio, & variæ species, ibid. n. 31. & seqq.
Jura Statutaria. ibid. n. 41.
Jus publicum, ejus natura, objectum, divisio, principia. IV. tit. ult. n. 1. & seqq.
Justitia: ejus definitio, objecta, partes, obligatio. I. 1. n. 29. & de jure potestativo. ibid. n. 39.

L

Lex Ælia Sentia. I. 6. n. 2.
Lex Fusia Caninia. I. 7. n. 1.
Lex Scribonia. II. 3. n. 5.
Libertas quid sit? I. 3. n. 3.
Libertinus. I. 5. n. 1. & seqq.

M

Manumissionis natura, forma, & divisio. I. 5. n. 2. quis ex qua causa & quos manumittere possit? I. 6. n. 1. & seqq. Effectus manumissionis. I. 7. n. 2.
Maris dominium. II. 1. n. 3. & 4.
Minores qui sint? I. 23. n. 2. an alienare possint. II. 8. n. 4.
Missilia. II. 1. n. 54. in fin.

No-

N

Noxalis actio. IV. 8. n. 1.
Nuptiæ. I. 10. n. 1.

O

Obligationis definitio, & divisio. III. 14. n. 14.
Operæ serviles. II. 4. n. 29.

P

Patria potestas. I. 9. n. 1. modi, quibus solvitur. I. 12. n. 1. & seqq.
Personarum Jus, & divisio. I. 3. n. 1.
Personæ sui, & alieni juris. I. 8. n. 1.
Possessionis natura, divisio, modi, quibus acquiritur, effectus, & modi, quibus amittitur. II. 1. n. 61.
Prædia rustica, & urbana. II. 3. n. 2.
Pupillus quis dicatur? I. 13. n. 1. ubi educari debeat. I. 21. n. 4. Cetera vide v. Tutor.

Q

Quarta Piana. I. 11. n. 8.
Quasi-dominium, & quasi-possessio jurium. II. 2. n. 1. & seqq.
Quasi-Usufructus. II. 4. n. 15.

R

Reivindicatio. IV. 6. n. 24.
Res corporales, & incorporales, mobiles &c. II. 2. n. 1. & seqq.
Restitutio Natalium. I. 6. n. 4.
Rex Romanorum. IV. tit. ult. n. 28.

S

Servitus Personarum. I. 3. n. 2. & 5. modi, quibus inducitur. n. 6.
Servitus prædiorum, quid, & quotuplex? II. 3. n. 1. quomodo constituatur, & acquiratur? n. 3. & seqq. Quæ servitutes rusticæ, & urbanæ, & quomodo differant. num. 7. & seqq. quæ actiones pro servitutibus. n. 14.
Specificatio rerum. II. 1. n. 40.
Statuliberi. I. 3. n. 2.
Stipulatio. III. 16. n. 16. & seqq.

T

Thesauri inventio. II. 1. n. 51.
Traditio vera, ficta. II. 1. n. 52.
Tutela quid, & quotuplex? I. 13. n. 1.
Tutores testamentarii. I. 14. n. 1.
Legitimi. I. 15. n. 1. & seqq.
Attiliani. I. 20. n. 1. & seqq.
Tutorum auctoritas. I. 21. n. 1.
Modi, quibus tutela finitur. I. 23. n. 1.
Tutorum, & Curator. satisdatio. I. 24. n. 1. & seqq.
Tutelæ judicium. I. 25. n. 1.
Tutoris suspecti accusatio. I. 26. n. 1. & seqq.

V

Venatio an licita? II. 1. n. 26. & 32.
Usus, & quasi-usus. II. 5. n. 1. & seqq.
Ususfructus quid, & quotuplex. II. 4. n. 1. A quo, cui, quo modo, in quibus rebus constitui possit &c. ibid. n. 2. & seqq.
Usufructuarii obligationes, & cautio &c. n. 11. & seqq.

Cetera, quæ in hoc Præcursu tantum, leviter, & nominetenus attacta sunt, omitto in hoc indice; videri autem possunt in altero Indice juris Canonici.

SERIES CLXXXV. TITULORUM

Qui continentur in quinque Libris Decretalium Gregorii Papæ IX. quorum LXXVII. repetuntur in Sexto LII. in Clementinis XIV. in Extravagantibus Joannis XXII. & XXXV. in Communibus.

LIB. I.

	Lib. I. in Greg. Tit.	Lib. I. in Sexto Tit.	Lib. I. in Clementin. Tit.	In Extravagant. Joann. XXII. Tit.	Lib. I. in Extravagant. Comm. Tit.
DE Summa Trinitate, & Fide Catholica.	I	I	I		
De Constitutionibus.	II	II			
De Rescriptis.	III	III	II		
De Consuetudine.	IV	IV			I
De Postulatione Prælatorum.	V	V		I	II
De Electione, & Electi Potestate.	VI	VI	III		III
De Translatione Episcopi.	VII				
De Auctoritate, & usu Pallii.	VIII				IV
De Renunciatione.	IX	VII	IV		
De supplenda negligentia Prælatorum.	X	VIII	V		
De Temporibus Ordinationum, & qualitate Ordinandorum.	XI	IX			
De Scrutinio in Ordine faciendo.	XII				
De Ordinatis ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatui.	XIII				
De ætate, qualitate, & ordine Præficiendorum.	XIV	X	VI		
De Sacra Unctione.	XV				
De Sacramentis non iterandis.	XVI				
De Filiis Presbyterorum ordinandis, vel non.	XVII	XI			
De Servis non ordinandis, & eorum manumissione.	XVIII				
De Obligatis ad ratiocinia ordinandis, vel non.	XIX				
De corpore vitiatis ordinandis, vel non.	XX				
De Bigamis non ordinandis.	XXI	XII			
De Clericis Peregrinis.	XXII				
De Officio Archidiaconi.	XXIII				
De Officio Archipresbyteri.	XXIV				
De Officio Primicerii.	XXV				
De Officio Sacristæ.	XXVI				
De Officio Custodis.	XXVII				V
De Officio Vicarii.	XXVIII	XIII	VII		
De Officio, & potestate Judicis delegati.	XXIX	XIV	VIII		VI
De Officio Legati.	XXX	XV			
De Officio Judicis ordinarii.	XXXI	XVI	IX		VII
De Officio Judicis.	XXXII				
De Majoritate, & Obedientia.	XXXIII	XVII		II	VIII
De Tregua, & Pace.	XXXIV				IX
De Pactis.	XXXV	XVIII			
De Transactionibus.	XXXVI				
De Postulando.	XXXVII				
De Procuratoribus.	XXXVIII	XIX	X		
De Syndico.	XXXIX				
De iis, quæ vi, metusque causa fiunt.	XL	XX			
De in integrum restitutione.	XLI	XXI	XI		
De alienatione Judicii mutandi causa facta.	XLII				
De Arbitris.	XLIII	XXII			

LIB. II.

	Lib. II. in Greg. Tit.	Lib. II. in Sexto Tit.	Lib. II. in Clemen. Tit.	In Extravagant. Joann. XXII. Tit.	Lib. II. in Extravagant. Comm. Tit.
DE Judiciis.	I	I	I		I
De Foro competenti.	II	II	II		
De Libelli oblatione.	III				
De Mutuis Petitionibus.	IV				
De Litis contestatione.	V	III			
Ut Lite non contestata, non procedatur ad Testium receptionem.	VI				
De Juramento calumniæ.	VII	IV			
De Dilationibus.	VIII				
De Feriis.	IX				
De Ordine cognitionum.	X				
De plus-Petitionibus.	XI				
De Causa Possessionis, & Proprietatis.	XII		III		
De Restitutione Spoliatorum.	XIII	V			
De Dolo, & Contumacia.	XIV	VI	IV		
De eo, qui mittitur in possessionem causa rei servandæ.	XV	VII			III
Ut Lite pendente nihil innovetur.	XVI	VIII	V		
De sequestratione Possessionum, & fructuum.	XVII		VI		
De Confessis.	XVIII	IX			
De Probationibus.	XIX		VII		
De Testibus, & Attestationibus.	XX	X	VIII		
De Testibus cogendis, vel non.	XXI				

LIB. II.

	Lib. II. in Greg. Tit.	Lib. II. in Sexto. Tit.	Lib. II. in Clemen. Tit.	In Extravagant. Joann. XXII. Tit.	Lib. II. In Extravaganti Comm. Tit.
De fide Instrumentorum.	XXII				
De Præsumptionibus.	XXIII				
De Jurejurando.	XXIV	XI	IX		
De Exceptionibus.	XXV	XII	X		
De Præscriptionibus.	XXVI	XIII			
De sententia, & re judicata.	XXVII	XIV	XI		
De Appellationibus, & Recusationibus, & Relationibus.	XXVIII	XV	XII		
De Clericis Peregrinantibus.	XXIX				
De Confirmatione utili, vel inutili.	XXX				

LIB. III.

	Lib. III. in Greg. Tit.	Lib. III. in Sexto. Tit.	Lib. III. in Clemen. Tit.	In Extravagant. Joann. XXII. Tit.	Lib. III. In Extravagant. Comm. Tit.
De Vita, & honestate Clericorum.	I	I	I		I
De Cohabitatione Clericorum, & Mulierum.	II				
De Clericis conjugatis.	III	II			
De Clericis non residentibus in Ecclesia, vel Præbendis.	IV	III			
De Præbendis, & Dignitatibus.	V	IV	II	III	II
De Clerico ægrotante, vel debilitato.	VI	V			
De Institutionibus.	VII	VI			
De concessione Præbendæ, & Ecclesiæ non vacantis.	VIII	VII	III	IV	
Ne Sede vacante aliquid innovetur.	IX	VIII		V	III
De iis, quæ fiunt a Prælatis sine consensu Capituli.	X				
De iis, quæ fiunt a majori parte Capituli.	XI				
Ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur.	XII				
De rebus Ecclesiæ alienandis, vel non.	XIII	IX	IV		IV
De Precariis.	XIV				
De Commodato.	XV				
De Deposito.	XVI				
De Emptione, & Venditione.	XVII				V
De Locato, & Conducto.	XVIII				
De Rerum Permutatione.	XIX	X	V		
De Feudis.	XX				
De Pignoribus, & aliis Cautionibus.	XXI				
De Fidejussoribus.	XXII				
De Solutionibus.	XXIII				
De Donationibus.	XXIV				
De Peculio Clericorum.	XXV				
De Testamentis, & ultimis voluntatibus.	XXVI	XI	VI		
De Successione ab intestato.	XXVII				
De Sepulturis.	XXVIII	XII	VII		VI
De Parochiis, & alienis Parochianis.	XXIX				
De Decimis, Primitiis, & Oblationibus.	XXX	XIII	VIII		VII
De Regularibus, & transeuntibus ad Religionem.	XXXI	XIV	IX		VIII
De Conversione Conjugatorum.	XXXII				
De Conversione Infidelium.	XXXIII				
De Voto, & Voti redemptione.	XXXIV	XV		VI	
De Statu Monachorum, & Canonicorum Regularium.	XXXV	XVI	X		
De Religiosis Domibus, ut Episcopo sint subjectæ.	XXXVI	XVII	XI	VII	IX
De Capellis Monachorum, & aliorum Religiosorum.	XXXVII	XVIII			
De Jure Patronatus.	XXVIII	XIX	XII		
De Censibus, Exactionibus, & Procurationibus.	XXXIX	XX	XIII		X
De Consecratione Ecclesiæ, vel Altaris.	XL	XXI			
De Celebratione Missarum, & Sacramento Eucharistiæ, & divinis Officiis.	XLI		XIV		XI
De Baptismo, & ejus effectu.	XLII		XV		
De Presbytero non baptizato.	XLIII				
De Custodia Eucharistiæ, Chrismatis, & aliorum Sacramentorum.	XLIV				
De Reliquiis, & veneratione Sanctorum.	XLV	XXII	XVI		XII
De Observatione Jejuniorum.	XLVI				
De Purificatione post Partum.	XLVII				
De Ecclesiis ædificandis, vel reparandis.	XLVIII				
De Immunitate Ecclesiarum, Cœmeteriorum, & rerum ad ea pertinentium.	XLIX	XXIII	XVII		XIII
Ne Clerici, vel Monachi sæcularibus negotiis se immisceant.	L	XXIV			

LIB. IV.

	Lib. IV. in Greg. Tit.	Lib. IV. in Sexto Tit.	Lib. IV. in Clemen. Tit.	In Extravagan. Joann. XXII. Tit.	Lib. IV. In Extravagant. Comm. Tit.
De Sponsalibus, & Matrimoniis.	I	I			
De Desponsatione Impuberum.	II	II			
De Clandestina desponsatione.	III				
De Sponsa duorum.	IV				
De conditionibus appositis in desponsatione, vel aliis contractibus.	V				

LIB. IV.

	Lib. IV. in Greg. Tit.	Lib. IV. in Sexto Tit.	Lib. IV. in Clemen. Tit.	In Extravagant. Joann. XXII. Tit.	Lib. IV. in Extravagant. Comm. Tit.
Qui Clerici, vel voventes Matrimonium contrahere possint.	VI				
De eo, qui duxit in Matrimonium, quam polluit per adulterium.	VII				
De conjugio Leprosorum.	VIII				
De Conjugio Servorum.	IX				
De Natis ex libero ventre.	X				
De cognatione Spirituali.	XI	III			
De cognatione Legali.	XII				
De eo, qui cognovit consanguineam uxoris suæ, vel sponsæ.	XIII				
De Consanguinitate, & Affinitate.	XIV		I		
De Frigidis, & maleficiatis, & impotentia coeundi.	XV				
De Matrimonio contracto contra Interdictum Ecclesiæ.	XVI				
Qui Filii sint legitimi.	XVII				
Qui Matrimonium accusare possunt, vel contra illud testicari.	XVIII				
De Divortiis.	XIX				
De donationibus inter virum, & uxorem, & de dote post divortium restituenda.	XX				
De secundis Nuptiis.	XXI				

LIB. V.

	Lib. V. in Greg. Tit.	Lib. V. in Sexto Tit.	Lib. V. in Clemen. Tit.	In Extravagant. Joann. XXII. Tit.	Lib. V. in Extravagant. Comm. Tit.
De Accusationibus, Inquisitionibus, & Denunciationibus.	I	I			
De Calumniatoribus.	II				
De Simonia, & ne aliquid pro spirituali exigatur, vel promittatur.	III				I
Ne Prælati vices suas, vel Ecclesias sub annuo censu concedant.	IV				
De Magistris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi.	V	I			
De Judæis, Saracenis, & eorum servis.	VI		II	VIII	II
De Hæreticis.	VII	II	III		III
De Schismaticis, & ordinatis ab eis.	VIII	III			IV
De Apostatis, & reiterantibus Baptisma.	IX				
De iis, qui filios occiderunt.	X				
De Infantibus, & languidis expositis.	XI				
De Homicidio voluntario, vel casuali.	XII	IV	IV		
De Torneamentis.	XIII			IX	
De Clericis pugnantibus in Duello.	XIV				
De Sagittariis.	XV				
De Adulteriis, & Stupro.	XVI				
De Raptoribus, Incendiariis, & Violatoribus Ecclesiarum.	XVII				
De Furtis.	XVIII				V
De Usuris.	XIX	V	V		VI
De Crimine falsi.	XX			X	
De Sortilegiis.	XXI				
De Collusione detegenda.	XXII				
De delictis Puerorum.	XXIII				
De Clerico Venatore.	XXIV				
De Clerico percussore.	XXV				
De Maledicis.	XXVI				
De Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante.	XXVII				
De Clerico non ordinato ministrante.	XXVIII				
De Clerico per saltum promoto.	XXIX				
De eo, qui furtive Ordinem suscepit.	XXX				
De Excessibus Prælatorum, & Subditorum.	XXXI	VI	VI		
De Novi operis nuntiatione.	XXXII				
De Privilegiis, & excessibus Privilegiatorum.	XXXIII	VII	VII	XI	VII
De Purgatione Canonica.	XXXIV				
De Purgatione Vulgari.	XXXV				
De injuriis, & damno dato.	XXXVI	VIII			
De Poenis.	XXXVII	IX	VIII	XII	VIII
De Poenitentiis, & Remissionibus.	XXXVIII	X	IX		IX
De Sententiis Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti.	XXXIX	XI	X	XIII	X
De Verborum significatione.	XL	XII	XI	XIV	
De Regulis Juris.	XLI	XIII			

SUMMARIA

Capitulorum MMDXXIX. in præexaratis Titulis contentorum, utilibus notis inſperſa,

Ex quibus non modo quamplurium Decretalium conciliationes, ſed etiam earumdem correctiones & reſpective ampliationes factæ tum a poſterioribus Decretalibus, tum a Sacr. Concilio Tridentino, & Apoſtolicis Conſtitutionibus, innoteſcunt.

IN LIBRO PRIMO GREGORII PAPÆ IX. Continentur Tituli XLIII.

De Summa Trinitate, & Fide Catholica.

TITULUS I. *Continens II. CAPITULA.*

Cap. I. F*irmiter* (1) De Trinitate, & ipſius Operibus, de Fide, & Articulis Fidei.

Cap. II. *Damnamus.* (2) Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus vera unione, non collectiva, ſeu ſimilitudinaria, ſunt una eſſentia, ſubſtantia, ſeu natura, quæ ſubſtantia non eſt generans, nec genita, nec procedens, quia illi actus non attribuuntur ſubſtantiæ, ſed Perſonis: Nec per hoc in Trinitate concluditur Quaternitas, Contrarium ſentientes, ut Hæretici ſunt cenſendi; niſi ab errore reſipiſcant, & correctioni Sedis Apoſtolicæ ſe ſupponant.

IN SEXTO *Lib. I. ſub eodem Titulo.*

Cap. Unicum. *Fidei.* (3) Spiritus Sanctus æternaliter a Patre, & Filio tanquam ab uno principio, & unica ſpiratione procedit.

IN CLEMENTINIS *Lib. I. ſub eodem Titulo.*

Cap. Unicum. *Fidei.* (4) Fatetur Concilium unicum Dei filium in eſſentia Dei æternaliter ſubſiſtentem, verum corpus humanum aſſumpſiſſe de Virgine, & in eo paſſum, & jam mortuum, lancea perforatum; approbans in hoc ordinem quem tradidit Evangeliſta Joannes.

Reprobat, & hæreticam judicat doctrinam, quæ habet, quod ſubſtantia animæ rationalis, ſeu intellectivæ vere, & per ſe humani corporis non ſit forma.

Aſſerens confitendum unum Baptiſma, ſicut unum Deum, & unam Fidem: approbat opinionem; quæ habet per illud conferri etiam parvulis, quoad habitum, informantem gratiam, & virtutes.

☞ *Qui teneantur ad Fidei profeſſionem, & quam pœnam incurrant eam omittentes, vide meas Additiones Lib. I. hoc eod. tit. poſt n. 4.*

DE CONSTITUTIONIBUS.

TITULUS II. *Continens XIII. Capitula.*

Cap. I. *Canonum ſtatuta.* (5) Juris Canonici ſtatuta omnes ligant, & eorum ritu tam in pronunciando, quam in decidendo judicia ſunt regulanda.

Cap. II. *Cognoſcentes.* (6) Conſtitutio reſpicit futura, & non præterita.

☞ *Concordat cap. 13. infra.*

Cap. III. *Translato.* (7) Præcepta legis veteris translato Sacerdotio hodie non obligant. Poteſtas legem condendi, & mutandi eſt penes Vicarium Chriſti: & quod de uno connexorum ſtatuitur, ad aliud connexum extenditur.

Cap. IV. *Nam concupiſcentiam.* (8) Omne prohibitum a lege peccatum eſt, & omne illud, quod ſequitur ex eodem.

Cap. V. *Ne innitaris.* (9) Conſtitutiones Decretorum ſingularibus ſunt opinionibus præferendæ.

Cap. VI. *Cum omnes.* (10) Non valet Conſtitutio Collegii in damnum aliquorum, & commodum aliorum, ceſſante rationabili cauſa.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. I.*

Vel ſic - Abſque rationabili cauſa non poteſt major pars Capituli tollere conſuetudinem, utilitatem privatam nutriendo.

Cap. VII. *Quæ.* (11) Conſtitutio Laicorum Eccleſiam, ſeu ejus bona non adſtringit.

Cap. VIII. *Cum acceſſiſſent.* (12) Dignitas ſublata de Eccleſia per ſtatutum Capituli confirmatum per Papam, ulterius non cenſetur vacare, niſi per contrarium actum ſtatutum fuerit revocatum.

Cap. IX. *Cum M.* (13) Non obſtante certo Canonicorum numero, etiam per Papam confirmato, providendum eſt receptis ultra numerum de ſuperexcreſcentibus fructibus, maxime ſi voluntarie per Canonicos fuerint recepti.

☞ *Quomodo creari poſſint Canonici ſupranumerarii, vide Fagn. hoc eod. c. n. 6.*

Cap. X. *Eccleſia.* (14) Statutum generale Laicorum ad Eccleſias, vel Eccleſiaſticas perſonas, vel earum bona in earum præjudicium non extenditur; nec ſpeciale, etiamſi earum commodum, & favorem concernat.

Cap. XI. *Ex litteris* (15) Pœna ſimpliciter appoſita propter contumaciam, in dubio intelligitur temporalis, & non perpetua.

Cap. XII. *Ex parte.* (16) Non poſſunt Canonici ſine cauſa reſtringere numerum Canonicorum, ſeu Præbendarum.

☞ *Vide moderationem Elencho* II. *n.* III.

Cap. XIII. *Quoniam.* (17) Conſtitutio futura reſpicit, & non præterita, niſi in eadem de præteritis caveatur.

☞ *Quoad primam partem concordat cap. Cognoſcentes 2. ſupra.*

IN SEXTO *Lib. I. ſub eodem Titulo continente duo Capitula.*

Cap. I. *Licet.* (18) Nova Conſtitutio Principis tollit primam contrariam, quamvis id non exprimat. Speciales conſuetudines, & ſtatuta rationabilia non tollit, niſi id exprimat.

Cap. II. *Ut animarum.* (19) Statuta Ordinariorum non ligant probabiliter ignorantes. Statutum Epiſcopi extra ſuam Diœceſim ſubditum non ligat.

☞ *Prima pars loquitur de ſententiis latis ſub pœna cenſura, qua non ligantur ignorantes, dummodo ignorantia non ſit craſſa, vel ſupina, ut in textu-Secunda pars declarat cap. A Nobis 21. de ſentent. excom.*

DE RESCRIPTIS.

TITULUS III. *Continens XLIII. Capitula.*

Cap. I. *Sicut.* (20) Privilegio generali ſecundum jus commune obtento obſtat reſcriptum ſpeciale, etiam de eo mentionem non faciens.

Cap. II. *Ex parte.* (21) In reſcripto Apoſtolico ſubintelligitur clauſula - *Si preces veritate nitantur* - Etſi reſcriptum prohibet cauſæ cognitionem, eſt de falſitate ſuſpectum.

☞ *Vide correctionem Elencho I. n. I.*

Cap. III. *Cæterum.* (22) Si in ſecundo reſcripto per adver-

(1) *Innoc. III. in Conc. Gen. Lateran. IV.*
(2) *Idem ibid.* (3) *Greg. X. in Conc. Gen. Lugdun.*
(4) *Clem. V. in Conc. Vien.* (5) *Ex Conc. Melden.*
(6) *Greg. in Regeſt. lib. 7. Epiſt. 35. ad Fortunat. Epiſc. Neapolit.*
(7) *Auguſt. in Epiſt. ad Hebr. cap. 7.*
(8) *Idem Epiſt. ad Roman. c. 7.*
(9) *Hieron. in Parab. cap. 3.*
(10) *Innoc. III. Senonen. Archiep. & Epiſc. Trecen.*
(11) *Idem Epiſc. Ceneten.* (12) *Idem.*
(13) *Idem Clugien. Epiſc.* (14) *Idem Ab., & Conventui S. Silveſtri.* (15) *Idem univer. Doctoribus Pariſiis commorant*
(16) *Honor. III. Epiſc. & Cantori Cabiſonen.*
(17) *Greg. IX. Archipresbyt. S. Mariæ Majoris de Urbe.*
(18) *Bonif. VIII.* (19) *Idem.*
(20) *Alex. III. Senonen. Archiep.* (21) *Idem Cantuarienſi Archiepiſ.* (22) *Idem Nuintonen. Epiſc.*

versarium impetrato non fiat mentio de primo, valet primum, & non secundum; alias valet secundum: & si primum fuit impetratum communi consensu Partium, non valet secundum impetratum per alteram partem, hoc tacito.

☞ *Hodie ex Regula 18. Cancellariæ de jure quæsito non tollendo non sufficit, ut in secundo rescripto fiat mentio de primo cum illius qualitatibus, sed ulterius requiritur, ut nominatim eidem Regulæ derogetur.*

Cap. IV. *Inter.* (1) Si Papa mandat in rescripto de duobus inquiri alternative ad certum effectum consequendum, sufficit alterum probari.

Cap. V. *Si quando.* (2) Is, ad quem rescriptum Papæ dirigitur, debet illi parere, vel causam rationabilem assignare, quare parere non potest.

☞ *Prælati impedientes exequutionem Rescripti Papæ, privantur jurisdictione per tres menses ex Constit. Martini V.* - Quod antidota - *Alii vero incurrunt excommunicationem & interdictum ex Constit. Alexandri VII.* - Romanus - *Et ex Constit. Leonis X.* - In supremo - *declarantur nulla quæcumque acta contra exequutionem ejusdem Rescripti. Lata est etiam excommunicatio in Bulla Cœnæ c. 26.*

Cap. VI. *Cum ordinem.* (3) Cistercienses sunt privilegiati, quod non possunt conveniri per rescriptum Papæ, nisi in eo fiat mentio de eorum Ordine.

Cap. VII. *Eam te.* (4) Si Sede vacante scribitur Capitulo, ut gerenti vices Episcopi, ut præbendam alicui conferat, si creatur Episcopus, nondum exequuto mandato, & ad eum spectet collatio Præbendarum, illud adimplere tenetur.

☞ *Cum hæc Decretal. sit valde involuta, vide Fagnan. hoc eod. c. & correctionem Elencho II. n. IV.*

Cap. VIII. *Ad aures.* (5) Non valet rescriptum impetratum ad beneficia, si in eo tacetur dignitas impetrantis.

Cap. IX. *Si autem.* (6) Valet secundum rescriptum impetratum ab adversario, licet non faciat mentionem de primo, si primus impetrans dolo, vel negligentia non fuit usus illo.

Cap. X. *Ad hæc.* (7) Non valent rescripta per quæ incerti Judices dantur, vel futura negotia committuntur.

Cap. XI. *Ad audientiam.* (8) Falsa latinitas vitiat rescriptum Papæ.

Cap. XII. *Ex parte.* (9) Contra secundum rescriptum non potest opponi de taciturnitate primi impetrati per appellantem, de sua appellatione non habita mentione.

Cap. XIII. *Sciscitatus.* (10) Rescriptum, quo scribitur pluribus cum clausula *quod si non omnes &c.* intelligitur tam de impotentia facti, quam Juris.

Cap. XIV. *Pastoralis.* (11) In quæstione revocationis rescriptorum recurritur ad Arbitros, si Judices in cognitionem sibi non deferant, nec invicem concordent.

Per generalem clausulam positam in rescripto, Delegatus ante expressionem personarum, vel rerum, jurisdictionem habet in habitu, & non in actu. Et speciales litteræ derogant litteris generalibus super non specificatis in eis, quamquam de illis nullam faciant mentionem.

Cap. XV. *Sedes.* (12) Per generalem clausulam - *Quidem alii, & res aliæ* - multitudo effrænata non includitur, nec personæ, nec res majores expressis, sed pares, vel minores.

Cap. XVI. *Ex tenore.* (13) Qui contra unum super eodem ad diversos Judices diversa rescripta impetrat, & eis utitur, perdit commodum utriusque.

Cap. XVII. *Cum adeo.* (14) Non valet rescriptum ad beneficium impetratum, de beneficio impetrantis non faciens mentionem.

Cap. XVIII. *Causam.* (15) Ordo rescripti interpretationem recipit a jure communi.

☞ *Sed quando agitur de jure quæsito non tollendo, attendenda est Regula 18. Cancellariæ juxta notata cap. 3. supra.*

Cap. XIX. *Constitutus.* (16) Non valet impetratio in Ecclesia numerata, non facta de numero mentione, si per eam frangitur numerus Canonicorum, licet non frangatur numerus Præbendarum; & processus inde factus est nullus.

Cap. XX. *Super.* (17) Exprimens falsum vel tacens, verum in rescripto, si malitiose, caret prorsus impetratis; sed si per simplicitatem, vel ignorantiam, aut obtinuisset vero expresso, & suppresso falso, saltem litteras in forma communi, Delegatus procedat servato juris ordine, & non speciali forma rescripti: secus si nullo modo litteras habuisset.

☞ *Vide explanationem in Auctore hoc eod. tit. n. 11.*

Cap. XXI. *Edoceri.* (18) In causa Monasterii convenitur Abbas per rescriptum, in quo nulla fit mentio de Conventu, nec propter hoc appellari potest, nisi Abbatis, & Conventus bona essent distincta omnino.

☞ *Circa Monasteria commendata, in quibus bona sunt distincta, vide Constit. Gregorii XIII.* Suprema §. 9. & *an Commendatarii possint se immiscere in concernentibus regularia Instituta, vide Constit. Innoc. X.* Pastoralis.

Cap. XXII. *Cum dilecta.* (19) Processus factus per litteras subreptitias irritatur, sed factus contra formam rescripti irritus nuntiatur.

Cap. XXIII. *Plerumque.* (20) Valet secundum rescriptum, licet de primo non faciat mentionem, quo uti noluit impetrans intra annum.

Cap. XXIV. *Cum contingat.* (21) Si a Delegato aliquid mandatur Ordinario, debet humiliter exequi. Sed si alius Delegatus per alias litteras post exequutionem mandat contrarium, vel si ante exequutionem innotuerit Ordinario, inter Delegatum, qui mandavit, & alium contentionem esse de jurisdictione, faciat sibi utrarumque litterarum copiam exhiberi, non ut jurisdictionaliter cognoscat, sed ut se informet, an per secundas revocentur primæ. Et si primæ revocentur, exequatur secundum mandatum. Si autem non revocentur, vel de hoc dubitet, non exequatur secundum mandatum, donec contentio de jurisdictione terminetur.

Cap. XXV. *Olim.* (22) Quando in rescripto plura narrantur diversos effectus operantia, non sufficit impetranti alterum solum probare ad utrumque effectum consequendum.

Cap. XXVI. *Dilectus.* (23) Non valet rescriptum super restitutione beneficii impetratum, quod de causa excommunicationis, & amotionis impetrantis non facit mentionem.

Cap. XXVII. *Postulasti.* (24) Per litteras justitiæ non tenetur Episcopus providere habenti perpetuam Vicariam, vel sufficiens patrimonium. Nec valent litteræ gratiæ ad beneficium obtinendum, in quibus impetrans tacuit perpetuam Vicariam.

Cap. XXVIII. *Nonnulli.* (25) Per litteras Apostolicas de hac Constitutione mentionem non facientes non potest quis trahi ultra duas dietas extra suam Diœcesim, nisi de consensu Partium litteræ fuerint impetratæ.

☞ *Vide correctionem Elencho I. n. II.*

Non valent litteræ ad lites impetratæ sine speciali mandato Domini, nisi impetrentur per conjunctam personam.

Cap. XXIX. *Dilectus.* (26) Si occasione duorum rescriptorum, unius scilicet in causa principali, alterius in causa appellationis contenditur; non Judex super principali, sed Deputatus super appellatione cognoscere debet de validitate appellationis.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. V.*

Cap. XXX. *Capitulum,* (27) Si plures impetrant in eadem Ecclesia, statur datæ, ut primus impetrans præferatur, & solus admittatur.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. VI.*

Cap. XXXI. *Ad audientiam.* (28) Si habens litteras Papæ ad beneficium, eis propter annuam pensionem renuntiat, non valent litteræ beneficiales per eum, hoc tacito, impetratæ. *Idest tacito de hujusmodi renunciatione.*

Cap. XXXII. *In nostra.* (29) Receptus per litteras Apostolicas, licet præbendam expectet per alias litteras hoc supprimentes, in alia Ecclesia recipi non debet.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. VII.*

Cap. XXXIII. *Ex parte.* (30) Non valet rescriptum, quod Procurator revocatus, & de hoc certificatus extra judicium impetravit: secus tamen si in judicio; dummodo revocatio ad notitiam adversarii, vel Judicis non pervenerit.

Cap.

(1) *Idem Eboracen. Archiep.*
(2) *Idem Ravennati Archiep.*
(3) *Alex. III. Fratrib. & Abb. Monast. Cistercien. de Cumir.*
(4) *Idem Tornacen. Episc.*
(5) *Lucius III. Episc. Linconien.*
(6) *Idem Norvicen. Episc.*
(7) *Idem.* (8) *Idem.* (9) *Clem. III.*
(10) *Cælest. III.* (11) *Innoc. III. Elien. Episc.*
(12) *Idem Senonen. Archiep.*
(13) *Idem R. Cantori & R. Priori de Monte Leprofor. & L. de Sagio Canon. Rhotomag.* (14) *Idem Mediolan. Archiep.*
(15) *Idem electo Decano, & N. Canon. Cameracen.*
(16) *Idem Archiep. Senonen.*
(17) *Innoc. III. A. Canonico S. Hilarii Pictavien.*
(18) *Idem Abbati, & Conventui Præmonstraten.*
(19) *Idem Archiep. & Magistro V.V. Canon. Magdeburgen.*
(20) *Idem.* (21) *Idem Rotomagen. Archiep.*
(22) *Idem G. de Vallibus, & Magist. G., & P. de Firmis. Canon. Lundunens.* (23) *Idem Episc. Imolen.*
(24) *Idem Episc. Uratismen.*
(25) *Idem in Conc. gener.*
(26) *Honor. III. Cantuar. Archiep.*
(27) *Idem Episc. & Archidiac. Legion.*
(28) *Idem Bituricen. Archiep. Apost. Sed. Legat.*
(29) *Greg. IX. Mediol. Archiep.*
(30) *Idem Episc. Silvanectcn., & Abb. Caroli loci.*

Cap. XXXIV. *Significante*. (1) Rescriptum impetratum contra hominem alicujus Diœcesis, non extenditur ad hominem ejusdem nominis alterius Diœcesis.

Cap. XXXV. *Rodulphus*. (2) Per rescriptum impetratum contra homines Diœcesis, non possunt conveniri homines Civitatis.

Cap. XXXVI. *Significavit*. (3) Si conveniendus per clausulam. *Moriatur re integra*, successor conveniri non potest.

Cap. XXXVII. *Ex insinuatione*. (4) Non valent litteræ executoriæ, in quibus impetrans falso dixit monitorias præcessisse.

Cap. XXXVIII. *Mandatum*. (5) Cessantibus clausulis, in dubio Papa non intendit gravare eumdem collatorem super provisione duorum; ideo secundus impetrans repellitur, sive primus expectet, sive sit jam gratiam consecutus.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. VIII.*

Cap. XXXIX. *Litteris*. (6) Ecclesia, in qua Papa primus dedit monitorias, & secundus (*intellige Papa successor*) executorias; per primum, non per secundum intelligitur gravata.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. IX.*

Cap. XL. *Abbatem*. (7) Diœcesanus, cui scribitur, ut in Diœcesi sua, ubi pro alio scriptum non est, provideat, vel faciat provideri, non potest id exequi circa beneficium spectans ad collationem alterius jam pro alio gravati.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. X.*

Cap. XLI. *Ab excommunicato*. (8) Per rescriptum directum Excommunicatori, ut absolvat excommunicatum, si contra Concilium eum excommunicavit, datis executoribus, qui eo non parente exequantur, non Excommunicatori, sed executoribus cognitio demandatur.

Cap. XLII. *Si proponente*. (9) Si impetrans rescriptum ad beneficium, dixit se non beneficiatum, cum tamen haberet beneficium, licet exiguum, non valet rescriptum.

Cap. XLIII. *Quia nonnulli*. (10) Abutentes rescripto Apostolico in sequentibus casibus privantur commodo rescripti, & condemnantur in sumptibus, & damnis adversario.

☞ *1. Si quis rescriptum nomine suo obtentum alteri ejusdem nominis tradit. 2. Si vi rescripti obtenti trahit ad judicium illum, contra quem nullam habet quæstionem. 3. Si rescriptum extendit ad negotia tempore obtenti rescripti nondum exorta. 4. Si trahit reum ad diversos Judices super uno negotio. 5. Si super pluribus personalibus actionibus coram diversis Delegatis trahit eumdem reum. 6. Si reus eodem tempore trahit actorem ad diversa loca, vel indeterminate ad locum habentem commune nomen cum pluribus aliis.*

☞ *Vide ampliationem infra cap. Dispendiosa 3.*

IN SESTO *Lib. I. sub eodem Titulo, continente XV. Capitula.*

Cap. I. *Ipso jure*. (11) Rescriptum impetratum ab excommunicato est ipso jure nullum, & inde sequtum, nisi impetratum fuerit super articulo excommunicationis, vel appellationis.

Cap. II. *Cum in multis*. (12) Per clausulam *Quidam alii* possunt soli quatuor conveniri, quorum nomina in primo citatorio exprimantur, ne variationi sit locus.

☞ *Intellige, quando delegatur inquisitio ad preces illius, qui passus est injuriam ab aliqua persona nominatim expressa, & ab aliis, sed nominatim non expressis.*

Hoc Cap. ampliavit c. Quia nonnull. 43. supra, quoad nullitatem processus, & quoad reum favere actoris, ut Glos. verb. Ampliantes.

Cap. III. *Dispendia*. (13) Si actor contra reum super pluribus actionibus personalibus litteras impetrat ad diversos, non valent litteræ, nec processus earum, & reo condemnabitur in expensis: & idem in reo conveniente, vel reconveniente actorem, eodem durante judicio.

☞ *Secus in realibus, pro quibus impetrari possunt litteræ ad diversos Judices, si res sunt ad invicem remotæ: sed circa hoc hodie attendendum est cap. Statutum 11. infra, quando reus trahendus est ultra unam dietam.*

Cap. IV. *Cum aliquibus*. (14) Receptus per litteras facultatis, si ad recipientes spectabat receptio, ipsorum, & non Papæ auctoritate intelligitur esse receptus: nisi in litteris aliud esset expressum. Si autem receptio non spectabat ad eos, tunc Apostolica auctoritate dicitur receptus.

Cap. V. *Si gratiose*. (15) Rescriptum papale, quod concedit promoto retentionem primorum beneficiorum usque ad beneplacitum Papæ, extinguitur mortuo Papa: secus si ibi dicatur, usque ad beneplacitum Apostolicæ Sedis: nec intelligitur tale rescriptum de beneficiis prius non canonice detentis.

Cap. VI. *Susceptum*. (16) Vacatio per mortem, & vacatio per renunciationem sunt diversæ, & ideo in litteris ad beneficia impetratis, uno expresso, non venit reliquum.

Cap. VII. *Gratia*. (17) Licet ignorans beneficium sibi collatum, in impetratione alterius illius mentionem non fecerit, valent litteræ, alterum tamen eliget, si de jure simul teneri non possint.

Cap. VIII. *Quamvis*. (18) Si restituatur quis ad gratiam revocatam, sine alterius præjudicio intelligitur restitutus, unde alteri ante restitutionem impetranti præferri non debet.

Cap. IX. *Si eo tempore*. (19) In litteris ad beneficia impetratis inspicitur tempus datæ, unde per illas beneficium curatum obtinere non poterit, qui licet nunc sit major ætate, tamen tempore, quo beneficium curatum vacavit, minor erat.

☞ *Vide notata supra Cap. Capitulum 30. in Greg.*

Cap. X. *Si propter*. (20) Gratia generalis non præjudicat speciali, & debet facere mentionem de præcedenti privilegio, consuetudine, vel statuto.

Cap. XI. *Statutum*. (21) Causæ ab Apostolica Sede, vel ejus Legato committi debent Dignitatem obtinentibus, vel Canonicatum Ecclesiæ Cathedralis: nec tractari debent, nisi in Civitatibus, vel locis insignibus.

☞ *Vide ampliationem Elencho III. n. I. & innovationem Elencho IV. n. I. ac notata Elencho VI. n. CXI.*

Actore, & reo ejusdem Diœcesis existentibus, causa committi non debet extra illam, nisi in sex casibus, in quibus tamen reus non trahetur ultra unam dietam; & nisi in duobus ultimis casibus impetrans per juramentum fidem fecerit de illis, repelletur a Judice, & in expensis condemnabitur.

☞ *Casus sunt. 1. Quando actio dirigenda est ab Episcopo contra aliquem de sua Diœcesi. 2. vel ab aliquo contra eumdem Episcopum. 3. vel contra ejus Capitulum. 4. vel contra Universitatem Civitatis, Villæ, vel Castri. 5. Si actor non audeat Civitatem, vel Diœcesim intrare. 6. Si hic adversarii potentiam probabiliter perhorrescens eum secure nequeat intra Diœcesim convenire.*

Actor contra reum diversæ Diœcesis debet impetrare Delegatum, vel in Diœcesi rei, vel in alia non propria, nec ultra unam dietam distante.

Delegatus extra locum commissionis, nec Partes citare, nec causam cognoscere potest sine expresso Partium consensu, nec subdelegare locis, vel personis aliis, quam supra expressis.

Delegatus nihil debet a Partibus recipere, nisi exculentum, & poculentum libere oblatum, quod paucis possit consumi diebus, vel moderatas expensas, si non sint pauperes, quando pro necessitate, vel utilitate non malitiose extra domicilium pergeret.

☞ *Quamvis textus loquatur de Delegato Papæ, procedit tamen etiam in Delegatis Ordinariorum Cap. Cum ab omni 10. de vit. & honest. Cleric.*

Delegatus, nisi indigeat, non assumat Assessorem, alias de suo illi provideat. Si eget, non suspectum Partibus assumet, cum moderato salario a Partibus solvendo.

Delegatus taxare debet salarium Notariorum, nec participare debet cum ipsis, vel Assessoribus in salario.

Delegatus recipiens aliquid contra prohibitionem hujus capituli tenetur restituere, non obstante dantis remissione.

Delegatus non debet vocare testes, nisi statu causæ requirente, & producens illis administrare debet expensas in veniendo, stando, & redeundo.

Gesta contra hanc Decretalem sunt ipso jure nulla.

Cap. XII. *Tibi*. (22) Sola præventa præsentatio, & receptio in Canonicum secundi impetrantis in eadem Ecclesia, non excludit primum impetrantem a præbenda vacante tempore suæ receptionis, vel post a vacante ante suam receptionem, vel præsentationem; & hoc si per processum exequtionis, vel interpositionem decreti pro primo impetrante affecta extiterat, nisi dolo, vel negligentia excluderetur ab eadem.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. XI.*

Cap.

(1) *Idem Decan., & Magistr. G. Canon Leodicen.*
(2) *Idem Priori S. Laudinen. & Succentori Rhotomagen.*
(3) *Idem Ab. S. Jacobi.*
(4) *Idem Abbati S. Victor.*
(5) *Idem Noviom. Episc.*
(6) *Idem.* (7) *Idem.*
(8) *Idem.* (9) *Idem.* (10) *Idem Episc. Parisien.*
(11) *Idem.* (12) *Innoc. IV. in Conc. Lugdunen. an. 1245. in Gallia.* (13) *Idem in eodem.*
(14) *Bonifac. VIII.*

(15) *Idem.* (16) *Idem.*
(17) *Idem.* (18) *Idem.*
(19) *Idem.* (20) *Idem.*
(21) *Idem.* (22) *Idem.*

Cap. XIII. *Si pro te*. (1) Si primo sub conditione provideri mandatur, & secundus pure impetrans, prius quam venit conditio a Papa, vel exequtore suo canonicatum obtineat in assequtione præbendæ, primo præfertur.

☞ *Vide correctionem ut supra.*

Cap. XIV. (2) Statuit quomodo procedendum sit, quando inter duos impetrantes eadem die litteras super provisione simili eis facienda non apparet prioritas impetrationis.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. XII.*

Cap. XV. *Quia*. (3) Omnes indulgentiæ concessæ a Bonifacio, vel suis Prædecessoribus, Clericis de percipiendis perpetuo fructibus suorum beneficiorum in absentia, sunt revocatæ, & profitetur Papa, se illas in posterum non daturum.

IN CLEMENTINIS *Lib. I. sub eodem Titulo & ibi tit.II. continente V. Capitula.*

Cap. I. *Abbates*. (4) Major Prælatus pro prioratibus, aliisque locis sibi subjectis, etiam si sint de mensa, reum convenire non potest per rescriptum Apostolicum, nisi, ubi possent Administratores membrorum. Contrafaciens in expensis, & interesse punitur, & processus est irritus.

Cap. II. *Etsi*. (5) Principalis Officialis Episcopi, & Prior conventualis, licet obedientiarius, delegari possunt a Papa. Officialis vero foraneus, vel Prior claustralis, non.

☞ *Vide ampliationem Elencho III. n. II.*

Cap. III. *Auditor*. (6) Auditor in Romana Curia deputatus a Papa, de beneficio, quod pronunciabit alicui de jure fore debitum, poterit sibi absque commissione alia, ut evitetur circuitus, providere.

Cap. IV. *Gratia*. (7) Expectans beneficium, perdit gratiam, si consequitur aliud, quod cum illo, quod expectat, de jure tenere non potest.

☞ *Vide correctionem ut supra Cap. Tibi 12.*

Cap. V. *Litteras*. (8) Gratia super vacaturo non comprehendit beneficium post datam in substantia creatum.

☞ *Vide correctionem Elencho II. a n. VI. ad XII. circa mandata de providendo beneficia vacatura.*

TITULUS IV. *De Consuetudine continens XI. Capitula.*

Cap. I. *Consuetudines*. (9) Consuetudo inferens gravamen Ecclesiis, debet Judicis officio tolli.

☞ *Circa qualitatem gravaminis, quæ remittitur Judicis arbitrio dijudicanda, attendenda est Constit. Urbani VIII.* Romanus Pontifex 5. Jan. 1641. *sicut, & in quibuscumque consuetudinibus Ecclesiæ præjudicialibus.*

Cap. II. *Ex litteris*. (10) Ex consuetudine potest induci actus, sive solemnitas, per quam sine apprehensione reali transfertur possessio rei absentis.

Cap. III. *Ad nostram*. (11) Non valet consuetudo, ut in causis ecclesiasticis dictum populi pro sententia teneatur.

Cap. IV. *Quanto*. (12) Consuetudo non potest operari, ut Clericus non Episcopus possit exercere ea, quæ sunt reservata Ordini Episcopali.

☞ *Vide ampliationem Elencho III. n. III.*

Cap. V. *Cum inter*. (13) Non valet consuetudo, per quam interdicti sententia violatur.

Cap. VI. *Cum olim*. (14) In attribuendis officiis novæ dignitati servatur consuetudo vicinarum Civitatum, quæ si diversa fuerit, servabitur magis rationabilis, & alii non præjudicans.

Cap. VII. *Cum venerabilis*. (15) Non potest induci ex consuetudine, ut quis possit dimittere dignitatem sine Superioris licentia, vel ut possit electus administrare, non habita confirmatione a Superiore.

Cap. VIII. *Cum dilectus*. (16) De consuetudine potest induci, quod una Ecclesia de gremio alterius teneatur sibi Prælatum eligere. Et consuetudo est optima legum interpres.

☞ *Ex Clement. I. de Elect. & cap. Abbate de Verbor. signific. Monachus diversæ Religionis, vel habitus nequit eligi in Abbatem alterius Religionis, & quidem sub pœna nullitatis.*

Cap. IX. *Cum consuetudinis*. (17) Capitulum sine Episcopo statuta, seu consuetudines novas facere, vel antiquas immutare non potest.

Cap. X. *Ex parte*. (18) Non valet consuetudo, per quam quis inducitur ad peccandum, vel bona propria dissipandum.

Cap. XI. *Cum tanto*. (19) Consuetudo non derogat juri naturali, seu Divino, cujus transgressio peccatum inducit; nec positivo, nisi sit rationabilis, & præscripta.

IN SEXTO *Lib. I. sub eodem Titulo, continente IV. Capitula.*

Cap. I. *Consuetudinem*. (20) Prætextu consuetudinis, etiam juratæ, vel quantocumque tempore observatæ, non potest quis, nisi unicum personatum, dignitatem, vel aliud perpetuum officium simul cum canonica, & præbenda in aliqua Ecclesia absque dispensatione obtinere, vel jam obtenta tenere, & contra præsumptum irritum est omnino.

☞ *Concordat Trident. sess. 7. cap. 2. & 4. & sess. 24. c. 17. de refor. & Extravagan. Execrabilis §§. Si vero, & Quæ omnia hoc eod. tit.*

Cap. II. *Non putamus*. (21) Non valet consuetudo, quod ab Officiali Episcopi ad Episcopum appelletur.

Cap. III. *Non est*. (22) Valet consuetudo præscripta, quod Episcopus in inquirendo, puniendo, & corrigendo subditorum excessus sui Capituli consilium requirere non teneatur.

Cap. IV. *Cum in tua*. (23) Per rescriptum Apostolicum, quod præbenda primo vacatura mandabatur alicui provideri, laudabilis illius Ecclesiæ consuetudo non tollitur. Hinc est, quod si ibi est consuetudo, quod antiquiores Canonici vacantes præbendas possint optare gratim, illo non obstante mandato poterit antiquior vacantem optare præbendam, & expectatis per viginti dies optare volentibus, Exequtor de non optata providebit eidem: Si autem præbendam vacantem in Curia Papa conferret, tunc illam antiquior optare non poterit.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. III.*

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS. *Lib. I. sub eodem Titulo, & ibi I.*

Cap. unic. *Super*. (24) Consuetudo impediens, ne Legati Sedis Apostolicæ recipiantur, non valet, & illa non obstante, Legati ipsi sunt ab omnibus recipiendi; & eos impedientes, ipso facto excommunicationem incurrunt, & eorum Terræ ecclesiastico subjiciuntur interdicto.

☞ *Ista excommunicatio est Papæ reservata ex Bulla Cœnæ §. 11. & 16.*

DE POSTULATIONE PRÆLATORUM.

TITULUS V. *continens VI. Capitula.*

Cap. I. *Ad hæc*. (25) Impostulabilis est, qui violat interdictum.

Cap. II. *Gratum*. (26) Qui postulationem non admissam a Papa vitio personæ iterum nititur postulare, est eligendi, & postulandi & potestate privatus.

Cap. III. *Bonæ memoriæ*. (27) Postulatio, per quam privata, vel minor utilitas communi, vel majori præfertur, vel quæ fit a minori, quam a tertia parte Collegii admitti non debet.

Cap. IV. *Bonæ memoriæ*. (28) Archiepiscopus in Archiepiscopum postulatur. Et ex quo postulatio præsentata est Papæ, non possunt postulantes ab ea recedere, sed debet Superioris Judicium expectari.

Cap. V. *Postulationem*. (29) Postulatio, contra quam agitur de contempto, potest sine præjudicio alicujus rejici: potest tamen de speciali gratia admitti.

Cap. VI. *Etsi*. (30) Episcopus non est eligendus ad aliam dignitatem, sed postulandus.

IN SEXTO *Lib. I. sub eodem Titulo.*

Cap. unic. *Perpetuo*. (31) Si quis eligat postulando, vel postulandum, vel in postulandum, vel postulet eligendo, vel eligendum, vel in eligendum; talis electio, vel postulatio est irrita ipso jure. Si autem dicat, eligo, & postulo, prout melius de jure valere potest, idem: nisi probabiliter dubitaretur, an esset eligendus, vel postulandus, & tunc consensus tempore eligat alteram viam, electionis scilicet, vel postulationis, qua electa, ad alteram redire non poterit.

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS *Lib. I. sub eodem Titulo, & ib. Tit. II.*

Cap. unic. *Dispendiis*. (32) Minores XXIII. annis sæculares,

(1) *Idem.* (2) *Idem.* (3) *Idem.*
(4) *Clem. V. in Conc. Vien. an.* 1312. (5) *Idem ibid.*
(6) *Idem ibid.* (7) *Idem.* (8) *Idem.*
(9) *Greg. I. in Regest.*
(10) *Innoc. III. Archiep., & Cap. Lugdun.*
(11) *Idem Episc. Patavien.*
(12) *Idem Lucio Vic. Papæ apud Constantinop.*
(13) *Idem Decano, & Cap. Cenoman.*
(14) *Idem Episc. Hilien.*
(15) *Idem Convent. Corbien. Monaster.*
(16) *Idem Decano Salesbrien., A. Archidiac., & Magistro P. Pulveril. Canon. Parisien.*
(17) *Honor. III. Papien. Cap.*

(18) *Idem Major, & Burgen. de Rupella.*
(19) *Greg. IX.* (20) *Bonif. VIII.*
(21) *Idem.* (22) *Idem.*
(23) *Idem.* (24) *Joan. XXII. Avenion.*
(25) *Innoc. III. Decano, & Cap. Senonen.*
(26) *Idem Hostien. Episc. Apost. sed. Leg.*
(27) *Idem Cleric. Ravenn. Eccl.*
(28) *Idem Præposito, & Capit. Strigon.*
(29) *Idem Cap. Strigon.* (30) *Honor. III. Capit. Galarit.*
(31) *Bonif. VIII.* (32) *Joann. XXII. Avenioni.*

lares, & Mendicantes Religiosi ad certas Ecclesias prohibentur postulari, & puniuntur tam postulantes, quam postulati.

☞ *Per ly ad certas Ecclesias quoad Saculares intellige ad Cathedrales; quoad Regulares mendicantes intellige ad Ecclesias inferiores Cathedralibus, & ad regimen Monasteriorum extra proprium Ordinem, ut in textu.*

DE ELECTIONE, ET ELECTI POTESTATE.

TITULUS VI. *continens LX. Capitula.*

Cap. I. *Nullus.* (1) Ecclesiæ collegiatæ non debet provideri de Prælato per collationem, seu provisionem, sed per electionem canonicam faciendam per ipsum Collegium.

☞ *Hodie attendenda est regula 2. & 3. Cancellariæ de Reservationibus, ubi non sunt concordata a Sede Apostolica admissa.*

Cap. II. *Osius.* (2) Electus ad clamorem populi, non debet per Superiorem confirmari.

☞ *Est enim nulla electio, cum ab ea Laici repellendi sint Can. 16. si ergo. 8. q. 1.*

Cap. III. *Postquam.* (3) Electio canonica confirmanda est, debet tamen Superior ante confirmationem inquirere de conversatione, & vita electi, ubi fuit conversatus.

Cap. IV. *Significasti.* (4) Electo in Archiepiscopum Sedes Apostolica Pallium non tradet, nisi prius præstet fidelitatis, & obedientiæ juramentum.

Cap. V. *Quia.* (5) Si Schismaticus ad unionem Ecclesiæ reversus eligitur in Episcopum, electio non tenet, sed ex dispensatione potest confirmari.

Cap. VI. *Licet.* (6) Electus in Romanum Pontificem a duabus partibus Cardinalium, nulla exceptione obstante, est Papa. Electus autem a minori numero, gerens se pro Papa, incidit una cum sibi adhærentibus in pœnas contentas in hoc cap.

☞ *Circa formam eligendi Papam attendendæ sunt Constitutiones Gregorii XV. Æterni Patris. 17. Kalen. Decembris 1621. in cujus calce specialiter, & expresse derogat huic Decretali, ac Constit. Urbani VIII. Ad Romani. 5. Kalen. Feb. 1625. qua dictam Gregorii Constitutionem Æterni Patris confirmat, & novissima Constit. Clemen. XII. Apostolatus Officium.*

☞ *Vide etiam decretales Greg. X. Cap. Ubi periculum. 3. hoc eod. tit. in 6. & Clemen. V. Cap. Ne Romani 2. hoc eod. tit. in Clementinis; ac Constitutiones Clemen. VI.* Licet. *Clemen. VII.* Cum charissimus. *Pauli IV.* Cum secundum. *Pii IV. In eligendis.*

Cap. VII. *Cum in cunctis.* (7) Electio ad Episcopatum fieri debet de digno scientia, moribus, & ætate, & quod habeat trigesimum annum completum, & sit de legitimo matrimonio natus.

☞ *Concordat Trident. sess. 7. c. 1. sess. 22. cap. 2. sess. 24. c. 1. de reform. & vide correctionem Elencho II. n. XIV. & innovationem Elencho IV. n. II.*

Beneficia electi in Episcopum vacant per confirmationem, adeptionem possessionis, & consecrationem sequutam: vel postquam præfixum tempus ad petendam consecrationem lapsum fuerit.

In dignitatibus, & officiis circa Episcopatum, ac curatis beneficiis debet assumendus vigesimum quintum annum attigisse; & alias esse idoneus scientia, & moribus, & si non est in Ordine requisito, debet se facere promoveri in proximis temporibus, alias monitus non parens, privatur beneficio, non obstante appellatione, nisi ex causa legitima excusetur.

☞ *Vide correctionem Elencho I. n. III.*

Eligentes indignum contra formam hujus capituli privari sunt pro prima vice potestate eligendi, & idem in collatore; & defectum Capituli supplet Episcopus, & e converso: Et si Capitulum negligit, fit devolutio ad Metropolitanum.

Cap. VIII. *Causam.* (8) Compromittentes super electione tenentur recipere electum a compromissario, si est idoneus.

Cap. IX. *Nosti.* (9) Electus ante confirmationem beneficia conferre, vel aliter administrare non potest.

☞ *Vide correctionem Elencho I. n. IV. & Cap. Juncta 1. in Extravag. com. hoc eod. tit. infra.*

Cap. X. *Consideravimus.* (10) Electio facta post appellationem, & prima non cassata, & contra privilegia Ecclesiæ, cassanda est.

Cap. XI. *Suffraganeis.* (11) Metropolitanus confirmatus, licet nondum receperit Pallium, potest suum Suffraganeum consecrari facere.

Cap. XII. *Super eo,* (12) Is, cujus electio fuit cassata non vitio personæ, sed electionis modo, iterum eligi potest: secus si vitio personæ.

Cap. XIII. *Cum monasterium.* (13) Non professus potest postulari in Abbatem, si ex aliqua bona causa fiat talis postulatio.

Cap. XIV. *Cum terra.* (14) Electio debet esse in libertate eligentium, nec valet contraria consuetudo.

Cap. XV. *Transmissam.* (15) Per confirmationem electionis non transfertur potestas exercendi ea, quæ sunt Ordinis: illa enim transferuntur per consecrationem.

☞ *Vide notata in Cap. Nosti 9. hoc eod. tit. supra.*

Cap. XVI. *Cum inter,* (16) Qui electioni de se factæ renuntiat, appellare nequit ad impediendam electionem alterius: & electio, quæ est a suspensis celebrata, non tenet.

Cap. XVII. *Qualiter.* (17) Si Electus non habet sufficientem scientiam, vel ante confirmationem administrat, ejus electio cassari debet.

☞ *Vide notata in c. Nosti 9. supra, & correctionem Elencho I. n. V.*

Cap. XVIII. *Cum inter.* (18) Si vocantur ad electionem non vocandi, valet electio facta, eis non expectatis.

Cap. XIX. *Cum nobis.* (19) Non debet inspici, an post appellationem, sed an contra electio fuerit celebrata, & penes vocantes, quibus competit vocandi potestas, remanet jus eligendi, si vocati venire contemnunt; & ad officium confirmatoris spectat examinare Electum, & jam nemine opponente, & nisi Electus doceatur legitimæ ætatis, & litteraturæ, habetur pro non legitime electo.

Cap. XX. *Innotuit.* (20) Illegitimus potest postulari, non autem eligi, & Electores, nisi probaverint illum ignoranter elegisse, incidunt in pœnas Lateran. Conc. *sub Alex. III. cap. Cum in cunctis 6.*

Cap. XXI. *Cum inter.* (21) Non possunt Electores in præjudicium Electi compromittere; sed si consenserit electioni suæ, vel consentire velit, non obstante laudo in contrarium lato, est confirmandus, si aliud canonicum sibi non obsistat, licet non sit de gremio illius Ecclesiæ, quamcumque ob causam a majori parte fuerit appellatum.

Cap. XXII. *Dudum.* (22) Electus a majori, & saniori parte Capituli si est, & erat idoneus tempore electionis, confirmabitur; si autem erat indignus in Ordinibus, scientia, vel ætate, & fuit scienter electus (*intellige non confirmabitur*) electus a minori parte, si est dignus, confirmabitur.

Cap. XXIII. *Bonæ memoriæ.* (23) Recipientes Postulatum ad Ecclesiam tanquam institutum, vel administratorem ante admissionem postulationis a Superiore factam, privati sunt potestate eligendi, & ad alios, licet pauciores devolvitur potestas eligendi: etsi omnes privati sunt, devolvitur ad Papam in Ecclesiis cathedralibus.

Cap. XXIV. *Querelam.* (24) Sufficit electo ad obtinendum docere eligentem fuisse in quasi possessione (*supple eligendi*) tempore electionis, licet non probet, quod proprietas juris eligendi ad illum pertineret.

☞ *De jure patron. vide Additiones meas lib. III. tit. 38. post num. 31.*

Cap. XXV. *Cum Vvintonensis.* (25) Eligentes scienter indignum, privati sunt potestate eligendi, in electione, quæ primo occurrit facienda.

Cap. XXVI. *Per inquisitionem.* (26) Eligens scienter indignum in Episcopum est ob hoc suspensus a beneficiis Ecclesiæ per triennium, nec potest interim ad dignitatem illius eligi, vel assumi.

Cap. XXVII. *Cum causam.* (27) Si non professus eligitur ad regimen Ecclesiæ regularis, cassatur electio, consuetudine in contrarium non obstante.

Cap. XXVIII. *Quod sicut.* (28) Nominatio, vel appellatio ejus, cujus non interest, electionem non impedit, sed si vocandus contemnitur, eo prosequente contemptum, cassatur electio etiam confirmata; & potest prosequi, nisi consenserit electioni, quod potest etiam ex post facto.

Epi-

(1) *Luc. I.* (2) *Ex Conc. Sardicen.* (3) *Greg. I.* (4) *Paschalis I. vel forte II. Panormit. Archiep.* (5) *Alex. III. P. Præsbyt. Card. Apost. Sed. Leg.* (6) *Idem ex Conc. Lateran.* (7) *Idem ibid.* (8) *Idem Raven. Archiep.* (9) *Idem Vvigorcn. alii Exonien. Episc.* (10) *Idem.* (11) *Alex. III.*

(12) *Idem alii Clem.* (13) *Cælest. III. Cenoman. Episc.* (14) *Idem.* (15) *Idem Helien. Episc.* (16) *Innoc. III. N. de Cella S. Petr., & N. Mitren. Abb. & N. Præpos. Verden.* (17) *Idem Cap. Pennen.* (18) *Idem Capit. Capuan.* (19) *Idem Archid. & Cap. Capuan.* (20) *Idem Cantuar. Archiep.* (21) *Idem Archiep. Januen. & Placen. & Bobien. Episc.* (22) *Idem Prænest. Episc. Sed. Apost. Legat.* (23) *Idem Canonicis Moguntin.* (24) *Idem Clericis S. Agathes.* (25) *Idem.* (26) *Idem Ab. Cistercien. R. P. Monach. Fontis Frigidi, Inquisitorib.* (27) *Idem A. Priori S. Frigidiani, & G. & G. Canonic. Lucen.* (28) *Idem I. tit. S. Steph. in Cælio Monte Præsbyt. Card. Apost. Sed. Leg.*

Episcopus, dum celebratur Missa consecrationis suæ, vel Archiepiscopus ante receptum Pallium, Ordines conferre non debet.

☞ *Hic Glossa verb. dividatur - advertit Sacros Ordines non posse conferri extra Missarum Solemnia; & quidem peragenda ab ipso Ordinatore per se, & non per alium juxta Pontificale Romanum a Clement., & Urbano VIII. approbatam. Et licet ordinatio esset valida, si secus fieret; non evaderetur tamen grave peccatum, cum tunc videretur misterium, ut ostendit Benedictus XIV. lib. 8. de Synod. Diœc. c. 11. a n. 5. ad 7. edit. an. 1755.*

Cap. XXIX. *Auditis*. (1) Electio per minorem partem Capituli facta non tenet, nec per subsequentem consensum ratificari potest.

Cap. XXX. *In causis*. (2) Potestas data Compromissariis ad eligendum Prælatum, re non integra, revocari non potest; & definit res esse integra, postquam Compromissarii cæperunt habere tractatum.

Cap. XXXI. *Cum Ecclesia*. (3) De consuetudine potest Canonicorum electio ad solum Capitulum pertinere.

Cap. XXXII. *Cum dilectus*. (4) Compromittentes tenentur recipere Electum a Compromissariis, si sit dignus, nisi contra formam compromissi eum appareat electum.

Cap. XXXIII. *Cum in jure*. (5) Si ex septem Compromissariis tres eligunt quartum, & ille consentit, & est idoneus, confirmabitur electio.

Cap. XXXIV. *Venerabilem*. (6) Electio Imperatoris spectat ad Principes Germanos, tres Prælatos, & quatuor Laicos; & electio facta per eorum majorem partem, ceteris non contemptis, tenet, & ad Papam pertinet Electum examinare, approbare, & inungere, consecrare, & coronare, si est dignus, vel rejicere, si est indignus, ut quia sacrilegus, excommunicatus, tyrannus, fatuus, & hæreticus, paganus, perjurus, vel Ecclesiæ persequtor: & Electoribus nolentibus eligere, Papa supplet. Et data paritate vocum eligentium, nec accedente majori concordia, Papa potest gratificari cui vult.

☞ *Quot hodie sint Electores vide in Præcursu Juris Can. pag. 178. n. 20.*

Cap. XXXV. *Coram*. (7) Absentes ad electionem de Provincia sunt vocandi, & confirmatur electio majoris, & sanioris partis.

Cap. XXXVI. *Bonæ memoriæ*. (8) Cassatur electio partis majoris facta, contempta minori parte, etiamsi est unus solus; non tamen jus eligendi devolvitur ad minorem.

Cap. XXXVII. *Cum ad nostram*. (9) Non Monachus in Prælatum regularem eligi non potest,

☞ *Concordat Trident. sess. 6. c. 2. sess. 21. c. 8. sess. 24. c. 17. sess. 25. c. 20. de Regul., & præcipue sess. 14. cap. 10. quando Prælatura regularis conferenda est in titulum. Quando vero monasteria commendantur, attendenda est dispositio Conc. Lateran. sub Leone X. sess. 19.*

Cap. XXXVIII. *Officii*, (10) In Abbatem eligi non potest, nisi instructus in regula monachali.

Cap. XXXIX. *Illa*. (11) Electio alias canonica confirmatur, licet quidam eligentium essent minori excommunicatione ligati.

☞ *Si agatur de electione Papæ, non vitiatur, licet aliqui eligentium essent majori excommunicatione ligati cap. Ne Romani 11. in Clement. hoc eod. tit. ad evitandum schisma, aliaque Ecclesiæ incommoda.*

Cap. XL. *Scriptum*. (12) Si postulatio cum electione concurrit, & numerus postulantium est duplo major, & postulatus est idoneus; postulatio admittitur, rejecta electione. Si vero indignus, & hoc major pars postulantium ignoraverit, postulatio, & electio reprobantur. Si vero sciebant, & Electus est idoneus, confirmatur electio; & idem si numerus postulantium non est duplo major.

Cap. XLI. *Ne pro defectu*. (13) Si illi, ad quos spectat electio, negligunt eligere Prælatum cathedralis, vel regularis Ecclesiæ infra tres menses, proximus superior Ecclesiam ordinabit: quod si infra tres alios menses non fecerit, canonice punietur.

Cap. XLII. *Quia propter*. (14) Per aliquam de tribus formis, scilicet scrutinii, compromissi, & inspirationis, procedi debet ad electionem in Ecclesiis cathedralibus; aliter electio celebrata non valet, & contrafacientes privandi sunt ea vice potestate eligendi.

☞ *Etiam Abbas perpetuus Cistercii, Generalis Cluniacensis, & alii Abbates perpetui eligendi sunt secundum formam hujus Decretalis, cui Trid. non derogavit, sed vide correctionem quoad alios Regulares Elencho II. n. XV.*

Interdicit procuratorem in electionis negotio constitui, nisi constituens sit absens a loco, de quo debeat vocari, & legitime impeditus accedere nequeat, præstito etiam juramento, si opus fuerit de impedimento; nec constituere potest procuratorem eum, qui non est de Collegio eligentium.

Præcipit electiones solemniter publicari, & clandestinas reprobari.

Cap. XLIII. *Quisquis*. (15) Consentiens electioni de se factæ per abusum Potestatis sæcularis, efficitur ineligibilis ad dignitatem, & electio est nulla. Eligentes autem a beneficiis per triennium suspenduntur, & tunc sunt privati potestate eligendi.

Cap. XLIV. *Nihil est*. (16) Si Prælatus per negligentiam confirmavit indignum electum ad regimen animarum, perdit potestatem confirmandi primum successorem, & a perceptione proprii beneficii suspenditur; & promotus dejicitur: si vero per malitiam hoc fecit gravius punitur. Electi vero immediate subjecti Papæ per se, aut per personas instructas debent adire Papam, & petere confirmationem. Etsi sint electi in concordia, & valde remoti, videlicet ultra Italiam constituti, interim administrant; ita tamen, quod nil alienent: benedicuntur autem, & consecrantur, prout consueverunt.

☞ *Vide omnino Cap. Injunctæ 1. in Extravag. com. infra, & ibi notata.*

Cap. XLV. *Ut præterita*. (17) Expensæ necessariæ, quas facit Capitulum pro electione Prælati, de bonis prælaturæ debent fieri, vel reddi.

Cap. XLVI. *Cum post*. (18) Electio post collationem ex intervallo celebrata, non valet.

Cap. XLVII. *Constitutis*. (19) Monachus unius monasterii alterius factus Abbas in electione Abbatis prioris monasterii vocem non habet, etiam si tale jus ab Abbate monachis prioris monasterii sibi fuit reservatum.

Cap. XLVIII. *Ecclesia*. (20) Electio debet redigi in scripturam & publicari, & de illo, in quem consenserit major pars Capituli, & non respectu aliarum partium.

Cap. XLIX. *Cum in magistrum*. (21) Non professus in Abbatem eligi non potest.

Cap. L. *Cumana*. (22) Electio facta a non majori parte Capituli, & omissa collatione non valet.

Cap. LI *Sacrosancta*. (23) Per compositionem factam cum Prælato, & Capitulo non potest jus eligendi competere Laico etiam Patrono in Ecclesia collegiata.

Cap. LII. *Cum in veteri*. (24) Si per Papam mandatum habentibus eligere, quod eligant cum consilio aliquorum, alioquin Consiliarii provident; eligentes debent consilium requirere in tractatu electionis, & congruo tempore expectare responsum, alias electio non tenet.

Cap. LIII. *Congregato*. (25) Si major pars Capituli scienter eligit indignum; valet electio de digno a minori parte etiam ex eodem scrutinio facta.

Cap. LIV. *Dudum*. (26) Habens plures dignitates, vel plura beneficia curata sine dispensatione Papæ, ineligibilis est.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. XVI.*

Cap. LV. *In Genesi*. (27) Irrita est electio, quam collatio non præcessit: vel quæ facta non est a majori parte Capituli; vel quæ non fuit communis.

Cap. LVI. *Massana*. (28) Non valet electio Pontificis per Laicos, & Canonicos facta, etiamsi hoc habeat consuetudo.

Cap. LVII. *Ecclesia*. (29) Non sufficit ad confirmationem electionis, quod sit facta a majori parte Capituli, nisi etiam illa pars sit sanior.

☞ *Vide c. Quia propter 42. & c. Cumana 50. hoc eod. tit. circa majorem, & saniorem partem.*

Cap. LVIII. *Publicato*. (30) Publicato scrutinio, non possunt Electores variare, sed compelli debent ad collationem, & electionem.

Cap. LIX. *Si alicujus*. (31) Cassata electione propter simoniam etiam sine culpa Electi, non dispensat Episcopus ea vice cum cassato: secus si Electus libere resignavit.

Cap.

(1) *Idem Dolnensi Episc., & Samgneo, & de Ardenæ Abb.*
(2) *Idem Episc. Grandis Silvæ Belleperticæ Abbati.*
(3) *Idem Episc. Florenc.* (4) *Idem Ab. S. Victoris. Decano Parisien., & Magist. R. de Coizon, Canon. Noviomen.*
(5) *Idem Episc. Bojoien.* (6) *Idem Duci Zaringiæ, seu Turingiæ.*
(7) *Idem.* (8) *Idem Parmen. Episc., & ejus Conjudicib.*
(9) *Idem.* (10) *Idem M. tit. S. Laur. in Lucin. Presbyt. Card. Sed. Apost. Leg.* (11) *Idem.* (12) *Idem Magist. Maximo Notar. Papæ.* (13) *Idem in Conc. Lateran.*
(14) *Idem ibid.*

(15) *Idem ibid.* (16) *Idem ibid.* (17) *Honor. III. Capit. Constantinop.* (18) *Idem Electo Lunden.* (19) *Idem P. Bolcen. Prior. S. Barb. Lexovien. Diac. & Magistr. V. de Cappella Cancel. Rotomag.* (20) *Idem Rotomag. Cap.* (21) *Greg. IX.*
(22) *Idem Cumanen. Cap.* (23) *Idem Abbati Cluniaten.*
(24) *Idem Decano, & Cap. S. Joan.; & S. Steph. Bisuntinen.*
(25) *Idem Episc. Silvanecten.* (26) *Idem Silvanectrn. Episc. & Joan. de Mentemorabili Archid., & Succensori Parisien.*
(27) *Idem.* (28) *Idem Cap. Massano.* (29) *Idem. Capit. Cathalaun.* (30) *Idem.* (31) *Idem.*

Cap. LX. *His quibus*. (1) Electoribus impeditis currit tempus, si possunt impedimentum tollere.

IN SEXTO *Lib. I. sub eodem Titulo continente XLVII. Capitula*.

Cap. I. *Statuimus*. (2) Si aliquid opponatur contra provisionem, electionem, vel postulationem factam ad personatum, dignitatem, vel canoniam in personam, vel formam; & ob hoc fuerit appellatum ad Papam, appellans, & defendens, & quorum interest, a die objectionis intra mensem arripiant iter eundi ad Papam.

Si Pars altera expectata per viginti dies post adventum alterius non venerit, in negotio procedatur.

Non probans, quod in formam opponit, condemnatur Parti alteri in expensis: non probans, quod objicit in personam, est a beneficiis triennio suspensus: & perpetuo privatus, si se interim ad illa miscuerit. Hæ pœnæ locum non habent, si legitime pateat eum calumniosum non fuisse.

☞ *Vide circa appellationem alia sancita a Clemente V. in Clementina hoc eod. tit. cap. Causam 3.*

Cap. II. *In electionibus*. (3) Vota conditionalia, & alternativa, & incerta in electionibus reprobantur, & habentur pro non adjectis, & recidunt in pure consentientes.

Cap. III. *Ubi periculum*. (4) Ponitur causa Constitutionis, & juris veteris conservatio.

Ponitur quommodo debeat fieri Romani Pontificis electio, quando moritur in Civitate, in qua cum sua Curia residebat.

Quid juris, quando moritur Romanus Pontifex extra Civitatem, in qua erat Curia.

Dat exequutores huic juri cum pœnis.

Obtestatur Cardinales, ut in electione Romani Pontificis deponant omnem privatum affectum, & cassat omnia pacta, obligationes, & juramenta, quæ data, vel facta essent de aliquo eligendo.

Monet omnes Fideles, ut statim audita Summi Pontificis morte, ejus celebrent exequias, & quotidie orent pro vigili, concordi, & utili provisione Romanæ Ecclesiæ. Prælati autem in suis prædicationibus ipsos subditos ad hoc hortentur, & eis frequentiam orationum, & observantiam jejuniorum indicant.

☞ *Vide confirmationem, & ampliationem hujus Decret. cap. Ne Romani 2. in Clementin. hoc eod. tit., & notata in cap. Licet 6. supra Circa jurisdictionem vero Collegii Cardinalium Sede vacante, attendenda est Constit. Pii IV.* In eligendis *7. Idus Octobris 1562. §. 6. ibi - In iis quæ ad Pontificem maximum, dum viveret pertinebant, nullam omnino potestatem, aut jurisdictionem habeat; neque gratiam, neque justitiam faciendi, aut factam per Pontificem mortuum exequtioni demandandi, sed ea omnia futuro Pontifici reservare teneatur.*

Cap. IV. *Ut circa*. (5) Appellantes contra electiones, postulationes, vel provisiones, omnia, quæ objicere intendunt contra personam, vel formam, tenentur exprimere, & jurare, quod illa credunt vera esse, & ea se posse probare. Super non expressis ipsi, vel adhærentes eis, non audientur, nisi de novo emergat, vel perveniat, vel superveniat probandi facultas, super quo jurare debebunt. Statutum Innocentii cap. *Statuimus* 1. *supra* editum contra non probantes, quæ objiciuntur in personam, vel formam in suo robore conservatur.

☞ *Vide declarationem in c. Constitutio 41. infra.*

Cap. V. *Avaritiæ*. (6) Electus ante confirmationem administrare non debet per se, vel per alium, in totum, vel in partem, sub quocumque colore; qui contra fecerint, ipso jure privati sunt jure ex electione quæsito.

Cap. VI. *Quam sit*. (7) Eligentes quam cito commode possunt, electionem Electo præsentent. Electus intra mensem consentiat alias privatus est jure quæsito, nisi conditio personæ ipsum excuset. Post consensum confirmationem petat intra tres menses, alias electio viribus vacuetur.

☞ *Ubi non sunt concordata a Sede Apostol. admissa, attendenda est regula 2. & 3. Cancellariæ de Reservationibus.*

Cap. VII. *Perpetuo*. (8) Si non sequatur electio, non est quis ex consensu in scrutinio scienter habito in indignum, eligendi potestate privatus.

Cap. VIII. *Nulli*. (9) Eligens, vel electioni consentiens contra Electum, nisi ex nova causa, vel noviter ei pandita, se nequit opponere, vel renunciare.

Cap. IX. *Si quando*. (10) Contra Electum a duplo majori parte, vel Electores ipsius, nil a reliqua parte potest opponi, quod votum extenuet: sed opponi potest id, quod votum annullet ipso jure.

Cap. X. *Quamvis*. (11) Appellatio judicialis, vel extra devolvit causas electionum Episcoporum, & Superiorum ad Papam: si in scriptis, & ex causa probabili fuerit interjecta; alias non: & ab ea possunt Partes sine pravitate recedere, priusquam Papæ præsentata fuerit: & an in recessu intervenerit pravitas, inferiores Judices ante omnia debent inquirere: quam si repererint, de causa non cognoscent, sed statuent Partibus terminum, in quo cum actis, & munimentis se Apostolico conspectui repræsentent.

☞ *Quæ sit causa non probabilis, seu frivola vide c.* Cum appellationibus *5. tit. de Appellat. hoc eod. lib.*

Cap. XI. *Si forte*. (12) Si inter reliqua, quæ objiciuntur promovendo ad dignitatem objicitur evidens defectus scientiæ, vel personæ, illud ante omnia examinari debebit. Et si reperietur falsum, opponens a prosequutione negotii repellitur: & punitur perinde ac si defecisset in probatione omnium objectorum.

☞ *Vide declarationem c. Constitutionem 11. de Verb. signific. hoc eod. lib.*

Cap. XII. *Sciant*. (13) Qui gravaverit aliquam personam ecclesiasticam, vel ejus consanguineos, vel Ecclesias, seu bona pro eo, quod eum, pro quo rogabatur, eligere noluit: ipso facto excommunicatus est.

☞ *Circa gravamina Ecclesiasticis illata vide cap. Felicis 5. de Pœnis hoc eod. lib.*

Cap. XIII. *Generali*. (14) Primo punit usurpantes de novo custodiam bonorum vacantium Ecclesiarum. Secundo punit Clericos, & Monachos hoc fieri procurantes. Tertio punit Clericos se talibus non opponentes. Quarto ponit qualiter debeant se habere habentes talem custodiam ab antiquo.

Cap. XIV. *Licet canon*. (15) Parochialis Ecclesia nemini conferatur, qui non sit idoneus scientia, moribus, & ætate; & si conferatur non attingenti vigesimum quintum annum, non valet collatio. Ille autem, cui talis Ecclesia collata fuerit, tenetur personaliter residere, & intra annum Sacerdos fieri: si autem promotus non fuerit, elapso anno, privatus est ipso jure. Super residentia autem Prælatus ejus ad tempus poterit dispensare.

☞ *Conc. Trident. sess. 23. cap. 1. de reform.* §. Eadem omnino *restringit tempus dispensationis super residentia ad bimestre, nisi ex gravi causa majori tempore dispensatus fortasse egeat. De dispensationis autem causis vide Elencho VI. n. IX. & XLIV., & correctionem Elencho I. nu. VI. ac innovationem Elencho IV. n. III.*

Cap. XV. *Nemo deinceps*. (16) Parochialis Ecclesia non commendetur, nisi constituto in ætate legitima, & Sacerdotio: & tali nonnisi una, & illa tunc demum, cum necessitas, vel utilitas exigit, Talis autem commenda ultra sex menses non duret; Quod contra prædicta factum fuerit, est irritum ipso jure.

☞ *Huic Decretali, sicut & alteri Conc. Lateran. relata in c. Nulla 2. de Conces. Preben. in ea parte, qua præcipitur dictam commendam ultra sex menses non debere durare, non esse derogatum a Trident. sess. 24. cap. 18. de refor. probat Fagnan. cap.* Cum sit ars *14. de ætat. & qualitat. Præficiend. a num. 41. ad 46., quidquid in contrarium sentiat Zipæus in Analytica correctione juris Pontific. novi lib. 3. num. 15. de Elect. licet enim ab eodem Trident. præscribatur debere Episcopum intra decem dies idoneos aliquos Clericos ad regendam vacantem parochiam coram deputatis Examinatoribus nominare; non inde sequitur hoc tempus præscribendum esse statim ab habita notitia vacationis, cum -* li statim *- relationem habeat ad deputationem Vicarii, non vero ad concursum pro examine nominandorum faciendo; ideoque concludit tam ex his Decretalibus, tam ex Trident. posse Episcopum differre, etiam juxta praxim, electionem usque ad sex menses, si parochia in suis mensibus vacaverit; & usque ad quatuor, si vacaverit in mense S. Sedi reservato, ex Const. S. Pii V.* In conferendis *a quo tamen prohibetur prorogatio dictorum decem dierum ad nominandum præfixorum.*

☞ *Vide Elencho VI. n. LXXIV.*

Cap. XVI. *Cupientes*. (17) Hæc Decretalis fuit multum utilis, antequam Papa reservaret sibi provisiones Episcopatuum cujus tamen summarium vide in Glossa 1.

☞ *Hodie attendenda est Extravag. Bened. XII.* Ad regimen *inter communes de præbend., & Regula. 2. & 3. Cancellariæ de Reservationibus Cathedralium, & Monasteriorum in iis locis, ubi non sunt concordata ab Apostol. Sede admissa.*

Cap.

(1) *Idem.* (2) *Innoc. IV. in Conc. gen. Lugdun. an.* 1245. *in Gallia.* (3) *Idem.*
(4) *Gregor. X. in Conc. gen. Lugdun. an. 1273. in Gallia.*
(5) *Idem in eod.* (6) *Idem in eod.* (7) *Idem in eod.*
(8) *Idem ibid.* (9) *Idem ibid.* (10) *Idem ibid.*
(11) *Idem ibid.* (12) *Idem ibid.*
(13) *Idem ibid.* (14) *Idem ibid.*
(15) *Idem ibid.*
(16) *Idem ibid.*
(17) *Nicol. III.*

Cap. XVII. *Fundamenta*. (1) Statuit hic Nicolaus III., cujus gradus, & qualitatis esse debeat eligendus in Senatorem Urbis Romæ.

Cap. XVIII. *Quamquam*. (2) Canonicis cathedralis Ecclesiæ ipso jure, vel per sententiam, præterquam in casu negligentiæ, eligendi potestate privatis, ad Papam jus devolvitur eligendi. In inferioribus Ecclesiis semper ad proximum Superiorem devolvitur.

☞ *Vide notata c. Cupientes 16. supra.*

Cap. XIX. *Is qui*. (3) Constitutioni, *Ut circa* (4. *supra hoc eodem lib.*) non satisfecit appellans, qui disjunctive juravit se credere opposita esse vera, vel quæ sufficere deberent ex eis.

Cap. XX. *Qui contra*. (4) Qui contra certam personam, ne eligatur, appellat, Constitutionem *Ut circa*, servare tenetur.

Cap. XXI. *Sicut*. (5) Si compromissum est in plures, ut eligant, per unum facienda est electionis pronuuciatio; sicut quando proceditur per formam scrutinii: aliter electio facta non tenet.

Cap. XXII. *Statutum*. (6) Decretalis *Licet Canon. c.* 14. *hoc eod. lib.* in collegiatis paræcialibus Ecclesiis, & assumptis ad earum regimen locum non habet.

Cap. XXIII. *Si cui*. (7) Si compromissarius secundum traditam sibi metam (scrutatis, & in scriptis redactis voluntatibus singulorum) illum eligat, in quem non major pars Capituli, sed plures aliorum comparatione consenserant, non tenet electio, cum præter formam Cap. *Quia propter* 42. *supra in Greg.* fuerit celebrata.

Cap. XXIV. *Quorundam*. (8) Ex vocatione quocumque modo facta in discordia de Religioso mendicante ad Prælaturam extra administrationem sui Ordinis, non acquiritur illi jus: nec consentire poterit, etiam de Prælati licentia. Idem de vocatione facta a minori parte numero ad quamlibet Prælationem de Religioso non Mendicante: & secus factum irritum decernit. Et ponit istud Cap. unum speciale in Mendicantibus.

☞ *Vide declarationem cap. Quod circa 6. hoc eod. tit. in Clemen.*

Cap. XXV. *Ut quis*. (9) Non potest electus duas electiones prosequi, petendo confirmationem unius ex illis: etiamsi protestetur se contentum altera, per quam consequi possit suæ intentionis effectum. Necesse ergo habet alteram eligere, qua electa, ad alteram redire non poterit.

Cap. XXV. *Si electio*. (10) Si electus non consentit, vel post consensum renunciat, vel moritur, vel propter occultum sui vitium electio cassatur; eligentes ad eligendum ex tunc integrum tempus habebunt, nisi circa id egerint fraudulenter.

Cap. XXVII. *Si Religiosus*. (11) Si Religiosus, non obtenta licentia, consentit electioni de se factæ extra suum monasterium, non valet consensus, & irrita est electio.

Solus Superior sine Conventu dare potest suo Religioso consentiendi, & transeundi licentiam.

☞ *Vide correctionem Elencho I. n. VII.*

Cap. XXVIII. *Nullus*. (12) Monachus in Abbatem eligi non potest, nisi sit expresse professus. Ad dignitatem autem Episcopalem, & in sæculari, & in regulari Ecclesia talis eligi poterit.

☞ *In textu disponitur, ut si monachus professus sit, eligi possit in Abbatem etiam alterius Ordinis; sed vide correctionem Elencho I. n. VIII.*

Cap. XXIX. *Cum expediat*. (13) Forma electionis tradita per Decr. *Cum dilectus* 32. non est sublata per cap. *Quia propter* 42. *de Elect. supra in Greg.*

Cap. XXX. *Cum non deceat*. (14) Accedens ad Sedem Apostolicam pro instruendo negotio electionis per Decr. *Cupientes*, eundo hac de causa, stando, & redeundo integre, præter quotidianas distributiones, percipit fructus beneficiorum, quos percipere posset in ipsa Ecclesia residendo.

Cap. XXXI. *Ab eo*. (15) Is, qui opponit evidentem defectum scientiæ, vel personæ contra promovendum ad aliquam dignitatem pœnitere non potest.

Cap. XXX. *Ex eo*. (16) Canonicus impubes ad electionem non vocatus, non agit de contemptu.

☞ *Hodie ex Trident. sess. 24. c. 12. de refor. Canonicus Collegiatæ debet esse annorum quatuordecim; Cathedralis vero viginti & duorum inceptorum, si nullam habeat curam animarum.*

Non professi cum professis, vel Conversi laici cum Clericis electioni interesse non debenr.

Cap. XXXIII. *Si postquam*. (17) Si ab electione cathedralis, vel regularis Ecclesiæ in scriptis ex causa probabili appellatur ad Papam, ea pendente, confirmatio facta per Ordinarium non valet. Requirit Decret. *Cupientes 16. supra* non solum quod electus veniat, sed quod usque ad finem negotiorum prosequatur: & habet locum etiam cum appellatur a confirmatione, vel provisione.

Cap. XXXIV. *Cum ex eo*. (18) Dispensare possunt Episcopi, & Superiores cum habentibus paræciales Ecclesias sibi subjectas, quod usque ad septennium studendo non teneantur ad Sacerdotium promoveri: ad Subdiaconatum tamen debent promoveri intra annum; alias sunt privati. Et illo durante septennio debet in illis Ecclesiis idoneus poni Vicarius, de fructibus Ecclesiæ sustinendus. Elapso septennio debet Rector intra annum in Presbyterum promoveri.

☞ *Per-ly Superiores-intellige Superiores ipsis Episcopis, unde excluduntur inferiores Prælati. Nota tamen ex stylo receptissimo Datariæ, nec Papam tales dispensationes concedere, sed præcise servatur c. Licet Canon. 14. ut supra; quamvis hoc idem caput præservatum fuerit a Trident. sess. 5. cap. 1. sess. 6. cap. 2. sess. 7. cap. 11., & sess. 23. c. 1. de reform.*

Cap. XXXV. *Commissa*. (19) Ad pœnam privationis Rectoris paræcialis Ecclesiæ non promoti requiritur quod annus integer sit completus. Annus ille non currit juste impedito. Post privationem Ecclesia eidem conferri non potest. Non promotus, si eo animo receperat Ecclesiam, ut fructus anni perciperet, tenetur ad restitutionem ipsorum. Et qui ea mente contulit, Ecclesiam servare debet indemnem.

Cap. XXXVI. *Si Abbatem*. (20) Abbas exemptus eligitur in Episcopum, sed transire non potest sine licentia Papæ, vel Legati de Latere.

Legatus de Latere potest confirmare electiones Episcoporum exemptorum; reliqui non sine speciali mandato.

Cap. XXXVII. *Compromissarius*. (21) Si Compromissarius non eligit intra tempus juris, ad proximum Superiorem devolvitur potestas providendi; si eligit, sed indignum, indistincte redit ad Compromittentes: nisi id scienter ratum habuerint. Idem si Electus idoneus non consentit. Si Compromissarius scienter elegit indignum, ipse solus ab ecclesiasticis beneficiis triennio est suspensus; nisi id Compromittentes scienter ratum habuerint. Et pœna prædicta suspensionis non habet locum in Episcopo compromissario, nec in electione inferiorum Episcopis, & restringitur illa pœne ad beneficia, quæ obtinet in Ecclesia offensa. Et idem in beneficiis illius, qui deficit in probatione ejus, quod objicit in personam.

Cap. XXXVIII. *Procurator*. (22) Procurator ad appellandum secundum formam cap. *Ut circa*, non est idoneus, nisi omnia objecta, & forma juramenti in procuratorio exprimantur.

Cap. XXXIX. *Si confirmationem*. (23) Cassata confirmatione, vel causa nunciata propter defectum jurisdictionis, vel solemnitatem omissam, non propter hoc electio cassata dicitur.

Cap. XL. *Quia*. (24) Si vacante cathedrali regulari, vel collegiata Ecclesia, singulares personæ Capituli, vel Conventus occupant bona a Prælato dimissa, vel vacationis tempore obvenientia, donec plene restituant, ab officio, & quibuscumque beneficiis sunt suspensi, non obstantibus privilegiis, statutis, & consuetudinibus quacumque firmitate vallatis.

☞ *Vide declarationem hujus Decretal. in c. Statutum 7. infra hoc eod. tit. in Clement.*

Cap. XLI. *Constitutio*. (25) Decretalis *Ut circa* 4. *supra* solum in extrajudicialibus appellationibus locum habet: in judicialibus autem antiqua jura servanda sunt.

Cap. XLII. *Is, cui*. (26) Habens plenam administrationem cathedralis Ecclesiæ in spiritualibus, & temporalibus jurisdictionalia exercere potest: Sacramentalia non, nisi Episcopus fuerit.

Cap. XLIII. *Indemnitatibus*. (27) Monialis non eligit, nisi peregerit duodecimum annum, & sit tacite, vel expresse professa: nec eligitur, nisi peregerit trigesimum annum, & fuerit expresse professa.

☞ *Vide correctionem, & ampliationem Elencho II. n. XVII.*

Non

(1) *Idem.* (2) *Bonif. VIII.* (3) *Idem.* (4) *Idem.* (5) *Idem.* (6) *Idem.* (7) *Idem.* (8) *Idem.* (9) *Idem.* (10) *Idem.* (11) *Idem.* (12) *Idem.* (13) *Idem.* (14) *Idem.* (15) *Idem.* (16) *Idem.*

(17) *Idem.* (18) *Idem.* (19) *Idem.* (20) *Idem.* (21) *Idem.* (22) *Idem.* (23) *Idem.* (24) *Idem.* (25) *Idem.* (26) *Idem.* (27) *Idem.*

Non obstante contradictione, vel appellatione quacumque, electa a duobus partibus numero, cum per scrutinium proceditur, examinatione præmissa per officium Præsidentis confirmatur, & benedicitur. Item publicato scrutinio, antequam ad actus extraneos se divertant, Eligentes possunt accedere ad illam, quæ majorem partem conventus numero habet; & si per accessum ad duas partes pervenerint, sicut in primo casu, confirmabitur, & benedicetur: non tamen adimetur contradicentibus potestas denunciandi, vel accusandi, cum Abbatissa fuerit benedicta, & possessionem adepta. Item de objectis contra electam a majori parte conventus, quæ tamen duas partes nec a principio, nec per accessum habet, ante confirmationem sine strepitu, & figura judicii inquiretur. Ipsa tamen (alienatione bonorum, & Monialium receptione sibi interdictis) interim ministrabit. Item a minori parte electæ nullum jus acquiritur, nec aliæ possunt accedere ad eam: nec ibi fit collatio, nisi numeri ad numerum.

Electæ per compromissum benedictio impendetur, non obstante minoris partis contradictione, sed si major se ei opponat, libere administrabit, nec confirmabitur. Si autem ei se opponit pars in duplo major, non administrabit, nec confirmabitur; sed expectabit litis eventum.

Si ab opponentibus in casibus præmissis appellatur, Constitutio *Ut circa* servabitur, sed moniales ad Sedem Apostolicam personaliter non venient; sed procuratores secundum Constitutionem *Cupientes* mittent.

Ponentes, vel nutrientes discordiam in electione monialium, ipso jure sunt excommunicati.

Hæc Constitutio locum habet in Monialibus regulariter viventibus, etiam Canonicis regularibus: hoc excepto, quod non debeant, nisi professæ eligere, vel eligi; quod non potest sibi vindicare locum in Canonicis sæcularibus. Per hoc tamen Papa non approbat statum dictarum Canonicarum sæcularium.

☞ *Habet etiam locum, si unitim vivant more Canonicorum sæcularium, licet nec proprium renuncient, nec professionem faciant regularem ut in textu. Si tamen vivant in cœtu, seu collegio composito ex Canonissis, & Canonicis simul, ut in Germania, pro validitate electionis Abbatissæ sufficit ætas 23. annorum ad formam Cap.* Cum in cunctis 7. §. Inferiora *hoc eod. tit. ut declaravit Rota coram Aldrobando Monasterien. Abbatissatus 9. Jun. 1727., & 4. Feb. 1732. Nec obstat Conc. Trid. sess. 25. cap. 7. de Regul. cum solum loquatur de Abbatissis regularibus.*

☞ *Circa electionem Abbatissarum vide Additiones meas lib. I. tit. 6. post n. 30.*

Jura de virorum electionibus tractantia per hoc Cap. non sunt mutata.

Cap. XLIV. *Provida.* (1) Si Ordinarius post recessum appellationis interjectæ ad Curiam in causis electionum Episcoporum non inquisito, an pravitas intervenerit, procedit, confirmat, vel consecrat, prædicta non tenent, & ipse ab Episcoporum confirmatione, & consecratione suspensus est per annum.

Cap. XLV. *Si eo.* (2) Si Papa sibi provisionem Ecclesiæ cathedralis reservavit inhibuit, & decrevit; non est vitiata electio, quæ præcesserat: omnia tamen, quæ reservationem sequuntur, carent effectu.

Cap. XLVI. *Si quis.* (3) Absens plures procuratores ad actum electionis dare potest in solidum, & non aliter, quod si omnes simul conveniant, non sunt admittendi, cum is dumtaxat eo casu admittendus sit, quem Capitulum, vel pars major elegerit, vel is, qui primus fuit nominatus in mandato procurationis, si Canonici discrepent circa admittendum.

Procurator ad eligendum constitutus, unum nomine suo, & unum nomine domini sui eligere non potest, nisi a domino de certa persona speciale mandatum habeat.

Canonicus absens (licet nullus de Capitulo ejus procurator esse velit, & ipse procuratorem, qui non sit de Capitulo, nolente Capitulo, deputare non possit) votum per litteras exprimere non potest: cum cujuslibet votum sit secreto, & singillatim in scrutinio exprimendum.

Cap. XLVII. *Quoniam.* (4) Si apparet Coelectus, vel se opponens ei, qui confirmationem petit, ille vocabitur nominatim: alias fiet in Ecclesia *edicto generalis*, quod se confirmationi volentes opponere, veniant peremptorio assignato, aliter confirmatio facta non tenet.

IN CLEMENTINIS *Lib. I. sub eodem Titulo & ibi tit. III. continente VIII. Capitula.*

Cap. I. *Cum rationi.* (5) Religiosus eligi non potest ad Prælaturam non episcopalem alterius Religionis, vel habitus: si contra fiat, est irritum.

Cap. II. *Ne Romani.* (6) Cœtus Cardinalium, Sede vacante, jurisdictionem Papalem non exercet, nisi in quantum permittit Concilium Lugdunense cap. *Ubi periculum 3.* supra hoc eod. tit., & lib. nec illud, vel ejus partem alterare potest.

☞ *Vide notata in Cap. licet 6. supra in Greg.*

Officium Camerarii, vel Pœnitentiariorum Papæ durat eo mortuo, qui si deficiant, poterit cœtus Cardinalium pro tempore vacationis alios subrogare.

Determinat Diœcesim intelligi id, quod in Concilio dicitur de territorio, & districtu: statuit moriente Papa extra Curiam, ipsius electionem fieri debere in loco, ubi erat causarum, & litterarum audientia, licet suspensa, nisi prius ordinatum esset de Curia transferenda.

Providet casui, quo contingeret Cardinales omnes exire conclave.

Statuit, Cardinales per exceptionem excommunicationis, suspensionis, vel interdicti ab electione non repelli.

Electos, & alios, qui mittere, vel ire tenentur ad Curiam, adstringit ad id, Sede vacante.

Cap. III. *Causam.* (7) *Primo* ponit formam, secundum quam appellans appellationem intimat appellato, ut per ipsam causa beneficialis ad Curiam devolvatur. *Secundo* providet cum appellatus, vel ipsius specialis procurator nequit haberi. *Tertio* providet, cum per metum appellati, vel suorum intimatio fieri non potest. *Quarto* vitiat intimationem aliter factam, *Quinto* prorogat hunc modum intimandi ad alios casus.

☞ *Vide sancita in Cap. statuimus 1. hoc eod. tit. in 6.*

Cap. IV. *Constitutionem.* (8) Decretalis *Ut circa* locum non habet, cum appellans jus suum, vel Ecclesiæ directe prosequitur. Sed cum in formam, vel personas opponit crimina, vel defectus, quorum circumstantias si non specificat, super illis non auditur; etiamsi juret illas didicisse de novo. Nec etiam in eadem causa super illis auditur alius non appellans, & prosequens commune, non proprium interesse; potest tamen assistere appellanti. Appellans, qui non servat formam, etiamsi appellationi renuntiet, per viam querelæ non prosequitur objecta, nec etiam alia, nisi in casibus exceptis, Omissio formæ, licet appellantem a probatione repellat, non tamen infirmat probationem super his legitime factam adversarii confessione, vel aliter.

Cap. V. *In plerisque.* (9) Sine speciali licentia Papæ nullus providere potest Ecclesiæ cathedrali Clero carenti, & populo christiano. Religiosus per Prælatum licentiari non debet, ut tali provisioni consentiat: consentiens, etiam si fuerit consecratus, priori Prælato subjacet; nec in Episcopum recipitur, nec ad aliquem honorem promovetur: quæ contra fient, irrita decernit.

☞ *Concordat Trid. sess. 14. cap. 2. de refor. Ut ex Decreto Consist riali S. Pii V. relat. a Fagnan. Cap. Episcopalia 1. de Privileg. n. 48. Episcopi Titulares non sunt creandi, neque in Suffraganeos dandi, nisi in Ecclesiis Cardinalium cum perpetuo stipendio bis centum ducatorum auri de camera super fructibus illarum Ecclesiarum. Licet paulatim hoc ampliatum fuerit etiam ad alios Episcopos, & dos aucta ad ducatos tercentum similis monetæ ex altero Decreto Cong. rerum Consistorialium.*

Cap. VI. *Quod circa.* (10) Capitulum *Quorumdam 24. hoc eod. tit. in 6.*, quoad discordiam, & minoritatem numeri, intelligitur quoad voces facti, non secundum Juris fictionem.

Cap. VII. *Statutum.* (11) Emolumentum ex jurisdictione, sigillo Curiæ, vel alias pertinens ad Prælatum cathedralis Ecclesiæ, vel collegiatæ, ea vacante, non obstante consuetudine, deductis expensis, reservandum est successori, nisi tunc certæ dignitati competat jurisdictio cum ipsius emolumento.

☞ *Per hanc Decretal. declaratur cap. Quia sæpe 40. supra hoc eod. tit. in 6.*

Cap. VIII. *Cum concessa.* (12) Concessio licentiæ generalis Religioso de consentiendo electioni factæ, vel faciendæ non valet.

IN EXTRAVAGANTIBUS.

JOANNIS XXII. *Lib. I. sub eodem Titulo, & ibi tit. I. continente II. Capitula.*

Cap. I. *Ad onus.* (13) Electi, qui pro suarum electionum negotio ad Curiam venire tenentur; etiam Sede vacante, non tenentur de necessitate in ipsa Curia moram

(1) *Bonif. VIII.* (2) *Idem.* (3) *Idem.* (4) *Idem.* (5) *Clem. V. in Conc. Vien. in Gallia an. 1312.*

(6) *Idem ibid.* (7) *Idem.* (8) *Idem.* (9) *Idem.* (10) *Idem.* (11) *Idem.* (12) *Idem.* (13) *Joan. XXII.*

ram trahere: & licet alibi morentur, nullum eis præjudicium generatur.

Cap. II. *Suscepti*. (1) Declarat beneficio vacante, cujus fructus ad certum tempus debentur alicui annalia habenti, vel alii, qualiter debeant fructus ipsi dividi inter ipsum annalia habentem, & beneficiatum, & divisione facta, cujus sit electio.

☞ *Vide correctionem in Elencho II. n. XVIII. Circa fructus, & annatas, de quibus hic, attendenda est Constit. S. Pii V.* Durum nimis. *Circa annatas vero favore Cameræ Apostolicæ vide Constit. Pii II.* Incumbentia, *Julii II.* Romani, *Julii III.* Cupientes, *& Pauli IV.* Decens. *Beneficia autem non excedentia valorem vigintiquatuor ducatorum ex Constit. Clementis VII.* Cum sicut, *non tenentur ad annatæ solutionem. Vide Elencho VI. n. LXXIII.*

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS *Lib. I. sub eodem Titulo, & ibi tit. III. continente IV. Capitula.*

Cap. I. *Injunctæ*. (2) Multis probat argumentis promotos in Curia non debere ad propria redire sine litteris suæ promotionis: qui si secus fecerint pro Prælatis non sunt habendi; poenasque incurrunt hic expressas. Et de ista Extravaganti facit mentionem Panormit. *in cap. Qualiter de Elect.* dicens, quod nullus antequam habeat litteras Apostolicas super sua promotione debet administrare, nec debet recipi ab Ecclesia tanquam Prælatus alias recipientes, & receptus incurrant poenam, de qua hic.

☞ *Poena hic expressa contra Promotos, est irritatio actorum ab ipsis, & privatio proventuum suarum Ecclesiarum, & monasteriorum. Contra recipientes suspensio a beneficiis ad beneplacitum Sedis Apostolicæ duratura.*

Ex Constit. Alexandri V. & Julii II. Romani Pontificis *tenentur intra annum a die promotionis litteras expedire, & recipere; & interim si se ingerant in regimine tam spirituali, quam temporali, ipso facto incurrunt privationem Ecclesiarum, & monasteriorum, omnisque juris quæsiti ex eorum promotione, seu provisione.*

In §. Similiter *hujus Extravag. statuitur poena in eosdem Promotos si non emittant fidelitatis, & obedientiæ juramentum, de quo vide in Auct. lib. I. tit. I. Ulterius hac Decretalis innovata fuit a Julio II., & III. a Paulo III. & Pio IV. suis Constit. relatis a Quaranta verb. Benefic. possess. & ex regula 26. Cancellariæ cum gratia sit informis ante litterarum expeditionem, statuitur non esse judicandum juxta formam supplicationum, sed litterarum expeditarum.*

Cap. II. *Si Religiosus*. (3) Si Religiosus electus non petierit ipse, vel ejus Electores licentiam consentiendi intra tempus moderandum pro præsentia, vel absentia Superioris, est eo ipso privatus jure sibi ex electione quæsito, & possunt Electores alium eligere. *Hoc addit ad Cap. Quam sit de Elect. in 6.*

Cap. III. *Sancta Romana*. (4) Quatuor Patriarchalibus Ecclesiis vacantibus statuitur illis non posse provideri, Romano Pontifice inconsulto: quod si secus factum fuerit, irritum decernitur.

Cap. IV. *Ex debito*. (5) Cum beneficia apud Sedem Apostolicam vacantia sint soli Papæ reservata, ostendit quæ, & quorum apud Sedem vacare dicantur eamdem.

DE TRANSLATIONE EPISCOPI.

TITULUS VII. *Continens IV. Capitula.*

Cap. I. *Cum ex illo*. (6) Patriarcha, qui confirmatum Archiepiscopum transfert ad Sedem episcopalem, ab Episcoporum confirmatione suspenditur.

Cap. II. *Inter*. (7) Electos in Episcopos & confirmatos transferre potest solus Papa.

Cap. III. *Quanto*. (8) Episcopus, qui propria auctoritate de sua Ecclesia se transfert ad aliam, carebit utraque.

Cap. IV. *Licet*. (9) Solus Papa transfert Episcopos, & indulgentia per eum super tali translatione concessa, ad litteram servanda est.

DE AUCTORITATE, ET USU PALLII.

TITULUS VIII. *continens VII. Capitula.*

Cap. I. *Cum super*. (10) Intra quamlibet Ecclesiam Provinciæ suæ Archiepiscopus Pallio uti potest, sed extra non potest.

☞ *Nec obest Cap. Ex tuarum 5. hoc eod. tit. in quo Archiepiscopo Compostellano conceditur facultas utendi Pallio etiam extra suam Provinciam, cum id speciale tantum gratia indultum fuerit.*

Cap. II. *Ad hoc*. (11) Archiepiscopus alteri Archiepiscopo Pallium suum commodare non potest.

Cap. III. *Nisi*. (12) Per Pallium confertur plenitudo pontificalis officii, & nomen archiepiscopale.

☞ *Nec obstat Cap. Suffraganeis 11. de Elect. ubi traditur Archiepiscopo ante Pallii receptionem facultas committendi aliis Episcopis consecrationem sui Episcopi suffraganei, nam ibi committit tantum jurisdictionem, non potestatem Ordinis, quæ ipsi prohibetur ante receptionem Pallii, ut hic.*

Cap. IV. *Ad honorem*. (13) Romanus Pontifex semper, & ubique utitur Pallio: alii in Ecclesiis suis, & certis diebus tantum.

Cap. V. *Ex tuarum*. (14) Archiepiscopus extra suam Provinciam Pallio uti non potest, etiam si hoc habeat consuetudo.

Cap. VI. *Cum sis*. (15) In qualibet Ecclesia suæ Provinciæ permissis diebus, Archiepiscopus Missam celebrans uti potest Pallio.

Cap. VII. *Quia nos*. (16) Sine Pallio, & sandaliis potest Archiepiscopus celebrare.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. XIX.*

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS *Lib. I. sub eod. Titulo & ibi tit. IV.*

Cap. unic. *Mal tiis*. (17) Pallii traditio per objectum criminis, vel defectus retardari non debet, nisi objiciens, præmisso juramento de objectis promptam fidem faciat; hoc est si intra bimestre ante diem collationis legitime non probaverit quod opponit.

DE RENUNCIATIONE.

TITULUS IX. *continens XV. Capitula.*

Cap. I. *Litteras*. (18) Non datur licentia cedendi Episcopo, qui propter senectutem vult cedere, si necessarius, vel utilis sit Ecclesiæ suæ.

Cap. II. *Cum inter*. (19) Qui renunciat beneficio cum juramento illud amplius non petendi, licite potest illud, si denuo eligatur, obtinere.

Cap. III. *Ex transmissa*. (20) Qui renunciavit beneficio, illud repetere non potest.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. XX.*

Cap. IV. *Admonet*. (21) Beneficiatus sine licentia Prælati sui beneficio renunciare non potest.

☞ *Nec obstat Cap.* Significatum 11. *de Prebend. ex quo infertur Prebendatum ob conditionem adjectam de ea non renunciando eamdem non posse renunciare auctoritate propria, adeoque præcisa conditione posse; ibi enim apposita fuit conditio, ut non posset renunciare sine assensu Capituli, & ideo hujus consensus requirebatur non de jure, ut respectu Episcopi juxta præsentem Decretalem, sed ex pacto.*

☞ *Nec caput* Accedens 8. *de crimin. Fal. nec Cap.* Ex ore 3. *de his, quæ fiunt a major. par. nec Cap.* Sollicita 2. *de restit. spoliat. nec Cap.* Cum venisset *de consuet., nec Cap.* Eo libentius *de servis non ordin. nec Cap.* Post electionem 7. *de concess. preb. nec tandem Cap.* Si electio 26. *de elect. in 6. in quibus statuitur cuicumque licere juri suo renunciare; ibi enim agitur de renunciatione expresse, vel tacite a Superiore admissa, sed libere facta, ut unicuique licet, si a Superiore admittitur.*

☞ *Vide Additiones meas lib. I. tit. 9. post n. 8.*

Cap. V. *Super*. (22) Contra petentem beneficium admittitur spontaneæ abjurationis exceptio, etiam causa renunciationis non adjecta, contra quam actor replicare poterit, quod non sponte renunciavit, & qui melius probaverit, obtinebit.

Cap. VI. *In præsentia*. (23) Qui sponte renunciavit electioni de se factæ, super ipsa ulterius audiri non debet.

Cap. VII. *Sane*. (24) Qui renunciavit litteris beneficialibus, non ideo institutioni jam factæ renunciare videtur.

Cap. VIII. *Quod in dubiis*. (25) Renunciatio beneficii facta in manibus laici non tenet; renuncians tamen est beneficio spoliandus.

Cap. IX. *Ad supplicationem*. (26) Papa concedit licentiam cedendi Episcopo, qui sine mortis periculo in Ecclesia sua morari non potest.

(1) *Idem.* (2) *Bonif. VIII.*
(3) *Benedict. XI.*
(4) *Idem,*
(5) *Joan. XXII. Avvenion.*
(6) *Innoc. III. Antioch. Patriarch.*
(7) *Idem Decano, & Capit. Andegaven.*
(8) *Idem Bambergen. Episc. & Petro Scholastic. Moguntinen.*
(9) *Idem Bambergen. Episc. & Magistro Præpositino Scholastico Moguntin.*
(10) *Clem. III.*

(11) *Cælest. III.* (12) *Innoc. III. C. Presbyt. Card. Apostol. Sed. Leg.* (13) *Idem.* (14) *Idem Compostel. Archiep.*
(15) *Idem.* (16) *Honor. III. Archiep. Lugdun.*
(17) *Joan. XXII. Avenioni.*
(18) *Alex. III. Lugdunen. Archiep.*
(19) *Idem Abbat. Dolonen. & Prior. de Arcigia.*
(20) *Idem Episc. Verulan.*
(21) *Idem Episc. Tornacen.* (22) *Clem. III.*
(23) *Idem, vel Cælest. III.* (24) *Cælest. III.*
(25) *Innoc. III. Nidronien. Archiep.* (26) *Idem Eboracen. Archiep.*

Cap. X. *Nisi*. (1) Causæ, ex quibus Episcopi possunt petere, & Papa consuevit concedere cedendi licentiam, his versibus comprehenduntur.

Debilis, ignarus, male conscius, irregularis.
Quem mala plebs odit, dans scandala cedere possit.

Cap. XI. *Post translationem*. (2) Episcopus, qui propter crimen renunciavit Episcopatui, & ad Religionem transivit, ad Episcopatum reassumi non potest. Secus si renunciavit propter persecutionem, infirmitatem, defectum scientiæ, simoniam, ipso ignorante, commissum, vel aliam similem causam.

Cap. XII. *Quidam*. (3) Qui petiit cedendi licentiam, ex quo illam obtinuit, cedere compellitur.

Cap. XIII. *Veniens*. (4) Non renunciat juri suo, qui gratia adversarii se submittit.

Cap. XIV. *Lecta*. (5) Si Prælatus ab obedientia subditos absolvit, non propter hoc Prælaturæ renunciat.

Cap. XV. *Dilecti*. (6) Abbas exemptus sine licentia Papæ renunciare non potest.

IN SEXTO *Lib. I. sub eodem Titulo, & ibi tit. VII. continente II. Capitula.*

Cap. I. *Quoniam*. (7) Romanus Pontifex potest libere Papatui renunciare.

Cap. II. *Si te*. (8) Si in fraudem expectantis primam vacaturam, cum in proximo crederetur pinguis vacare, renunciet aliquis tenuem, quam habebat, non tenetur expectans illam recipere; imo illa dimissa expectabit aliam sine fraude vacantem. Et si illi renuncianti illa pinguis postea conferatur, hoc ipso probata sit fraus, & carebit utraque.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. XXI.*

IN CLEMENTINIS *Lib. I. sub eodem Titulo, & ibi tit. IV.*

Cap. unic. *Cum illusio*. (9) Renunciatio dignitatis, vel beneficii facta per procuratorem ad hoc constitutum, tenet; licet prius procurator fuerit revocatus, ipso tamen, & Superiore, cui fiebat cessio, ignorante; nisi per malitiam ipsorum, vel aliorum revocatio ipsis fuerit occultata.

DE SUPPLENDA NEGLIGENTIA PRÆLATORUM.

TITULUS X. *continens V. Capitula.*

Cap. I. *Statuimus*. (10) Si Diœcesanus requisitus benedicere nolit Cisterciensem Abbatem, ipse monachos suos benedicere poterit.

☞ *In Constit. Bened. XIII.* Commissi *6. Maji* 1725. *Omnes Abbates regulares, etiam perpetui licet ratione solius administrationis, teneantur infra annum a die eorum electionis computandum suscipere, vel saltem ter petere solemnem benedictionem ab Episcopis, in quorum Diœcesibus sita sunt eorumdem monasteria, sub pœna suspensionis ab officio per annum ipso facto. Semel autem benedicti non tenentur iterum benedici, vel petere benedictionem, licet ad gubernium alterius monasterii translati fuerint. Interdicitur Episcopis sub pœna interdicti per annum ab usu Pontificalium, eorumque Officialibus tam ante, quam post benedictionem receptio cujuscumque muneris, etiam comestibilium: ac insuper solemnis pompa, qua sumptus quantumvis medicos, etiam prandii secum ferat.*

In hac tamen Constit. non comprehenduntur Abbates habentes privilegium ex speciali concessione, non autem per viam communicationis, ut sine hac benedictione exercere possint actus abbatiales, vel illam recipere a suis Superioribus regularibus.

Cap. II. *Sicut*. (11) Regulares in suos usus convertere non possunt Ecclesias, in quibus jus obtinent patronatus; & si infra tempus Lateranensis Concilii in cap. *Nulla 2. de concess. præbend.* quando vacant non præsentent Rectores ad eas, Superior ordinabit easdem.

Cap. III. *Licet*. (12) Supplet Superior inferioris negligentiam in beneficiis conferendis, si tempus Lateranensis Concilii lapsum sit; & collatio per inferiorem postea facta non valet, ut in cap. *Nulla 2. de concess. Præbend.*

Cap. IV. *Litteras*. (13) Si is, ad quem spectat beneficii collatio, lapso tempore Lateranen. Conc. conferat, non valet collatio, nisi de misericordia toleretur.

Cap. V. *Dilectio*, (14) Is, ad quem primo loco spectabat collatio beneficii, lapso tempore Lateranen. Conc. conferre non poterit.

IN SEXTO *Lib. I. sub eodem Titulo, & ibi tit.* VIII. *continente IV. Capitula.*

Cap. I. *Romana*. (15) Jurisdictio Suffraganei excommunicati ad Metropolitanum non devolvitur.

Cap. II. *Grandi*. (16) Si ille, qui præest, est negligens, & remissus, debet Superior illi dare idoneum coadjutorem.

Cap. III. *Si Episcopus*. (17) Episcopo a Paganis, vel a Schismaticis capto, non Archiepiscopus, sed Capitulum administrat: nisi Papa quam cito hoc fieri poterit, super hoc per Capitulum consulendus aliter ordinaret.

☞ *Ex decreto Cong. Conc. 7. Augusti 1683. relat. a Bened. XIV. lib.* XIII. *de Synod. Diœc. cap. 16. n. 11. Capitulum non administrat, quando Episcopus, licet captus, potest per litteras Diœcesis regimini providere, cum tunc ipsius jurisdictio non remaneat suspensa.*

Cap. IV. *Ecclesia*. (18) Ecclesia cathedrali vacante, solus Papa Visitatorem deputat, nisi Archiepiscopus propter negligentiam, vel dolosam Capituli administrationem cum causæ cognitione deputaret.

Visitator Ecclesiæ vacantis ab inferiore a Papa deputatus temporalia, & spiritualia administrat, excepta beneficiorum collatione ad Episcopum pertinente.

IN CLEMENTINIS *Lib. I. sub eodem Titulo, & ibi tit. V.*

Cap. unic. *Quia*. (19) Si Prælati regulares non conferunt intra sex menses Prioratus, Administrationes, & Ecclesias vacantes, quæ non sunt de mensa, sed solent speciales, licet obedientiarios, Rectores habere, Diœcesani auctoritate sua, vel Apostolica, si sint exempta, conferunt illa personis, quibus per Prælatos fuerant conferenda. Nec permittunt illa applicari mensis Prælatorum, vel pensionibus gravari. Declarantur etiam Decretales de offic. Ordin. *Præsenti*, & de Præben. *Cumsingula* in talibus Prioratibus, & Ecclesiis locum habere.

☞ *Quoad collationem concordat Trid. sess. 14. cap. 10. de reform. & sess. 25. c. 21. de Regul.*

DE TEMPORIBUS ORDINATIONUM, ET QUALITATE ORDINANDORUM.

TITULUS XI. *continens XVII. Capitula.*

Cap. I. *Subdiaconos*. (20) Diebus Dominicis, vel Sabbato Pentecostes Sacri Ordines ab alio, quam a Papa conferri non debent.

Cap. II. *Sane*. (21) Non valet consuetudo, quod extra statuta tempora Sacri Ordines conferantur.

☞ *Et sic ordinati non sunt permittendi in susceptis ministrare, ut in textu.*

Cap. III. *De eo*. (22) Minores Ordines conferri possunt diebus festis; Sacri vero conferri debent in quatuor temporibus, vel Sabbato Sancto, vel Sabbato de Passione.

☞ *Concordat Trid. sess. 23. cap. 8. de refor. & vide correctionem Elencho II. n. XXII.*

Cap. IV. *Ex tenore*. (23) Criminosus occultus moneri potest, ne promoveatur ad Ordines, sed prohiberi non debet.

☞ *Vide correctionem Elencho I. num. IX. & Elencho II. num. XXIII.*

Cap. V. *Ad aures*. (24) Religiosus contra prohibitionem Prælati sui ordinari non debet.

☞ *Quoad Episcopos recusantes aliquem ordinare vide Elencho VI. n. XLIX.*

Cap. VI. *Si Archiepiscopus*. (25) Metropolitanus ab omnibus Suffraganeis consecratur: Suffraganeus vero a tribus, Metropolitano jubente.

☞ *Suffraganei inviti compelli possunt accedere ad Metropolitanam Ecclesiam pro consecratione Metropolitani, non obstante decreto Trident. sess. 24. cap. 2. de reform. quo cavetur tantum, ne compelli possint ad eum accedere prætextu cujuslibet consuetudinis.*

Cap. VII. *Nec Episcopi*. (26) Dicit idem quod in præcedenti.

☞ *His duabus Decretalibus non obstat cap.* Bonæ *23. de Elect. in quo constat Archiepiscopum Moguntinum consecratum*

(1) *Idem Episc. Calaritan.*
(2) *Idem Episc. Favent. in Archiep. Raven. electo.*
(3) *Idem in Conc. gen. Lateran.*
(4) *Honor. III. Major. Eccles. Decan. & Magistr. P. Cantori, alii Canonici S. Dionysii Leodien.* (5) *Idem Archiep. Treviren.* (6) *Idem Agathen. & Nicen. Episc.* (7) *Bonif. VIII.* (8) *Idem.*
(9) *Clem. V. in Conc. Vien. an.* 1312, *in Gall.*
(10) *Alex. III. Cisterciensib.* (11) *Innoc. III.*
(12) *Idem Flyen. & Cistren. Episc. & Archid. Nivern.*
(13) *Idem Magistr. P. de Castr. nov. & R. Monach. Fontis frigid. Apostol. Sed. Legat.* (14) *Idem Episc. Zamoren. & Ab. Demorterda Diœc. Zamoren.*
(15) *Innoc. IV.*
(16) *Idem Baronib. & Comitib. Regni Portugal.*
(17) *Bonif. VIII.*
(18) *Idem.*
(19) *Clem. V. in Conc. Vien.*
(20) *Alex. III. Batom. Episc.*
(21) *Idem Episc. Nerfordin.*
(22) *Idem eidem.*
(23) *Idem Henrico Albanen. Episc.*
(24) *Luc. 3. Archiep. Turonen.*
(25) *Anicet.*
(26) *Ex Conc. Aralaten. 11. Cap. 5. can. 5.*

cratum fuisse a solo Cardinali Praenestino Episcopo, & Legato Sedi Apostol. quia id fecit ex mandato speciali Papae propter dissensionem eligentium.

☞ *Ceterum hodie cum dispositiones Cathedralium, & superiorum Ecclesiarum pertineant pleno jure ad Sedem Apostol. ut in Pontific. Roman. tit. de consecrat. Episcop. par. I. tit. 22. consecrationes fiunt ex speciali commissione Papae.*

Cap. VIII. *Cum quidam.* (1) Ordinatus extra tempora, suspenditur, donec dispensetur cum eo, & Ordinans punitur.

☞ *Vide correctionem Elencho I. n. X.*

Cap. IX. *Cum secundum.* (2) Graeci a Latinis ordinari non debent, nec e contra, si in ritu ordinandi sunt diversi.

☞ *Vide Additiones meas lib. I. tit. 15. post n. 4.*

Cap. X. *Ex parte.* (3) Si Monachus unius Ordinis in secundo Ordine, ad quem transivit, recipit Sacerdotium: ad primum Ordinem rediens, in eo libere ministrabit.

Cap. XI. *Quod Translationem.* (4) Si Graecus Episcopo latino subjectus ordinatur, sine latini licentia a Graeco, interdicitur sibi executio; si vero de licentia, tunc toleratur.

☞ *Vide notata cap.* Cum secundum *9. supra.*

Cap. XII. *Cum in distribuendis.* (5) Ordinatus a Papa, sine licentia Papae ad superiores Ordines non promovetur.

☞ *Perperam ex hoc Innoc. III. textu Gloss. & omne Canonistae inferunt hanc assertionem, quae licet ceteroquin vera, non tamen in eo fundatur, cum hic agatur de Subdiacono, qui non praecise indigebat indulto, ut promoveri posset ad superiores Ordines ab alio quam a Papa, quia ab hoc ordinatus esset honoris tantum causa, de qua Can.* In parochia 131. caus. 16. q. 1. *sed quia in ordinatione adscriptus fuerat servitio Ecclesiae Romanae, ut colligitur ex ipsissimet verbis textus* ut quia Ecclesiae Romanae Subdiaconus erat, *a qua sine ejusdem Papae licentia egredi non poterat juxta dispositam a D. Greg. Magno E*pist. 38. lib. 5. tom. 2. Indict. 13. *& a S. Greg.* VII. can. 15. relato in ejus Dictato; *verum fundatur in responsione ejusdem Innoc. ad Philippum Lampugnano, qui saeculo XII. erat Archiep. Mediolanen.* Epist. 22. libr. 1. tom. 1. edit. Balutii, *ex cujus integro contextu constat eidem Philippo indulsisse, ut ad alios Ordines promovere posset ordinatos honoris tantum causa a Romano Pontifice. Hanc ordinationem honoris tantum causa pluries peractam vidimus hac nostra aetate a Benedicto XIII. qui statim post Ordinum collationem dispensabat cum a se ordinatis, ut a propriis Episcopis promoveri possent absque alio indulto.*

Cap. XIII. *Litteras.* (6) Duo sacri Ordines non possunt conferri eidem uno die, vel duobus, continuato jejunio.

Cap. XIV. *Vel non est.* (7) Ordinans puerum tredecim annorum in Diaconum, suspenditur a collatione Ordinum, & ordinatus ab ipsius executione usque ad aetatem legitimam.

☞ *Suspensio ordinati ex Const. Pii II.* Cum ex Sacrorum, *incurritur ipso jure, & durat quamdiu absolutionem obtinuerit; non tamen procedit in promotis ad minores Ordines. Circa hujusmodi ordinationem, & onera Ordini adnexa respectu sic ordinati, vide Instructionem Benedicti XIV. super dubiis ad ritus Ecclesiae nationis Cophtorum in ejus Bullario tom. 1. 4. Maji 1745. a §. 20. ad 32.*

Cap. XV. *Dilectus.* (8) Episcopus conferens eidem una die plures sacros Ordines, etiamsi de mandato Metropolitani hoc fecerit, ab ordinandi potestate suspenditur.

Cap. XVI. *Consultationi.* (9) Ordinatus ad Sacros extra tempora statuta, Ordinem recipit, & post poenitentiam cum eo dispensat Episcopus.

Cap. XVII. *Quaesitum.* (10) Occultus criminosus, praeter homicidam, post poenitentiam in susceptis ministrat, & ad Superiores ascendit: ante poenitentiam monetur, ut etiam in susceptis non ministret.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. XXIV.*

IN SEXTO *Lib. I. sub eodem Titulo, & ibi tit.* IX. *continente IV. Capitula.*

Cap. I. *Saepe.* (11) Episcopus Italiae Ultramontanum non ordinet, nisi de speciali licentia Papae, vel per patentes litteras Episcopi sui, continentes justam causam, quare nolit, vel non possit illum ordinare: si secus factum fuerit, Ordinans punietur poena condigna, & ordinatus manebit suspensus: ita quod etiam a Poenitentiariis Papae sine ipsius speciali licentia absolvi non poterit.

☞ *Hodie ex Constit. Bened. XIV.* Pastor bonus 13. *Aprilis 1744. §. 6. Major Poenitentiarius habet facultatem absolvendi ab hac suspensione absque speciali licentia Papae.*

Ex Constit. Urbani VIII. Secretis 11. *Decem.* 1624. *interdicitur Episcopis Italiae promovere ad quoscumque Ordines, atque etiam ad Clericalem Tonsuram Ultramontanos, nisi dimissoriis ipsorum Ordinariorum recognitae, & subscriptae fuerint a Nunciis Apostolicis, seu Collectoribus earum Regionum, ac itidem recognitae & approbatae ab Urbis Vicario, sub poena in Ordinantes suspensionis per annum a Pontificalibus, & perpetuae suspensionis in Promotos ipso facto incurrendae.*

Cap. II. *Eos qui,* (12) Qui scienter ordinaverint Clericum alienum, per annum a collatione Ordinum sunt suspensi: & postquam suspensio fuerit manifesta, poterunt subditi sine ipsorum licentia a vicinis Episcopis ordinari.

☞ *Vide ampliationem Elencho III. n. IV.*

Cap. III. *Cum nullus.* (13) Episcopus originis, domicilii, vel ecclesiastici beneficii commendatitias ad Ordines dare potest: inferiores Praelati non, nisi ex privilegio, nec officiales Episcoporum; sed ii, qui habent administrationem spiritualium, illas bene concedunt.

☞ *Vide Elencho VI. n. XXVIII. & correctionem Elencho II. n. XXV.*

Possunt Episcopi ordinare Priores prioratuum non exemptorum, & ipsorum socios, quamdiu morantur in illis: licet inde non fuerint oriundi.

Cap. IV. *Nullus.* (14) Episcopus, seu alius inferior primam Tonsuram infanti non confert, nisi Religionem intret: nec homini illiterato, nec homini alterius Dioecesis, absque sui Praelati licentia; nec etiam conjugato, nisi Religionem intret, aut ad sacros Ordines promoveatur legitime: alias contrafaciens incurrit suspensionem per unum annum a collatione clericalis Tonsurae dumtaxat.

☞ *Vide ampliationem Elencho III. n. VI.*

DE SCRUTINIO IN ORDINIBUS FACIENDO.

TITULUS XII.

Cap. unic. *Ex parte.* (15) Episcopus interrogatus in scrutinio Episcopi ordinandi, potest respondere illum dignum, si non novit illum indignum.

DE ORDINATIS AB EPISCOPO, QUI RENUNCIAVIT EPISCOPATUI.

TITULUS XIII. *continens II. Cap.*

Cap. I. *Requisivit.* (16) Episcopus qui renunciavit loco tantum; invitatus conferre potest Ordines, sicut prius. Si vero & dignitati, cum ordinato per eum ad minores, vel ignoranter ad Sacros dispensat Episcopus suus: cum ordinato vero scienter ad Sacros non dispensat.

Cap. II. *Cum Clericis.* (17) Cum Clericis, qui ab excommunicato Episcopo ignoranter Ordines receperunt, per suos poterit Episcopos dispensari.

☞ *Intellige, si ignorantia fuerit crassa, vel supina. Si vero scientes mala fide id fecerint, dispensandi sunt a Papa. At si totaliter ignoraverint, non erunt proprie suspensi, neque irregulares, sed improprie, quatenus ante dispensationem peccant ministrando in susceptis post habitam notitiam.* Thesaur. de Poenis Verb. Ordo Cap. 24.

DE AETATE, QUALITATE, ET ORDINE PRAEFICIENDORUM.

TITULUS XIV. *continens XV. Capitula.*

Cap. I. Ut *Abbates.* (18) Agit de illis, qui ad Ordines sacros suae dignitati, & gradui congruentes necessario promovendi sunt sub poena amissionis Praelaturae, dignitatis, & praebendae. *Concordat Conc. Trid. sess. 22. c. 4. sess. 24. c. 12. de reform.*

Cap. II. *Ex ratione.* (19) Ecclesia dispensative minori concessa, non per Laicos sed per Clericos regi debet, donec ille perveniat ad aetatem.

Cap. III.

(1) *Urban. III. Archiep. Pisan.* (2) *Caelest. III. Hydrunt. Archiep.*
(3) *Innoc. III. Ab. & Conven. Carileci Bizuntin. Diac.*
(4) *Idem C. Presbyt. Card. Apost. Sed. Leg.*
(5) *Idem Mutinen. Episc.* (6) *Idem eidem & Magist. Uber. Subdiac. Canonic. Modocien.* (7) *Honor. III. Episc. & Archid. Legion.*
(8) *Innoc. III. Laonien. Findbarren. Episc. & Ab. de Magio Limiricen. Diac.* (9) *Greg. IX. Archiep. Baren.*
(10) *Idem.*
(11) *Clem. IV.*
(12) *Greg. X. in Gener. Conc. Lugdun.*
(13) *Bonif. VIII.*
(14) *Idem.*
(15) *Innoc. III.*
(16) *Alex. III. Colonien. Archiep.*
(17) *Greg. IX.*
(18) *ex Conc. Pictavien.*
(19) *Alex. III. Cantuarien. Archiep.*

Cap. III. *Indecorum*. (1) Regimen Ecclesiæ minori XIV. annis committi non debet.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. XXVI.*

Cap. IV. *Eam te*. (2) Ad regimen Ecclesiarum non debet institui indignus scientia, moribus, vel ætate: & qui habet duas Ecclesias, alteram dimittere cogitur, nisi causa subsit.

☞ *Vide notata Elencho VI. a num. LXXIV. usque ad LXXIX.*

Cap. V. *Præterea*. (3) Is, qui nondum est in sacris, si alias est idoneus, ad regimen parochialis Ecclesiæ dispensative potest assumi.

☞ *Vide correctionem Elencho I. n. XI.*

Cap. VI. *Quæris*. (4) Propter necessitatem, & utilitatem Ecclesiæ compelluntur Clerici ipsius recipere Ordines suis beneficiis non annexos.

Cap. VII. *Ad aures*. (5) Eventus mortalitatis infirmi non impedit promoveri ejus medicum peritum, solicitum, & traditiones artis observantem.

☞ *Nec obstat*. Cap. Tua nos 19. de homic. *in quo dispensatur cum monacho, ut ministrare posset in susceptis Ordinibus, qui secundum regulas artis chirurgicæ secaverat tumorem cujusdam mulieris, quæ post paucos dies mortua est, quia hic dedit operam rei illicitæ, cum ars chirurgiæ monachis prohibita sit* cap. Magnopere, & cap. Super 10. Ne Clerici, vel Monachi.

Cap. VIII. *Cum bona*. (6) Qui steterit per annum in suspensione, privatur beneficio, quod prius habebat, & quod interim acquisivit.

Cap. IX. *A multis*. (7) Subdiaconus in Episcopum eligi potest.

☞ *Hic declaratur Ordinem Subdiaconatus computari inter sacros, & illum recepturum debere promittere se servaturum continentiam ad similitudinem Diaconi, & Presbyteri. Vide notata Elencho VI. n. XXXIX.*

Cap. X. *Tuam*. (8) Irregularis, & in minoribus potest dispensative in Abbatem institui.

Cap. XI. *Cum contingat*. (9) Abbas, si est Presbyter, & est benedictus, conferre potest Ordinem clericalem.

☞ *Cum Textus dicat hunc Ordinem clericalem conferri per primam Tonsuram, ortæ sunt controversiæ, an hæc sit vere Ordo, quas vide in* Fagnan. hoc eod. cap. per tot.

Cap. XII. *Intelleximus*. (10) Si Canonicus regularis factus monachus justa de causa ad canoniam reversus, ibi postea præficiatur, licite tenere poterit Prælaturam.

Cap. XIII. *Accepimus*. (11) Ordinatus ad Sacros sine titulo, ab Ordinatore juste petit beneficium.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. XXVII.*

Cap. XIV. *Cum sit*. (12) Minus idoneus in Sacerdotem promoveri, vel ad regimen animarum assumi non debet.

Cap. XV. *Quamvis*. (13) Defectus scientiæ dejicit jam promotum.

IN SEXTO *Lib. I. sub eodem Titulo, & ibi tit.* 10.

Cap. unic. *Permittimus*. (14) Episcopus dispensat cum majore XX. annis in dignitatibus, & personatibus non curatis, si aliud non obstet.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. XXXVIII.*

IN CLEMENTINIS *Lib. I. sub eodem Titulo, & ibi tit. VI. continente III. Capitula.*

Cap. I. *Cum Ecclesia*, (15) Diœcesani servare debent, & a suis subditis servari facere jura loquentia de qualitate personarum præficiendarum Ecclesiis.

☞ *Concordat Trid. sess.* 24. *c.* 12. *de reform.*

Cap. II. *Ut ii*. (16) In Capitulo cathedralis Ecclesiæ, vel collegiatæ vocem non habet, qui non est Subdiaconus. Habens beneficium, cui annexus est Ordo, post annum, nisi prius, impedimento cessante, promoveatur ad illum, in Capitulo vocem non habet, donec fuerit ordinatus, & interim perdit distributionem dimidiam.

☞ *Huic Clement. derogatum est a Martino V.* In Conc. Constan. sess. 43. tit. de dispens. *statuente esse ipso jure privatos, si infra dictum terminum non promoventur ad Ordines beneficiis annexos. Sed hodie attendendum est decretum Trid.* sess. 22. cap. 4. *statuens procedendum esse juxta hanc Clementinam, quam innovat, ut Elencho IV. n. IV. Quæ tamen Martini Const. servanda est in illis beneficiis, quæ habent Ordines annexos, & non sunt in cathedrali, vel collegiata Ecclesia, nec comprehenduntur in* Cap. Statutum de Elect. in 6.

Cap. III. *Generalem*. (17) In XVIII. anno ad Subdiaconatum; in XX. ad Diaconatum; in XXV. ad Presbyteratum potest quis libere promoveri.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. XXIX.*

DE SACRA UNCTIONE.

TITULUS XV.

Cap. unic. *Cum venisset*. (18) Ecclesia Græcorum in ordinationibus, & consecrationibus servare debet unctiones, quas servat Ecclesia Romana. Episcopus autem cum consecratur, inungitur chrismate in capite, & manibus; quod si fuerit prætermissum, per tres Episcopos est supplendum.

Tractat de unctione Regum, & de differentiis in unctione inter Reges, & Pontifices.

Tractat de Christianorum omnium unctione: de unctione Chrismatis post baptismum, quæ dicitur Confirmatio, & de consecratione Altaris.

☞ *Hujus minister ordinarius est solus Episcopus ex* Trid. sess. 7. de confir. can. 3. *delegari tamen potest facultas id administrandi simplici Sacerdoti auctoritate Apostolica, ubi concurrat necessitas, & difficultas habendi Episcopum, chrismate tamen ab Episcopo consecrato ex Const. Benedicti XIV.* Eo quamvis 4. *Maji* 1745. *Vide Additiones meas* hoc eod. tit. post n. 4.

DE SACRAMENTIS NON ITERANDIS.

TITULUS XVI. *continens III. Capitula.*

Cap. I. *Pastoralis*. (19) In ordinato in Subdiaconum sine manuum impositione, & confirmato non chrismatis, sed olei unctione, non fiet iteratio, sed supplebitur prætermissum.

Cap. II. *A nobis*. (20) Prohibet sepultos a schismaticis exhumari: vestimenta, cum quibus celebrarunt, iterum benedici: & altaria, in quibus celebrarunt iterum consecrari.

Cap. III. *Presbyter*. (21) Si in ordinatione Presbyteri, vel Diaconi manus impositio fuerit prætermissa, statutis temporibus supplebitur.

DE FILIIS PRESBYTERORUM ORDINANDIS, VEL NON.

TITULUS XVII. *continens XVIII. Capitula.*

Cap. I. *Ut filii*. (23) Illegitimus non ordinatur, nisi ut Religiosus fiat: nec tunc præficitur, idest ad Prælaturam non habilitatur.

☞ *Ad Ordines quod spectat, concordat Constit. Sixti V.* Sanctum. *Quoad Regulares vide in Auctore hoc eodem* tit. n. 5. *Pro Monialibus autem illegitimis, ut eligi possint Abbatissæ etiam in Italia, in qua ex Const. Greg. XIII.* Exposcit *eligi tantum possunt ad triennium, recurrendum est pro dispensatione ad Sedem Apostolicam*, ut ex Fagnano in hoc eod. cap.

Cap. II. *Ad præsentiam*. (23) Illegitimus filius Sacerdotis, qui hoc tacito per rescriptum Apostolicum paternam Ecclesiam impetravit, removetur ab illa.

☞ *Concordat* Trid. sess. 25. cap. 15. de reform. *& ex Constit. Clemen. VII.* Ad Canonum Conditorem 3. *Jun.* 1530. *removetur etiam filius illegitimus cujuscumque Clerici. Vide ampliationem Elencho III. n. VII.*

Cap. III. *Præsentium*. (24) Non potest filius Sacerdotis Ecclesiæ paternæ præesse.

☞ *Nota ut supra.*

Cap. IV. *Conquerente*. (25) *Idem dicit, & nota ut supra.*

Cap. V. *Veniens* (26) Episcopus, qui scienter contulit filio Sacerdotis paternam Ecclesiam, exinde eum removere non potest.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. XXX.*

Cap. VI. *Proposuit*. (27) *Gratiam continet, & hoc dicit*, ex quo filius Sacerdotis est ordinatus, non debet carere beneficio.

Cap. VII. *Ex transmissa*. (28) Filius præesse potest Ecclesiæ, cui Prætor præfuit mediate.

☞ *Huic*

(1) *Idem eidem, & ejus suffragan.*
(2) *Idem Tornac. Episc.*
(3) *Idem Brixien. Episc.*
(4) *Idem ut aliqui volunt.*
(5) *Clem. III. R. Colon. Canonic.*
(6) *Cælest. III.* (7) *Innoc. III. Mutinen. Episc.*
(8) *Idem Presbyt. Card. Tit. S. Crucis.*
(9) *Idem Rotomag. Archiep.*
(10) *Idem Ab. S. Martini Laudunen. Præmonstr. Ord.*
(11) *Idem Stephano Archiep. Bracharen.*
(12) *Idem in Conc. gen. Later.*
(13) *Honor. III. Archiep. Mediolanen.*
(14) *Bonif. VIII.*
(15) *Clem. V. in Conc. Vien.*
(16) *Idem.*

(17) *Idem.* (18) *Innoc. III. Archiep. Trinanitano.*
(19) *Innoc. III. Helien. Episc.* (20) *Honor. III. Capit. Brehen.*
(21) *Greg. IX. Archiep. Lundunen.*
(22) *ex Conc. Pictav.*
(23) *Alex. III. Lincon. Electo.*
(24) *Idem.* (25) *Idem Vvigoren. Episc.*
(26) *Idem Lugdun. Episc.*
(27) *Idem Oxon. Episc.* (28) *Idem Richardo Archiep. Cantuar. Apost. Sed. Legat. & R. Vvigor. Episc.*

☞ *Huic derogatum est ab Alex. VII. cit. Constit.* Ad Canonum *id diserte vetante.*

Cap. VIII. *Constitutus.* (1) Filius præesse potest Ecclesiæ, in qua Pater sine titulo ministravit.

☞ *Secùs est ex Constit. Clementis VII. ut infrà Cap. XI.*

Cap. IX. *Ex tua.* (2) Si is, cui concessum est a Papa, ut possit dispensare cum filiis Sacerdotum circa Ecclesias paternas immediate tenendas, cum aliquo dispensat; ille per litteras justitiæ postea contra eum impetratas removeri non poterit.

Cap. X. *Quoniam.* (3) Si manifestum est, quod filius in Ecclesia immediate successit patri, sine aliqua testium receptione ab illa removebitur.

Cap. XI. *Ad extirpandas.* (4) Filius etiam legitimus removetur ab Ecclesia, in qua immediate successit patri Vicario, vel Rectori.

☞ *Hæc decretalis permittens ex contrario sensu filios Clericorum, & præsertim Sacerdotum, sive legitimos, sive illegitimos, media intercedente persona habere posse Ecclesias paternas, expresse abrogata est a Clement. VII. cit. Constit.* Ad Canonum. *Imo ex* Trident. sess. 25. c. 15. *Illegitimi neque habere possunt pensiones super fructibus beneficiorum, quæ patres eorum obtinent, vel obtinuerunt.*

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. XXXI.*

Cap. XII. *Ad hæc.* (5) Filius Episcopi legitime natus promoveri potest ad Ordines; & paterna Ecclesia beneficiari.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. XXXII.*

Cap. XIII. *Michael.* (6) Non potest filius esse Vicarius illius Ecclesiæ, in qua Pater proximus fuit Rector.

Cap. XIV. *Litteras.* (7) Illegitime genitus, etiam de uxore, sine dispensatione ad Ordines, vel beneficia promoveri non potest.

☞ *Pro illegitime genito hic intelligitur filius natus ex legitima uxore, postquam pater factus est Sacerdos, & mater Religionem professa est: iniquo casu filius dicitur illegitimus quoad Ordines, & beneficia ecclesiastica, licet sit legitimus quoad hæreditatem, aliaque temporalia.*

Cap. XV. *Cum decorem.* (8) Illegitimus in Ecclesia paterna præbendari non debet.

Cap. XVI. *Ad abolendam.* (9) Si illegitimus, maxime filius spurius, instituitur in Ecclesia, in qua institutus est pater, institutio non valet, & instituens a suis beneficiis suspendatur.

Cap. XVII. *Dilectus.* (10) Alius, quam Papa non dispensat, ut filius in Ecclesia paterna immediate succedat.

☞ *Nec obstat* cap. Veniens 3. hoc eod. tit. *ubi statuitur filium Sacerdotis institutum in Ecclesia, in qua ejus pater proxime ministravit, non esse removendum, quia id factum fuit ex dispensatione Pontificia.* Gonzalez.

Cap. XVIII. *Nimis.* (11) Illegitimus absque dispensatione Papæ ad dignitatem, vel personatum, vel beneficium curatum promoveri non potest.

☞ *Nec obstat* Cap. Cum de tua 2. de corp. vit. *in quo Archiepiscopus Cantuariensis dispensavit cum illegitimo, ut eligeretur in Episcopum, quia id fecit de mandato speciali Papæ, ut in textu. Nec cap.* Cum olim *6. de Cleric. conjug. ubi filius Presbyteri electus, & confirmatus fuit Episcopus Angleriensis, nam natus erat ex Sacerdote græco, cui etiam post Sacerdotium licebat uxorem retinere cap.* Quæsitum *7. de pænit. & remis.*

IN SEXTO *Lib. I. sub eodem Titulo, & ibi tit. XI. continente II. Capitula.*

Cap. I. *Is, qui.* (12) Cum illegitime natis dispensant Episcopi in minoribus Ordinibus, & beneficio sine cura; dummodo sit tale, in quo alias dispensare possint, in aliis dispensatio Papæ requiritur.

☞ *Vide adnotata supra in cap. 1. hoc eod. tit.*

Si dispensatum fuerit cum aliquo, quod non obstante ullo defectu, possit ad curatum beneficium promoveri, prætextu illius dispensationis non poterit duo beneficia insimul obtinere.

Cap. II. *Si is.* (13) Si ille, cum quo super defectu originis in curato beneficio fuerit dispensatum, eo tacito, super pluralitate dispensationem obtineat, non valet dispensatio.

DE SERVIS NON ORDINANDIS, ET EORUM MANUMISSIONE.

TITULUS XVIII. *continens VIII. Capitula.*

Cap. I. *Instruendi.* (14) Servus ante plenam manumissionem ordinari non debet.

☞ *Ex Constit. S. Pii V.* Dignum *5. Id. Septemb. 1566. mancipia quæcumque sub jugo servitutis quomodolibet alligata christianam Religionem prius amplexa, confugientia ad Senatum Cameræ Urbis, ejusque Conservatores, libertatemque acclamantia, libertatem consequuntur, & Romani cives, liberique homines in omnibus efficiuntur. Idem prius statuerat Paulus III.*

Cap. II. *De servorum.* (15) Servus sine licentia domini ordinatus, deponitur, & domino restituitur.

Cap. III. *De familiis.* (16) Servus ab Ecclesia manumissus, ordinari potest: & quod acquirit, post suum obitum erit Ecclesiæ manumittentis: quam si accusat, vel contra eam testificatur, libertate, & ordine privetur.

Cap. IV. *Nullus.* (17) Dominus in servo, quem manumittit, potest spirituales operas retinere.

Cap. V. *Consuluit.* (18) Spurii, vel servi ordinari non debent.

Cap. VI. *Eo libentius.* (19) Manumissus ab Ecclesia, ut fiat Clericus, & ei perpetuo serviat in Divinis, ad aliam se transferre non potest. Secus si absolute fuerit manumissus.

Cap. VII. *Miramur.* (20) Jus competens servo facto Diacono, competit & Subdiac.

Cap. VIII. *Dilectus.* (21) Natus ex patre servo, & libera matre licite ordinatur.

DE OBLIGATIS AD RATIOCINIA ORDINANDIS, VEL NON.

TITULUS XIX.

Cap. unic. *Magnus.* (22) Obligatus ratiociniis, deposito onere, & reddita ratione, ordinari potest, prius vero non.

DE CORPORE VITIATIS ORDINANDIS, VEL NON.

TITULUS XX. *continens VII. Capitula.*

Cap. I. *De Presbytero.* (23) Presbyter, qui in duello digiti partem amisit, ex Dispensatione sui Episcopi potest in suo Ordine ministrare.

☞ *Ista dispensatio dari potest ab Episcopo, non obstante infamia juris, quam duellantes incurrunt eo ipso ex Constit. Clemen. VIII.* Illius vices, *quia in ea reservatur tantum Papæ absolutio ab excommunicatione ob duellum incursa; & in Const. Pii IV.* Ea, quæ. *reservatur eidem Pontifici sola dispensatio super pœna privationis beneficiorum, & dignitatum, & inhabilitationis ad illa. Ita* Thesaur. de pœnis Verb. Duellum c. 1. n. 3. in fin.

Cap. II. *Cum de tua.* (24) Habens in oculo maculam, quæ non inducit magnam deformitatem, etiam ad Episcopatum poterit promoveri.

Cap. III. *Ex parte.* (25) Sectus in cunabulis licite promovetur.

Cap. IV. *Significavit.* (26) Sacerdos, qui sine causa virilia sibi fecit abscindi, credens inde mereri, de dispensatione Episcopi suum officium, præter Altaris ministerium, poterit exercere.

Cap. V. *Ex parte.* (27) Sacerdos, qui ex justa causa fecit sibi virilia abscindi, potest, ut prius, sacerdotale officium exercere.

Cap. VI. *Exposuisti.* (28) Mutilatus manu, si promotus fuerit in Abbatem, ab Abbatia deponitur, cum irregularitatem contraxerit propter reticentiam hujus defectus in sua promotione ad sacros Ordines.

Cap. VII. *Thomas.* (29) Carens ungula pollicis, dummodo

(1) *Idem Vuigoren. Episc.*
(2) *Idem Eboracen. Archiep.*
(3) *Idem Cantuar. Archiep. & ejus suffrag.*
(4) *Idem eidem.*
(5) *Clem. III. Cassel. Archiep.*
(6) *Idem.* (7) *Idem.*
(8) *Innoc. III.*
(9) *Idem in Conc. gen. cap. 31.*
(10) *Honor. III. Decan. Morinen.*
(11) *Greg. IX. Turonen. Archiep.*
(12) *Bonif. VIII.* (13) *Idem.*

(14) *Ex Conc. Toletan.*
(15) *Ex capitul. Carol. Magn. lib. 1. cap. 82. vel 88.*
(16) *Ex Conc. Toletan. IV. cap. 74.*
(17) *Ex Conc. apud Altheum.*
(18) *Alex. III. Archiep. Tolet.*
(19) *Innoc. III. Vacien. Episc.*
(20) *Idem fortasse.*
(21) *Greg. IX. Archiep. Neapolit.*
(22) *Ex Conc. Carthag. cap. 8.*
(23) *Alex. III. Salernit. Archiep.*
(24) *Idem Citestren. Electo.*
(25) *Clem. III. Varinonen. Episc.*
(26) *Idem Archiep. Raven.*
(27) *Innoc. III. Parisien. Episc.*
(28) *Idem Militen. vel Milicen. vel Milten. Melden. Episc.*
(29) *Honor. III. Episc. Engolismen. vel Engrolismen. vel Engolisin.*

modo sit fortis in pollice, licite ad Sacerdotium promovetur.

DE BIGAMIS NON ORDINANDIS.

TITULUS XXI. *continens VII. Capitula.*

Cap. I. *Ut bigami.* (1) Poenitentes, vel repudiatarum mariti ad Sacerdotium non ascendant.

☞ *Quoad bigamos concordat* Trid. sess. 23. cap. 17. de reform.

Cap. II. *Super eo.* (2) Cum bigamo, qui ordinatus est ad Sacros, non dispensatur: & Ordinator privabitur potestate ordinandi, nisi cum eo fuerit dispensatum.

Cap. III. *De Bigamis.* (3) Bigamus uxore vivente, vel mortua, non ordinatur.

Cap. IV. *Nuper.* (4) Qui mortua uxore, promotus ad Sacros, cum secunda de facto contraxit, & cognovit; bigamiæ pœnam incurrit, licet non sit bigamus.

Cap. V. *Debitum.* (5) Qui contraxit cum virgine, licet prius ab alio fuerit desponsata, bigamus non censetur.

Cap. VI. *Quia.* (6) Qui plures habuit concubinas, ex eo bigamus non est.

Cap. VII. *A nobis.* (7) Subdiaconus, qui cum vidua contraxit, & eam cognovit, bigamiæ pœnam incurrit, licet bigamus non sit.

IN SEXTO *Lib. I. sub eodem Titulo & ibi Tit. XII.*

Cap. unic. *Altercationis.* (8) Bigamus nudatus est omni privilegio clericali, & adstrictus sæculari foro: nec valet consuetudo in contrarium: & prohibetur ei sub anathemate, ne tonsuram deferat.

DE CLERICIS PEREGRINIS.

TITULUS XXII. *continens IV. Capitula.*

Cap. I. *Tua.* (9) Ultramarini, & valde remoti ordinationem suam probare debent per quinque Episcoporum sigilla.

☞ *Hodie attendenda sunt notata ad* Cap. Romana 1. de tempor. ordin. in 6. supra.

Cap. II. *Inter.* (10) Clericus peregrinus, qui jurat se ordinatum, nisi aliter probet, in illo Ordine non suscipietur, nec ad superiores promovebitur.

Cap. III. *Tuæ fraternitatis.* (11) Peregrinus, de cujus ordinatione non constat, non permittitur celebrare in publico, sed in occulto sic.

☞ Ex Trid. sess. 22. cap. Quanta de obser. & vitan. in celeb. miss. & sess. 23. cap. 16. de reform. *neque permittendus est celebrare in occulto sine commendatitiis sui Ordinarii.*

Cap. IV. *Te nobis.* (12) Inferiores Prælati sine Dioecesanorum consensu in Ecclesiis suis peregrinos non possunt instituere.

☞ *Hoc tamen remittitur arbitrio Episcopi, qui super hoc dispensare potest, ut in textu: ubi tamen non sunt concordata ab Apostol. Sede admissa aliter disponentia.*

DE OFFICIO ARCHIDIACONI.

TITULUS XXIII. *continens X. Capitula.*

Cap. I. Ut *Archidiaconus.* (13) Ponit quæ spectant ad officium Archidiaconi.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. XXXIII.*

Cap. II. *Officium.* (14) *Ponit quædam, quæ spectant ad officium Archidiaconi.*

Cap. III. *Ea, quæ.* (15) Custodia vasorum Ecclesiæ spectat ab Archidiaconum.

Cap. IV. *Cum satis.* (16) Archidiaconus sine mandato Episcopi non committit curam animarum, idest non habet institutionem autorizabilem.

Cap. V. *Archidiaconis.* (17) Archidiaconus de jure communi non potest excommunicare.

Cap. VI. *Mandamus.* (18) Archidiaconus semel in anno, (nisi necessitas exigat plus) visitat in suam provinciam, idest Parochiam.

☞ *Vide moderationem Elenc. II. n. XXXIV.*

Cap. VII. *Ad hæc.* (19) Dicit 1., quod sit officium Archidiaconi, & in quo per illud relevetur Episcopus 2. dicit Decanos rurales per Episcopum, & Archidiaconum eligendos, & amovendos, si illorum vices communiter gerant.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. XXXV.*

Cap. VIII. *Significasti.* (20) Archidiaconus non dat commendatitias ad Ordines.

Cap. IX. *Ut nostrum.* (21) Archidiaconus examinat, & præsentat ordinandos, & ponit Prælatos in sede.

☞ *Quoad examen vide notata Elencho II. n. XXV.*

Cap. X. *Dilecto.* (22) Archidiaconi in monasteriis jurisdictionem non habent, nisi quantum tribuit eis generalis, vel specialis consuetudo.

☞ *Vide moderationem Elencho II. n. XXXVI.*

DE OFFICIO ARCHIPRESBYTERI.

TITULUS XXIV. *continens IV. Capitula.*

Cap. I. *Ut Archipresbyter.* (23) Archipresbyter civitatis subest Archidiacono, & principaliter præest Presbyteris, & Presbyteralibus officiis.

Cap. II. *Ministerium.* (24) Enumerat, quæ sint ministeria Archipresbyteri.

Cap. III. *Officium.* (25) Declarat quod sit Officium Archipresbyteri Civitatensis.

☞ *Vide Elencho VI. n. VI.*

Cap. IV. *Ut singula.* (26) Archipresbyter ruralis Presbyterorum, & laicorum Plebaniæ suæ curam gerit: contra decretum tamen Episcopi nihil ordinare potest.

DE OFFICIO PRIMICERII.

TITULUS XXV.

Cap. unic. *Ut Primicerius.* (27) Ponit ea, quæ spectant ad Officium Primicerii.

DE OFFICIO SACRISTÆ.

TITULUS XXVI.

Cap. unic. *Ut sciat.* (28) Dicit quale sit officium Sacristæ.

DE OFFICIO CUSTODIS.

TITULUS XXVII. *continens II. Capitula.*

Cap. I. *Custos.* (29) Ponit, quæ spectant ad officium Custodis.

Cap. II. *Custos.* (30) *Idem dicit.*

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.

Lib. I. sub eodem Titulo, & ibi Tit. V.

Cap. unic. *Quia cunctos.* (31) In Religiosorum Mendicantium conventibus plures campanæ esse non possunt sine speciali Papæ licentia; plures autem campanulas in refectoriis, capitulis, & alibi licite ipsi Religiosi mendicantes habere possunt.

☞ *Hodie ex contraria consuetudine his interdici nequit retento usu plurium campanarum, ut etiam deducitur ex textu.*

DE OFFICIO VICARII.

TITULUS XXVIII. *continens VI. Capitula.*

Cap. I. *Ad audientiam.* (32) Vicarius si beneficium curatum postea sit adeptus, Vicaria privabitur.

☞ *Concordat Trid. sess. 7. cap. 4. & sess. 24. cap. 17. de reform.*

Cap. II. *Providens.* (33) Plures Vicarias quis habere non potest.

Cap. III. *Ad hæc.* (34) Perpetuus Vicarius per Episcopum institutus, per Rectorem removeri, vel portione sua fraudari non potest.

Cap. IV.

(1) *Ex Conc. Aurelianen. III.*
(2) *Luc. III. Archiep. Spalatren.* (3) *Cælest. III.*
(4) *Innoc. III. Uratizlavien. Episc* (5) *Idem Ep. Meten.*
(6) *Idem Archiep. Lunden. Apost. Sed. Legat.*
(7) *Idem.* (8) *Greg. X. in Conc. gen. Lugdun.*
(9) *Alex. III. Cenomanen. Episc.*
(10) *Innoc. III. Constantinop. Patriarch.*
(11) *Idem Patriarch. Hierosolymit.*
(12) *Honor. III. Ep. Regino.*
(13) *ex lib. 1. Rom. Ord. ut aliqui volunt.*
(14) *ex Conc. Toletano ut tribuitur.*
(15) *Gregor. Honorato Archid. Solonitan.*
(16) *Alex. III. Elien. Archid.*
(17) *Idem Vvigorinen. Episc.*
(18) *Idem Episc. Conventren. & Ab. Cistren.* (19) *Innoc. III.*
(20) *Idem Travisino Episc.*
(21) *Idem Mediolanen. Archiep.*
(22) *Honor. III. Abb. Aremaren. Trecen. Diœces. & Archid. & Decan. S. Stephani Trecen.*
(23) *Ex Conc. Tolet. forte circa an. 633. in Hispan.*
(24) *Leo IX. ut aliqui volunt.*
(25) *Idem.* (26) *Joan. IX. ex Synod. Raven. habit. an. 904.*
(27) *ex lib. Rom. Ord.*
(28) *Ex Conc. Tolet. ut tribuitur.*
(29) *ex lib. Rom. Ord.*
(30) *ex Conc. Tolet. ut tribuitur.*
(31) *Joan. XXII.*
(32) *Alex. III. Episc. Norvicien. & G. Archid.*
(33) *Idem Elien. Episc.*
(34) *Idem VVintonen. Episc.*

Cap. IV. *Clericos*. (1) Vicarius non potest substituere Vicarium.

Cap. V. *Sua nobis*. (2) Vicarius Papæ in Urbe jurisdictionem habet, non extra Urbem.

☞ *Ex pluribus Constit. SS. Pontificum, & novissima Bened. XIV.* Romanæ 21. *Decemb.* 1745. *jurisdictionem habet etiam extra Urbem usque ad quadragesimum ab ea lapidem juxta modum in eadem Constit. præscriptum.*

Cap. VI. *Ex parte*. (3) Compelluntur Vicarii ordinarii Ecclesiis deservire per subtractionem proventuum, & Vicariarum.

☞ *Loquitur de Vicariis perpetuis, qui tenentur in suis Vicariis residere, & ex Decretis Cong. Conc. relatis hic a Fagnano n. 4. tenentur etiam ad residentiam Rectores beneficiorum, & Coadjutores perpetui, quibus annexum est onus coadjuvandi parochum eadem lege, qua ex Trid. sess. 25. cap. 1. de reform. tenetur parochus.*

IN SEXTO *Lib. I, sub eodem Titulo, & ibi tit.* XIII. *continente III. Capitula.*

Cap. I. *Romana*. (4) Successor Officialis excommunicati excommunicatus non est, nisi in crimine damnato communicet; illa autem quæ exercet, illo excommunicato manente, non valent, si jurisdictione solum ab eo recepta hoc facit.

Cap. II. *Licet*. (5) Ex generali commissione non potest Officialis inquirere, corrigere, deponere, & punire subditorum excessus.

Cap. III. *Cum in generali*. (6) Ex generali commissione Officialis beneficia conferre non potest.

IN CLEMENTINIS *Libr. I. sub eodem Titulo, & ibi tit. VII.*

Cap. unic. *Qui de Ecclesiis*. (7) Jura loquentia de Ecclesiis curatis locum habent in Vicariis perpetuis Ecclesiarum parœcialium, quoad prohibitionem retentionis plurium similium, onus recipiendi Sacerdotium intra annum, & legitimam ætatem.

DE OFFICIO, ET POTESTATE JUDICIS DELEGATI.

TITULUS XXIX. *continens XLIII. Capitula.*

Cap. I. *Quia*. (8) Delegatus Papæ potestatem habet non solum in Patres, sed etiam in alios, qui suam jurisdictionem impediunt.

☞ *Nec obstat Cap.* Causam 1. *de Testibus cogen. ubi præcipitur judici ordinario, ut compellat testes ad ferendum testimonium coram Delegatis, quia id evenit ob majorem timorem, qui in illis partibus, ubi causa agitabatur, habebatur de jurisdictione Ordinarii.*

Cap. II. *Sane*. (9) Cum diversæ litteræ sub eadem data, & forma contraria impetrantur, & præsentantur a diversis ad eosdem Judices, supersedetur utrique, donec consulatur Papa.

Cap. III. *Si pro debilitate*. (10) Delegatus Papæ impeditus subdelegare potest causam, quæ sine ipso commode terminari potest.

Cap. IV. *De causis*. (11) Si causa committitur intra certum diem decidenda, nisi Patres abrogant, per lapsum diei expirat jurisdictio.

Ubi certa pœna per jus statuta non est, Delegatus imponit arbitrariam.

☞ *Nec obstat Cap.* Cum Inquisitionis 21. *de accusation. ubi statuitur posse Judicem moderare pœnam a jure statutam juxta personæ merita, & qualitatem excessus, nam ibi agitur de judicio extraordinario, hic de ordinario, in quo juxta petitionem Partis procedendum est.*

Cap. V. *Præterea*. (12) Per simplicem commissionem causæ potest Delegatus citare, contumacem punire, & reliqua facere, quæ spectant ad causam.

Cap. VI. *Quamvis*. (13) Si causa pluribus, etiam simpliciter est commissa, quilibet subdelegare potest.

Cap. VII. *Significasti*. (14) Delegatus Papæ exequitur sententiam suam, quam exequi non potest, aut non vult is, cui eam commiserat exequendam.

Cap. VIII. *Si quando*. (15) Si Ordinarius sciet eum non canonice institutum, quem Delegatus Papæ mandat in possessionem induci, non resistet violenter, sed precibus instabit, ut differat, donec Papa consulatur.

Cap. IX. *In litteris*. (16) Post definitivam exequtioni mandatam, expirat Delegati jurisdictio.

Cap. X. *Consultationibus*. (17) Reo absente non per contumaciam, Delegatus datus etiam ad diem, non restituet actorem, licet possessionem, & dejectionem probare volentem.

Cap. XI. *Sane*. (18) Delegatus Papæ in causa sibi commissa jurisdictionem habet super Ordinarium, & quemcumque illo majorem.

Cap. XII. *Ex parte*. (19) Si primus impetravit primam dignitatem in Ecclesia vacaturam, secundus impetravit certam dignitatem ipsius Eccl siæ, cum vacaret, & illa postmodum vacat, debetur primo, & non secundo.

☞ *Ulterius cum hic non improbetur successio immediata collateralium, seu transversalium in beneficiis, quandoquidem hic nepos obtinuit beneficium vacan. per resignationem avunculi, vide Constit. S. Pii V.* Quanta *in Auctore lib. I. tit. 9. n. 8.*

☞ *Vide correctionem Elench. II. n. XXXVII.*

Cap. XIII. *Ex parte*. (20) Ubi contraria voluntas Papæ non apparet, Delegatus juris formam servare debet, & rationabiles exceptiones admittere.

Cap. XIV. *Quoniam*. (21) Delegatio facta dignitati non expresso nomine proprio, transit ad successorem.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. XXXVIII.*

Cap. XV. *Super eo*. (22) Si quæstionem de jure præsentandi Papa delegat appellatione remota, & sub ea forma, ut Delegatus ad præsentationem ejus, ad quem viderit pertinere, ordinet Ecclesiam; per hoc non habet instituere, sed pronunciare: & is ad quem pertinet, instituet; & si juri suo detrahitur, licite appellat.

Cap. XVI. *Causam*. (23) Si causa simpliciter est delegata duobus, sententia unius non tenet.

Cap. XVII. *Causam*. (24) Delegatus, qui est dominus impetrantis, recusari potest.

Cap. XVIII. *Cum te*. (25) A Subdelegato Delegati Papæ, qui subdelegavit non in totum, non ad Papam, sed ad ipsum Delegatum appellari debet.

Cap. XIX. *Relatum*. (26) Morte Delegantis non expirat jurisdictio Delegati, coram quo lis erat contestata.

☞ *Nec obstat cap.* Si super gratia 9. *hoc eod. tit. in 6. ubi statuitur officium Judicum ex quorialium Sedis Apost. non finiri morte Pontificis, ibi enim agitur de exequutione gratiæ non expirantis re integra per mortem concedentis sicut non expirat ipsa gratia; hic vero de rescriptis justitiæ. Et vide correctionem Elencho I. n. XII.*

Cap. XX. *Gratum*. (27) Si Delegatus citavit ante mortem Delegantis, perpetuata est ejus jurisdictio, & appellationi renunciat, qui coram Judice, a quo appellavit, litem prosequitur.

Cap. XXI. *Prudentiam*. (28) Si causa committitur tribus Delegatis cum clausula *quod si non omnes &c.* priusquam appareat de impotentia tertii, duo procedere non possunt: & si procedunt, nihil agunt.

Clausula *Si non omnes poteritis*, sub impotentia includit voluntatem, quoad purificandam jurisdictionem Conjudicum. Item in duobus datis cum clausula *quod si ambo.*

Si reus coram Delegato objicit excommunicationem actori, quam non probat intra tempus debitum, auditur actor: si vero probat, Delegatus absolvet actorem, si excommunicatus est propter causam sibi commissam: si propter aliam, ad Excommunicatorem suum illum remittet: qui si non vult eum absolvere, Delegatus Papæ eum absolvet; nisi sit de casibus Papæ reservatis.

Absolutus a Delegato super causa, pro qua fuerat excommunicatus, coram Excommunicatore parebit, seu responderit super illa causa, nisi sit alteri delegata: & si Excommunicator malitiose distulerit. Delegatus, qui absolvit, cognoscet.

Cap. XXII. *Cum causa*. (29) Si causa simpliciter delegatus tribus, duo sine subdelegatione tertii procedere non possunt: quod si fecerint, ab eis poterit appellari. Idem si sunt dati cum clausula *quod si omnes*; non enim valet processus duorum, tertio inconsulto.

Cap. XXIII. *Cum super*. (30) Si duo sunt Delegati cum clau-

(1) *Idem Norvicien. Episc.*
(2) *Innoc. Abb. S. Eugen. & Pleban. S. Petri.*
(3) *Honor. III. Episc. VVigorn.*
(4) *Innoc. IV.* (5) *Bonif. VIII.*
(6) *Idem.* (7) *Clem. V. in Conc. Vien.*
(8) *Alex. III. Lundon. Episc.*
(9) *Idem Bonon. Episc.*
(10) *Idem Epist. London.*
(11) *Idem VVilelmo.*
(12) *Idem Archiep. Senonen.*
(13) *Idem VVintonien. Episc.*
(14) *Idem Norvicen. Episc.* (15) *Idem eidem.*
(16) *Idem Brixien. Episc.*
(17) *Idem Abb. S. Albani.*
(18) *Idem Carnoten. Episc.*
(19) *Idem Eboracen. Archiep. & Episc. Connestren.*
(20) *Idem Eboracen. Archiep.*
(21) *Idem Abb. & Convent. Major. Monast.*
(22) *Idem Cenomanen. Episc.*
(23) *Idem Arelaten. Archiep.*
(24) *Idem Oxonien. & VVintonien. Episc. & Abb. Herford.*
(25) *Idem (vel Luc. III.) Cantuar. Archiep.*
(26) *Luc. 3. eidem & ejus suffrag.*
(27) *Urban. III. Abbat. de Bello Beco & Oselbeston.*
(28) *Cælest. III. Rhotomag. Decan.*
(29) *Innoc. III. Regin. Archiep. & Episc. Cephaluden.*
(30) *Idem Convent. de Conchis.*

clausula *quod si ambo &c.* uno recusato, alter solus procedere potest; nec tenet processus, si cum recusato procedat.

☞ *Vide circa hoc Cap.* Si a Judicibus *de Appellat. in Clement.*

Cap. XXIV. *Consuluit.* (1) Si jurisdictio Delegati expirat in termino peremptorio, quem Partibus assignavit; post congruam horam peremptorii Judex non expectabit contumacem. Si non expirat, potest expectare in diem alteram, & iterum citare, si vult.

Cap. XXV. *Insinuante.* (2) Ex nova causa removetur Delegatus, etiam post litem contestatam, & alius subrogatur.

Cap. XXVI. *Quærenti.* (3) Delegatus Papæ sententiam suam exequi potest usque ad integrum annum.

Cap. XVII. *Super.* (4) Delegatus Papæ potest principium, medium, & finem causæ conjunctim, & divisim subdelegare.

A Subdelegato cum jurisdictione appellari potest. secus si sine jurisdictione, nisi modum excedat; tunc enim potest recusari, nisi datus sit de Partium consensu.

A Subdelegato non in totum appellatur ad Subdelegantem, non autem ad primum Delegantem; secus, si in totum.

Auditor datus sine Partium consensu recusari potest ut suspectus; non tamen sine causa.

Si unus ex duobus Delegatis Principis cum clausula *appellatione remota*, subdelegat alteri acceptanti, non potest acceptans subdelegare; nec appellatione remota procedere; quod tamen ante acceptationem poterat; & si ab isto fuerit appellandum, appellabitur ad Papam, etiamsi fuerit Subdelegatus non in totum.

Si Delegatus Papæ subdelegat non in totum, Pars a Subdelegato non poterit appellare, ex eo quod datus sit sine suo consensu: potest tamen recusari in ostendendo causam justam coram Delegato; & tunc Delegatus definiet; a quo etiamsi noluerit recusationem admittere, appellatur ad Papam.

Cap. XXVIII. *Pastoralis.* (5) Delegatus Papæ, nisi malitiose se exoneret, Subdelegatum compellit ad suscipiendam subdelegationem: in coactione tamen deferet suæ dignitati, & personæ.

Delegatus Papæ, sicut potest committere totam causam, ita potest citationem, & punire contemnentem acceptare.

Si Papa scienter commisit appellationem interpositam a suo Delegato dato cum clausula *Appellatione remota*; jurisdictio primi Delegati est interim suspensa quoad exequutionem.

Ordinarius ad mandatum Delegati exequitur sententiam, etiamsi sciat eam injustam.

☞ *Nec obstat Cap.* Super eo 2. *de crimine falsi, ubi Pontifex ratum habet judicium Episcopi Vvigornen. qui exequi noluit sententiam injustam ex falsis instrumentis latam a Delegato, non potest exequutor dare exceptionem per quam contenditur judicatum non esse, quia post rem judicatam potest quæri, an judicatum sit. L.* post rem *ff. de re judic.*

Delegatus qui impeditur die statuta procedere, Partem hoc procurantem puniet: & quantum ad diem illam causam committet, appellatione remota, in odium procurantis, nisi Partes negotium prorogent.

Cap. XXIX. *Ex litteris.* (6) Subdelegatus a Delegato Papæ jurisdictionem non habente potest coercere impedientem.

Cap. XXX. *Licet.* (7) Jurisdictio Delegati, re integra, morte mandantis expirat.

Cap. XXXI. *Cum in jure.* (8) Non creditur quis Delegatus, nisi delegationem probet.

☞ *Nec obest Cap.* Præterea 2. *de dilation. ubi statuitur Judicem delegatum procedere debere in causa, nulla facta litterarum suæ delegationis exhibitione; ibi enim quæstio erat, an nedum Ordinario ostendendæ essent litteræ, ut re vera ostensæ fuerunt, sed etiam Parti, cui ostensum tantum fuit earum exemplar insertum in citatione, quod sufficit, non obstante Authentica* Qui semel, *quando Pars originales litteras non petit, ut ibi accidit.*

☞ *Nec Cap.* Præterea 5. *hoc eod. tit. ubi statuitur posse Delegatum citare Partes ad comparendum coram se, etiam non exhibitis litteris delegationis, hoc enim requiritur, quando Partes jubentur comparere personaliter ex cap. 1. de judic. in 6. non vero quando citantur, ut compareant per se, aut per procuratorem. Gonzalez.*

Cap. XXXII. *Cum olim.* (9) Per procuratorem non habentem mandatum de re ad rem jurisdictio prorogari non potest.

Cap. XXXIII. *Cum olim.* (10) Qui acta causæ relationis Judicum delegatorum sigilla violando aperuit, non auditur postmodum contra illa.

Cap. XXXIV. *Coram.* (11) Delegatus non tenetur admittere collegam sibi adjunctum per litteras subreptitias, nec ipsius Subdelegatum, *vel sic*.

Delegatus Subdelegatum collegæ impediti non tenetur admittere, si in rescripto est clausula *Quod si ambo &c.*

Cap. XXXV. *Cum R.* (12) Locus, ad quem reus secure accedere non potest, & Canonicus in causa alterius Canonici collegæ delegatus, recusari poterit.

Cap. XXXVI. *Cum contingat.* (13) Si mandatur Judici delegato, ut illum absolvat, qui dicit se injuste excommunicatum, ante probationem illum absolvere debet. Si autem dicat excommunicationem nullam, probationem nullitatis ante pronunciationem admittet.

Cap. XXXVII. *Venerabili.* (14) Si Subdelegatus Delegati Papæ jurisdictione uti cæperit, a Delegato removeri non potest; etsi fuerit contra mandatum, sive excesserit formam rescripti, processus est nullus.

☞ *In textu etiam disponitur de Coadjutore dando Episcopo suspecto de dilapidatione bonorum Ecclesiæ, qui Coadjutor quando dandus sit, & qualiter permittendus tam Episcopis, quam Parochis vide Trid. sess. 21. cap. 6. sess. 25. c. 7. & Elencho VI. n. LXIX. quod beneficiatos.*

Cap. XXXVIII. *Significantibus.* (15) Si Delegatus pronunciaverit se jurisdictionem non habere, ipsam etiam de consensu Partium non reassumit.

Cap. XXXIX. *Suspicionis.* (16) Arbitri electi ad causam recusationis assignant Partibus terminum ad probandam causam suspicionis: & Judex recusatus compellit Arbitros ad causam finiendam.

Cap. XL. *P. & G.* (17) Delegata Jurisdictio ad personas non expressas in rescripto, etiam de ipsarum consensu prorogari non potest.

Cap. XLI. *Cum vigesimum.* (18) Major XX. annis potest a quocumque dari Delegatus. Idem in majori XVIII., dummodo interveniat consensus Partium; minori vero XVIII. non potest dari nisi a Principe.

Cap. XLII. *Uno.* (19) Potestas plurium delegatorum, vel Arbitrorum simpliciter datorum expirat per mortem unius.

Cap. XLIII. *Quoniam.* (20) Delegatus Papæ subdelegare potest, licet datus sit ex Officio, vel de Partium consensu, vel cum clausula præelectionis, videlicet *quod si non omnes, tu cum alio exequeris &c.*

Is, cui committitur negotium, ut personaliter exequatur, potest si Partes consentiunt, alteri subdelegare; fallit cum Papa mandat inquisitionem fieri, vel provideri Ecclesiis de Prælatis, aut aliis ministris.

Is, cui committitur nudum ministerium exequendum, non potest vices suas alteri committere. Fallit in legato Sedis Apostolicæ.

IN SEXTO *Lib. 1. sub eodem Titulo & ibi tit. XIV. continente XV. capitula.*

Cap. I. *Statuimus.* (21) Conservator a manifestis defendit injuriis, & judicialem indaginem non exercet.

☞ *Vide Elencho VI. n. XXII.*

Cap. II. *Quia.* (22) in coactionibus, & pœnis Pontificali dignitati defertur.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. XXXIX.*

Cap. III. *Si duo.* (23) Delegato procedente cum duobus Subdelegatis non in totum, ad Papam, non ad Condelegatos appellari debet.

Cap. IV. *Si contra.* (24) Suspicionis causa coram Arbitris non tractatur 1. cum recusatur unus ex Delegatis datis cum clausula - *Quod si non omnes* 2. Cum recusatur delegatus Episcopi: 3. Cum recusatur Officialis.

Cap. V. *Judex.* (25) Distinguit tria tempora ad sciendum, an Judex suspectus committere possit; quia aut non est proposita recusatio, & tunc in totum per eum facta commissio tenet. Aut est proposita, sed nondum pronunciatum super ea, & tunc volente recusatore committere potest, alias non. Aut jam pronunciatum est

illum

(1) *Idem Archiep. Toletan.*
(2) *Idem Abb. de Bordelin, & Prior S. Sepulchri.*
(3) *Idem Prior S. Fridiani vel Frigidiani.*
(4) *Idem Cantuarien. Archiep.* (5) *Idem Episc. Helien.*
(6) *Idem Abb. S. Hilarii & Magist. G. Canon. Trevisin.*
(7) *Idem Episc. Pictav.*
(8) *Idem Episc. Bajocen.*

(9) *Idem Parisien. & Trecen. Episc. & Ab. S. Genovefæ.*
(10) *Idem Senon. Arch.*
(11) *Idem Alberto Cappel. S. Mariæ de Porto Ravennata. Bonon.*
(12) *Idem Præposito S. Domin. Subdiac.*
(13) *Idem Rhotomag. Episc.*
(14) *Honor. III. Messen. & Tregien. Archiep. Hoc cap. apud Gonzalez incipit:* Rogatus.
(15) *Gregor. IX. S Præceptori, & Magistr. N. Canon. Ambian.*
(16) *Idem.* (17) *Idem Ab. S. Genovefæ.*
(18) *Idem.* (19) *Idem.*
(20) *Idem.* (21) *Innoc. IV.*
(22) *Alex. IV.* (23) *Bonif. VIII.*
(24) *Idem.* (25) *Idem.*

illum esse suspectum, & tunc etiam volente recusatore, committere nequit.

Cap. VI. *Quamvis.* (1) Delegatus subdelegans, etiam in totum, re integra, causam reassumere poterit.

Cap. VII. *Si delegatus.* (2) Si Delegatus subdelegavit, quoties abesset, vel donec revocaret, & mortuus sit, re non integra, subdelegatus procedit: Et semper de subdelegato ad Delegatum, qui sibi aliquid jurisdictionis reservavit, appellari debet, etiam post sententiam.

Cap. VIII. *Cum plures.* (3) Plurium Delegatorum in solidum quilibet cognoscit: & uno recognoscente, alii, nisi ex causa se non intromittunt: & perpetuatio unius perpetuat quoad omnes.

Cap. IX. *Si super.* (4) Executor super gratia facta datus a Papa, mortuo Papa, etiam re integra, gratiam exequitur.

Cap. X. *Si is.* (5) De subdelegato non in totum appellatur ad primum Delegatum, cum Delegatus excommunicatus, vel mortuus est. *Alium casum vide infra cap. Si a Subdelegato* 14.

Cap. XI. *Ab Arbitris.* (6) Ab Arbitris juris appellatur ad Papam.

Cap. XII. *Is cui.* (7) Exequutor datus a Papa, ut provideat personæ subdelegati, si datur, ut provideat Ecclesiæ, non expressa persona, non subdelegat, nisi habeat speciale mandatum.

Cap. XIII. *Statuimus.* (8) Is, cui aliquid certo loco expediendum committitur, ex justa causa illud expedire poterit extra locum.

Cap. XIV. *Si a Subdelegato.* (9) Quando a Subdelegato non in totum appellatur quia non admittit exceptionem, per quam denegatur etiam Delegatum habere jurisdictionem, ad primum delegantem appellabitur.

Cap. XV. *Hac Constitutione.* (10) Ponit hic qui possint esse Conservatores, & ubi cognoscere, & an, & quibus possint delegare, & quantum duret eorum potestas, & de expensis talium.

☞ *Vide notata Elencho VI. n. XXII.*

IN CLEMENTINIS *Lib. I. sub eodem Titulo, & ibi tit. VIII.*

Cap. unic. *Judices.* (11) Judex ad receptionem testium in civili, & exequutor ad providendum certæ personæ, cognitione præmissa, a Papa deputati licite subdelegant.

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.

Lib. I. sub eod. Titulo, & ibi Tit. VI.

Cap. unic. *Sedes.* (12) Litteræ Apostolicæ impetratæ ad gratias, seu ad lites in aliquibus Civitatibus, seu Dioecesibus, dum erant integræ, non obstante divisione facta de ipsis in duas, seu plures Civitates, seu Dioeceses, & etiam Exequutores, seu Judices earumdem habent sub eisdem modo, & forma illum vigorem in sic divisis, quem habebant in illis, dum integræ remanebant.

DE OFFICIO LEGATI.

TITULUS XXX. *continens X. Capitula.*

Cap. I. *Cum non.* (13) Legatus Papæ etiam per simplicem querelam adiri potest.

☞ *Vide moderationem Elencho II. n. XL.*

Cap. II. *Studuisti.* (14) De causa specialiter delegata a Papa Legatus se intromittere non potest.

Cap. III. *Nisi.* (15) Legatus etiam de latere ex generali Legatione non potest transferre Episcopos, vel unam Ecclesiam cathedralem alteri subjicere, & alteri concedere jus primatiæ, vel duos Episcopatus unire, vel unum dividere: excommunicatos tamen propter manuum injectionem in Clericos absolvere potest.

☞ *Quoad uniones Episcopatuum concordat Trid. sess. 24. cap. 13. de reform.*

Cap. IV. *Quoad translationem.* (16) *Summatum fuit cap. precedent.*

Cap. V. *Licet.* (17) Ex quo Legatus retulit causam Papæ, illius definit esse Judex.

☞ *Nec obstat Cap.* Constitutis 45. *de appel. ubi Legatus Papa valide, & licite examinavit quamdam causam Electionis licet devolutam ad Pontificem per viam appellationis; ibi enim agebatur de appellatione, cui partes renunciarunt.*

Cap. VI. *Dilectus.* (18) Legatus de Latere confert beneficium vacans, licet illud spectet ad præsentationem alicujus Clerici, cui id competat ratione dignitatis, non vero ratione juris patronatus, vel ex alio titulo.

Cap. VII. *Novit.* (19) Legatus in pluribus locis potest in quolibet dictorum locorum jurisdictionem suam exercere: ita quod facta unius loci potest in alio explicare.

Cap. VIII. *Volentes.* (20) Præsente Legato de latere, minor Legatus exequutionem officii sui dimittere debet.

Cap. IX. *Excommunicatis.* (21) Legatus non de latere, sed ratione personæ extra Provinciam sibi decretam absolvere nequit excommunicatos pro injectione manuum in Clericos, nec etiam in Provincia, si tales excommunicati aliunde veniant.

Cap. X. *Nemini.* (22) Durant Legati statuta etiam legatione finita: finitur tamen sui delegati jurisdictio, si citatio non præcessit.

IN SEXTO *Lib. I. sub eodem Titulo, & ibi tit. XV. continente V. Capitula.*

Cap. I. *Officii.* (23) Legati non Cardinales, sine speciali mandato jure legationis beneficia conferre non possunt: sed Legati Cardinales hoc bene possunt.

☞ *Vide restrictionem in seq. c. 3. & correctionem Elencho I. n. XIII. & quoad reservationes ad beneficia vacatura Elencho II. n. XLI.*

Cap. II. *Legatos.* (24) Legatus habet ordinariam jurisdictionem; per mortem Papæ non expirat ejus officium.

Cap. III. *Præsenti.* (25) Finita legatione, expirant reservationes Legatorum, & omnis processus habitus super illis: nisi tunc illa beneficia jam vacantia sint collata. Demum dicitur, quod pendente una sua reservatione in Ecclesia collegiata vel de beneficio spectante ad collationem alicujus, Legatus in eadem Ecclesia, vel beneficio spectante ad collationem ejusdem, aliam facere non potest: & quod fit contra prædicta, irritum decernitur.

☞ *Hoc cap. & seq. restringit cap.* Officii 1. supra; *& vide correctionem Elencho II. n. XLI.*

Cap. IV. *Deliberatione.* (26) Cathedrales, vel regulares, vel collegiatas Ecclesias Legati reservare, vel conferre non possunt. Idem in dignitatibus Ecclesiarum Cathedralium, quæ sunt majores post Episcopos, si ipsarum Prælati per electionem debent assumi; & contra hoc factum est irritum.

Cap. V. *Collatio.* (27) Collatio Legati per taciturnitatem prioris beneficii vitiatur.

☞ *Vide declarationem Cap.* Et si 2. *de offic. & potest. Jud. Ordin. in Clement.*

DE OFFICIO JUDICIS ORDINARII.

TITULUS XXXI. *continens XX. Capitula.*

Cap. I. *Perniciosa.* (28) Episcopi in suis Dioecesibus possunt crimina inquirere, & punire, & cum opus fuerit invocare brachium sæculare.

☞ *Quoad inquisitionem, & punitionem criminum concordat Trid. sess. 24. cap. 8. de reform.*

Cap. II. *Si Sacerdos.* (29) Ordinarius, qui scit non ut Judex, vel homo, sed ut Deus subditum esse criminis reum, indeterminate poterit, sed non nominatim eum arguere, vel punire.

Cap. III. *Cum ab Ecclesiarum.* (30) Si Parochus subjectus Episcopo profert in sibi subjectum justam censuram ecclesiasticam (*intellige, si id juris habeat ex privilegio, vel ex consuetudine.*) Episcopus illam servare debet, & illam sine satisfactione, & conscientia proferentis relaxare non debet.

Cap. IV. *Cum vos.* (31) Si ordinatio vacantis Ecclesiæ etiam patronatæ ex justa causa differtur, est ibi per Episcopum æconomus ponendus.

☞ *In Textu etiam disponitur, ut fructus Ecclesiæ, seu prebendæ vacantis reserventur successori; quod locum habet*

(1) *Idem.* (2) *Idem.*
(3) *Idem.* (4) *Idem.*
(5) *Idem.* (6) *Idem.*
(7) *Idem.* (8) *Idem.*
(9) *Idem.*
(10) *Idem.*
(11) *Clem. V. in Conc. Vien.*
(12) *Joan. XXII.*
(13) *Alex. III. Univers. suffrag. Cantuar. Eccles.*
(14) *Cælestino III. Magistro Columbo.*
(15) *Innoc. III. Tit. S. Laur. in Luc. Presb. Card. Sed. Apost. Leg.*
(16) *Idem eidem.*
(17) *Idem Barentin. Ep. & Massican. Capel. & Subdiac.*
(18) *Idem S. Apri, & S. Leonis. Ab. & Magist. & Archid. Tullen.*
(19) *Idem Philipp. Regi Francor.*
(20) *Greg. IX. Patriarc. Hierosol.*
(21) *Idem.*
(22) *Idem.*
(23) *Innoc. IV.*
(24) *Clem. IV. Fit. S. Cecil. Presb. Card. Apost. Sed. Legat.*
(25) *Bonif. VIII.*
(26) *Idem.*
(27) *Idem.*
(28) *Ex Synod. Joan. VIII. apud Trecas in Gallia ann. 872.*
[29] *Alex. III. Norvicen. Episc.*
[30] *Idem Florent. Episc.*
[31] *Idem Cantuar. Archiep. & ejus Suffrag.*

habet ubi nullum viget jus spolii. Et vide notata in Cap. Relatum 12. *de Testam. infra lib. 3. Vide correctionem Elencho II. n. XLII.*

Cap. *Ex parte*. (1) Si constat Ordinario, quod absolutus a Papa reticuit veram causam, quare fuerat excommunicatus, debet illum remittere ad Papam. Si vero sibi non constat, est tamen sibi urgens suspicio contra eum, debet cogere eum se purgare.

Cap. VI. *Significavit*. (2) Si ex desidia, vel malitia Delegati Papæ quis perseverat in peccato, Ordinarius loci potest supplere, non obstante, quod causa fuerit Delegato commissa.

Cap. VII. *Quanto*. (3) Ordinarius supplet negligentiam Abbatis non revocantis monachum vagabundum.

☞ *Concordat Trid. sess. 25. c. 4. de Regular.*

Cap. VIII. *Ad reprimendam*. (4) Ab uno Episcopo excommunicatus, ab aliis est vitandus, & Archiepiscopus per querelam aditus, non absolvet, nisi primo remittat.

Cap. IX. *Duo simul*. (5) De causis subditorum Archiepiscoporum, & Episcoporum suorum Patriarcha non cognoscit, nisi per appellationem legitimam, aut vigore consuetudinis, seu privilegii.

Cap. X. *Quod Sedem*. (6) Archiepiscopus impeditus potest consecrationem sui Suffraganei alteri committere, & consecrandus tenetur ab illo Commissario munus consecrationis recipere.

Cap. XI. *Pastoralis*. (7) Archiepiscopus causam ad se per appellationem delatam subditis suffraganei committere potest; non tamen ad ipsam suscipiendam compellere.

Mortuo Delegato Papæ, qui excommunicavit reum, vel actorem in possessionem induxit, si ejus successor in delegatione succedit, absolvere, & restituere possessionem poterit, alias solus Papa restituet, & absolvet: præterquam in mortis articulo: ne tamen currat annalis præscriptio, reus coram Ordinario, vel publicis personis de stando juri cautionem præstabit.

☞ *Quoad absolutionem in mortis articulo concordat Trid. sess. 14. cap. 7. de casuum reservat.*

Cap. XII. *Licet*. (8) Papa per rescriptum, quo mandat Ordinario, ut subditos suos corrigat, non facit ex hoc ipsum Delegatum; ideo ab eo poterit appellari ad proximum Superiorem, sicut si Papa nullum mandatum fecisset.

Cap. XIII. *Irrefragabili*. (9) Prælati subditos corrigunt, & reformant, appellatione remota, vel consuetudine non obstante. Si tamen Capitulum consuevit corrigere excessus Canonicorum, si intra terminum ab Episcopo præfigendum non facit, ipse Episcopus hoc faciet.

☞ *Quoad modum corrigendi vide Trid. sess. 13. cap. 1. de reform. Et vide correctionem Elencho II. n. XLIII.*

Si Canonici sine manifesta, & rationabili causa (maxime in contemptum Episcopi) cessant a Divinis, Episcopus cessationem non servabit, & Metropolitanus vice Papæ cognoscet.

☞ *Circa cessationem a Divinis hodie procedendum est juxta Cap.* Si Canonici 2. *& Cap.* Quamvis 8. *hoc eod. tit. in 6. ut infra.*

Prælatus in impositione pœnæ cavere debet a quæstu pecuniæ, & ab omni alio gravamine.

Cap. XIV. *Quoniam*. (10) Cum in Civitate, vel Diœcesi sunt populi diversarum linguarum, Episcopus debet providere eis per viros idoneos, qui secundum varietatem linguarum Officia eis celebrent, & Sacramenta ministrent: & si urgens est necessitas, constituet sibi Vicarium Pontificem illius linguæ; non tamen propter hoc eadem Diœcesis debet habere duos Episcopos.

Cap. XV. *Inter*. (11) Episcopi, qui per se non possunt, tenetur assumere idoneos, qui suppleant suo loco quoad prædicationes, visitationes, & confessionum auditiones; & ut possint Episcopi hos reperire, præcipit in Ecclesiis cathedralibus, & collegiatis tales institui.

☞ *Concordat Trid. sess. 5. cap. 2. de ref. & vide innovationem Elencho IV. n. V.*

Cap. XVI. *Conquerente*. (12) Episcopus in Ecclesiis Diœcesis suæ debet esse contentus juribus Episcopalibus: & quæ sint jura Episcopalia declarat.

☞ *Quæ vide in Auctore hoc eod. tit. n. 14. & ibi Additiones meas, quoad cathedratici exactionem.*

Cap. XVII. *Ut juxta*. (13) Episcopus visitans monasterium, non introducat sæculares, sed duos, aut tres Canonicos suos cum aliquibus Religiosis.

☞ *Circa Visitationem Monasteriorum Virorum vide Elencho VI. n. XXX. Circa visitationem monasteriorum monialium attendenda est Clementina* Attendentes *de statu monach. & vide Elencho VI. n. XC.*

Cap. XVIII. *Dilectus*. (14) Lex Diœcesana, & lex jurisdictionis sunt diversæ: unde res judicata in una non obstat agenti in alia.

Cap. XIX. *Grave*. (15) Per rescriptum, quo Papa mandat Ordinario, ut corrigat Clericos suæ Diœcesis, non datur ei jurisdictio super exemptos.

☞ *Vide correctionem quoad jurisdictionem in exemptos Elencho II. n. XLIV.*

Cap. XX. *His quibus*. (16) Ordinarius, cui competit absolvere ab excommunicatione, potest aliis absolutionem demandare.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. XLV.*

IN SEXTO *Lib. I. sub eodem Titulo & ibi tit. XVI. continente IX. Capitula.*

Cap. I. *Romana*. (17) Archiepiscopus non potest sibi constituere Officiales in Diœcesibus Suffraganeorum suorum, etiam pro futuris causis per appellationem devolvendis ad ipsum, nisi de consuetudine hoc habeat, & tunc etiam tales Officiales inhibere non possunt, priusquam fuerit appellatum.

Donec Archiepiscopus de facili potest haberi, Officialis ejus Suffraganeum excommunicare, suspendere, aut interdicere non potest propter ordinis Eiscopalis reverentiam.

Cap. II. *Si Canonici*. (18) Canonici, qui a Divinis cessare possunt consuetudine, vel alio jure, si cessare volunt, causam suæ cessationis exprimant in instrumento publico, vel patentibus litteris suo, vel alio authentico sigillo munitis: & exhibeant illud, vel illas illi, contra quem cessant. Hoc prætermisso, vel expressa causa non inventa legitima, quidquid medio tempore perceperint ab Ecclesia, restituant, & quæ percipere debent, non percipiant, & satisfaciant de injuriis illi, contra quem cessant. Causa legitima inventa, tenetur ille ad interesse Canonicis, & ad certam quantitatem Ecclesiæ Superioris taxandam arbitrio.

Reprobatur consuetudo, qua imagines Sanctorum in dicta cessatione spinis, & urticis supponebantur: & statuitur contrarium facientes graviter puniendos.

Cap. III. *Ordinarii*. (19) Habentes plures dignitates, vel alia beneficia curam animarum habentia, per Ordinarios compellantur ostendere intra tempus competens Superioris arbitrio statuendum, dispensationes: quas si non ostenderint: perinde procedatur, ac si nullas haberent; etsi ostenderint, & sufficientes, non amplius molestentur; proviso ne in prædictis beneficiis cura negligatur animarum. Si dubitetur de dispensatione ad Sedem Apostolicam recurratur. Talibus plura similia beneficia obtinentibus aliud non conferatur beneficium, nisi ostensa dispensatione sufficienti: & tunc ita conferatur, si per dispensationem possunt illud cum aliis retinere, vel si prioribus renunciaverint: aliter collatio facta non teneat.

☞ *Vide ampliationem Elencho III. n. VIII. & innovationem Elencho IV. n. VI.*

Cap. IV. *Quia*. (20) Præcipit Papa, ne Prælati subditis interdicant, ne statum Ecclesiarum, & personarum Superioribus inquirentibus manifestent: nec eos ad id celandum juramentis promissionibus, obligationibus, aut aliis pœnis astringant: decernit autem quod contra factum fuerit irritum, & inane; & sententias, juramenta, promissiones, vel pœnas non ligare: & præsumptores præcipit pœna condigna a Superioribus eisdem puniri.

Cap. V. *Ut litigantes*. (21) Jurisdictio Archiepiscopo attributa in una Diœcesi, sibi in aliis non prodest.

Cap. VI. *Si Episcopus*. (22) Si Episcopus cum potest, suam Diœcesim visitat per alium; debet illi in necessariis providere: visitati autem in victualibus providebunt Vicario visitanti, & non Episcopo.

☞ *Concordat Trid. sess. 24. cap. 3. de refor.*

Cap. VII. *Cum Episcopus*. (23) In quolibet loco Diœcesis non exempto per se, & per alium potest Episcopus pro tribu-

(1) *Idem eidem.* (2) *Cælest. III.*
(3) *Innoc. III. Auscitan. Archiep.*
(4) *Idem Rhotomag. Archiep. & ejus Suffrag.*
(5) *Idem Tyrent. Archiep.*
(6) *Idem Turonen. Archiep.*
(7) *Idem Episc. Helien.*
(8) *Idem Archiep. Senonen.*
(9) *Idem in Conc. Gener.*
(10) *Idem ibid.* (11) *Idem ibid.*
(12) *Honor. III. Episc. Assisien.*
(13) *Idem Abbat. & Convent. S. Remig.*
(14) *Idem Episc. Briocen. & Abbat. S. Serg.*
(15) *Greg. IX. Episc. Suanen.*
(15) *Idem.*
(17) *Innoc. III. in Conc. Lugd.*
(18) *Greg. X. in Conc. gen. Lugd.*
(19) *Idem.* (20) *Bonif. VIII.*
(21) *Idem.* (22) *Idem.*
(23) *Idem.*

tribunali ſedere, & libere exequi, quæ ad ipſius ſpectant officium.

Cap. VIII. *Quamvis*. (1) Canonici, qui a Divinis ceſſare poſſunt, cum ceſſare voluerint, vocabunt abſentes; ſicut ſi immineret electio facienda, cum quibus de ceſſatione deliberabunt; etſi deliberant ceſſare, requirent prius eum, contra quem ceſſant, ut irrogatam offenſam emendet; quod ſi fecerit, non ceſſabunt: alioquin ceſſare poterunt, ita quod a ceſſatione intra menſem utraque pars, & ceſſans, & contra quam ceſſatur, iter arripiat eundi ad Papam vel per ſe, vel per procuratores ſufficienter inſtructos; niſi interim intervenerit concordia inter ipſos; & continuatis dietis, quam cito poterunt, ſe coram Papa præſentent, & utraque parte præſente, vel altera contumaciter abſente, Papa definiat negotium, & culpabiles puniat; & ſi pars ceſſans prædicta non ſervet, ceſſatio non ſervetur.

Cap. IX. *Præſenti*. (2) Ponit conſtitutionem de bonis dignitatum, vel Eccleſiarum vacantium non occupandis per eos, ad quos collatio, vel cuſtodia pertinet, niſi de ſpeciali jure id eis competat: & contrafacientibus pœnam imponit.

☞ *Hic ſtatuitur, ut fructus Eccleſiæ, ſeu præbendæ vacantis reſerventur ſucceſſoribus: quod locum habet ubi non viget jus ſpolii, circa quod vide notata Cap.* Relatum 12. de Teſtam.

Oſtendit de quibus bonis intelligatur, cum de ſpeciali jure id alicui competit.

Decretalem: *Quia ſæpe* ſupra eod. lib. de elect. dicit non eſſe correctam.

☞ *Vide declarationem in Cap.* Quia Regulares de Supplen. neglig. Prælat. in Clementin.

IN CLEMENTINIS *Lib. I. ſub eodem Titulo & ibi tit. XX. continente II. Capitula*.

Cap. I. *Ut Clericorum*. (3) Epiſcopi ita debent corrigere Clericorum exceſſus, quod metu pœnæ ipſi arceantur, & alii pertimeſcant.

Cap. II. *Etſi*. (4) Valet collatio beneficii facta a collatore quolibet citra Legatum Apoſtolicum, non facta mentione de beneficio, quod prius habebat is, cui fit.

☞ *Circa pluralitatem beneficiorum etiam ſimplicium vide Trid. ſeſſ. 7. cap. 2. & 4. ac cap. 17. ſeſſ. 24. de ref.*

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS. *Lib. I. ſub eodem Titulo, & ibi Titulo VII. continente II. Capitula*.

Cap. I. *Debent*. (5) Epiſcopus monaſterium viſitans non tenetur accipere Monachos illius monaſterii pro tabellionibus; etiamſi hoc haberet conſuetudo: nec in actu viſitationis debet eſſe ſolus, ſed duos, vel tres Clericos cum Notario, qui ſimiliter ſit Clericus, ſecum aſſumat.

Cap. II. *Ut quos*. (6) Beneficia plura incompatibilia obtinens ſine diſpenſatione, debet illa præter ultimum in manu Ordinarii intra duos menſes dimittere: alias pœnas incurrit hic poſitas. Et debet Ordinarius tales plura beneficia obtinentes compellere ad oſtendendum diſpenſationem: quod ſi non fecerit, ab ingreſſu Eccleſiæ ſuſpenditur.

☞ *Nota ut ſupra Cap.* Etſi 2.

DE OFFICIO JUDICIS.

TITULUS XXXII. *Continens II. Capitula*.

Cap. I. *Ex litteris*. (7) Ad officium Judicis etiam delegati ſpectat providere Advocatum parti, quæ non poteſt habere, & poterit dare domeſticum.

Cap. II. *Judicis*. (8) Cum imploratur officium nobile, fit litis conteſtatio, ſecus in Mercenario.

☞ *Diſcrimen horum Officiorum vide in Auctore lib. I. hoc eod. tit. n. I.*

DE MAJORITATE, ET OBEDIENTIA.

TITULUS XXXIII. *Continens XVII. Capitula*.

Cap. I. *Cum certum*. (9) Prius ordinatus, cæteris paribus prior, & major habendus eſt.

☞ *Ubi tamen non viget contraria conſuetudo, cap.* Cum olim *6. de conſuet. etſi non eſt præſcripta, attenditur conſuetudo vicinarum Eccleſiarum Cap.* Super 22. de cenſ.

Cap. II. *Si quis*. (10) Veniens contra decretum, vel conſtitutionem Epiſcopi, debet excommunicari.

Cap. III. *Legebatur*. (11) Clericus adminiſtratione carens, non tenetur ad juramentum obedientiæ, vel ad faciendum ſcripturam ſuper ea.

Cap. IV. *Omnes*. (12) Ab omnibus de Diœceſi obediendum eſt Epiſcopo.

Cap. V. *Illud*. (13) Non obediens Canonicis inſtitutis, incurrit inobedientiæ notam, idest infamiam.

Cap. VI. *Solitæ*. (14) Imperium non præeſt Sacerdotio, ſed ſubeſt, & ei obedire tenetur: *vel ſic*. Epiſcopus non debet ſubeſſe Principibus, ſed præeſſe.

☞ *Vide Trid. ſeſſ. 25. cap. 17. de ref.*

Cap. VII. *Per tuas*. (15) Ordinatus per Papam, non per hoc eximitur a juriſdictione ſui Epiſcopi.

☞ *Juxta magis receptam Canoniſtarum ſententiam licet non eximatur a tali juriſdictione, ſi tamen ſuſpendendus, vel deponendus eſſet ab Ordine per Papam collato, adhuc tranſmitti deberet proceſſus ab Epiſcopo conſtructus, pro ſententiæ prolatione propter obſequium ſummo Pontifici debitum, Hallier part. 2. ſect. 5. cap. 3. art. 9. §. 1. num. 6.*

Cap. VIII. *Inter*. (16) Quando de obedientia, vel ſubjectione agitur, nihil attentari debet in præjudicium rei, vel poſſeſſoris non citati.

Cap. IX. *Quod ſuper*. (17) Abbates, & Sacerdotes lege diœceſana Epiſcopo ſubditi ad ejus Synodum venire, & ſibi obedire compelli poſſunt per cenſuram eccleſiaſticam.

☞ *Vide Elencho VI. n. LXI.*

Cap. X. *Cum in Eccleſiis*. (18) Canonici Regulares inobedientes Priori ſuo per ipſum excommunicari poſſunt: etſi fuerint incorrigibiles, de Fratrum conſortio expelli debent.

☞ *Circa expulſionem Incorrigibilium vide* in Auctore lib. III. tit. 31. §. 4.

Cap. XI. *His quæ*. (19) Presbyteri, & Clerici Capellarum ſubditarum Titulo Cardinalatus debent Cardinali obedientiam, & reliqua de quibus hic, & vacante Titulo, ſuccedit Capitulum illius Eccleſiæ; niſi pro bono pacis aliquid ſit exemptum.

☞ *Quod Papa in textu reſervat, eſt correctio, excommunicatio, ſuſpenſio, & interdictum. De Titulis Cardinalium vide Conſtit. Sixti V.* Religioſa: *Idibus April. 1589. Succeſſio Capituli in his Titulis hodie ex contraria conſuetudine non ſervatur, ſed juxta caſuum contingentiam Urbis Vicarius ſe ingerit, ut ex pluribus actis congeſtis in ſecretaria illius Tribunalis lib. I. Jur. Vicariatus pag. 326.*

Circa facultatem Cardinalium in ſubditos ſuorum Titulorum, & præcipue circa collationem primæ Tonſuræ, & minorum Ordinum, ſi ſint Sacerdotali charactere inſigniti, vide Conſtit. Innoc. XII. Romanus Pontifex.

Cap. XII. *Dilecta*. (20) Licet Abbatiſſa ſubditos excommunicare non poſſit, ipſi tamen ſibi obedire tenentur.

Cap. XIII. *Dilecti*. (21) Si Metropolitanus a Suffraganeo juramentum exigit ultra formam ſtatutam a Canone, in eo quod eſt ultra, Suffraganeus non tenetur.

Cap. XIV. *Cum olim*. (22) Vacante Epiſcopatu, Capitulum confirmat, & infirmat electiones.

☞ *De juriſdictione Collegii S. R. E. Cardinalium, SS. Congregationum, & Officialium Papæ Sede Papali vacante vide Fagnan. hoc eod. Cap. & correctionem hujus decretal. Elencho II. n. XLVI.*

Cap. XV. *Statuimus*. (23) Qui major eſt ordine, licet in Eccleſia poſterius receptus, in loco, & portione præfertur.

Cap. XVI. *Cum inferior*. (24) Si Eccleſia ſita in aliquo Archidiaconatu erigitur in Cathedralem, a juriſdictione Archidiaconatus eximitur.

Cap. XVII. *Humilis*. (25) Compoſitionem ſuper jure primatiæ unus ſolus, cujus intereſt, poterit impedire.

IN SEXTO *Lib. I. ſub eodem Titulo* & ibi Tit. XVII.

Cap. unic. *Epiſcopali*. (26) Capitulum, vel is, ad quem adminiſtratio pertinet, vacante Sede, eos abſolvet: quos

(1) *Idem*.
(2) *Idem*.
(3) *Clem. V. in Conc. Vien.*
(4) *Idem*.
(5) *Bonif. VIII.*
(6) *Joan. XXII.*
(7) *Honor. III. Archiep. S. Leonar. & S. Bened. Ab. Salernit.*
(8) *Gregor. IX.*
(9) *Greg. Auguſt. Epiſc. Angl.*

(10) *Idem*.
(11) *Leo I. Anaſt. Teſſaleo*.
(12) *Clem. I.* (13) *Innoc. III. Cap. Herbipol.*
(14) *Idem Alex. Commen. Conſtantinop. Imper.*
(15) *Idem Epiſc. Florent.*
(16) *Idem Conſtantinop. Patriarc.*
(17) *Idem*.
(28) *Idem S. Stephan. & S. Proculi Abb. Bonen.*
(19) *Honor. III. G. Presb. & Capit. S. Laur. in Damaſo*.
(20) *Idem Abb. de Lapide S. Michael. Halberſtad. Diœc.*
(21) *Greg. IX. Patr. Graden.*
(22) *Idem Priori Fr. Prædic. & Archid. Rhegin.*
(23) *Idem Archipr. S. M. Major. de Urb.*
(24) *Idem Archiep. Colcen.*
(25) *Idem Archid. Lemovic. Archid. & Priori S. Radegund. Pictav.*
(26) *Bonif. VIII.*

quos absolvere posset Episcopus, si viveret; nisi a Sede Apostolica id fuerit interdictum.

IN EXTRAVAGANTIBUS JOAN. XXII. *sub eodem Titulo* & ibi tit. II.

Cap. unic. *Ecclesia*. (1) Quia multi assumebant dominium, & se creari faciebant Potestates, & Capitaneos in comitatu Sabinæ, & aliis locis hic nominatis, qui sunt de patrimonio Ecclesiæ Romanæ: inhibetur, ne tales de cetero assumantur, neque illis tanquam talibus obediatur, & quod nullus hujusmodi præeminentiam sibi audeat adscribere sine speciali licentia Sedis Apostolicæ. Etsi sint aliquæ Civitates, quæ habeant jus eligendi tales Capitaneos per Sedem Apostolicam confirmandos, vetat Papa, quod ante confirmationem debitam nulla eis tanquam talibus præstetur obedientia.

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS. *Lib. I. sub eodem Titulo, & ibi tit. VIII. continente III. Capitula.*

Cap. I. *Unam*. (2) Omnes Christifideles de necessitate salutis subsunt Romano Pontifici, qui utrumque gladium habet, & omnes judicat, a nemine autem judicatur. *Vide infra de privil. cap. 2. Meruit.*

Cap. II. *Ut Prælatorum*. (3) Prælati non discurrant, præsertim habitu transformato, qui si ad Curiam venerint; inde recedere non debent sine Papæ licentia: alias ipsi, & receptantes illos excommunicati sunt.

Cap. III. *Etsi*. (4) Prælati ad Curiam non debent more noctuæ latenter venire, nec inde sine papali licentia recedere: alias infideles judicantur, & sententia excommunicationis ligantur.

DE TREUGA, ET PACE.

TITULUS XXXIV. *Continens II. Capitula.*

Cap. I. *Treugas*. (5) Statuit tempore Treugarum, & pœnas violantium.

Cap. II. *Innovamus*. (6) Personæ hic enumeratæ plena securitate gaudent tempore belli.

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS. *Lib. I. sub eodem Titulo & ibi tit. XI. continente II. Capitula.*

Cap. I. *Ad universalis*. (7) Sixtus Papa volens discordiam ex pragmatica Sanctione subortam sedare, Ordinariis Regni Franciæ ad conferenda beneficia sex menses concedit. Facultatem concedendi sex gratias sibi retinet. Beneficia Cardinalium, & eorum, qui Cardinalibus sunt familiares in Regno Franciæ existentia, suæ dispositioni usque ad certum tempus reservat. De beneficiis promovendorum quid fieri debeat, ostendit. Causas beneficiales in prima instantia vult in partibus terminari, in quibus ante definitivam sententiam, nisi in uno casu, vetat appellari. Quid de causis in Curia pendentibus faciendum sit narrat. Si autem eadem causa in diversis Curiis, diversis respectibus tractatur, quonam pacto terminanda sit hic recitatur, taxas beneficiorum editas a Joan. XXII. servandas censet. Tandem tempus ponit intra quod vult ista acceptari, & servari.

☞ *Scias autem, quod hujusmodi concordata, tanquam juri communi, & decretis Constant. & Basilien. Conc. contraria, non sunt effectum sortita.*

☞ *Quoad expectativas, & mandata de providendo beneficio, & quoad cognitionem causarum beneficialium, de quibus in textu.* Vide Trident. sess. 24. cap. 19. & 20. de reform.

Cap. II. *Vices*. (8) Concordiam inter Religiosos Mendicantes, & Ecclesiarum paræcialium Rectores in partibus Germaniæ quatuor Delegatis sub certis formulis, & modis initam Pontifex confirmat, præcipiens sub pœna excommunicat. illam a Prælatis observari.

DE PACTIS.

TITULUS XXXV. *continens VIII. Capitula.*

Cap. I. *Antigonus*. (9) Pacta quantumcumque nuda, servanda sunt.

Cap. II. *Quoties* (10) Conventio invalida, per consensum Superioris validatur.

Cap. III. *Qualiter*. (11) Judex debet studiose agere, ut promissa adimpleantur.

Cap. IV. *Cum pridem*. (12) Non valet pactum, per quod beneficium ecclesiasticum debet pecunia resignari.

Cap. V. *Accepimus*. (13) Non valet pactum de succedendo post mortem Prælati in ipsius Ecclesia.

☞ *Concordat Trid. sess. 25. cap. 7. de ref.*

Cap. VI. *Cum Clerici*. (14) Qui per pactum augendæ pensionis consecutus est Ecclesiam, debet ea privari, & alias canonice puniri.

Cap. VII. *Plerique*. (15) Si Ecclesia rem suam locando, vel in feudum concedendo apponit pactum in præjudicium juris parochialis alterius Ecclesiæ, non tenet: & quidquid in hac occasione perceperit, reddere cogitur illi Ecclesiæ.

☞ *Nec obstat Cap.* Pactum 1. *hoc eod. tit. in 6. ubi statuitur observandum esse pactum conventum circa sepulturam, ac proinde infertur posse pactum adjici circa sepulturam, quia ibi pactum initum fuit inter Rectorem Ecclesiæ, & monasterium, non inter parochianum, & Rectorem Ecclesiæ, quod improbatur tam hic quam in Cap.* Animarum 1. *de sepult. in 6. & in Clem.* Cupientes §. Sane *de pœn.*

Cap. VIII. *Pactiones*. (16) Non valet pactio in spiritualibus, vel quæ pactum inducit, vel turpis; seu de re turpi, vel impossibilis de jure, vel de facto.

IN SEXTO *Lib. I. sub eodem titulo, & ibi tit. XVIII. continente III. Capitula.*

Cap. I. *Pactum*. (17) Monachi habentes liberam a Sede Apostol. sepulturam, si paciscuntur de non recipiendis aliquibus, vel certis paræcianis Ecclesiæ alicujus, servare compelluntur pactum: nec illos sepelire poterunt, licet apud eos elegerint sepeliri, cum per pactum privilegio renunciaverint.

Cap. II. *Quamvis*. (18) Pactum factum patri a filia, dum tradebatur nuptui, quod dote contenta, nullum habebit ad bona paterna regressum; si juraverit id ipsa filia, omnino servare tenebitur.

Cap. III. *Quia*. (19) Pacta inita per Fratres Prædicatores, vel Minores, vel alios Mendicantes cum Rectoribus paræcialium Ecclesiarum super paræcialibus juribus, si facta sunt per Priores, vel Guardianos de Conventuum ipsorum locorum consensu (licet auctoritas Sedis Apostol. non intervenerit, vel licentia Prioris, vel Ministri Generalis, aut Magistri, vel Provincialis Ministri, vel Capituli Provincialis) servanda sunt, si alias sint licita, & honesta.

☞ *Huic privilegio derogatum est ex decreto Cong. Conc. jussu Urb. VIII. edito 7. Sept. 1624. quoad omnes Regulares etiam militares existentes intra fines Europæ. Unde servare debent Extravag.* Ambitiosæ, *& Clement. 1. de Reb. Eccl. non alien.*

DE TRANSACTIONIBUS.

TITULUS XXXVI. *continens XI. Capitula.*

Cap. I. *Sicut*. (20) Instrumenta, & alia jura Partium contraria transactione tolluntur.

Cap. II. *Statuimus*. (21) Tenet compositio super decimis facta cum assensu Superioris.

☞ *Nec obstat Cap.* Venerabilis 8. *de confirmat. util. ubi ostenditur in transactione facta super decimis opus fuisse confirmatione Apostolica; quia ibi transactio non fuit facta inter personas ecclesiasticas ex utraque parte, sed inter Episcopum, & Regem, ac Barones, & Milites Cypri; ideoque non satis erat auctoritas Episcopi, ut hic*

Cap. III. *Contingit*. (22) Si Capitulum consensit transactioni, quam fecit Prælatis nomine Ecclesiæ, ulterius dissentire non potest.

Cap. IV. *Constitutus*, (23) Super ecclesiastico beneficio transigi non potest, etiam cum juramenti interpositione.

Cap. V. *De cætero*. (24) Per transactionem factam sine auctoritate Episcopi, potest Prælatus, sed non Ecclesia constitui censualis.

Cap. VI. *Ex litteris*. (25) Si beneficium, quod per transactionem habetur, impetratur, ut vacans ab eo, qui fuit transactionis mediator, non valet impetratio.

Cap. VII. *Super*. (26) Super ecclesiastico beneficio non potest transigi, sed amicabiliter componi.

Cap. VIII.

(1) *Joann. XXII.*
(2) *Bonif. VIII.*
(3) *Joann. XXII.*
(4) *Idem.*
(5) *Alex. III. in Conc. Later.*
(6) *Idem ibidem.*
(7) *Sixt. IV.*
(8) *Idem.*
(9) *Ex Conc. Carth.*
(10) *Greg. Magn.*
(11) *Idem Januar. Episc. Calarit.*
(12) *Alex. III. Exon. & VVigor. Episc.*
(13) *Idem Archiep. Eborac.*
(14) *Idem Cantuar. Archiep.*
(15) *Innoc. III. in Conc. gen. Later.*
(16) *Greg. IX.*
(17) *Bonif. VIII.*
(18) *Idem.* (19) *Idem.*
(20) *Greg. I. Anton. Subd. & Domin. Ab. ac Presb. a Partibus.*
(21) *Alex. III. VVigo. & Oxon. Episc.*
(22) *Idem Dulmen. Episc.*
(23) *Idem Abb. de stresflut. & Priori S. Euseb.*
(24) *Idem Cantuarien. Archiep.*
(25) *Idem Roger. Archiepisc. Eborac. Apost. Sed. Leg. & R. VVigor. Episc.* (26) *Idem.*

Cap. VIII. *Veniens*. (1) Transactio facta de rebus Ecclesiæ per Prælatum sine superioris consensu, non obligat successorem.

Cap. IX. *Preterea*. (2) Sicut super jure præsentandi, ita super annexo non potest transigi, ut recedatur a lite, interveniente aliqua temporalitate.

Cap. X. *Preterea*. (3) Super spirituali subjectione non licet transigere.

☞ *Intellige, quando intervenit aliqua simonia labes, & incipit ab ipsis partibus; non vero, quando proponitur a Judice itidem sine simonia labe; & sic conciliantur cum hac decretali cap.* Si quando 8. *de Offic. Legat. & cap.* Cum inter 16. *de elect.*

Cap. XI. *Ex parte*. (4) Judex potest, & debet se interponere pro transactione inter partes facienda, præterquam in casibus, in quibus jura hoc non admittunt, ut super matrimonio.

☞ *Nec obstat cap.* Quod nobis 2. *de Clandest. despons. ubi statuitur esse approbandum matrimonium, de quo prius non constabat esse contractum, si contrahentes volunt in eo persistere, nam ibi non agebatur de transactione pro dissolvendo matrimonio, quod a jure improbatur, ut hic, sed de eo conservando absque ullo impedimento jam contracto.*

DE POSTULANDO.

TITULUS XXXVII. *continens III. Capitula*.

Cap. I. *Clerici*. (5) Clericus in sacris, vel minoribus beneficiatus, in sæculari foro non debet postulare, nisi pro se, vel sua Ecclesia, vel miserabilium personis.

☞ *Ex consuetudine, & tolerantia Pontificis in Curia Romana contrarium servatur, teste Fagn. hoc eodem cap. num.* 22.

Cap. II. *Ex parte*. (6) Canonici Regulares postulare non possunt, sicut & Monachi, nisi pro utilitate Ecclesiæ, vel sui monasterii, & præcepto Abbatis.

Cap. III. *Cum Sacerdotis*. (7) Clerici tam in sacris, quam in minoribus, etiam Canonici Regulares postulare nequeunt, nisi in certis casibus, & qui contra propriam Ecclesiam pro alio postulaverit, privatur beneficio, quod in ea obtinet.

DE PROCURATORIBUS.

TITULUS XXXVIII. *continens XV. Capitula*.

Cap. I. *Alia*. (8) Non auditur quis tanquam alterius procurator, nisi habet mandatum legitime factum.

☞ *Nec obstat cap.* Coram 34. *de Off. leg. nec cap.* Cum dilectus 8. *de Relig. domibus, ubi statuitur admitti posse ad agendum offerentem tantum cautionem de rato, etiam sine mandato domini, nam ibi agebatur de procuratoribus, quos constabat habuisse mandatum præsumptum, & sic admitti possunt cum sola cautione de rato.*

☞ *Nec cap.* Cum olim 34. *de Relig. domib. ubi Archidiaconus admissus fuit in judicio ad agendum super statu certæ Ecclesiæ absque mandato, & cautione de rato, nam ibi agebatur lis inter ipsum, & Archiepiscopum Cantuariensem, qui negligens erat in defendendis juribus dictæ Ecclesiæ; ideoque admissus fuit sine mandato, non tamquam procurator, sed ut pars Capituli, & persona pro defendendo jure conjunctorum.*

Cap. II. *Querelam*. (9) Non valet sententia, etiam expensarum condemnatoria lata contra absentem ex probabili causa legitime per nuncium excusatum.

Cap. III. *Ex insinuatione*. (10) Sententia lata cum procuratore revocato, & de hoc certificato, non præjudicat domino.

☞ *Vide Elencho II. n. XLVII.*

Cap. IV. *In nostra*. (11) Rescriptum super consequutivis judiciis impetratum a procuratore revocato, & de hoc certificato non valet, nec processus, nec sententia lata per ipsum, si revocatio pervenit ad adversarium.

Cap. V. *Tua*. (12) Si agitur de adulterio coram Judice sæculari, ad pœnam legalem non intervenit procurator; secus si coram ecclesiastico ad separationem tori.

Cap. VI. *Cum pro causa*. (13) Qui de mandato domini causam procuravit, ab eo repetit expensas propter hoc factas.

Cap. VII. *Quia*. (14) Universitas etiam scholarium potest ad agendum, & defendendum procuratorem constituere.

Cap. VIII. *Auditis*. (15) Si citatus ad totam causam constituit procuratorem, quem postea revocat, potest nihilominus contra eum procedi in quantum status causæ patitur sine alia citatione.

Cap. IX. *Petitio*. (16) Procurator Episcopi causas Episcopatus agit, & defendit, licet non fuerit datus sub nomine syndici, vel actoris.

Cap. X. *Accedens*. (17) Providere debet Judex, maxime in causa matrimoniali, quod constituens procuratorem gaudeat plena libertate.

Cap. XI. *Dilectus*. (18) Si procuratori generali denegantur induciæ ad consulendum dominum ex causa probabili absentem, poterit procurator appellare.

Cap. XII. *Constitutis*. (19) Si reus recedit a judicio, dimisso procuratore solummodo ad agendum, contumax est, & condemnatur in expensis.

Cap. XIII. *Mandato*. (20) Tenet judicium agitatum cum procuratore revocato, si revocationem Judex, & adversarius ignoraverunt.

☞ *Nec obstat cap.* Procurator 9. *hoc tit. in* 6. *ubi statuitur esse nullum matrimonium contractum per procuratorem, etiamsi neque ipsi, neque alteri contrahentium constiterit revocatio mandati, nam textus ille est specialis pro contractu matrimonii, pro quo requiritur plenissimus consensus mandantis, nec suppleri potest a jure.*

Cap. XIV. *Non injuste*. (21) Filius familias potest esse procurator in judicio, etiam ad futuras lites; & procurator datus cum pluribus simul in solidum præfertur, si præoccupavit negotium: secus si diverso tempore fuit datus. Item procurator appellare debet a sententia, nisi ex causa excusetur; quo casu debet domino nunciare de sententia; appellationem tamen prosequi non tenetur.

Cap. XV. *Consulti*. (22) Procurator Universitatis, cujus majores, & Jurati excommunicati sunt, non repellitur ab impetrando, nisi illi in procuratorio sint expressi, vel eorum auctoritate factum sit, vel ad id scienter sint admissi.

IN SEXTO. *Lib. I. sub eodem Titulo & ibi tit. XIX. continente IX. Capitula*.

Cap. I. *Non indiscrete*. (23) Laicus potest esse procurator ad agendum, & defendendum in causis spiritualibus.

Procurator post litem contestatam potest dare alium procuratorem: ante non, nisi datus fuerit in rem suam, vel a domino habuerit mandatum de substituendo etiam non certam personam.

Procurator ad negotia potest dare alium procuratorem libere, & etiam quandocumque.

Cap. II. *Quamvis*. (24) Procurator ante litem contestatam, etiam sine causa revocari potest post litem contestatam, non sine rationabili causa. Dominus tamen bene potest adesse causæ cum ipso procuratore; maxime si de collusione timeat.

Cap. III. *Is qui*. (25) Procurator habens mandatum substituendi, substitutum a se post mandatum susceptum, etiam si eo non sit usus, revocare non potest, nisi & potestatem habuit revocandi: si autem erat procurator ad plures causas, & in altera substituit, in aliis remanet procurator.

Cap. IV. *Qui ad agendum*. (26) Procurator generalis non agit exigentia speciale mandatum, nisi cum aliqua illorum specificatione, vel libera potestate.

Cap. V. *Qui generaliter*. (27) Mandatum generale ad negotia, etiam ad judicia se extendit.

Potest filius familias esse procurator, etiam absque patris consensu.

Major annis XXV. ad judicia, major XVII. ad negotia deputari potest procurator.

Cap. VI. *Si duo*. (28) Ex duobus procuratoribus simul simpliciter constitutis, alter solus admitti non debet. Si vero in solidum, qui primo contestatur litem, admittitur, altero totaliter excluso, nisi adjectum fuerit, quod non sit melior conditio occupantis; quo casu altero non prosequente, nec alium substituente, reliquus admittatur.

Procurator datus in solidum, qui occupaverat negotium,

(1) *Idem Ab. de Streflut, sive Stratæ Floridæ, & Priori S. Euseb.*
(2) *Luc. III. Norvicen. Episc.*
(3) *Cælest. III.*
(4) *Honor. III. Joann. S. Praxed. Presb. Card. S. Sed. Ap. Leg.*
(5) *Ex Conc. Later.* (6) *Innoc. III. Compostel. Archiep.*
(7) *Greg. IX.* (8) *Greg. I. Maximo Episc. Salonit.*
(9) *Alex. III.*
(10) *Clem. III.*
(11) *Innoc. III. Cabilon. & Catalaun. Episc.*
(12) *Idem Brixien. Episc.*
(13) *Idem N. Archipresb. N. Decano, & N. Præmptori Lugdun.*
(14) *Idem Scholarib. Parisien.*
(15) *Honor. III. Episc. Egitanen.*
(16) *Idem M. & R. Canonic. Mutinen.*
(17) *Gregor. IX. Ubaldo Civi Pisan.*
(18) *Idem Cantuar. Archiep.*
(19) *Idem Episc. Lexon.*
(20) *Idem.* (21) *Idem.*
(22) *Idem.* (23) *Bonif. VIII.*
(24) *Idem.* (25) *Idem.*
(26) *Idem.* (27) *Idem.*
(28) *Idem.*

tium, ex impedimento exclusus, non reassumit, nisi altero impedito.

In causis spiritualibus ex duobus procuratoribus simul simpliciter datis Judex eligit magis idoneum, qui solus prosequi poterit, nec alius admittitur, nisi primo legitime excluso.

Cap. VII. *Licet*. (1) Procurator, qui renuit acceptare mandatum, poenitere potest, quamdiu constituens in eadem perseveraverit voluntate.

Cap. VIII. *Si quem*. (2) Dominus dans procuratorem, quoties contigit eum abesse; causam tractando, procuratorem non intelligitur revocare: secus si simpliciter, nisi expresse protestetur, quod ipsum revocare non intendit, vel alias hoc appareat ex probabilibus conjecturis.

Cap. IX. *Procurator*. (3) Tria dicit. I. Quod procurator ad contrahendum matrimonium debet habere speciale mandatum. II. Quod talis procurator non substituit, nisi ad hoc mandatum habeat. III. Quod si talis procurator revocatus etiam ignoranter contraxit, non tenet matrimonium.

IN CLEMENTINIS. *Lib. I. sub eodem Titulo, & ibi tit. X. continente IV. Capitula.*

Cap. I. *Instrumento*. (4) Qui sciens sine protestatione recipit instrumentum, vel litteras suæ procurationis, quibus constituens pro ipso cavebat, super inclusis in procuratorio dominum defendere cogitur.

Cap. II. *Non potest*. (5) Procurator habens mandatum jurandi, & omnia faciendi; quæ requirunt speciale mandatum, contra Electum, vel Provisum opponere non potest crimina, vel defectus.

Cap. III. *Religiosus*. (6) Religiosus etiam pro Conreligioso, nisi pro consorte ejusdem litis, non potest procurator constitui sine licentia superioris, nec etiam alium constituere, nec substituere, licet hoc habeat in mandatis.

Cap. IV. *Procuratorem*. (7) Per obitum Rectoris Ecclesiæ revocatur procurator ab eo pro Ecclesia constitutus, etiam quoad negotia jam coepta.

DE SYNDICO.

TITULUS XXXIX.

Cap. unic. *Sicut*. (8) Religiosi debent habere syndicum, qui causas monasterii agat, & defendat, etiam (si opportuerit) constituto illi salario.

☞ *Hoc est de potestate, non de necessitate. Unde conciliatur cum hac decret. cap.* Insuper *9. de testib. & attestat. ubi præscribitur posse etiam per se tractare causas monasterii.*

DE HIS, QUÆ VI, METUSVE CAUSA FIUNT.

TITULUS XL. *Continens VII. Capitula.*

Cap. I. *Perlatum*. (9) Si quis timore mortis, postea ratum non habens, Religionem profitetur, exire, & matrimonium contrahere potest: secus si a principio, vel ex post facto libere consensisset.

☞ *Circa judicium nullitatis professionis vide Elencho VI. num. CII.*

Cap. II. *Abbas*. (10) Qui per metum amissionis patrimonii suo beneficio renunciat, illud repetere potest.

Cap. III. *Ad aures*. (11) Qui terrore laicorum electioni de se factæ renunciat, si renunciatio juramento, vel fide firmata non sit, regimini, ad quod electus erat, præfici poterit.

Cap. X. *Ad audientiam*. (12) Qui per metum, qui cadere potuit in constantem virum, beneficio suo renunciare juravit, & renuntiavit, illud repetere poterit.

Cap. V. *Sacris*. (13) Excommunicatus non est, qui absolute coactus excommunicato (*intellige vitando*) communicat: secus si coactio fuit conditionalis.

Cap. VI. *Cum dilectus*. (14) Metum passo non subvenitur, si non fuit talis, qui potuit cadere in constantem virum.

Cap. VII. *Super*. (15) Probata violentia per testes, res amissæ probantur per juramentum: & super valore rerum amissarum, taxatione Judicis præmissa, & secuto petentis juramento, fit condemnatio.

IN SEXTO. *Lib. I. sub eodem Titulo & ibi tit. XX.*

Cap. unic. *Absolutionis*. (16) Excommunicationis, suspensionis, vel interdicti absolutio, vel revocatio per vim extorta non tenet: & extorquens excommunicatus est ipso jure.

☞ *Hæc excommunicatio non est reservata: sed ex c. 24. Bullæ Cœnæ cogentes, & cooperantes, ut partes actrices consentiant, & revocent inhibitiones expeditas pro causis spiritualibus, aut eis annexis, absolvanturque ii a censuris, & pœnis in ipsis inhibitionibus contentis, contra quos hæ emanarunt, incurrunt excommunicationem Papæ reservatam; sicut impedientes directe, vel indirecte judicibus ecclesiasticis exercitium suæ jurisdictionis, eorumque sententias, & decreta eludentes recurrunt ad forum sæculare ut in cap. 16. ejusdem Bullæ.*

DE IN INTEGRUM RESTITUTIONE.

TITULUS XLI. *Continens X. Capitula.*

Cap. I. *Requisivit*. (17) Si in contractu conditionis, vel locationis, Ecclesia fuit enormiter læsa, potest adversus talem contractum petere restitutionem ad integrum: emptor tamen, sicut conductor non debet fraudari in pretio suo, vel in sumptibus per eum factis.

Cap. II. *Cum venissent*. (18) Restituitur Ecclesia læsa propter negligentiam procuratoris, qui jura Ecclesiæ non produxit.

Cap. III. *Auditis*. (19) Ecclesia læsa in probatione necessaria omissa potest petere restitutionem in integrum, non obstante termino juris probationis exclusivo: & restitutionem petere potest, non solum contra privatum, sed etiam contra Ecclesiam.

Cap. IV. *Ex litteris*. (20) Restitutio ex justa causa etiam majori est concedenda, dummodo justa causa petendi probetur: si autem non probatur plene, vel semiplene, conceditur restitutio in causa favorabili.

Cap. V. *Tum ex litteris*. (21) Etiam contra sententiam Papæ restituitur Ecclesia. Et causa restitutionis in integrum debet præsentibus partibus tractari.

Cap. VI. *Suscitata*. (22) Petitio restitutionis in integrum contra sententiam suspendit regulariter exequutionem sententiæ in eventu istius causæ restitutionis. Fallit si contra petentem restitutionem est præsumptio malitiæ, quod causa differendi exequutionem hoc petat: quo casu exequutio fit, præstita cautione de restituendo, si petens restitutionem obtinebit in causa.

Cap. VII. *Coram*. (23) Post peremptorium non auditur Ecclesia de jure communi: auditur tamen per beneficium restitutionis in integrum.

Cap. VIII. *Constitutus*. (24) Restituitur minor in eo, quod contraxit, vel omisit, si probat exinde se læsum, & sit intra tempora restitutionis petendæ.

Cap. IX. *Causa*. (25) Restitutio in integrum postulanda est ab Ordinario administrationem habente, vel a Delegato ab eo, sive hæc causa sit specialiter delegata, sive incidat in causa generaliter sibi commissa. Ab Ordinario vero administrationem non habente, vel a Delegato peti non debet, nisi veniat incidenter in causa. Arbiter autem de causa restitutionis non cognoscit, nec potest assumi in majoribus causis.

Cap. X. *Beneficio*. (26) Restitutio denegata Ecclesiæ ulterius sibi non conceditur, nisi ex nova causa: restituitur tamen ad appellandum a sententia denegationis.

IN SEXTO *Lib. I. sub eodem Titulo, & ibi tit. XXI. continente II. Capitula.*

Cap. I. *Ecclesia*. (27) Ecclesia post quadriennium non admittitur ad petendum restitutionem contra sententiam, vel contractum, nisi rationabilis aliqua causa hoc suadeat.

Cap. II. *Si adversus*. (28) Ecclesia contra confessionem, qua læsa fuit, admittitur intra quadriennium per beneficium restitutionis in Integrum: postea non, nisi per viam juris communis.

IN CLEMENTINIS *Lib. I. sub eodem Titulo, & ibi tit. XI.*

Cap. unic. *Ab Ecclesia*. (29) Ecclesia probans se læsam

(1) *Idem*. (2) *Idem*. (3) *Idem*.
(4) *Clem. V. in Conc. Vien.*
(5) *Idem*. (6) *Idem*.
(7) *Idem*. (8) *Gregor. I. Petro Subd. defens. Sicil.*
(9) *Alex. III. Oscen. Episc. & Priori S. Mariæ Cæsar. August.*
(10) *Idem VVigor. Ep.*
(11) *Clem. III.* (12) *Innoc. III. Episc. Lingon. & ejus Collegis.*
(13) *Idem Nidrosien. Archiep.*
(14) *Idem Massil. & Agaten. Episc.*
(15) *Greg. IX.*
(16) *Greg. X. in Conc. gen. Lugdun.*
(17) *Alex. III. Aliphan. Episc.*
(18) *Innoc. III. S. Greg. & S. Serg. Abb.*
(19) *Idem Helien. & Rophen. Ep.*
(20) *Idem Priori S. Mariæ ad Carcer. & Can. S. Mariæ de Mandria.*
(21) *Idem Episc. & Capit. Oscen.*
(22) *Idem Zamor. & Legion. Episc.*
(23) *Honor. III. Archiep. Brachar.*
(24) *Greg. IX.*
(25) *Idem*. (26) *Idem*.
(27) *Greg. IX.*
(28) *Bonif. VIII.*
(29) *Clem. V. in Conc. Vien.*

ſam per lapſum temporis, ad illud tempus tantum reſtituitur, & intra quadriennium a tempore læſionis.

DE ALIENATIONE JUDICII MUTANDI CAUSA FACTA.

TITULUS XLII. *continens II. Capitula.*

Cap. I. *Ex quorumdam.* (1) Is, in quem facta eſt alienatio rei, cauſa mutandi judicii, convenitur per reſcriptum impetratum contra alienantem.

Cap. II. *Ex parte.* (2) Clericus cauſa mutandi judicium, non debet recipere ceſſionem a laico.

DE ARBITRIS.

TITULUS XLIII. *continens XIV. Capitula.*

Cap. I. *Sane.* (3) Arbitri ſunt in diſpari numero aſſumendi, & eis diſcordantibus, ſtatus ſententiæ majoris partis.

Cap. II. *Non ſine.* (4) Nullum eſt arbitrium, ſeu arbitramentum continens peccatum per Partes non remiſſibile.

☞ *Hic non improbatur ſucceſſio immediata collateralium, ſeu tranſverſalium in beneficiis, ſed vide notata in cap.* Ex parte 12. *de offic. & poteſt. Jud. Deleg.*

Cap. III. *Pervenit.* (5) Arbiter aſſumptus in patrimoniali cauſa Clerici non poteſt adjudicare rem Eccleſiæ poſſidendam, etiam ad vitam Clerici.

Cap. IV. *Dilecti.* (6) In mulierem ſingularem, tanquam in arbitratricem compromitti non poteſt: ſecus ſi mulier habet alias juriſdictionem de jure communi, vel conſuetudine; nam tunc ſuper rebus etiam temporalibus Eccleſiæ poteſt in eam valide compromitti.

☞ *Nec obſtat Cap.* Quintavallis 18. *de Jurejur. ubi compromiſſum factum in quaſdam fœminas reprobatur, non quia factum in ipſas, ſed quia earum arbitrium erat contra jus naturale, nam ibi non fuit factum compromiſſum, tum quia agebatur de cauſa criminali, in qua non admittitur, Cap.* Cauſa 9. *de in integ. reſtit., tum quia illa erant ex litigantibus, in quas compromitti non poteſt.* l. penult. ff. hoc tit. *ſed fuit facta promiſſio juramento firmata de ſatisfaciendo injuriis illatis.*

Cap. V. *Cum tempore.* (7) Eccleſia exempta non poteſt in præjudicium exemptionis compromittere.

Cap. VI. *Cum dilectus.* (8) Arbiter non habet poteſtatem judicandi ultra comprehenſa in compromiſſo, ideo coram eo non fit reconventio.

Cap. VII. *Cum olim.* (9) Qui per Arbitrium tenetur eligere cum aliquorum conſilio, tenetur illorum conſilium in tractatu electionis requirere, ſed ſequi non adſtringitur.

Cap. VIII. *Contingit.* (10) De rebus ſpiritualibus in laicum compromitti non poteſt.

Cap. IX. *Per tuas.* (11) Auctoritate Judicis etiam delegati poteſt de cauſa ſpirituali in Clericum, & laicum compromitti: Et ſi arbitrium eſt a Partibus receptum, debet exequutioni mandari; licet per generalem procuratorem factum fuerit compromiſſum. Si autem non fuit arbitrium approbatum, & pœna fuit appoſita, agitur ad pœnam, alias ad intereſſe.

Cap. X. *Ex parte.* (12) Si per duos Electos ad eamdem Prælaturam in diſcordia compromittitur in Ordinarium, morte alterius compromittentium expirat compromiſſum: Ordinarius tamen ex poteſtate ordinaria procedit ſuper jure ſuperſtitis, antequam fiat tranſitus ad aliam electionem.

Cap. XI. *Expoſita.* (13) Arbiter poſt rem judicatam ſuper diſcordiis novis aſſumptus, non poteſt per ſuum arbitrium ſententiam immutare, etiamſi de componendo inter Partes mandatum acceperit a Papa.

Cap. XII. (14) Non valet compromiſſum factum in duos, ſive plures, hoc adjecto, ut in caſu diſcordiæ eligatur tertius per eoſdem, vel alios.

Cap. XIII. *Cum a nobis.* (15) Valet compromiſſum factum in unum, vel in plures, ut ipſi per ſe cauſam definiant, vel per alios, quos ipſi elegerint.

Cap. XIV. *Compromiſſum.* (16) Compromiſſum ante ſententiam latam finitur morte alterius compromittentium: unde non tranſit in hæredes compromittentium: niſi de eis ſit cautum in compromiſſo.

IN SEXTO *Lib. I. ſub eodem Titulo, & ibi tit. XXII. continens II. Capitula.*

Cap. I. *Si ex tribus.* (17) Si ex tribus Arbitris duo concordant in ſumma, tenet eorum ſententia: ſi omnes diſcordant, tenet ſententia de ſumma minori.

Cap. II. *Ut quæſtionibus.* (18) Si ex tribus Arbitris unus nolit examinando, vel definiendo negotio intereſſe, duo procedere poterunt, ac ſi ille præſens eſſet. Circa Judices autem antiqua jura ſerventur.

(1) *Alex. III. Archiep. Rhotomag.*
(2) *Greg. IX. Ab. S. Nicol. & Decan. Furnen. Morin. Diæc.*
(3) *Ex Conc. Afric. an. 402. Hoc. c. apud Gonzalez incipit:* Item placuit. (4) *Alex. III. Eborac. Archiep.*
(5) *Idem Exon. Epiſc.*
(6) *Innoc. III. Cancellar. & Magiſtr. Lothar. Canon. Pariſien.*
(7) *Idem Ab. & Convent. de Pigavia.* (8) *Idem Priori S. Andr. Ab. de Beroth. T. Priori, Archid. & Magiſtr. A. Official. S. Andr.*
(9) *Idem Rectori, & Fratrib. Hoſpital. S. Barthol. Lucani.*
(10) *Idem in Conc. gen. Later.* (11) *Idem Piſan. Archiep.*
(12) *Honor. III. Archiep. Colon.*
(13) *Idem Electo & Ab. S. Zenon. & Conſtantin. Canon. Veron.*
(14) *Greg. IX. Decano, & Magiſt. P. Canon. S. Petri Atrebat. Diæc.*
(15) *Idem Abbatiſſ. & Convent. Jotren.*
(16) *Idem.* (17) *Bonif. VIII.*
(18) *Idem.*

IN LIBRO II. GREGORII PAPÆ IX.

CONTINENTUR TITULI XXX.

DE JUDICIIS.

TITULUS I. *Continens* XXXI. *CAPITULA.*

Cap. I. *De Quod vult Deo.* (1) Contumax in non comparendo, vel non reſpondendo, excommunicari poteſt: beneficio autem privari non debet.

Cap. II. *Decernimus.* (2) Laici eccleſiaſtica negotia tractare non debent, ſed Prælatorum judicio diſponuntur.

Cap. III. *Quando.* (3) Cauſa juriſpatronatus ſpectat ad judicium Eccleſiæ.

Cap. IV. *Etſi.* (4) Clericum convictum, & confeſſum de crimine coram Judice ſæculari, ex eo non punit Epiſcopus: ſed coram ſe convictum, vel confeſſum punit pœna debita, niſi cum illo diſpenſet; quod poteſt in adulterio, & minoribus; depoſitum vero non ſtatim tradit Curiæ ſæculari.

In adulterio, & minoribus poteſt cum Clericis peracta pœnitentia, Epiſcopus diſpenſare; non quemlibet autem depoſitum pro ſuis exceſſibus tradit Curiæ ſæculari.

Cap. V. *Ceterum* (5) Vaſſallus coram domino feudi conveniendus eſt, etiamſi dominus feudi ſit Clericus, dummodo actor poſſit ſuam juſtitiam conſequi: alias loci Ordinarius poterit adiri.

☞ *Vide notata infra cap.* Si quis I. *de for. compet.*

Cap. VI. *Dilecti.* (6) Nomen actionis in libello exprimere pars non cogitur, debet tamen factum ita clare proponere, ut ex eo jus agendi colligatur.

Cap. VII. *Intelleximus.* (7) Excommunicatus in judicio, niſi tamquam reus ſtare non poteſt.

Cap. VIII. *Clerici.* (8) Clericus de omni crimine debet coram eccleſiaſtico Judice conveniri, nec valet conſuetudo contraria.

Cap. IX. *Cauſam.* (9) Judex ex officio providere debet, ut

(1) *Ex Conc. Afric.*
(2) *Ex Synodo Rhemen.*
(3) *Alex. III. Henr. II. Reg. Angl.*
(4) *Idem Saler. Archiep.*
(5) *Idem Rom.*
(6) *Idem Exon. Epiſc. & Decan. Londin.*
(7) *Idem Paduan. Epiſc.*
(8) *Luc. III. Strigon. Archiep.*
(9) *Clem. III. R. VVigor. Ep. & Abb. de Eveſban.*

ut debitæ ſolemnitates ſerventur in judiciis, quibus omiſſis judicium redditur fruſtatorium.

Cap. X. *Cum non*. (1) Clericus depoſitus incorrigibilis excommunicandus eſt, & ſucceſſive anathematizandus: etſi ſic non reſipuerit, per judicem ſecularem comprimendus eſt.

☞ *Intellige poſtquam ei traditur eſt a Judice eccleſiaſtico.*

Cap. XI. *Quia*. (2) Per reſcriptum impetratum contra violentum occupatorem convenitur qui ſcienter ſuccedit in vitium.

Cap. XII. *Cum veniſſent*. (3) Solus Papa cognoſcit de dubiis privilegiorum Apoſtolicæ Sedis, & non inferior.

Cap. XIII. *Novit ille*. (4) Judex Eccleſiaſticus poteſt per viam denunciationis evangelicæ, ſeu judicialis procedere contra quemlibet peccatorem etiam laicum maxime ratione perjurii, vel pacis fractæ.

Cap. XIV. *Paſtoralis*. (5) Principalis perſona per ſe, non per advocatum debet factum proponere in judicio, niſi ſit indiſcreta: advocatus enim proponere debet jus, quod oritur ex facto.

Cap. XV. *Examinata*. (6) Si actio, & intentio ſunt ineptæ, vel ſola intentio, debet reus abſolvi ab inſtantia judicii: iterum tamen actor audietur, ſi apte egerit.

Cap. XVI. *Cum deputati*. (7) Præceptores Templi pro domibus ſuis agere, & defendere poſſunt, nec obſtat eis Religio, vel quod ignota ſit eorum origo.

Cap. XVII. *Qualiter*. (8) Prælati debent laicis de Clericis, appellatione fruſtatoria non obſtante, juſtitiam facere: ad ſæculare tamen forum Clerici a laicis trahi non debent, etiam data ipſorum Prælatorum negligentia.

☞ *Et excommunicationem incurrunt Papæ reſervatam ex Bulla Cœnæ cap. 14. 15. & 16. ac vide innovationem Elencho IV. num. VII.*

Cap. XVIII. *Cauſam*. (9) Judex habens ut privatus pene conſimilem cauſam, quam habet ut judex, a judicando removetur.

Cap. XIX. *Exhibita*. (10) Si Judices de principali, & exceptionibus præjudicialibus ſimul cognoſcunt, vel ſuper principali lite non conteſtata teſtes recipiunt, licite ab eis appellatur.

Cap. XX. *Venerabilis*. (11) Lapſu triennii non obſtante, poteſt delegatus in cauſa ſibi commiſſa procedere.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. XLVIII.*

Cap. XXI. *Significaverunt*. (12) Actor obtinens in poſſeſſorio coram Judice rei, non tenetur coram eo Judice ſuper proprietate reſpondere, ſi eſt prorſus alterius fori.

IN SEXTO. *Lib. II. ſub eodem Titulo continente III. Capitula.*

Cap. I. *Juris*. (13) Judex delegatus non habens ad hoc ſpeciale mandatum a Papa, non poteſt compellere partem, ut perſonaliter coram eo compareat, niſi ex rationabili cauſa.

Cap. II. *Mulieres*. (14) Mulieres perſonaliter ad judicium, quacumque cauſa in jure non expreſſa, invitæ trahendæ non ſunt: ſed ſi neceſſarium ſit ipſarum teſtimonium, in cauſa Judex expenſis producentis interdum ibit, interdum mittet, & Judex fraudulenter vadens, excommunicatus eſt. Mulieres religioſæ etiam volentes, extra monaſterium ſuum ex aliqua cauſa perſonaliter ad judicium trahi non poſſunt; quod contra prædicta ſit, eſt irritum.

☞ *Excommunicatio iſta non eſt reſervata.*

Cap. III. *Si annum*. (15) Major XIV. annis per ſe, & per procuratorem poteſt agere, & defendere cauſam ſpiritualem: Minor XIV. per ſe non agit, ſed per procuratorem, vel per curatorem datum auctoritate Ordinarii eccleſiaſtici Judicis, & etiam Delegati dati ad cauſas illas. Filius familias ſine patris aſſenſu agit cauſam ſpiritualem.

IN CLEMENTINIS *Lib. II. ſub eodem Titulo continente II. Capitula.*

Cap. I. *Dudum*. (16) Conſtitutio Bonifacii, quæ habet, quod citationes etiam extra dies ſolemnes publicæ factæ de mandato Papæ, in audientia litterarum Apoſtolicarum, vel Papali Palatio affixæ januis majoris Eccleſiæ loci, in quo Papa cum Curia ſua degit, arctent citatum, ac ſi ad eum perſonaliter deveniſſent: reſtringitur ad eos, qui impediunt, ne ad eos poſſit citatio pervenire, vel quorum domicilium tute non poteſt adiri.

Cap. II. *Diſpendioſam*. (17) In cauſis etiam pendentibus beneficialibus, decimarum, matrimonialibus, & uſurarum, & ipſas tangentibus procedi poteſt ſimpliciter, & de plano, abſque judiciorum ſtrepitu, & figura.

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.

Lib. II. ſub eodem Titulo.

Cap. unic. *Frequentes*. (18) Decretalem *ſuper Cathedram in Clement. 1. per c. Dudum innovatam* jubet obſervari: neque propter illam debent Religioſi mendicantes eſſe moleſti, & graves Prælatis, neque Prælati ipſis Religioſis. Etſi ſint aliquæ injuriæ, vel moleſtationes hinc inde factæ, Papa vult juſtitiæ complementum breviter exhiberi, ſummarie, ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura judicii; vel aliter, prout qualitas exceſſuum exigit, non obſtantibus quibuſcumque obſtaculis, quæ poſſent his obviare.

DE FORO COMPETENTI.

TITULUS II. *continens XX. Capitula.*

Cap. I. *Si quis*. (19) Clericus coram ſuo Epiſcopo conveniri debet.

☞ *Circa prorogationem juriſdictionis, de qua in textu, vide Elencho I. n. XIV.*

☞ *Quando controverſia contra Clericum eſt de Feudo, dic ut in capp. 6. & 7. infra.*

Cap. II. *Nullus*. (20) Judex ſæcularis ſi Clericum per ſe diſtringit, vel condemnat, excommunicari debet.

☞ *Hodie ex Bulla Cœnæ eſt ipſo jure excommunicatus, ſive agatur de cauſis civilibus, ſive de criminalibus; & ſub nomine Clerici venit etiam initiatus prima Tonſura Trid. ſeſſ. 23. cap. 6. de ref. ſervatis conditionibus ibi appoſitis.*

Cap. III. *Sane*. (21) Ratione rei, de qua agitur, ſortitur quis forum ibi, ubi res eſt.

Cap. IV. *Si quis*. (22) Epiſcopus ut ſuſpectus recuſatus, de cujus ſuſpicione notorie conſtat, poteſt dare delegatum Partibus non ſuſpectum, cujus ſententiam poterit per ſe exequutioni mandare.

Cap. V. *Si Clericus*. (23) Super re Eccleſiæ, vel Clerici poteſt laicus coram eccleſiaſtico Judice conveniri: ſed ſi probabiliter negat rem eſſe Eccleſiæ, vel Clerici ad juriſdictionem eccleſiaſticam declinandam convenitur coram ſuo Judice.

Cap. VI. *Ex tranſmiſſa*. (24) Si quæſtio feudalis eſt inter Clericum, & Laicum, cognoſcet Dominus feudi: ſed eo negligente, cognoſcet Delegatus Papæ etiam ante negligentiam datus.

Cap. VII. *Verum*. (25) Per Dominum feudi ſæcularem, ſive eccleſiaſticum, quæſtio feudalis terminari debet, etiam ſi Vaſalli ſint Clerici: & ſi plures prætendantur Domini, non poteſt unus cognoſcere, maxime alio abſente an feudum ad eum pertineat.

Cap. VIII. *Cum ſit*. (26) Malefactores Eccleſiarum in utroque foro conveniri poſſunt.

Cap. IX. *Quod Clericis*. (27) Cauſæ Clericorum ſecundum jura, non ſecundum conſuetudines laicorum terminentur.

Cap. X. *Licet*. (28) Laicus laicum ſuper re civili coram Judice eccleſiaſtico convenire non poteſt, niſi in defectu Judicis ſæcularis; vel niſi conſuetudo id expoſcat.

Cap. XI. *Ex tenore*. (29) Vidua laicum coram Judice eccleſiaſtico convenire non poteſt, niſi ſuper cauſa eccleſiaſtica, vel in defectum Judicis ſæcularis.

Cap. XII. *Si diligenti*. (30) Clericus non poteſt conſtituere ſibi Judicem laicum, etiamſi proprium juramentum, & adverſarii conſenſus accedat.

Cap. XIII. *Cum contingat*. (31) Clerici ſuper exceſſibus coram ſuo Epiſcopo conveniri debent, non coram iis, qui-

(1) *Cæleſt. III Bruaduſ. Ep.* juxta Gonzal, ſed juxta Cujac. Strigon. *Archiep.* (2) *Idem VVinton. Epiſc.*

(3) *Innoc. III. S. Serg. & S. Georg. Ab. & Cantori Andegav.*

(4) *Idem Archiep. & Epiſc. per Franc. conſtit.*

(5) *Idem Epiſc. Elien.*

(6) *Idem Matthæo de Rivaria.*

(7) *Idem Magiſtr. & Fratrib. militia Templi in Ital. conſt.*

(8) *Idem Vercell. Epiſc. & Ab. de Tileto.*

(9) *Idem.* (10) *Hor. III. Abb. S. Martini Archid. Rhem. & Decan. Bunien. Colon. Diæc.*

(11) *Idem Magiſtr. Tancr. Canon. Bonon.*

(12) *Idem Epiſc. & Magiſtr. Tancred. Bonon. & Bond. de Praten. Bonon. commor. Canon.*

(13) *Innoc. IV. in Conc. Lugdun.*

(14) *Bonif. VIII.* (15) *Idem.*

(16) *Clem. V. in Conc. Vien.*

(17) *Idem.* (18) *Joan. XXII.*

(19) *Ex Conc. Chalced. an.* 455.

(20) *Ex Conc. Pariſien.* juxta Burchard. an. 451.

(21) *Ex Conc. Afric. an.* 402.

(22) *Greg. I. Bonif. defenſori Corſicæ.* Hoc Cap. apud Gonzal. incipit Experientia.

(23) *Alex. III. Epiſc. Genuen.*

(24) *Idem Senon. Archiep.*

(25) *Idem.* (26) *Luc. 3.*

(27) *Cæleſt. III. Pariſ. Ep.*

(28) *Innoc. III. Vercell. Epiſc.*

(29) *Idem Archid. & B. Cælerar. Turon.* juxta Cujac.

(30) *Idem Piſan. Archiep.*

(31) *Idem Belluac. Epiſc.*

quibus serviunt, nisi consuetudo, vel privilegium aliud inducat.

Cap. XIV. *Postulasti.* (1) Episcopus delicti condemnat Clericum de delicto, sed non privat beneficio alibi existente: sed Episcopus beneficii privabit quasi exequendo condemnationem Judicis delicti. *Vel sic* Episcopus delicti condemnat Clericum de delicto, privando beneficio alibi sito, sed exequtio realis fit ab Episcopo beneficii.

Cap. XV. *Ex parte.* (2) Miserabilis persona potest laicum interdicto, *Unde vi*, coram Judice ecclesiastico convenire, etiam si res subtracta dicatur feudalis.

☞ *Vide correctionem Elencho I. n. XV.*

Cap. XVI. *Conquestus.* (3) Laici usurpantes jura ecclesiastica velut sacrilegi per Judicem ecclesiasticum compelluntur.

☞ *Cum ex textu inferatur cognitionem causæ delegari posse cuicumque personæ, vide correctionem Elencho I. n. XVI.*

Cap. XVII. *Dilecti.* (4) Privilegiatus non tenetur respondere nisi in certo loco: si in alio loco respondere, vel solvere promittit, ibi poterit conveniri, & etiam ubi habet domicilium.

Cap. XVIII. *Significasti.* (5) Quamquam laici possint jurisdictionem non sui judicis prorogare, clerici tamen non possunt, nisi Episcopi diœcesani consensus accedat, & Judex, cujus jurisdictionem prorogare volunt, sit ecclesiasticus.

Cap. XIX. *Proposuisti.* (6) Legitime citatus tenetur coram Judice citante causam prosequi, non obstante, quod post citationem mutaverit forum.

Cap. XX. *Licet.* (7) Quisque clericus potest in Curia Romana conveniri, licet alias specifice ibi forum non sortiatur: habet tamen ex causa jus revocandi domum.

☞ *Vide Cap.* Divina 3. *de privil. in extr. com.*

IN SEXTO *Lib. II. sub eodem Titulo continente III. Capitula.*

Cap. I. *Romana.* (8) Archiepiscopus omisso appellationis articulo, vel per viam querelæ, de causa subditorum suffraganeis, etiam ipsis consentientibus, non cognoscit.

Archiepiscopus subditos suffraganei non potest compellere causas delegatas ab eo suscipere, suas sententias, & præcepta exequi, vel testimonia in causis ad eos devolutis ferre, nisi consuetudo aliud disponat.

Archiepiscopus contra officiales, vel Prælatos suffraganeorum, consuetudine aliud non disponente, & contra subditos ipsorum, pro salariis Advocatorum, & Procuratorum causarum fori Archiepiscopi, Judex competens non est.

Archiepiscopus non compellit invitos contrahentes aliarum Diœcesum in sua propria coram se respondere, nisi ibi inveniantur. Sed si citati nolunt comparere, vel malitiose se occultant, ne citentur, in bonis ipsorum suæ Diœcesis potest missionem facere, vel in alia decernere per Ordinarios faciendam.

Non potest Archiepiscopus suos Clericos mittere in Diœcesim Suffraganei, ut coram eis fiant contractus, vel jam facti approbentur; nec si facti, vel approbati fuerint coram illis, possunt Suffraganeorum subditos coram se compellere litigare super illis: nec excommunicare Suffraganeorum officiales, vel subditos, si nolunt litigare coram ipso.

Cap. II. *Seculares.* (9) Judex sæcularis, qui vult Clericum compellere ad debita, etiam liquida solvenda, per ecclesiasticum Judicem desistere compellatur.

Cap. III. *Cum C. laicus.* (10) Ratione juramenti laicus, ut illud servet, coram Judice ecclesiastico convenitur.

IN CLEMENTINIS. *Lib. II. sub eodem Titulo.*

Cap. unic. *Quamvis.* (11) Concedit Concilium certo casu Episcopis expulsis a suis sedibus, quod in locis aliarum Diœcesum, servata forma, quam limitat, possint procedere contra expulsores, consiliarios, & fautores, & inter subditos jus dicere.

DE LIBELLI OBLATIONE.

TITULUS III. *continens III. Capitula.*

Cap. I. *Hincmarus.* (12) Actor tenetur in scriptis libellum porrigere. *Vel sic* Judex non debet admittere actorem ad litigandum, nisi prius ei libellum in scriptis afferat.

☞ *In causis tamen summariis, ubi sine strepitu, & figura judicii proceditur, non est necessaria libelli solemnitas c.* Sæpe *de Verb. Signif.*

☞ *Nec obstat c.* Cum dilectus 2. *de Ord. cognit. ubi admittitur libellus sine specifica rei petitæ expressione, quia ex integra hujus textus narratione ostendit Gonzalez omnia expressa fuisse.*

☞ *Nota, quod hoc cap. in decretal. Greg. IX. incipit,* Ignarus, *sed mendose, cum legendum sit:* Hincmarus: *qui cum ex Monacho benedictino electus fuerit Archiep. Rhemensis, præfuit dicto Conc. Provinciali celebrato an. 853. in Urbe Suessione.*

Cap. II. *Significantibus.* (13) Cum agitur actione reali, non sufficit rem generaliter peti, sed debet ita specificari, ut evitetur obscuritas, & æquivocatio.

Cap. III. *Dilecti.* (14) Non tenetur reus respondere libello in actione personali, si non exprimitur causa petendi.

DE MUTUIS PETITIONIBUS.

TITULUS IV. *continens II. Capitula.*

Cap. I. *Ex litteris.* (15) Judex etiam delegatus, compellit actorem ad respondendum reo in causa reconventionis; & utramque causam ordine successivo simul audiet, & una sententia terminabit.

Cap. II. *Prudentiam.* (16) Modus procedendi datus per rescriptum in causa conventionis, intelligitur repetitus in causa reconventionis.

DE LITIS CONTESTATIONE.

TITULUS V.

Cap. unic. *Olim.* (17) Non per positiones, & responsiones, sed per petitionem in jure propositam, & responsionem sequutam fit litis contestatio, qua omissa, nullus est processus.

IN SEXTO. *Lib. II. sub eodem Titulo, & ibi tit. III. continente II. Capitula.*

Cap. I. *Exceptionis.* (18) Peremptoria litis contestationem non impedit, nisi sit de re semel finita.

Cap. II. *Si ablato.* (19) Per exceptionem peremptoriam non fit litis contestatio.

UT LITE NON CONTESTATA NON PROCEDATUR AD TESTIUM RECEPTIONEM, VEL AD SENTENTIAM DEFINITIVAM.

TITULUS VI. *Continens V. Capitula.*

Cap. I. *Ad hæc.* (20) Si agatur de adulterio ad separationem tori, & ante litis contestationem reus est contumax, potest excommunicari: sed testes recipi non possunt, nec causa definiri.

Cap. II. *Accedens.* (21) In causa restitutionis contra contumacem, lite non contestata, sententia proferri non potest.

Cap. III. *Tuæ fraternitatis.* (22) Si lite non contestata, reus est contumax, si fieri potest, mittitur actor in possessionem causa custodiæ: alias reus excommunicabitur.

☞ *Pro hujus Decretalis intellectu in praxi vide magistralem explanationem in Gonzal.*

Cap. IV. *Accedens.* (23) Receptio testium facta contra non contumacem lite non contestata, in causa matrimoniali est nulla.

☞ *Vide notata Elencho VI. n. LXXXIII.*

Cap. V. *Quoniam.* (24) Lite non contestata, non recipiuntur testes regulariter super principali. Fallit cum timetur de morte, vel absentia diuturna testium; tunc enim servata solemnitate hic posita, possunt, etiam lite non contestata, testes examinari.

Cum agitur de matrimonio carnali, vel spirituali, possunt contra contumacem, etiam lite non contestata, testes recipi, & sententia definitiva ferri. Si vero reus est absens, sed non contumaciter, tunc in carnali non proceditur, sed expectatur absens. In spirituali vero, si agatur de contracto, stabitur juribus antiquis. Si de contra-

(1) *Idem Selesvicen. Ep.* juxta Gonzal. sed juxta Cujac. *Sylvaneten.*
(2) *Honor. III. Archiep. & Archid. Turon.*
(3) *Greg. IX. Fratri Palmerio S. Trin.*
(4) *Idem Ep. Dulmen.*
(5) *Idem Ab. Trecen.* (6) *Idem.*
(7) *Idem.* (8) *Innoc. IV.*
(9) *Bonif. VIII.* (10) *Idem.* (11) *Clem. V. in Conc. Vien.*
(12) *Ex Conc. apud S. Medardum.*
(13) *Innoc. III. Magistr. G. Archid., & Vuilto Normando, & G. De Crethes Canon. Suession.*
(14) *Greg. IX Archiep. Civit. Novæ, & M. Canon. Cuman.*
(15) *Alex. III. Volter. Ep. & Ab. de Spongia.*
(16) *Cælest. III. Rhotom. Decan.*
(17) *Greg. IX. Ab. S. Jo. Venot.*
(18) *Innoc. IV. in Conc. Lugd.*
(19) *Bonif. VIII.*
(20) *Innoc. III. Ab. S. Proculi, & L. Canon. Bonon.*
(21) *Idem Hierosol. Patriar. & Archiep. Cæsarien.*
(22) *Idem Brix. Ep.*
(23) *Idem De Curia Dei & de eleemosyn. Ab. Aurel. & Carnoten. Diac.* (24) *Idem.*

trahendo, expectatur absens per sex menses. Sed de hoc ultimo, quando agitur de contrahendo, dic ut in *c. Quam sit 6.* & *c. Cupientes* de elect. in *6.*

Ad perpetuam rei memoriam, vel cum agitur per viam inquisitionis, possunt testes sine litis contestatione recipi, & etiam publicari.

Si reus, lite non contestata, est contumax, & agitur actione reali, mittitur actor in possessionem rei petitæ causa custodiæ, quam tamen recuperat reus veniens intra annum, si offerat cautionem de stando juri, & restituat expensas. Post annum vero, his non servatis, non auditur, nisi super proprietate. Sed si convenitur actione reali, qui nomine alieno possidet, nominabit dominum in judicio, & statuetur ei terminus, intra quem faciet dominum comparere: qui si intra terminum non venerit, Judex illum citabit, quo adhuc non veniente, Judex mittet actorem in possessionem veram. Si vero reus contumax convenitur actione personali, mittetur actor in possessionem bonorum ipsius rei pro modo debiti declarati: & primo mobilium, secundo immobilium; si mobilia non existant: vel excommunicabitur reus.

☞ *Nec obest Cap.* Causam 18. *de Rescr. ubi statuitur, ut parte citata, & non comparente, adhuc procedatur in causa secundum juris ordinem, recipiantur testes, admittanturque probationes; quia in aliquibus casibus, quando pars est contumax, licet probationes recipere, & testes admittere, sed quantum a jure permissum est, ut innuitur in hac eadem Decretali* §. Porro *& cap.* Per tuas *de Appellat.*

☞ *Nec cap.* Causam 3. *de dolo, & contum. ubi clare habetur lite non contestata receptos fuisse testes, & definitivam sententiam prolatam; quia id accidit etiam ob contumaciam actoris, qua stante, id licet elapso anno juxta Novell. 112., & docet Cujac. in commentar. ad illum text.*

DE JURAMENTO CALUMNIÆ.

TITULUS VII. *continens VII. Capitula.*

Cap. I. *Inhærentes.* (1) Clericus in causa Ecclesiæ suæ juramentum calumniæ potest alteri committere; & per se jurare non cogitur, nec debet sine Superioris licentia.

Cap. II. *Litteras.* (2) In spiritualibus causis de calumnia non juratur.

☞ *Vide correctionem Elencho I. n. XVII.*

Cap. III. *In pertractandis.* (3) Principalis persona non indistincte relevatur ab onere jurandi de calumnia, licet compareat per œconomum, sed sibi, vel œconomo est deferendum, inspecta qualitate causæ, & personarum.

Cap. IV. *Imperatorum.* (4) Universitas tenetur jurare de calumnia, nisi relevet se constituendo œconomum.

Cap. V. *Ceterum.* (5) Clerici etiam in eorum causis jurant de calumnia, contraria consuetudine non obstante.

Cap. VI. *Cum causam.* (6) Procurator, vel syndicus Universitatis ecclesiasticæ, vel sæcularis de calumnia jurare potest.

Cap. VII. *Cum in causa.* (7) Episcopus jurat de calumnia, si per seipsum elegit litigare, propositis tantum, non tactis Evangeliis. Si vero per syndicum litigat, per illum poterit jurare.

Actor, refutando juramentum calumniæ sine causa cadere debet ab instituta actione: reus autem debet haberi pro confesso.

IN SEXTO. *Lib. II. sub eodem Titulo, & ibi tit. IV. continente III. Capitula.*

Cap. I. *Si de calumnia.* (8) Non est de substantia, quod statim post litem contestatam juretur de calumnia.

Non annullatur processus, licet tacite omittatur calumniæ juramentum.

Præcipit, quod in spiritualibus simul de calumnia, & de veritate juretur.

Cap. II. *In appellationis.* (9) In causa appellationis jurari debet de calumnia, & veritate dicenda. Procurator deputatus post juramentum calumniæ, jurabit de calumnia.

☞ *Juramentum de calumnia est tantum de credulitate, unde si aliud sit, non est perjurus, qui sic juravit. Idem est de juramento partis respondentis articulo* per non credit *neque respondens confitetur, sed solum relevat adversarium ab onere probandi.*

Judex quoties sibi videtur, exigit juramentum malitiæ, etiam si de calumnia, vel veritate juratum sit.

(1) *Honor. II. Epis. Occidental.*
(2) *Eugen. III. Arditioni Rom. Eccl. Subdiac. & Omnibono.*
(3) *Idem.* (4) *Idem Magalon. & Atm. uson. Episc.*
(5) *Luc. III. Helien. Episc. & Nicbid. Norvvicen.*
(6) *Innoc. III. Ep. Placent.*
(7) *Greg. IX. Episc. Bellovac.*
(8) *Bonif. 8.* (9) *Idem.*

Cap. III. *Nullam.* (10) Procurator habens speciale mandatum jurat de calumnia.

DE DILATIONIBUS.

TITULUS VIII. *continens IV. Capitula.*

Cap. I. *Dilecti.* (11) Citatio vocatoria cum peremptoria non debet esse nimis brevis, maxime ubi de rebus ecclesiasticis agitur, nisi necessitas aliud suggerat.

Cap. II. *Præterea.* (12) Induciæ deliberatoriæ denegantur reo, si per litteras citatorias plene potuit instrui, & deliberare super eo, de quo quæritur.

Cap. III. *Litteræ.* (13) Ex declaratione verbi generalis, vel ambigui positi in libello, novæ induciæ deliberatoriæ dandæ non sunt, si per expressa potuit reus deliberare super ambiguitate illa, vel generalitate.

Cap. IV. *Exposuit.* (14) Si citatus in causa ardua, de longinquo vocatur pro publica utilitate, etiam ad locum judicii, ita quod infra terminum citationis deliberare, & alia sibi necessaria ad comparendum explicare non potuit, in termino respondere non cogitur, si reperiatur in loco judicii, sed habebit novas inducias.

☞ *Obtinentes beneficium cessionis bonorum, aut dilationem quinquennalem ad solvendum tenentur causam expedire infra quatuor menses, non obstante beneficio cap.* Odoardus, *& cap.* Pervenit *ex Constit. Clementis VII.* Cum ex multorum. Et cum nuper: *Et Paulus III. Constitut.* Nota: *vetuit concedi per quoscumque Judices litteras moratorias, & dilatorias: ac Pius IV. Constit.*: Cupientes: *addidit pœnam in dolose obtinentes dictas alternativas, & dilationes in fraudem creditorum. Imo ex Constit. S. Pii V.* Postquam: *dolosi decoctores tam laici, quam ecclesiastici, Episcopis exceptis, luxu, & impudentia rem alienam dilapidantes puniendi sunt ultimo supplicio. Ex Constit. Innoc. VIII.* Quoniam: *debitores mercatoribus Riparum, & Salinarum Romæ non possunt cedere bonis: Nec debitores furnariorum Romæ ex Const. Julii III.* Cum sicut. *Debita medicinalium quo modo, & quando solvenda sint in eadem Urbe sine dilatione, vide Constit. Gregorii XIII.* Cum officio: §. *19. Vide notata infra lib. III. tit. 23. de Solution. post cap.* Odoardus *3. & Additiones meas lib. I. tit. 19. post n. 2.*

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS. *Lib. II. sub eodem Titulo, & ibi tit. II.*

Cap. unic. *In delictorum.* (15) Falsorum florenorum fabricantes citantur peremptorie, data dilatione trium mensium, intra quos coram Papa compareant, alias contra ipsos, eorum absentia non obstante, procedatur, prout justitia suadebit.

DE FERIIS.

TITULUS IX. *continens V. Capitula.*

Cap. I. *Omnes.* (16) Diebus Dominicis mercari, litigari, judicari, vel jurari non debet, sed de Vespera in Vesperam debent celebrari.

☞ *Circa mercatum vide in Additionibus meis hoc eod. tit. post n. 6.*

Cap. II. *Quoniam.* (17) Festorum principium & finis fieri debet secundum ipsorum magnitudinem, & consuetudinem regionis. In præcipuis festis, & intra Pasch., & Pentecostem non fit solemnis genuum flexio. Si tamen tunc Clerici, vel Episcopi ordinentur, secundum ordinationis modum genua flectuntur. Romana Ecclesia speciale festum de Trinitate non facit: servatur tamen de hoc cujusque Ecclesiæ consuetudo.

Cap. III. *Licet.* (18) Propter necessitatem alimentorum licet diebus feriatis in honorem Dei operi servili intendere, maxime circa rem tempore perituram.

Cap. IV. *Capellanus.* (19) Tres septimanæ, quibus Canon prohibet fieri nuptias, ante festum Joannis Baptistæ, non continuantur festo, sed intelligitur de septimana Ascensionis, cum duabus sequentibus.

☞ *Vide moderationem Elencho II. n. XLIX.*

Cap. V. *Conquestus.* (20) In feriis introductis in honorem Dei, & Sanctorum, nisi ob necessitatem, vel pietatem, judicium exerceri non potest, etiam de consensu partium: feriis tamen introductis favore hominum partes renunciare possunt.

☞ *Hic numerantur dies feriati ad effectum non exercendi*

(10) *Idem.* (11) *Alex. III. Cantuar. & VVigorn. Ep.*
(12) *Cælest. III.* (13) *Hon. III. Ep. Ferent.*
(14) *Greg. IX. Ab. Aquævivæ Turon. Diac. Archid. Turon.*
(15) *Joann. XXII.*
(16) *Ex Conc. apud Compendium in Gall. celeb. sud. Greg.*
(17) *Alex. III. Tribun. aut Turon. Archiep.* juxta aut Gonzal. & juxta Cujac. Terdonen. Ep.
(18) *Idem Trever. Archiep.* juxta Gonzal.
(19) *Clem. III.* (20) *Greg. IX.*

di judicium, quos vide in textu. Hodie tamen, & quoad hunc effectum, & quoad præceptum Eccleſiæ attendenda eſt Conſtit. Urbani VIII. Univerſa *Idib. Sept.* 1642. *in qua adduntur aliæ feſtivitates.*

DE ORDINE COGNITIONUM.

TITULUS X. *continens IV. Capitula.*

Cap. I. *Intelleximus.* (1) Contra mulierem vendicantem aliquem in maritum admittitur exceptio conſanguinitatis: quæ prius diſcutienda eſt, quam ſuper matrimonio pronuncietur; & ſufficit ſuper ipſo principali pronunciare.

Cap. II. *Cum dilectus.* (2) Si reus contra actorem ſpoliatorem ſpoliationem opponit, aut excipiendo, & tunc prius auditur, & ea probata reſpondere non cogitur; ſed per hoc non reſtituitur; aut agendo, & tunc ſimul utraque quæſtio terminatur, & ea probata reſtituetur.

Cap. III. *Tuam.* (3) Petenti hæreditatem obſtat exceptio nativitatis, quæ prius debet coram eccleſiaſtico Judice terminari.

☞ *Hic erat prius coram Judice ſæculari petita hæreditas, & exceptum fuit de illegitimitate.*

Cap. IV. *Super.* (4) Agens poſſeſſorio recuperandæ non tenetur ante reſtitutionem ſuis ſpoliatoribus (niſi ſuper quæſtione ſpoliationis) reſpondere, poteſt tamen ab agendo repelli per exceptionem ſpoliationis.

DE PLUS PETITIONIBUS

TITULUS XI.

Cap. unic. *Conſilium.* (5) Plus petens tempore litis, expenſas refundit, & induciæ duplicantur: petens vero plus re, loco, aut cauſa, in expenſis condemnatur.

DE CAUSA POSSESSIONIS, ET PROPRIETATIS.

TITULUS XII. *continens VIII. Capitula.*

Cap. I. *Susceptis.* (6) Cauſa poſſeſſionis, & proprietatis ſub eodem Judice terminari debet: nec contra abſentem eſt pronunciandum.

☞ *Nec obſtat cap.* Cum olim 12. *de ſenten. & re judic. ubi Pontifex privavit beneficio abſentem, & inauditum; quia ibi agebatur de beneficio notorie ſubreptitie obtento, quod ipſemet Pontifex adducit pro cauſa hujuſmodi judicii, ut Groſ. ibi verb.* Abſenti.

☞ *Nec cap.* Cum Bertholdus 18. *eod. tit. ubi pariter Epiſ. Rhemen. protulit ſententiam contra abſentem, receptis tantum teſtibus, quia poſt inſtantem cauſam Partes a Judicibus delegatis citatæ fuerunt ad comparendum præſcripto tempore, ideoque una ex eis non comparente, licet ſententiam in cauſa proferre c.* Dudum 22. *de Elect.*

Cap. II. *Ad ultimum.* (7) Si actum eſt poſſeſſorio, & petitorio, poteſt Judex receptis probationibus ſuper utraque prius diſcutere probationes ſuper poſſeſſorio, & illud terminare.

Cap. III. *Cum Eccleſia.* (8) Si ſpoliatus poſſeſſorio, & petitorio ſimul agens, poſſeſſionem, & ſpoliationem probat, ſed non dominium, ſeu proprietatem, obtinet in poſſeſſorio: ſed ſuccumbet in petitorio.

Cap. IV. *Cum ſuper.* (9) Idem dicit, quoad intellectum, quod dicit caput proximum.

Cap. V. *Paſtoralis.* (10) Qui agit de proprietate, ante concluſionem cauſæ poſſeſſorio adipiſcendæ, vel recuperandæ agere poteſt: poſt concluſionem vero, & ante ſententiam hoc non poteſt, niſi juſta cauſa ſubſit.

Cap. VI. *Cum dilectus.* (11) Si petitorio, & poſſeſſorio ſimul eſt actum, una ſententia terminatur, & præmittitur poſſeſſorium in terminando: ſed in exequendo prævalet petitorium.

Cap. VII. *Cum olim.* (12) Adjudicatur illi beneficium, qui probavit collatorem ſuum fuiſſe in poſſeſſione conferendi collationis tempore; per hoc tamen non prohibetur ſuccumbens agere de proprietate juris conferendi cum ipſo collatore.

Cap. VIII. *In cauſa.* (13) Si petens rem ex una cauſa ſuccumbit, ex alia cauſa petere poterit. *Vel ſic* Petenti rem jure dominii, poſſeſſionem probare non ſufficit.

IN CLEMENTINIS *Lib. II. ſub eodem Titulo, & ibi tit. III.*

Cap. unic. *Cauſa.* (14) In cauſa beneficiali delata, etiam per appellationem ad Curiam, utraque pars poteſt petitorium, & poſſeſſorium intentare. Et ante cauſæ concluſionem poteſt ſpoliatus, ſuſpenſo petitorio ſuo, vel adverſarii, poſſeſſorium proſequi.

DE RESTITUTIONE SPOLIATORUM.

TITULUS XIII. *continens XIX. Capitula.*

Cap. I. *Licet.* (15) Adverſus reſtitutionem petentem non eſt audiendus reus de proprietate opponens, niſi actore conſentiente.

Cap. II. *Solicite.* (16) Petenti reſtitutionem beneficii non obſtat renunciatio facta poſt ſpoliationem, quia præſumitur non ſpontanea.

☞ *Additur* quia præſumitur non ſpontanea, *quoniam etſi probaretur ſpontanea, deberet obſtare talis exceptio, vel renunciatio in beneficialibus.*

Cap. III. *Accepta.* (17) Petens reſtitutionem beneficii non auditur, etiamſi ſpoliationem probet, ſi probatur eum ſponte illud beneficium prius reſignaſſe.

Cap. IV. *Audita.* (18) In interdicto de retinenda ſuccumbit reus, ipſius abjuratione probata.

Cap. V. *In litteris.* (19) Petenti reſtitutionem beneficii quæſtio inſtitutionis non canonicæ referri non poteſt.

Cap. VI. *Item.* (20) Non obſtat exceptio criminis agenti interdicto *Unde vi*: vel *Quod vi, aut Clam.*

Cap. VII. *Conquerente.* (21) Spoliatus etiam a Judice juris ordine prætermiſſo, ante omnia reſtituatur.

☞ *Nec obſtat cap.* Cum liberum *6. de ſepult. ubi Abbas ſpoliatus cadavere ſui parochiani non ſtatim reſtituitur, ſed admittuntur, & probantur exceptiones, in hac enim facti ſpecie non erat prius reſtitutio facienda ad vitandam cadaveris vexationem, quæ contingere potuiſſet, ſi facta prius reſtitutione, in cauſa Abbas poſtea ſuccubuiſſet, cum iterum exhumandum fuiſſet.*

☞ *Nec Cap.* Ad decimas *2. hoc eod. tit. in 6., ubi ſtatuitur ſpoliatos jure percipiendi decimas non reſtituendos, niſi prius probato juſto titulo poſſeſſionis eas percipiendi, quia harum ſola perceptio non tribuit quaſi poſſeſſionem juris percipiendi; & ideo prius probandus eſt titulus ad juſtificandam quaſi poſſeſſionem, ad quam quis petit reſtitui.*

Cap. VIII. *Ex tranſmiſſa.* (22) Reſtituitur conjux viro probanti deſponſationem, & copulam, & de ipſius impunitate caventi, niſi magna ſit viri ſævitia.

Cap. IX. *Cum veniſſet.* (23) Per ſolutionem penſionis rei donatæ factam donatario cum auctoritate donatoris, acquiritur illi donatario rei donatæ poſſeſſio; adeo quod ſi ab illa expellitur, per interdictum recuperandæ agere poterit.

Cap. X. *Ex conqueſtione.* (24) Si actore agente petitorio, reus ſuper eadem re deducit poſſeſſorium, proceditur in ſolo poſſeſſorio, ſuſpenſo petitorio.

Cap. XI. *Gravis.* (25) Violentus rem cum fructibus, etiam qui percipi potuiſſent, reſtituere, damna reſarcire, & de injuriis ſatisfacere compellitur.

Cap. XII. *Olim.* (26) Ingreſſus poſſeſſionem ignorante domino, ad quem pertinet, poteſt per ipſum dominum ſtatim cum ſciverit, repelli etiam violenter, dummodo non excedat in modo, nec ex tali repulſione competit repulſo contra dominum interdictum poſſeſſorium.

Cap. XIII. *Litteras.* (27) Si contra petentem reſtitutionem conjugis opponitur conſanguinitas in gradu prohibito, & offeruntur probationes paratæ, recepto ab opponente juramento de malitia, negabitur reſtitutio quoad torum, & fiet quoad reliqua: ſi vero probationes promptæ non ſint, fiet plena reſtitutio, niſi ſit magna viri ſævitia.

Cap. XIV. *Ex parte.* (28) Per ſolam traductionem mulieris ad domum viri factam, non præcedentibus ſponſalibus, vel invalidis, non acquiritur poſſeſſio: unde ea recedente propria auctoritate, non competit reſtitutio.

Cap.

(1) *Cæleſt. III. Alatr. Ep.*
(2) *Innoc. III. Narn. Ep.*
(3) *Honor. III. Ludov. Reg. Francor.*
(4) *Greg. IX.* (5) *Greg. IX.*
(6) *Gregor. Mag. Felici in Sicilia.* (7) *Cæleſt. III.*
(8) *Innoc. III. Archip. & Canon. Sutrin.*
(9) *Idem Canon Bethlehem.*
(10) *Idem Ep. Noviom.*
(11) *Idem Ep. S. Andreæ Ab. de Beroch. T. Prior. R. Archid. & Magiſt. L. Offic. S. Andreæ.*
(12) *Idem Veron. Ep.*
(13) *Honor. III. Ab. S. Cyprian. Torcet. Diac. & S. Mariæ de Ven::. & S. Mariæ Ananr. Pap. Prior.*
(14) *Clem. V. in Conc. Vien.*
(15) *Greg. Magn. Conſtan. Mediol. Ep.*
(16) *Alex. III. Vigorn. Ep.*
(17) *Idem Decan. Lincon. & Ab. de Rieval.*
(18) *Idem VVigorn. Ep. & R. Eliens. Archid.*
(19) *Idem Brix. Ep.* (20) *Idem Exon. Ep.*
(21) *Idem Cantuar. Archip.*
(22) *Idem Albien. & Belvac. Ep.*
(23) *Idem Exonien. ep. & Ab. de Beforden.*
(24) *Luc. III. G. Archid. J. Archip. Turon., & Alchapicterio Canon.*
(25) *Cæleſt. III.* (alii Alex. II.)
(26) *Innoc. III. Epiſ. & Capit. Terdon.*
(27) *Idem Bituric. Archid.*
(28) *Idem Volter. Ep.*

Cap. XV. *Cum ad Sedem*. (1) Interdictum *Unde vi* non competit contra illum, qui non spoliavit, nec spoliari mandavit, nec spoliationem ratam habuit.

Cap. XVI. *Olim*. (2) Exceptio inopiæ, de qua constat, a Clerico opposita impedit exequutionem sententiæ etiam latæ in possessorio.

Cap. XVII. *Olim*. (3) Per excommunicationis probationem non probatur quasi possessio jurisdictionis, licet aliquibus diebus fuerit observata: ideo petens restitutionem, hoc solo probato, succumbit.

Cap. XVIII. *Sæpe*. (4) Decipiens scienter rem invasam a spoliatore, tenetur eam spoliato restituere, licet non probet dominium.

☞ *Vide Additiones meas hoc eodem tit. post n. 5.*

Cap. XIX. *Pisanis*. (5) Occupans certum locum, in quo quis jura libere possidebat, si per ipsius occupationem non potest possessor sua jura libere possidere, sicut prius, conveniri potest possessorio pro libertate possidendi, & restitutio fieri non potest, nisi dimittat locum in pristina libertate.

IN SEXTO. *Lib. II. sub eodem Titulo, & ibi tit. V. continente II. Capitula.*

Cap. I. *Frequens*. (6) In civilibus non admittitur spoliationis exceptio facta ab alio, quam ab actore. In criminalibus admittitur facta a tertio: dummodo fit de tota substantia, vel majori parte. Exceptio probari debet intra quindecim dies, alias fit condemnatio expensarum.

Excipiens de spoliatione facta a tertio intra certum tempus a Judice statuendum, debet restitutionem petere, alias accusabitur, exceptione non obstante.

Agenti super rebus ecclesiasticis non obstat exceptio spoliationis privatarum rerum, vel e converso.

Cap. II. *Ad decimas*. (7) Ecclesia, quæ petit restitutionem decimarum, quas se dicit intra paræciam alterius possedisse, non auditur, nisi probet possessionem legitimam.

DE DOLO, ET CONTUMACIA.

TITULUS XIV. *continens X. Capitula.*

Cap. I. *Ad hæc*. (8) Reus, qui mittendum in possessionem ad mandatum Judicis non admisit, non mulctabitur de canonica æquitate, si intra annum caveat stare juri.

Cap. II. *Ex litteris*. (9) Propter contumaciam rei potest Judex rem petitam sequestrare, & ipsum contumacem in expensis condemnare, quas propter ipsius contumaciam, vel dolosam exceptionem actor fecit.

Cap. III. *Causam*. (10) Actore contumace, testes recipi, & sententia ferri debet, etiam lite non contestata, reo instante.

Cap. IV. *Prout*. (11) Si reus post litem contestatam est contumax, si alias liquet de causa, fertur definitiva sententia; si non liquet, actor in veram possessionem inducitur.

Cap. V. *Finem*. (12) Qui fundata intentione actoris exceptionem peremptoriam objicit, quam non probat in continenti, sed accipit inducias, si defecerit in probando, condemnatur in continenti, definitiva non expectata in expensis, ac solvere cogitur, quod si non potest, punietur in corpore secundum arbitrium Judicis.

Cap. VI. *Cum dilecti*. (13) Citatus ad totam causam certo termino ad comparendum assignato, tenetur comparere in termino; & dato impedimento in termino, debet comparere quam citius potest post terminum, alias condemnabitur in expensis a tempore citationis emissæ.

Cap. VII. *Cum olim*. (14) Sententia in causa beneficiali non transit in rem judicatam respectu Superioris, quo minus possit de juribus Partium inquirere: maxime quando sententia fuit lata contra absentem, licet contumaciter, & indefensum.

Cap. VIII. *Veritatis*. (15) Si proceditur per viam inquisitionis contra absentem contumaciter, etiam lite non contestata, testes recipi possunt, & sententia definitiva ferri; etiam per viam depositionis, si hoc meretur delictum.

Cap. IX. *Contingit*. (16) Actor non admissus in possessionem sibi decretam per Judicem causa rei servandæ, vel ab ea expulsus per lapsum anni verus efficitur possessor.

Cap. X. *Venerabilis*. (17) Si reus non invenitur, sufficit publice citationem ad Ecclesiam suam proponi.

IN SEXTO *Lib. II. sub eodem Titulo, & ibi tit. VI. continente II. Capitula.*

Cap. I. *Actor*. (18) Actor contumax condemnatur in expensis: nec citatur ulterius ad suam petitionem reus, nisi caveat de veniendo, & comparendo.

Cap. II. *Eum qui*. (19) Judex appellantem, & recedentem citare ulterius non tenetur, si vult in causa procedere, nisi forsitan appellationi renunciet.

IN CLEMENTINIS *Lib. II. sub eodem Titulo, & ibi tit. IV.*

Cap. unic. *Si ante*. (20) Appellans ante definitivam, etiam a definitiva lata, eo absente citato, vel non, appellare potest: nisi prima appellatio fuerit frivola manifeste: quo casu non appellat, tanquam manifestus contumax.

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS *Lib. II. sub eodem Titulo, & ibi tit. III.*

Cap unic. *Rem non novam*. (21) Citationes etiam extra dies solemnes publice factæ de mandato Papæ in audientia Litterarum Apostolicarum, vel Papali palatio affixæ januis majoris Ecclesiæ loci, in quo Papa cum Curia sua degit, arctant citatum, ac si ad eum personaliter devenissent. Restringitur tamen hæc Extravagans ad illos, qui impediunt, ne ad eos possit citatio pervenire, vel quorum domicilium tuto adiri non potest, ut Cap. *Dudum 1. de Judic. in Clemen.*

DE EO, QUI MITTITUR IN POSSESSIONEM CAUSA REI SERVANDÆ.

TITULUS XV. *continens IV. Capitula.*

Cap. I. *Constitutis*. (22) Missus in possessionem ex primo decreto in reali per lapsum anni veram, & incommutabilem illius rei possessionem acquirit, licet passus missionem habuerit intra annum voluntatem cautionem præstandi, quam tamen non deduxit ad effectum suo defectu.

Cap. II. *Cum sicut*. (23) Tempus annale non currit missionem passo, si intra illud cautionem Judicibus, vel alteri eorum aliis absentibus obtulit; licet per eos, sua per eum recepta non fuerit.

Cap. III. *Cum venissent*. (24) Si passus missionem repetens possessionem allegat se contumacem non fuisse, restituitur in pristinum statum præstita cautione, & dilata condemnatione expensarum, quam evitat, si postea constiterit eum non fuisse contumacem.

Cap. IV. *Si adversarius*. (25) Contra absentem, qui non dimisit procuratorem, facta citatione domi, nullo defendente, fit missio.

IN SEXTO *Lib. II. sub eodem Titulo, & ibi tit. VII.*

Cap. unic. *Eum qui*. (26) Quando agitur de beneficio Ecclesiastico, ob contumaciam rei non fit missio in possessionem; sed ad sententiam, lite non contestata, proceditur.

UT LITE PENDENTE NIHIL INNOVETUR.

TITULUS XVI. *continens V. Capitula.*

Cap. I. *A memoria*. (27) Privilegium etiam a Principe impetratum, per quod privatur quis sine causæ cognitione, lite pendente, usu possessionis, tanquam surreptitium non valet; seu tanquam rationi obvium est revocandum.

Cap. II. *Laudabilem*. (28) Accusatus de adulterio non debet, lite pendente, privari possessione conjugali.

☞ *Nec obstat Cap.* Litteras 13. de restit. spoliat. *ubi mota lite super validitate matrimonii ob oppositam impedimenti consanguinitatis exceptionem, denegatur restitutio conjugalis commixtionis, quia alter paratus erat probare in continenti talem exceptionem; ideoque ad vitandum periculum incestus denegata fuit restitutio.*

☞ *Nec cap.* Cum locum 14. de sponsalibus, *ubi lite pendente uxor sequestratur, quia ibi agebatur de matrimonio tantum rato, ideoque non fuit acquisita possessio per illius consummationem.*

Cap.

(1) *Idem Archiep. Mediol., & Præposit. Canoniæ Petron. P. P.*
(2) *Idem Bulgen. & Palatin. Ep.*
(3) *Idem.* (4) *Idem in Conc. Later.*
(5) *Greg. IX. Ep. Lucen.*
(6) *Innoc. IV. in Conc. Lugd.*
(7) *Bonif. VIII.*
(8) *Alex. III. Herforden. Epis.*
(9) *Idem Ab. Veramens. & Archid. Helien.*
(10) *Idem Exon. & VVigor. Epis. & Ab. Herforden.*
(11) *Urban. III. Priorib. de Novo Loco, & Viger.*
(12) *Innoc. III.*
(13) *Idem Prænest. Epis. Ap. Sed. Leg. & Decan. Brinen.*
(14) *Idem Armachan. & N. Castellen. Archiep. & N. Epis. Laonen.*
(15) *Idem.*
(16) *Idem in Conc. Later.*
(17) *Greg. IX. Archiep. Burdeg.* (18) *Innoc. IV.*
(19) *Bonif. VIII.* (20) *Clem. V. in Conc. Vien.*
(21) *Bonif. VIII.*
(22) *Alex. III. Prior. & Fratrib. de Gulseburch.*
(23) *Clem. III. Epis. & Archid. Abruic.*
(24) *Inn. III. Urbin. & Senogal. Ep.*
(25) *Greg. IX.* (26) *Inn. IV.*
(27) *Alex. III. Eborac. Archiep.* (28) *Celest. III.*

Cap. III. Ecclesia. (1) Qui rem litigiosam alienavit, ita quod re recuperari nequeat debet æquivalentem substituere in locum illius, quam alienare non poterit.

Cap. IV. Ecclesia. (2) Idem dicit, quod in præcedenti.

Cap. V. Dilectus. (3) Lis decidenda est secundum jura existentia tempore controversiæ, non autem secundum privilegium impetratum, lite pendente, nisi de litis pendentia mentionem faciat.

IN SEXTO Lib. II. sub eodem Titulo, & ibi tit. VIII. continente II. Capitula.

Cap. I. Dispendiis. (4) Si ex duobus litigantibus electis alter decedat, renunciet, vel a prosequtione causæ excludatur, si lite pendente, cum reliquo fuerit alia electio facta, non tenet.

Cap. II. Si ii. (5) Si beneficiatus, contra quem super beneficio litigatur, cedit, vel decedit, si alius lite pendente cum superstite fuerit electus, non valet electio; si vero aliqui, quorum interfit, ad defensionem litis velint admitti, in eo statu, in quo erat causa admittentur.

☞ Hinc nata est Regula 28. Cancellariæ de subrogandis invicem collitigantibus, ut nullæ impetrationes valeant infra mensem, cum aliquem a Papa subrogari contigerit, dummodo collitigans intra mensem non intrusus fuerit, aut fraudulenter egerit impetrando beneficium senis, aut periculose ægrotantis, eique litem movendo intentione surrogationis consequendæ; neque adversarius pacifice illud per triennium possederit. Intra hunc mensem gratia, vel concessio super beneficio litigioso non valet alteri facta, quam collitiganti.

IN CLEMENTINIS Lib. II. sub eodem Titulo, & ibi tit. V. continente II. Capitula.

Cap. I. Si duobus. (6) Si duo litigantes super beneficio moriantur, sive uterque in Curia, vel solus possidens, vel neutro possidente, alter tantum, altero alibi moriente, ad Papam, & in conversis casibus ad Ordinarium spectat collatio, si ad alterum beneficium pertinebat. Si autem alter tantum moritur, si superstes, vel alius, cujus interfit, litem persequitur, ex futuro eventu apparebit, ad quem collatio spectat.

☞ In hoc casu declarat non habere locum Cap. Licet 2. de Præb. in 6. & nota ut supra Cap. Si ii 2. in 6.

Cap. II. Cum lite. (7) Lis dicitur pendere quoad hoc, ut nihil debeat innovari, cum citatio legitime pervenit ad Partem, vel per eam stetit, quominus perveniret, cum tali expressione, quod potuit instrui super quo conveniatur.

DE SEQUESTRATIONE POSSESSIONUM, ET FRUCTUUM.

TITULUS XVII. continens II. Capitula.

Cap. I. Ad hoc. (8) Res, in quam facta remissio, non debet sequestrari, etiam si missus inde fuerit violenter ejectus. Vel sic. Sequestrum factum loco missionis propter scandalum evitandum, revocari debet, oblata cautione, & restitutis expensis.

Cap. II. Dilectus. (9) Si missus in possessionem si causa custodiæ fructus dissipat, dissipati revocantur, & cum aliis sequestrantur.

☞ Vide correctionem Elencho I. n. XVIII.

Cap. III. Ab eo. (10) Si reus possessor appellat a sententia contra eum lata, licite rei petitæ fructus sequestrantur, si dissipantur ab eo.

☞ Vide correctionem Elencho I. n. XIX.

IN CLEMENTINIS Lib. II. sub eodem Titulo, & ibi tit. VI.

Cap. unic. Ad compescendas. (11) Si super beneficio contra ipsius possessorem, qui triennio non possedit in petitorio, vel possessorio una definitiva fertur in Curia, etiamsi nulla fore dicatur, ipsius beneficii sequestratio per loci Ordinarium fieri debet, quam impediens, vel sequestratos fructus occupans, excommunicatus est; etsi est de litigantibus, cadit a Jure suo, & respicit pendentia.

☞ Ex Constit. Pii IV. Sanctissimus 26. Octob. 1560. Judices lite pendente sequestrare possunt fructus beneficiorum Sedi Apostol. reservatorum, seu affectorum, & ordinaria, vel alia auctoritate nulliter collatorum, adiiciendo pœnas contra litigantes.

☞ Ex Constit. S. Pii V. Cordi. Fructus beneficiorum lite pendente deponi debent apud personam a Judice eligendam, non obstantibus quibuscumque statutis disponentibus quod Capitula, & Canonici eos percipiant.

DE CONFESSIS.

TITULUS XVIII. Continens III. Capitula.

Cap. I. Cum Monasterium. (12) Ad solum dictum confitentis crimen proprium non est alteri infligenda pœna aliqua: infamato tamen est indicenda purgatio.

☞ In textu excipitur crimen læsæ majestatis.

Cap. II. Cum super. (13) Si quis confitetur crimen incidenter in judicio, potest judex ordinarius, novum inchoando processum, illum punire pœna ordinaria.

☞ Ex Constit. Pii IV. Licet: Confessi crimen, aut probatissimis indiciis torquendi carcerati non relaxantur in fisco fisco, licet præstita fuerit cautio: & ex Constit. Sancti Pii V. Cum sicut: & In confessis: a carcere non relaxantur, nisi exequutioni sententiæ paruerint: nec confessi in causis criminalibus appellare possunt.

Cap. III. Ex parte. (14) Confessio facta in jure per æconomum Ecclesiæ, nocet ipsi Ecclesiæ: potest tamen revocari, si ante finitum negotium doceatur per errorem facti emanasse.

IN SEXTO. Lib. II. sub eodem Titulo, & ibi tit. IX. continente II. Capitula.

Cap. I. Statuimus. (15) Super facto negativo per partem improbabili, si Judici videbitur, est admittenda positio.

Cap. II. Si post. (16) Si reus jussus positionibus respondere recusat; vel si contumaciter recedit, habebuntur pro confessis: secus si prius quam sic jussus esset, contumax fuerat; nam tunc procedetur contra eum, ut in contumacem.

DE PROBATIONIBUS.

TITULUS XIX. continens XV. Capitula.

Cap. I. Ex epistola. (17) Reus actori sua propria instrumenta edere non tenetur.

Cap. II. Sicut. (18) Actor, qui plene probavit, non debet compelli jurare.

Cap. III. Ex litteris. (19) In communi judicio probant actor, & reus: etsi pariter probant, reus absolvitur, nisi favorabilem causam foveat actor.

Cap. IV. Proposuisti. (20) Non creditur marito asserenti etiam cum juramento, uxorem se cognovisse, si uxor per matronas attestantes per ipsius corporis aspectum, probat contrarium.

Cap. V. Tertio. (21) Singulares de Universitate possunt ad commodum Universitatis reprobare instrumentum falso confectum nomine Universitatis.

Cap. VI. Juravit. (22) Ubi agitur de matrimonio contrahendo, probato impedimento, & publicatis attestationibus, alii testes super defectu impedimenti admittendi non sunt.

☞ Nec obstat cap. Series 25. cap. Ex tenore 35. & cap. Cum in tua 44. de Test.: nec cap. Sicut 22. de sponsal. ubi disponitur, etiam publicatis attestationibus testes admitti posse, cum agitur de causa matrimoniali, nam hic, ut ait Cujac., unus tantum testis afferebatur ad probandum non adesse impedimentum contra probationem jam factam de illius impedimenti existentia, ideoque non debuit admitti, cum ex ejus depositione parum, aut nihil probari potuisset. Et ceteroquin agebatur non de matrimonio dissolvendo, sed tantum de non contrahendo, ut ex Glos. ultima in hoc eod. cap.

Quoad gradus prohibitos hic statutos pro matrimonio contrahendo vide correctionem Elencho I. n. XX.

Cap. VII. Post cessionem. (23) Si per litteras Ordinarii probatur quis excommunicatus, a procuratione repellitur.

Cap. VIII. In præsentia. (24) Fideicommissum relictum sub conditione, si sine liberis rogatus decedat, defficit, si ipse religionem profiteatur.

☞ Vide Fagnan. hoc eod. cap. & correctionem Elencho II. num. L.

Cap. IX. Licet. (25) Si actor, & reus in interdicto retinen-

(1) Innoc. III. Ab. & Convent. S. Sylvestr. (2) Idem.
(3) Honor. III. Cancell. Cant., & A. Maresc. Canon. Paris.
(4) Bonif. VIII. (5) Idem.
(6) Clem. V. in Conc. Vien. Archiep. (7) Idem:
(8) Innoc. III. Mediol. Archiep.
(9) Honor. III. Prior. de Bechau. Decan. de Dalit., & F. Canon. S. Mariæ de Hastinges, Cisterc. Diac.
(10) Greg. IX. (11) Clem. V. in Conc. Vien.

(12) Clem. III.
(13) Innoc. III. Canon. Bethlehem.
(14) Greg. IX: B. Judici Viterbien.
(15) In. IV. in Conc. Lugdunen.
(16) Bonif. VIII.
(17) Greg. Mag. Rechar. Regi VVisigothor.
(18) Alex. III. (19) Luc. III. Decan. Cistren.
(20) Greg. VIII. Præposit. S. Catal., & Archiep. Casæ Majoris.
(21) Cæl. III. (22) Clem. III. Aquilmari Ep.
(23) Innoc. III. Episc. Parisien. & R. de Corcion. Canon. Novion.
(24) Idem Ab. & Convent. Casæmar.
(25) Idem Arimin. Ep.

tinendæ possessionis probant, obtinet is, qui antiquiorem possessionem probat titulo maxime justificatam; vel meliores probationes respectu possessionis adduxit.

Cap. X. *Per tuas*. (1) Si qui nominent aliquem filium, & ita communiter reputatur, non creditur postea alteri eorum juranti contrarium.

Cap. XI. *Quoniam*. (2) Judex debet habere Notarium, vel duos viros idoneos, qui scribant acta Judicii, alias si quid difficultatis emerserit, punietur, nec credetur ei super processu, nisi quantum ex actis, vel alias ex legitimis documentis constabit.

☞ *Notarii quacumque auctoritate creati ex Trid. sess. 22. cap. 10. de reform. possunt examinari super peritia ab Episcopis, & insufficientes reperti repelli, & suspendi ab exercitio officii in causis, & negotiis ecclesiasticis, appellatione remota.*

Cap. XII. *Ad nostram*. (3) Si probari potest reum deliquisse, ejus probatio, quod non deliquerit, non est admittenda.

Cap. XIII. *Cum causam*. (4) Fines Diœcesum probantur per libros antiquos, adminicula, testes, & famam.

Cap. XIV. *Causam*. (5) Possunt reprobari matronæ, per quas virginitas probatur, ut melius constet de probatione.

Cap. XV. *Cum bona*. (6) Acta etiam litis ordinatoria facta coram primis Judicibus, fidem faciunt coram secundis.

IN CLEMENTINIS. *Lib. II. sub eodem Titulo, & ibi tit. VII.*

Cap. unic. *Litteris*. (7) Verba litterarum Apostolicarum, quibus Papa proprium factum narrat, plene probant, si super illis gratia, vel intentio Papæ fundantur.

☞ *Declaratur per hanc decretalem cap.* Si Papa 10. *de privil. in 6.*

DE TESTIBUS, ET ATTESTATIONIBUS.

TITULUS XX. *continens LVI. Capitula.*

Cap. I. *Placuit*. (8) Testes pretio conducti non sunt idonei, ac nemo testimonium dicat, nisi jejunus. (*intellige de honestate*.)

Cap. II. *In nomine*. (9) Nulla est receptio testium facta contra non citatum.

Cap. III. *Quoniam*. (10) Mulier testificatur contra Clericum, cum de crimine agitur.

☞ *Si sit socia criminis, docet Cujac. hoc eod. cap. admitti ejus testimonium, sed non esse ei prestandam fidem.*

Cap. IV. *In omni*. (11) Ubi agitur ad correctionem de peccato impediendo, principalis persona admittitur in testem.

Cap. V. *Quoties*. (12) Dicit quales esse, & qualiter jurare debeant, qui super consanguinitate deponunt.

Cap. VI. *Insuper*. (14) Prælatus, & Clerici, qui causam Ecclesiæ non procurant, testificari possunt in ea.

Cap. VII. *Ex parte*. (14) Si probatio exceptionis opposita contra testem productum non admittitur, antequam dictus testis recipiatur, in casu, in quo admitti debuit, licite appellatur.

Cap. VIII. *Si qui*. (15) Judex mittere debet examinatorem discretum ad testes recipiendos, qui ad eum commode venire non possunt.

Cap. IX. *Sicut*. (16) Retractanda est sententia, si constat eam fuisse latam ad dictum correptorum testium.

Cap. X. *Veniens*. (17) Socius criminis, & muneris non testificatur etiam in crimine simoniæ; & unius testimonium non sufficit ad condemnationem.

Cap. XI. *Causam*. (18) Attestationes in uno judicio receptæ fidem faciunt in eadem causa, & inter easdem personas coram alio judice.

Cap. XII. *Cum nuncius*. (19) Clerici non sunt a ferendo testimonio in causa Ecclesiæ suæ sine rationabili causa repellendi.

Cap. XIII. *Super*. (20) Crimen nunc probatum repellit testem, alias de illo crimine non damnatum.

Cap. XIV. *De cætero*. (21) Laicus in criminali non testificatur contra clericum; accusat tamen pro sua, vel suorum injuria.

Cap. XV. *In causis*. (22) In causis ecclesiasticis, & civilibus possunt fieri tres productiones testium; quarta autem non admittitur absque solemnitate legali, & super dictis testium post publicationem ipsorum potest publice disputari.

Cap. XVI. *Cum tu*. (23) Si quis probat actum gestum post appellationem, & adversarius probat quod ante; præfertur prima probatio, & actus judicatur non tenere, nisi secundus probet, quod ante omnem appellationem.

Cap. XVII. *Fraternitatis*. (24) In causa appellationis super novis capitulis tantum testes novi, & veteres producuntur, juramento secundum morem prius recepto.

Cap. XVIII. *Intimavit*. (25) Qui juravit testimonium non dicere, testificari compellitur, si testificationes publicatæ non sunt.

Cap. XIX. *Causam*. (26) Publicatio, vel renunciatio testium in certis capitulis non præjudicat volenti testes producere in aliis.

Cap. XX. *Personas*. (27) A testimonio repellitur simili morbo laborans.

Cap. XXI. *Judæi*. (28) Christianus contra Judæum in testem admittitur.

Cap. XXII. *Super*. (29) Testimonium matris est suspectum, ubi filia petit in virum aliquem se majorem, & ad dictum solius matris de impedimento deponentis impeditur matrimonium, sed contractum non dissolvitur.

Cap. XXIII. *Licet*. (30) Ad decisionem causæ maxime pro parte Judæi, non sufficit regulariter minus testimonium, quam duorum probatæ vitæ, & laudabilis conversationis.

Cap. XXIV. *In litteris*. (31) Non sunt idonei testes, quos actor de familia sua produxit.

Cap. XXV. *Cum venisset*. (32) Donec attestationes fuerint publicatæ, & eis renunciatum, produci possunt testes; postea vero non super eodem capitulo, sed super alio sic.

Cap. XXVI. *Series*. (33) Potest reus producere testes ad probandum contrarium ejus, quod actor probavit, si publicatio attestationum non est facta, consuetudine contraria non obstante.

Cap. XXVII. *Præterea*. (34) Carnalis copula probatur per conveniens testimonium de visu; idem in testimonio auditus, quod adminicula, & fama coadjuvant.

Cap. XXVIII. *Cum a nobis*. (35) Unius Judicis verbo non creditur; scripturæ vero ejus per testes reprobari possunt.

Cap. XXIX. *De testibus*. (36) Testi super dilatoria inducto non creditur super principali, nec cogitur deponere; secus si super peremptoria; tunc enim cogi potest, ut juret deponere super toto.

Cap. XXX. *Constitutus*. (37) Dicta testium non sunt ad petitionem tertii publicanda, & is, qui produxit testes coram certis Judicibus, non potest ad eumdem effectum coram Judicibus aliis illos producere, sed illorum attestationibus debet esse contentus.

Cap. XXXI. *Præsentium*. (38) Publicatis attestationibus non opponitur in personas testium, nisi excipiens juraverit, se ex malitia non opponere; vel si ante publicationem id fuerit protestatus; aut ostenderit, quod post publicationem sciverit, quod objecit.

Cap. XXXII. *In nostra*. (39) Si actoris, & rei testes contraria deponunt, fidem sibi non derogant, sed prævalent digniores, & verisimiliora deponentes, etsi in ceteris est disparitas, præfertur numerus.

Cap. XXXIII. *Tam litteris*. (40) Ad probanda impedi-

di

(1) *Idem Tiburt. Ep.*
(2) *Idem in Conc. Later.*
(3) *Honor. III. Archiep. Lunden. &c.*
(4) *Idem Haurien. & Lamec. Ep. & Ab. de Palumbar. Brachar. Diac.*
(5) *Idem Ep. & Archid. Senen.*
(6) *Greg. IX. Præpos. S. Mariæ Magdeburg. & Decan. Misnen.*
(7) *Clem. V. in Conc. Vien.*
(8) *Ex Conc. Matiscon.*
(9) *Greg. Jo. Defens. eunti in Hisp.*
(10) (Apud Gonzal. incip. Quædam) *Idem Sabino Defensor. Sardin., & Arthemio Subd.*
(11) *Paschal. Pap.* (12) *Eug. III.*
(13) *Idem Priori, & Frat. SS. Trinit. in Angl.*
(14) *Idem* (alii Luc. III.) *R. Herford. Episc., & Ab. Sard.*
(15) *Alex. III. Exon. Ep.*
(16) *Idem Belvac. Ep.*
(17) *Idem Athen. Archiep.*
(18) *Idem Caprario Archiep. & Ab. S. Luciæ, & Prior. S. Cruc.*
(19) *Idem R. Cantuar. Archiep. & R. VVigoren. Ep.*
(20) *Idem Cantuar. Archiep.*
(21) *Idem Saler. Archiep.*
(22) *Idem eidem.*
(23) *Idem Præp. & Canon. Ebruden. Eccl.*
(24) *Idem Placen. Ep.*
(25) *Idem Exon. Episc.*
(26) *Idem Ab., & Fratrib. S. Mich. de Matura.*
(27) *Idem Norvuic. Ep.*
(28) *Idem in Conc. Later.*
(29) *Alex. III. Marco Card.*
(30) *Idem.* (31) *Idem Firm. Ep.*
(32) *Urb. III. Ab. De Rufert, & Ostren., & Prior. De Torguan.*
(33) *Clem. III.*
(34) *Cælest. III.*
(35) *Innoc. III. Consul. & Popul. Beneven.*
(36) *Idem Tyren. Archiep.*
(37) *Idem Helien. & Castren. Episc.* (38) *Idem.*
(39) *Idem Lund., & Halien. Episc.*
(40) *Idem Priori S. Fridiani Lucan., & G. Canon. Pisan.*

menta electi laici, & feminæ admittuntur, & testes de auditu, & fama sufficienter non probant.

Cap. XXXIV. *Cum olim.* (1) In causa liberali contra contumacem, etiam lite non contestata, testes recipi possunt.

Cap. XXXV. *Ex tenore.* (2) Publicatis attestationibus admittitur adversarius ad probandum contrarium, si ante publicationem super hac probatione contraria instrui non potuit.

Cap. XXXVI. *Significaverunt.* (3) Indulgenda est in causa quarta productio testium petita cum solemnitate legali, causa legitima non refragante: alias legitime appellatur.

Cap. XXXVII. *Cum causam.* (4) Diligenter examinandi sunt testes, & puniendi, qui eos impediunt, & ipsorum testium multitudo est per Judicem refrenanda.

Cap. XXXVIII. *Veniens.* (5) Attestationes receptæ in summario fidem non faciunt in plenario judicio, & illarum publicatione non obstante iidem, vel alii testes super eisdem capitulis recipi possunt.

Cap. XXXIX. *Tuis.* (6) Religiosi etiam ad testificandum non admittuntur absque juramento, nisi a partibus remittatur.

Cap. XL. *Dilecto.* (7) Delegatus necessarius in testem removetur a judicando, & alius subrogatur.

Cap. XLI. *Significavit.* (8) Ne probationis copia pereat, citato adversario recipiuntur, & publicantur testes, quos reus induxit.

Cap. XLII. *Cum causa.* (9) Si materia antiqui capituli repetitur aliquo addito, quod subjicitur necessitati probandi, possunt testes etiam antiqui, publicatis attestationibus, produci.

Cap. XLIII. *Albericus.* (10) Recipiuntur, & publicantur testes, qui interfuerunt sententiæ, ubi per scripturam de sententia non apparet.

Cap. XLIV. *Cum in tua.* (11) Publicatis attestationibus possunt produci testes super eodem articulo, vel directe contrario, qui prius fuerunt producti in judicio summario, seu extra judicium.

☞ *Textus loquitur de causa matrimoniali, ubi post matrimonium jam contractum, cum de illius invaliditate fuerit a quibusdam actum, denuo ad ejusdem validitatem firmandam examinati fuerunt testes, qui antea illud contrahi posse deposuerunt.*

Cap. XLV. *Constitutis.* (12) Excommunicari possunt, qui partem impediunt in testibus producendis, & denunciandi sunt testes non teneri juramento de veritate non dicenda; etsi consanguinei impediant testes actoris de veritate non dicenda, punitur reus, de cujus voluntate hoc fieri præsumitur.

Cap. XLVI. *Constitutis.* (13) Qui testificata non didicit, nec renunciavit testibus producendis super antiquis articulis, seu capitulis testes etiam alias productos producere potest.

Cap. XLVII. *Licet.* (14) Ad probandum in causa matrimoniali consanguinitatem non admittitur testimonium de auditu, nisi testes fide digni juraverint se non odio, amore, timore, vel commodo proprio de ea deponere; ac nisi demonstrent personas expressis nominibus, seu demonstratione vel circumloqutione sufficienti, & clare aperiant singulos gradus ab utroque latere: jurent insuper id se accepisse a suis majoribus, & credere ita se rem habere: itemque jurent se vidisse personas pro conjunctis se gessisse.

Cap. XLVIII. *Per tuas.* (15) Post publicationem ad petitionem producentis, interrogari non debent testes, nisi quando dolo, vel negligentia examinatorum super omnibus capitulis interrogati non fuerunt.

Cap. XLIX. *Licet.* (16) Testes probatorios, & reprobatorios probatoriorum reprobare licet, sed reprobatorios reprobatoriorum non licet.

Cap. L. *Præsentata.* (17) Attestationes receptæ per Arbitrum fidem faciunt in judicio, si testes mortui sunt; si vivunt, est in actione illius, contra quem testes producti sunt, an velit attestationes recipere, an testes de novo deponere. Et adde etiam si attestationes publicatæ sunt.

Cap. LI. *Nuper.* (18) Non creditur testi, etiam Religioso, qui sine juramento deponit.

Cap. LII. *Venerabili.* (19) Diligenter, & singillatim examinandi sunt testes: etiam si agatur de vita, & miraculis alicujus canonizandi.

Cap. LIII. *Cum clamor.* (20) Iterum examinandus est testis, qui obscure deposuit ex Judicis officio.

Cap. LIV. *Testimonium.* (21) Perseverans in crimine, etiam in civili, repellitur a testimonio: emendatus vero non infamis admittitur in civili, & etiam criminali mota civiliter.

☞ *Fallit in perjuro, qui in criminali repellitur.*

Cap. LV. *Ultra.* (22) Quarta productio non est danda sine solemnitate legali, de qua hic.

Cap. LVI. *Non debet.* (23) Accusatus criminaliter non admittitur in testem contra alium in causa criminali, sua accusatione pendente, nisi in exceptis criminibus.

IN SEXTO. *Lib. II. sub eodem Titulo, & ibi tit. X. continente III. Capitula.*

Cap. I. *Mediatores.* (24) Socius in crimine simoniæ admittitur in testem, si sit socius criminis tantum, & agatur civiliter; alias non.

Cap. II. *Præsentium.* (25) Ponit modum remissionis causæ, & dat modum jurandi super positionibus, & dicit per quem jurari debeat: dat modum respondendi, & modum testes probatorios reprobandi, & reprobatorios iterum reprobandi.

Cap. III. *Romana.* (26) Advocatus, vel procurator principalis causæ, in causa appellationis testificari non potest. Juramentum autem, præsumptione faciente pro appellante, sibi deferri non debet, nisi Judici videatur.

IN CLEMENTINIS. *Lib. II. sub eodem tit. & ibi tit. VIII. continente II. Capitula.*

Cap. I. *Cum Judæi.* (27) Per testes christianos convinci possunt Judæi, & Sarraceni non obstantibus contrariis privilegiis Regum, & Principum, quibus si utantur, subtrahatur illis Christianorum commercium.

Cap. II. *Testibus.* (28) Publicatis attestationibus, testes produci non possunt (etiam in causa appellationis) super iisdem articulis, vel directe contrariis.

DE TESTIBUS COGENDIS, VEL NON.

TITULUS XXI. *continens XI. Capitula.*

Cap. I. *Causam.* (29) In causa civili monendi, & inducendi testes sunt ad testificandum: etsi se subtrahant odio, gratia &c. compelluntur.

Cap. II. *Cum super.* (30) Ubi testimonium est necessarium, compellendi sunt testes ad illud ferendum, etiam per suspensionis, excommunicationis, & depositionis sententiam.

Cap. III. *Super.* (31) Testis qui timore adversæ partis se subtrahit, testificari compellitur.

Cap. IV. *Pervenit.* (32) Compelluntur testes etiam in criminali, quos accusatus malitiose accusatori subtraxit.

Cap. V. *Pervenit.* (33) Si res aliter probari non potest, etiam in causa criminali compellendi sunt testes.

Cap. VI. *Ceterum.* (34) Super consanguinitate probanda cogendi sunt testes.

Cap. VII. *Præterea.* (35) Testis synodalis, qui coram Ordinario super matrimonio deposuit, non compellitur jurare super eo coram Delegato. Propter supervenientem infamiam a testimonio repellitur. Potest tamen si erravit in continenti non ex intervallo, dictum suum corrigere.

Cap. VIII. *Super.* (36) Cum de fama vel vitio falsitatis inquiritur, cogendi sunt testes.

Cap. IX. *Cum contra.* (37) Testes, qui se subtrahunt etiam in criminali cogendi sunt.

Cap. X. *Dilectorum.* (38) Statuit testes cogendos esse per censuram ecclesiasticam, si gratia, odio, vel timore sub-

(1) *Idem Dumelien. Ep. & Decan. & Prior. S. Trinit. Eborac.*
(2) *Idem Prior. de Bulent. & J. Rect. Eccl. De Borell.*
(3) *Idem Priori S. Victor.*
(4) *Idem Placent. Episc.*
(5) *Idem Novem. Font., & Casæ Dei Ab. Claromonten. Diac.*
(6) *Idem Bisun. Archiep.*
(7) *Idem Atrebat. Episc., & De Dun., & Ursi Ab.*
(8) *Idem Judici Sabinæ.*
(9) *Idem Ep. & Archid. Urbisveter.*
(10) *Idem Archiep. & Archid. Raven.*
(11) *Idem Ep. Belvac.*
(12) *Idem Neapol. Archiep.*
(13) *Idem Magdeburg. Archiep. &c.*
(14) *Idem in Conc. Later.*
(15) *Honor. III. Præposit. Mallsn. Firman. Diæc.*
(16) *Idem Vallisoleti & S. Mariæ Ab. Palent. & Segobien. Diæc. & R. Archid. Oxom.*
(17) *Idem Præposit. & Gafrido, & Richar. De Lauduno Can. Remen.*
(18) *Idem Parmen. Episc.*
(19) *Idem Corosopit. & Trecoren. Ep., & Ab. S. Cruc. Camparell. Corosopit. Diæc.* (20) *Greg. IX.*
(21) *Idem.* (22) *Idem.* (23) *Idem.*
(24) *Greg. IX. in Conc. Laudun.* (25) *Idem.*
(26) *Innoc. IV. in Conc. Lugdun.*
(27) *Clem. V. in Conc. Vien.* (28) *Idem.*
(29) *Alex. III. Papien. Electo.*
(30) *Idem Presb. Potent. & Assisii.*
(31) *Idem Genuen. Ep.*
(32) *Idem.* (33) *Clem. III. Segunt. Episc.*
(34) *Cælest. III.* (35) *Idem.*
(36) *Innoc. III. Prior. S. Fridian. & P. Canon. Pisani*
(37) *Idem Archid. Mediol.*
(38) *Honor. III. Ab. S. Eug. Archid., & Bono Subd. Canon. Sen.*

ſubtrahunt a teſtimonio ferendo, dummodo non agatur de crimine ſive directe, ſive civiliter, ut *Gloſ. verb. ſuper criminibus.*

Cap. XI. *Venerabilis.* (1) Ad detegendam veritatem conjurationis coguntur ſocii etiam jurati.

DE FIDE INSTUMENTORUM,

TITULUS XXII. *continens XVI. Capitula.*

Cap. I. *Si ſcripturam.* (2) Inſtrumenti exemplum non ſolemniter ſumptum, fidem non facit abſque originali.

Cap. II. *Scripta.* (3) Corruit inſtrumentum, ſi teſtes inſcripti deceſſerint, niſi ſigillum habeat authenticum, vel a Notario ſit confectum.

Cap. III. *Ex litteris.* (4) Reſcriptum Apoſtolicum propter raſuram in loco non ſuſpecto, non cenſetur vitioſum.

☞ *Vide c.* Ex conſcientia 9. *de crimin. falſ.*

Cap. IV. *Accepimus.* (5) Redarguenti privilegium de falſo, Judex faciet illud exhiberi coram ſe, & paucis, & in loco congruo, & ſecuro; & interim ſtabitur ſententiæ latæ per illud.

Cap. V. *Contingit.* (6) Inſtrumentum vel privilegium, quo quis utitur coram Judice, adverſario integraliter legi non debet, ſed ſolum illud capitulum, de quo agitur, edi debet.

Cap. VI. *Inter.* (7) Inſtrumentum publica manu non confectum, habens ſigillum, cujus litteræ non ſunt legibiles, vel ſcripturæ deletæ, vel enormem patitur fracturam, non probat.

Cap. VII. *Quod ſuper.* (8) Non valent litteræ ſuper abſolutione voti per Cruceſignatos impetratæ, tacita veritate, vel expreſſa falſitate.

Cap. VIII. *Paſtoralis.* (9) Si de Extravaganti dubitatur, an Decretalis ſit authentica, aut eſt juri conſona, & tunc judicatur ſecundum illam: aut diſſona, & tunc Papa conſulitur.

Cap. IX. *Cum dilectus.* (10) Poſt publicatas atteſtationes uſque ad concluſionem poſſunt inſtrumenta produci. Conſuetudo loci facit inſtrumentum authenticum.

Cap. X. *Cum Joannes.* (11) Falſitas inſtrumenti, vel quod deeſt inſtrumento, probari poteſt per teſtes.

☞ *Secunda pars locum habet in cauſis, in quibus de eſſentia actus non requiritur inſtrumentum Gloſ. in c.* Ad audientiam *de Præſcript. Verbo* magis, *ut cum agitur de privil. cap.* Porro *de Privileg.*

Cap. XI. *Ex parte.* (12) Defectus litteræ non vitiat reſcriptum.

Cap. XII. *Si perpetuus.* (13) Licite appellatur a Judice, qui Parti hoc petenti non facit edi communia inſtrumenta.

Cap. XIII. *Imputari.* (14) Scripturæ contrariæ ab eodem productæ, fidem non faciunt.

Cap. XIV. *Si cautio.* (15) Si in inſtrumento debiti exprimitur cauſa, condemnatur debitor, niſi probet indebitum: ſi non exprimitur, neceſſe eſt, ut creditor probet id fore debitum.

☞ *Libri mercatorum ex conſtit. Pauli* Dudum *probant uſque ad ſummam viginti ducatorum. Sed ex Conſtit. Pii IV.* Volentes *uſque ad triginta.*

Cap. XV. *Cum P.* (16) Auctoritate Ordinarii poteſt notarius tabellionis mortui notas in publicam formam redigere.

Cap. XVI. *Si inſtrumenta.* (17) Inſtrumentum exemplatum per tabellionem auctoritate Ordinarii, eamdem vim habet cum originali.

DE PRÆSUMPTIONIBUS.

TITULUS XXIII. *continens XVI. Capitula.*

Cap. I. *Sicut.* (18) Sicut manifeſte nocens eſt pœnæ obnoxius, ita & occultus, licet poſtea dicat, ſe joco feciſſe.

Cap. II. *Afferte.* (19) Ex violenta præſumptione fertur definitiva.

Cap. III. *Ex ſtudiis.* (20) Converſatio in adoloſcentia facit præſumptionem in ſenectute.

Cap. IV. *Nullus.* (21) Præſumitur contra illum, qui dilationibus ſubterfugit judicium.

Cap. V. *Nonne.* (22) Qui ex duobus illatis alterum negat, reliquum affirmare præſumitur.

Cap. VI. *Mandata.* (23) Ex præteritis præſumitur circa futura.

Cap. VII. *Quoſdam.* (24) Ex vicinitate præſumitur notitia facti loci vicini.

Cap. VIII. *Quanto.* (25) Præſumitur factum notum in vicino loco, quod eſt notum in remoto.

Cap. IX. *Scribam.* (26) *Idem dicit quod cap.* Mandata 6.

Cap. X. *Quia.* (27) Efficacior probatio requiritur ab eo, qui probare vult illud, quod non eſt veriſimile.

Cap. XI. *Illud.* (28) Per cohabitationem diutinam, & famam de matrimonio, & contractibus matrimonialibus, & aliis adminicula probatur matrimonium.

Cap. XII. *Litteris.* (29) Per violentam præſumptionem probatur carnis copula.

☞ *Vide ampliationem Elencho I. n. XXI. quoad impedimentum inceſtus, de quo in textu.*

Cap. XIII. *Tertio.* (30) *Idem dicit, quod c. præced.*

Cap. XIV. *Litteras.* (31) Propter præſumptionem etiam vehementem, nemo debet de gravi crimine condemnari.

Cap. XV. *Cum in juventute.* (32) *Idem dicit quod cap.* Ex ſtudiis 3. *ſupr.*

Cap. XVI. *Dudum.* (33) Is, pro quo beneficiando ſcribitur cum clauſula, ſi idoneus fuerit, non tenetur probare ſe idoneum, cum idoneus præſumatur.

DE JUREJURANDO.

TITULUS XXIV. *continens XXXVI. Capitula.*

Cap. I. *Ex adminiſtrationis.* (34) Agi poteſt ad relaxationem juramenti, cujus implementum turpitudinem continet ex parte ſuſcipientis.

Cap. II. *Pervenit.* (35) Non valet juramentum præſtitum a Prælato de non repetendis rebus Eccleſiæ. *Vel ſic.* A juramento meticuloſo fit abſolutio per Judicem eccleſiaſticum.

Cap. III. *Pervenit.* (36) Non dejerat, qui juramenti implementum in melius commutat. Et non aſtringitur quis juramento ad implendum, quod juravit, ſi ab alia parte non impletur, cujus reſpectu præbuit juramentum.

Cap. IV. *Ego N.* (37) Ponitur forma juramenti ſeptem cap. continens, ſecundum quam jurant Papæ Epiſcopi: ſed hodie omnes recipientes dignitatem a Papa illi jurant.

☞ *Hic juratur inter cetera de viſitatione liminum Apoſt. quotannis facienda, qua, a quibus, & quo tempore hodie ſit facienda, vide Additiones meas tit. de Majorit. & obedien.*

Cap. V. *Nullus.* (38) Non tenetur Clericus Epiſcopo ſuo obedientiæ juramentum præſtare, niſi ratione adminiſtrationis ſibi conceſſæ.

Cap. VI. *Debitores.* (39) Qui ſe obligavit ad uſuras ſolvendas, ſolvere non cogitur, niſi juraverit: quo caſu cogitur, ſed repetit.

Cap. VII. *Ad noſtram.* (40) Debitor, qui juravit creditori nullum gravamen ſuper re pignorata inferre, donec ſolverit debitum, non auditur repetens pignus, volendo compenſare fructus in ſortem, ſed debet prius debitum integraliter ſolvere, & demum rem cum fructibus inde perceptis expoſcere.

Cap. VIII. *Si vero.* (41) Si juramentum per metum extortum ſervari poteſt ſine interitu ſalutis æternæ, ſervandum eſt; Eccleſia tamen Comana conſuevit a tali juramento abſolvere. *Vide cap.* 15. Verum *infra.*

Cap. IX. *Ex reſcripto.* (42) Monachi, qui pro debito monaſterii jurant ſtare in obſtagio, & fidejuſſores, qui jurave-

(1) *Idem Ep. Bonon.*
(2) *Greg. Jo. Ab.* (Hoc cap. apud Gonzal. incipit Petiit.)
(3) *Alex. III.* (4) *Idem.*
(5) *Idem Ebor. Archiep.*
(6) *Cæleſt. III. Ab. S. Facun.*
(7) *Innoc. III. Mediol. Archiep.*
(8) *Idem Cantuar. Archiep.*
(9) *Idem Helien. Ep.*
(10) *Idem Epiſc. S. Andr. &c.*
(11) *Idem Petro Civ. Viterb.*
(12) *Honor. III. Archiep. Decan. & Archid. Bituric.*
(13) *Greg. IX. Prior. S. Barth. & Decan. de Arcubus London.*
(14) *Idem.* (15) *Idem.*
(16) *Idem J. Tabell.* (17) *Idem.*
(18) *In Parab. cap.* 26. (19) *Ibid.*
(20) *Hier. in Cap.* 20. *Probab.*
(21) *Bonif. II. Epiſ. Gall.*
(22) *Greg. Magn. in Cap.* 8. *Jo. Hom.* 18.
(23) *Idem Maximiano Ep. Syrac.*
(24) *Idem Ital. Patric. & Dom. Venant. Cancel Ital.*
(25) *Idem Victori Ep. Numid.*
(26) *Hier. Cap.* 8. *Oſeæ.*
(27) *Alexan. III. Decan. Ciceſtren.* Hoc Cap. in Gonzal. incipit Litteras. (28) *Idem Joann. Ep.*
(29) *Idem Archid. Genuen.* (30) *Clem. III.*
(31) *Inn. III. Niver. Ep. & Archid. Bituric.*
(32) *Idem Genadien. Ep. & Ab. de Ciqueder.*
(33) *Idem Archid. & Præpoſ. de Secom., Subdeleg. Can. Mediol.*
(34) *Greg. VIII.* (35) *Ex Regeſt. Greg. VII.*
(36) *Idem in Regeſt. Philip. I. Reg. Franc.*
(37) *Greg. VII. Petro Subd.*
(38) *Urban. II.* (39) *Alex. III. Vigilien. Ep.*
(40) *Idem Rothom. Archiep. & Suffrag.*
(41) *Idem Senon. Archiep.*
(42) *Idem Senon. & Cabilon. Ep.*

raverint creditorem indemnem ſervare, juramenta ſervare coguntur.

Cap. X. *Querelam.* (1) Perjurus eſt, & ab Eccleſia removendus, qui non neceſſitate, ſed voluntate venit contra licitum juramentum.

Cap. XI. *Tua.* (2) Si præſentatus jurat præſentanti de aliquo cenſu augendo, & poſtea contrarium jurat inſtituenti; valet ſecundum, & non primum: tamen ab Eccleſia removetur.

Cap. XII. *Cum quidam.* (3) Epiſcopi de perjurio gravius, quam alii, ſunt puniendi. Illicitum eſt juramentum de non præbendo ſubſidium conjuncto.

Cap. XIII. *Sicut.* (4) Non valet juramentum Monachi clauſtrum abjurantis, & illi de hoc gravis pœnitentia imponitur.

Cap. XIV. *Veritatis.* (5) Vaſallus, qui juravit Prælato, ſucceſſoribus jurare non cogitur.

Cap. XV. *Verum.* (6) A juramento per metum extorto Eccleſia ſolet abſolvere: & ejus tranſgreſſores ut peccantes mortaliter non puniuntur.

☞ *Ideſt puniuntur pœna mitiori, qua tranſgreſſores juramenti voluntarii.*

Cap. XVI. (7) Si is, cujus mandato ſtare juravi, aliquid mihi præcipit contra juramentum per me prius licite factum, illud ſervare non teneor.

Cap. XVII. *Brevi.* (8) Qui juravit Eccleſiam defendere, & requiſitus ſine juſta cauſa recuſat, perjurus eſt, nec eum defendit appellatio.

Cap. XVIII. *Quanto.* (9) Jurans ſcienter illicitum, non indiget abſolutione; nec tenetur illud obſervare. Si vero juravit ignoranter, debet illud obſervare, ſi aliquo licito modo eſt obſervabile. Si autem juravit licitum, quod putabat illicitum, debet obſervare juramentum; ſed de animo depravato aget pœnitentiam.

Cap. XIX. *Venientes.* (10) Non valet juramentum præſtitum in præjudicium juris ſuperioris.

Cap. XX. *Ad noſtram.* (11) Jurans uſuras non repetere, poteſt juramento non obſtante ex nova cauſa repetere.

Cap. XXI. *Ad noſtram.* (12) Juramentum generale debet ita intelligi, ſi fieri poteſt, ut non obviet juri, alias tanquam temerarium non obligat contra juris obſervantiam.

Cap. XXII. *Ex te.* (13) Si unum juramentum uni debitum alteri præſtatur, illicitum eſt, & eo non obſtante; cui debetur, præſtandum eſt.

Cap. XXIII. *Quintavallis.* (14) Qui juravit ſtare mandato alicujus, non tenetur parere, ſi præcipit illicita, ut quod filium exhæredet, vel uxorem abjuret.

Cap. XXIV. *Tua.* (15) Ex cauſa levi, & temeraria conjuges etiam quoad torum, & mutuam cohabitationem ſe ſeparare non poſſunt, etiam cum juramenti interpoſitione.

Cap. XXV. *Quemadmodum.* (16) Is, qui juravit cum muliere contrahere, propter ſupervenientem fornicationem, vel deformitatem, eam repellere poteſt: propter præcedentem non.

Si vir juravit non accuſare uxorem, temerarium eſt juramentum, ſed ſi ſpecialiter de adulterio hoc juraverit, denunciare poterit, ſed accuſare non debet.

Cap. XXVI. *Etſi.* (17) Licite in cauſa neceſſaria etiam per Religioſos juratur.

Cap. XXVII. *Sicut.* (18) Juramentum contra utilitatem eccleſiaſticam præſtitum non tenet.

Cap. XXVIII. *Cum contingat.* (19) Juramentum præſtitum ſuper actu a lege infirmato principaliter favore jurantis, licet ſecundario in favorem publicum, neceſſario eſt obſervandum; ſi non vi, nec dolo fuit præſtitum, & in alterius præjudicium principaliter non redundat.

Cap. XXIX. *Sicut.* (20) Movens bellum injuſtum compellitur reſtituere quæ per violentiam occupavit, & eos abſolvere, a quibus indebite juramenta extorſit.

Non aſtringitur quis juramento ad implendum, quod juravit, ſi ab alia parte non impletur, cujus reſpectu præſtitum eſt juramentum.

Cap. XXX. *Nimis.* (21) Clerici non habentes temporalia a Laicis, non tenentur eis præſtare juramenta fidelitatis.

Cap. XXXI. *Petitio.* (22) Qui jurat non eſſe contra aliquem, poteſt in cauſis propriis, & Eccleſiæ ſuæ eſſe contra eum.

Cap. XXXII. *Ex litteris.* (23) Cum agitur de uſuris, poteſt judex in qualibet parte litis ex officio ſuo, deficientibus probationibus, exigere a partibus juramentum de veritate dicenda. Et eadem ratione idem in qualibet cauſa, in qua imminet peccatum:

Cap. XXXIII. *Intellecto.* (24) Si poſitus in dignitate alienat bona dignitatis, non valet alienatio; & ipſemet revocare debet, non obſtante juramento de non revocando, maxime ſi prius jurat non alienare.

Cap. XXXIV. *Mulieri.* (25) Si mulier juravit aliquem eſſe ſuum maritum, & ſuccubuit, quia aliter non probavit, non datur ei licentia cum alio contrahendi, ne judex videatur auctor perjurii; nec denegatur, ne ſi forte falſum juraverit, impediatur matrimonium legitimum, quod relinquendum eſt ipſius mulieris conſcientiæ.

Cap. XXXV. *Clericus.* (26) Qui juravit ſervare ſtatuta edita, & poſtea per illud juramentum aliter non jurando promiſit ſervare edenda, ſeu poſtea edita, non tenetur ex juramento ad noviter edita.

Cap. XXXVI. *Juramentum.* (27) Juramentum litis deciſorium a Judice delatum ſine juſta cauſa recuſari non poteſt: delatum vero a parte licite recuſatur, & refertur: in actione tamen famoſa non licet reo referre.

Actore nihil probante, reus eſt abſque omni onere abſolvendus: ſi vero præſumptio eſt pro eo, defertur reo juramentum, vel ipſi actori, conſideratis perſonarum, & cauſæ circumſtantiis.

IN SEXTO. *Lib. II. ſub eod. Titulo, & ibi tit. XI. continente III. Capitula.*

Cap. I. *Contingit.* (28) Prælati, Canonici, Rectores, & Officiales locorum, qui jurant ſtatuta, & conſuetudines loci, vel Eccleſiæ ſervare, prætextu talis juramenti non obbligantur ad illicita, impoſſibilia, vel obviantia eccleſiaſticæ libertati: nec ad ea debet intentio eorum referri.

☞ *Contra obſervantes, & obſervari facientes ſtatuta, & conſuetudines contra libertatem eccleſiaſticam eſt etiam lata excommunicatio in Bulla cœnæ.*

☞ *Circa hanc decretalem vide notata infra Elencho VII. n. CXX.*

Cap. II. *Licet.* (29) Per eccleſiaſticum Judicem ordinarium loci, compellitur Judex ſæcularis eccleſiaſtica cenſura jus canonicum, quod ad proviſionem animarum ſtatutum eſt, ſervare.

Cap. III. *Cum in poſitionibus.* (30) Electus poſt ſacramentum ponens, vel reſpondens contraria directe, niſi rationabiliter excuſetur, velut perjurus a confirmatione repellitur. Idem ſi hoc fecerit procurator, ipſo mandante, vel ratum habente, vel non revocante.

IN CLEMENTINIS. *Lib. II. ſub eodem Titulo, & ibi tit. IX.*

Cap. unic. *Romani.* (31) Juramenta, quæ Romanæ Eccleſiæ præſtant Romani Principes, fidelitatis exiſtunt.

DE EXCEPTIONIBUS.

TITULUS XXV. *continens XIV. Capitula.*

Cap. I. *Denique.* (32) Si teſtis de crimine contra eum excepto convincitur, vel alias convictus apparet, repellitur a teſtimonio, ſed de crimine non punitur, ſi non tangit negotium principale.

Cap. II. *A nobis.* (33) Reo excipiente de excommunicatione contra actorem non obſtat replicatio communionis cum excommunicato actore.

Cap. III. *Cum eccleſiaſtica.* (34) Habens plura beneficia, contra alium de pluralitate non excipit.

Cap. IV. *Paſtoralis.* (35) Judex ſtatuere debet terminum ad omnes dilatorias proponendas; poſt quem excipientem non audiet, niſi in tribus caſibus hic exceptis.

☞ *Scilicet 1. quando excipiens proteſtatus fuerit ſe velle proponere aliquas exceptiones, eas expreſſe nominando. 2. Quando aliqua exceptio ſibi de novo exorta fuerit. 3. Quan-*

(1) *Idem Lundon. & VVigorn. Ep.*
(2) *Luc. III. Norvic. Ep.* (In Gonzal. hoc c. incip. Quia tua.)
(3) *Urb. III. Piſan. Archiep.* (4) *Idem.*
(5) *Clem. III. VVillel. II. Reg. Sicil.*
(6) *Cæleſt. III. Brunduſ. Ep.*
(7) *Innoc. III. Henr. Leon., & Mar. Mauricen. Civib. Venet.*
(8) *Idem Appell. Clerico Archiep. Strigon.*
(9) *Idem Petro II. Reg. Arag.*
(10) *Idem Conſul. & Pop. Tudert.*
(11) *Idem Piſan. Archiep.*
(12) *Idem Neapol. Archiep.*
(13) *Idem Judici Calarit.*
(14) *Idem Alatr. Ep.*
(15) *Idem Archiep. Tarrac.*
(16) *Idem Januen. Archiep.*
(17) *Idem Ab. & Capit. Caſtellion.*
(18) *Idem Amel. Ep.*
(19) *Idem Belvac. Ep.* (20) *Innoc. II.*
(21) *Idem in Conc. Later.*
(22) *Honor. III. Anſem. & Geral. Canon. Antioch.*
(23) *Idem Archid. & G. Tullen. Canon.*
(24) *Idem Colon. Archiep.*
(25) *Greg. IX. Ep. Cenom.* (26) *Idem.*
(27) *Idem.* (28) *Nicol. III.* (29) *Bonif. VIII.* (30) *Idem.*
(31) *Clem. V. in Conc. Vien.* (32) *Cæleſt. III.*
(33) *Innoc. III. Archid. Richemundiæ.*
(34) *Idem Lauden. Ep.* (35) *Idem Helien. Ep.*

3. *Quando juraverit ſe poſt præfixum terminum perveniſſe ad notitiam exceptionis proponendæ.*

Cap. V. *Cum inter.* (1) Excommunicatus excipere, appellare, & omnem defenſionem facere poteſt; ſed reconvenire actorem non poteſt.

Cap. VI. *Cum venerabilis.* (2) Excipiens non videtur fateri ea, quæ in exceptione includuntur: & exceptio falſi poteſt etiam poſt ſententiam opponi.

Cap. VII. *Olim.* (3) Si exceptio juriſdictionis excluſiva, propter quam fuit appellatum, probatur vera, Judex appellationis non debet de principali cognoſcere, ſed ſuperſedere.

Cap. VIII. *Dilecti.* (4) Pro defenſione ſuæ Eccleſiæ poteſt quis opponere exceptionem excommunicationis perjurii, vel aliam legitimam exceptionem; nec per replicationem excommunicationis, vel perjurii repelli poteſt.

Cap. IX. *Apoſtolicæ.* (5) Si per exceptionem ſuſpenſionis, contra quam replicatur de nullitate, ordinario Eccleſiæ retardatur; fit abſolutio ad cautelam.

Cap. X. *Dilecta.* (6) Excommunicationis exceptione non obſtante, valet reſcriptum impetratum in cauſa appellationis; licet de excommunicatione lata poſt appellationem a gravamine non faciat mentionem.

Cap. XI. *Significaverunt.* (7) Per exceptionem excommunicationis a proſequutione appellationis etiam originalis actor repelli non debet.

Cap. XII. *Exceptionem.* (8) Reus in qualibet parte litis excommunicationem contra actorem objiciens auditur: etſi malitioſe diſtulerit, in expenſis condemnatur: & dato, quod non excipiat, ipſe Judex publice excommunicatum repellet.

Cap. XIII. *Adverſario.* (9) Non competit exceptio rei judicatæ reo abſoluto, quia non poſſidebat.

Cap. XIV. *Venerabilem.* (10) Valet reſcriptum impetratum ab excommunicato ſuper proſequutione appellationis, licet de excommunicatione non fecerit mentionem.

IN SEXTO. *Lib. II. ſub eodem Titulo, & ibi tit. XII. continente II. Capitula.*

Cap. I. *Pia.* (11) Dicit. 1. Quod reus, qui contra actorem de excommunicatione excipit, ut ipſum repellat ab agendo, debet ipſius excommunicationis ſpeciem, & nomen excommunicatoris exprimere, & eam intra octo dies probare, alias Judex procedet in cauſa, & illum in expenſis condemnabit. 2. Statuit, quod ſi iterum objiciatur, & probetur eadem, vel alia excommunicatio, actor repellitur, ſed quæ acta ſunt, valebunt. 3. Quod ultra duas vices hæc exceptio non opponatur, niſi ex cauſa. 4. Quod ſi opponitur poſt rem judicatam, impeditur exequutio; ſententia nihilominus valet. 5. Dicitur quod Judex publice excommunicatum reo non opponente, ex ſuo officio debet ab agendo repellere.

☞ *Vide cap.* Excommunicationis *infra.*

Cap. II. *Cum quidem.* (12) Exceptio rei judicatæ per Eccleſiaſticum Judicem admitti debet in foro ſæculari, & e converſo.

IN CLEMENTINIS, *Lib. II. ſub eodem Titulo, & ibi tit. X.*

Cap. unic. *Excommunicationis.* (13) Exceptio excommunicationis opponitur dilatorie quandocumque, peremptorio non obſtante.

DE PRÆSCRIPTIONIBUS.

TITULUS XXVI. *continens* XX. *Capitula.*

Cap. I. *Placuit.* (14) Epiſcopus contra Epiſcopum locum per ſe converſum ad fidem præſcribit triennio: ſed cum vacat Eccleſia, vel eſt in ſchiſmate, non præſcribitur contra ipſam.

Cap. II. *Nihil.* (15) Taciturnitas Prælati non nocet Eccleſiæ, donec ſit præſcriptum *Vel ſic.* In rebus invaſis non currit præſcriptio.

Cap. III. *Sanctorum.* (16) Per quietam, & ſinceram poſſeſſionem triginta annorum præſcribit Eccleſia rem privati.

Cap. IV. *De quarta.* (17) Quarta decimarum & funeralium præſcribitur contra Epiſcopum, ſi quadraginta annorum ſpatio non ſolvatur, & cathedralis Eccleſia interim non vacavit.

Cap. V. *Vigilanti.* (18) Poſſeſſor malæ fidei non præſcribit.

Cap. VI. *Ad aures.* (19) Una Eccleſia in paræcia alterius XL. annorum ſpatio decimas præſcribit.

Cap. VII. *Cauſam.* (20) Laici ſpiritualia poſſidere non poſſunt, & per conſequens, nec præſcribere.

Cap. VIII. *Illud.* (21) Si contra præſcriptionem XL. annorum, quæ ſola currit contra Eccleſiam, opponatur interruptio, uterque probabit.

Cap. IX. *Quis.* (22) Fines prædiorum Eccleſiaſticorum quadraginta annorum ſpatio præſcribuntur.

Cap. X. *Ex tranſmiſſa.* (23) Tempore hoſtilitatis non currit præſcriptio.

Cap. XI. *Accedentes.* (24) Procurationes, quæ debentur Legatis, & Nunciis Apoſtolicæ Sedis, præſcribi non poſſunt.

Cap. XII. *Cum non.* (25) Subditus non præſcribit obedientiam contra Prælatum.

Cap. XIII. *Ad audientiam.* (26) De juribus ad Romanam Eccleſiam ſpectantibus currit ſola centenaria præſcriptio.

Cap. XIV. *Cum vobis.* (27) De centenaria præſcriptione, quæ ſolum currit contra Romanam Eccleſiam, tempora ſchiſmatum deducuntur.

Cap. XV. *Auditis.* (28) Prælatus inferior poteſt præſcribere in certis Eccleſiis ſuæ Diœceſis totum jus epiſcopale: ſubducitur tamen de præſcriptione tempus, quo vacavit Eccleſia cathedralis.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. LI.*

Cap. XVI. *Cum ex officii.* (29) Non poteſt ſubditus contra Superiorem, viſitationem, aut procurationem ratione viſitationis debitam in ſe ipſo præſcribere, quamvis alius in perſonam alterius præſcribere poſſet utramque.

☞ *Vide Trid. ſeſſ. 24 c. 3. de ref.*

Cap. XVII. *Si diligenti.* (30) Qui alieno nomine poſſidet, non præſcribit, nec etiam is, qui proprio, niſi habeat bonam fidem, & juſtum titulum, ſi præſumptio eſt contra eum.

Cap. XVIII. *Cum olim.* (31) Abbas in capellis præſcribere poteſt jura epiſcopalia: obtinet tamen in his ſolis, quæ præſcripſit.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. LII.*

Cap. XIX. *Veniens.* (32) Qui præſcriptione completa privilegium contrarium impetrat, & utitur illo, præſcriptioni renunciat. Si præſcriptio non erat completa, malam fidem habet, & ideo non præſcribit.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. LIII.*

Cap. XX. *Quoniam.* (33) Nec in foro canonico nec civili valet præſcriptio cum mala fide.

IN SEXTO. *Lib. II. ſub eodem Titulo & ibi tit. XIII. continente II. Capitula.*

Cap. I. *Epiſcopum.* (34) In præſcriptionibus ſufficit bona fides, ubi jus commune, vel præſumptio non eſt contra præſcribentem; alias debet allegari titulus, & probari; niſi ſit præſcriptio, cujus contrarii non extat memoria.

☞ *Ex Conſtit. Pauli III.* Cum ſicut: *& S. Pii V.* Cupientes: *Salaria Familiarium, & ſervitorum Prælatorum præſcribuntur exceptis iis, qui pro biennio, & infra annum a die obitus eorumdem Prælatorum petuntur.*

Cap. II. *Si qui.* (35) Privatus ipſo jure, vel per ſententiam bonis, quæ tenet a Romana, vel aliis Eccleſiis illa minori ſpatio centum annorum contra Romanam, vel quadraginta contra alias non præſcribit. Filii autem hæreticorum, qui catholici putabantur, bona paterna contra Romanam, & alias Eccleſias præſcribunt ſpatio quadraginta annorum; & idem in extraneis.

DE SENTENTIA, ET RE JUDICATA.

TITULUS XXVII. *Continens XXVI. Capitula.*

Cap. I. *Sententia.* (36) Sententia lata contra leges, & canones non tenet, nec ab ea opus eſt appellare.

Cap. II. *Jurgantium.* (37) Lites debent celeriter terminari.

Cap. III. *Non poteſt.* (38) Sacerdos ſine juſta cauſa non eſt deponendus.

Cap.

(1) *Idem Monach. Farſen. Diæc. Pictav.*
(2) *Idem iiſdem.*
(3) *Honor. III. Ab. S. Oberti Leodien. &c.*
(4) *Idem Archid. Transligerim, officiali, & G. Bovelli Canonic. Turon.* (5) *Greg. IX. I. & M. Canon. Pragen.*
(6) *Idem Decan. Liconien.*
(7) *Idem Ab. S. Salvat. Papien. & Vercel. Præpoſit.*
(8) *Idem.* (9) *Idem.* (10) *Idem.*
(11) *Innoc. IV. in Conc. Lugdun.*
(12) *Bonif. VIII.* (13) *Clem. V. in Conc. Vien.*
(14) *Ex Conc. Afric.* (15) *Greg. Mag. Ital. Patriciæ.*
(16) *Idem.* (17) *Alex. III. Salern. Archiep.*
(18) *Idem.* (19) *Idem Marien. Epiſc.*
(20) *Idem B. Parmen. Ep.* [21] *Idem.*
(22) *D. Greg. I. Jo. Ep. Siracuſ.*
(23) *Luc. III.* (24) *Inn. III. Ab. de Carreto Diæc. Vulter.*
(25) *Idem Vimanen. de Coſt. & S. Torcano Priorib.*
(26) *Idem Nob. Viro Matefelon.*
(27) *Idem de Hel. Quarteſnen. & de Hel. VVerteſnen. Ab.*
(28) *Idem Helien. & Roffen. Epiſc.*
(29) *Idem Pariſien. Ep.*
(30) *Idem Archiep. Piſan.*
(31) *Idem Lucan. Epiſc.*
(32) *Idem Coloc. Electo & SoKſardien., & de SeKudunor. Ciſter. Ord. Ab. Quinque Eccleſien. Diæc.*
(33) *Idem in Conc. Later.* (34) *Bonif. VIII.* (35) *Idem.*
(36) *Greg. Mag. Jo. Ep. primæ Juſtinianea* (Hoc cap. in Gonzal. incipit Poſt longas. (37) *Idem Jo. Ep. Raven.*
(38) *Idem Natali Epiſc. Salonit.*

Cap. IV. *Ea quæ.* (1) Juste quis petit sententiam a Papa confirmari, si juste, & rationabiliter fuit lata.

Cap. V. *De cetero.* (2) Judex deputatus super exequutione sententiæ admittit exceptionem fraudis, seu nullitatis sententiæ; non ad effectum, ut super ea pronunciet, sed ut negotium ad superiorem qui judicavit, transmittat, si illam probabilem repererit.

Cap. VI. *Cum aliquibus.* (3) Non sufficit reo damnato ad traditionem possessionis tradere pignus pro ipsa possessione.

Cap. VII. *Lator.* (4) Sententia lata contra matrimonium nunquam transit in rem judicatam: unde quandocumque revocarur, cum constat de errore.

Cap. VIII. *Cum causa.* (5) Retractatur sententia prætextu iniquæ consuetudinis lata contra Ecclesiam.

Cap. IX. *Inter.* (6) Sententia iniqua retractatur per superiorem, licet causa fuerit appellatione remota commissa. Si autem continet manifestam iniquitatem, est nulla.

Cap. X. *Tenor.* (7) Sententia lata contra absentem non contumacem in causa matrimoniali non valet.

☞ *Vide Elencho VI. n. LXXXIII.*

Cap. XI. *Consanguinei.* (8) Sententia divortii in causa matrimoniali rite lata, ad solam conjugis confessionem asserentis contrarium, non revocatur, sed interim ei statur, donec legitime de contrario doceatur. *Vide ut supra.*

Cap. XII. *Cum olim.* (9) Si Papa contra pronunciationem suam, *idest sententiam* confert beneficium, hoc tacito, subreptitia dicitur collatio, & non tenet.

Cap. XIII. *Cum inter.* (10) Valet sententia contra jus litigatoris lata, si ab ea intra decem dies non fuerit appellatum. *Vel sic.* Per sententiam, a qua non fuit appellatum, potest Ecclesia subjici Prælato inferiori Episcopo; seu ad aliam Ecclesiam pertinere.

☞ *Ex textu potest Abbas conferre primam Tonsuram quibuscumque suis subditis, sed vide correctionem Elencho II. n. LIV.*

Cap. XIV. *Causam.* (11) Sententia contra actorem lata nihil iniqui continens, venit in causa appellationis confirmanda; licet per attestationes videatur, sed non re vera pro actore fuisse probatum.

Cap. XV. *Quod ad consultationem.* (12) Si sententia præcipit aliquid fieri ad certum terminum; tempus decendii ad appellandum currit a tempore sententiæ; non autem a die finiti termini. Quadrimestre tempus, quod a lege datur condemnatis in personali, potest a Judice ex causa arctari, & sponte terminum arctatum recipiens non potest post decendium appellare, licet non constet Judicem ex causa terminum abbreviasse. Ab exequutione sententiæ non appellatur, nisi in exequutione modus excedatur.

Cap. XVI. *Sicut.* (13) Sententia potest probari per testes, licet non deponant de causis, quæ solent Judicem movere ad sententiandum.

Cap. XVII. *Cum super.* (14) Ab eadem sententia potest appellare nedum reus victus, sed etiam tertius, cujus interest; & poterit sententia quoad reum nihil de suo jure docentem confirmari: respectu vero tertii rationabiliter appellantis infirmari.

Cap. XVIII. *Cum Bertoldus.* (15) Si citatus ad sententiam ex legitima causa Judici ignota non comparuit, tenet sententia, eo absente lata; sed retractatur eo probante legitimam absentiæ causam. Si vero impedimentum probatur non plene, non retractatur sententia, nisi prius doceat de ipsius iniquitate.

☞ *Nec prima parti obstat cap.* Ex litteris 4. *de in integr. restit. ubi citatum, & ut contumacem condemnatum statuitur audiendum esse, quia ibi agebatur de causa matrimonii, qua numquam transit in rem judicatam.*

Cap. XIX. *In causis.* (16) Papa in sententiis, quas profert, ordinem juris servat.

Cap. XX. *Inter.* (17) Secunda sententia in diversa instantia contra primam data tenet mero jure; nec debet infringi, etiam si sit injusta, ex quo ab ea non fuerit appellatum, præsertim si prima sententia secundis Judicibus non fuit ostensa.

Cap. XXI. *Suborta.* (18) Tenet sententia contra privilegium ostensum, vel non ostensum, si ab ea non fuerit appellatum vel supplicatum.

Cap. XXII. *Cum J. & A.* (19) Sententia, a qua fuit appellatum, retractatur si constet testes, ad quorum dicta tantum lata fuit, conspiratores fuisse, & contradicente parte receptos.

Cap. XXIII. *Cum te.* (20) Damnatus in actione injuriarum, infamis est, & per Papam potest famæ restitui.

☞ *Si injuria sit levis, potest dispensare Episcopus cap.* At si Clerici 4. §. *de Adulter. tit. de judic.*

Cap. XXIV. *Ad probandum.* (21) Revocata sententia propter defectum jurisdictionis, ut quia unus ex Judicibus publice excommunicatus erat, vel propter juris ordinem non servatum; iterum de principali quæritur.

Cap. XXV. *Quamvis.* (22) Res inter alios judicata, aliis non nocet. Fallit in eo, qui passus est illum litigare, cui secundo loco competebat actio, vel defensi, vel a quo causam in jure judicato habuit.

Cap. XXVI. *Duobus.* (23) Si duo Ordinarii pronunciant contraria, tenet sententia pro reo. Fallit, quando causa est favorabilis actori circa matrimonium, libertatem, dotem, testamentum, & similia. Si vero delegati discordant, delegans est adeundus, si arbitri, neutra tenet.

IN SEXTO *Sub eod. Tit. & ibi Tit. XIV. continente V. Capitula.*

Cap. I. *Cum æterni.* (24) Judex, qui contra justitiam, & contra conscientiam aliquid in judicio fecerit in gravamen partis, per gratiam, vel per sordes, condemnandus est parti læsæ in æstimationem litis, & per annum est suspensus; & perpetuo, si medio tempore ingerat se Divinis; nisi Papa cum ipso dispenset.

☞ *Ista suspensio est a Divinis, & a jurisdictione.*

Cap. II. *Ad Apostolicæ.* (25) Papa Imperatorem deponere potest ex causis legitimis.

Cap. III. *Abbate.* (26) Qui petit rem certam, causa expressa, si illam causam non probat, succumbit, licet aliam probet, maxime postmodum emergentem.

Cap. IV. *Cum ab uno.* (27) Si ex pluribus Judicibus, vel Arbitris unus, aliis præsentibus, & mandantibus, per verba pluralis numeri ferat sententiam, tenet sententia. Electio autem pronuncianda est per verba singularia.

Cap. V. *Etsi.* (28) Sententia est nulla 1. quando in scriptis non est prolata 2. quando Judex eam non recitat per se ipsum, (exceptis Episcopis, & personis illustribus, quæ eam possunt recitare per alium) 3. quando non recitat pro tribunali sedendo.

IN CLEMENTINIS *Lib. II. sub eod. Titulo, & ibi tit. XI. continente II. Capitula.*

Cap. I. *Ut columnis.* (29) Qui tres sententias contrarias in quavis causa reportavit, de illarum nullitate non agit; nec excipit ipsarum exequutione non facta, & respicit etiam pendentia.

Cap. II. *Pastoralis.* (30) Sententia lata contra citatum extra citantis territorium existentem, nulla est ipso jure.

DE APPELLATIONIBUS, RECUSATIONIBUS, ET RELATIONIBUS.

TITULUS XXVIII. *continens LXXIII. Capitula.*

Cap. I. *Dilecti.* (31) Collatio beneficii facta post appellationem ex probabili, & verisimili causa interpositam, est ipso jure nulla.

Cap. II. *Inter.* (32) Appellatio generalis respectu causæ non valet.

Cap. III. *Ad nostram.* (33) A correctione legitima non appellatur, nisi modus excedatur.

☞ *Textus loquitur de Regularibus tantum, sed juxta communem habet locum in correctione etiam aliorum subditorum; & regula hic firmata procedit quoad effectum suspensivum tantum, ut ex Trid. sess. 22. cap. 1., & sess. 24. cap. 10. de ref. non vero quoad effectum devolutivum post definitivam sententiam, & etiam ante, si gra-*

vamen

(1) *Leo ad Ep. Afric.*
(2) *Alex. III. Eborac. Episc.*
(3) *Idem Norvic. Episc.*
(4) *Idem eidem.*
(5) *Idem Theobal. Eccl. Sanctæ Annastas.*
(6) *Idem Eborac. Archiep.*
(7) *Clem. III.* (8) *Idem,*
(9) *Innoc. III. Episc. Magalon.*
(10) *Idem Ugoni Ab. & Conven. S. Zenon. Veron.*
(11) *Idem Canon. Novar.*
(12) *Idem Constantien. Ep.*
(13) *Idem N. Decan. V. Cancel. & C. Canon. Laudun.*
(14) *Idem Astoric. Ep. S. Isid. Legion. &c.*
(15) *Idem.* (16) *Idem Prænest. Ep. Apost. Sed. Leg. & Capenberch. & de Cold. Ab. Colonien. & Monasterien.*
(17) *Idem Convent. Monaster. S. Laufredi de Cruce.*

(18) *Idem Episc. Decan. & Cancel. Parisien.*
(19) *Idem Ab. S. M. in Gagla, & Vallis Secretæ.*
(20) *Idem Rayner. de Vico.*
(21) *Idem.* (22) *Gregor. IX.*
(23) *Idem.*
(24) *Inn. IV. in Conc. Lugd.*
(25) *Idem ibid.*
(26) *Idem Præceptor. Hospital. S. Jo. Hierosol. in Hisp.*
(27) *Bonif. VIII.* (28) *Idem.*
(29) *Clem. V. in Conc. Vien.*
(30) *Idem.*
(31) *Alex. III. Exonen. Ep. & Decan. Lunden.*
(32) *Idem Archiep. Raven.*
(33) *Idem Ab. S. Petri.*

vamen ſit irreparabile ſeſſ. 13. *cap.* 1. *& ſeſſ.* 24. *cap.* 20. *nunquam tamen ſuſpendenda eſt exequutio. Vide Fagnan. hoc cap. num.* 9. *& Additiones meas hoc eod. tit. poſt num.* 9.

Cap. IV. *Perſonas.* (1) Si appellans intra terminum a Judice, a quo appellavit, vel a ſe ipſo ſtatutum, appellationem non proſequitur, ſententiæ, vel judicio illius ſtare compellitur.

Cap. V. *Cum ſit.* (2) Appellans ad proſequendum habet annum: & ex cauſa biennium, niſi Judex moderetur, etſi intra id tempus non proſequitur, rata manet ſententia, vel redit ad primum, ſi ante ſententiam appellavit.

Qui de crimine impetitur, appellare poteſt, niſi ſit notorium.

Cap. VI. *Ad hæc.* (3) Coram Judice a quo appellavi in una cauſa, poſſum in alia conveniri, niſi eum recuſem ut ſuſpectum. *Vide cap.* 22. *infr.*

Cap. VII. *Si duobus.* (4) Si a Judice inferiori unus appellat ad Papam, alius ad inferiorem, tenetur appellans ad Papam comparere ad citationem Judicis inferioris, ſaltem allegaturus appellationem ſuam: alias valebit proceſſus a minori; niſi ſcivit appellationem interjectam ad Papam.

A civili Judice, qui non eſt de temporali juriſdictione Eccleſiæ, non appellatur ad Papam.

Cap. VIII. *Ex ratione.* (5) Lapſus biennii non præjudicat appellanti, quominus ex cauſa legitima audiatur; ſaltem per beneficium reſtitutionis in integrum.

Cap. IX. *Meminimus.* (6) Si reus poſt citationem, vel notitiam litterarum ivit ad Curiam, Delegatus in cauſa procedat, alias non. *Concordat cap.* Suggeſtum 15. *infra.*

Cap. X. *Super.* (7) Superſedetur propter articulum, in quo appellatum eſt, etiam ſuper principali cauſa, ſi ſine illo articulo expediri non poteſt.

Non obſtante appellatione ex falſa cauſa interpoſita, poteſt Judex ad ulteriora procedere.

Cap. XI. *De appellationibus.* (8) Etiam pro minoribus, ſeu levioribus cauſis appellari poteſt.

☞ *Vide moderationem Elencho II. n. LV.*

Cap. XII. *Super.* (9) Secundum canones appellatur etiam ante ſententiam. Secundum leges non, niſi in quibuſdam caſibus. Et appellatio, & recuſatio æquiparantur in hoc, quia ſicut in appellatione requiritur cauſa rationabilis, ita & in recuſatione. Et tempus aſſignatum Judici ad cauſam decidendam, incipit currere a tempore præſentationis reſcripti.

☞ *Quoad appellationem vide notata ſupra cap.* Ad noſtram 3., *& moderationem Elencho II. n. LVI.*

Cap. XIII. *Pervenit.* (10) Conventus ſuper injuria Clerici, vel ſuper adulterio appellare poteſt, niſi ſit notorius. *Concordat cap. ſeq.*

Cap. XIV. *Conſuluit.* (11) *Summatum eſt ſupra.*

Cap. XV. *Suggeſtum.* (12) *Summatum eſt ſupra cap. IX.*

Cap. XVI. *Ad præſentiam.* (13) Excommunicatus pendente cognitione appellationis, abſolvi poteſt ad cautelam, & ſi apparet eum legitime appellaſſe, non punitur pro eo, quod interim celebravit divina.

Cap. XVII. *Cum teneamur.* (14) Si appellans turbatur in poſſeſſione, ſuper qua fuit appellatum, Judex a quo poteſt illam poſſeſſionem ſibi reformare, appellatione in ſuo ſtatu permanente.

Cap. XVIII. *Conſuluit.* (15) Generalis & vaga appellatio reſpectu cujuslibet gravaminis non valet; ſed reſtricta ad certam cauſam ſit.

Cap. XIX. *Cum parati.* (16) Appellatio frivola non excuſat inferiorem, quominus teneatur obedire ſuperiori, & ut de contemptu puniatur; niſi innocentiam ſuam aliter purget.

Cap. XX. *Ad hæc.* (17) Si mandatum factum ei, qui juravit ſtare judicio Eccleſiæ, excedit limites juramenti, & licitæ promiſſionis, appellari poterit: alias ſecus.

Cap. XXI. *Quæſtioni.* (18) *Summa ut ſupra.*

Cap. XXII. *Præterea.* (19) Appellans ab Ordinario, poſtea de delicto a ſe commiſſo puniri poteſt per ipſum Ordinarium.

☞ *Supple ad textum, idem eſſe de ante commiſſis, ſi nunc de illis accuſatur, ut cap.* Ad hæc 6. *ſupr. & c.* Propoſuit *infra.*

Cap. XXIII. *Conſtitutis.* (20) Qui non detulit appellationi ſui adverſarii, de ſua poſteriori circa idem contra cum excipere nequit.

Cap. XXIV. *Propoſuit.* (21) Appellans ab Ordinario in una cauſa, in aliis coram eo reſpondere tenetur; poteſt tamen eum recuſare ut ſuſpectum, niſi conveniatur de crimine manifeſto, & in quo non cadit excuſatio, nec ſuſpicio, ut quia imponitur pœna juris ſurgens ipſo facto.

Cap. XXV. *Qua fronte.* (22) Abſolvitur excommunicatus, cautione recepta, licet adverſarius, vel excommunicator, ne abſolvatur, appellet.

☞ *Hoc tamen limita, quando excommunicatio non fuit lata pro manifeſta contumacia, vel offenſa, quia tunc non debet abſolvi, niſi ſatisfactione præcedente, ut in cap.* Ex parte 1. *infra de Verbor. ſignif.*

Cap. XXVI. *Reprehenſibilis.* (23) Prælatus ſubditum ſuſpendere, vel excommunicare non debet, niſi monitione præmiſſa: nec ſubditus contra diſciplinam eccleſiaſticam appellare poteſt; maxime ſi eſt Religioſus. Et Judex a quo præfigit terminum appellanti ad appellationem proſequendam, intra quem, ſi non proſequitur, Judex a quo reaſſumit juriſdictionem: appellans vero non proſequens appellationem ſuam, condemnatur in expenſis, appellato hoc proſequente.

☞ *Vide notata in c.* Ad noſtram 3. *ſupr.*

Cap. XXVII. *Ad hæc.* (24) Judex a quo, non obſtante appellatione, cognoſcit de cauſa, ſi appellans non proſequitur. Et Judex ut ſuſpectus recuſatus, poteſt alteri cauſam committere.

Cap. XXVIII. *Pervenit.* (25) Si Canonicus ad reſidentiam monitus appellat, ſtatuitur ſibi terminus ad appellationem proſequendam; & interim deſervitur beneficio per Vicarium de fructibus beneficii ſuſtentandum: & ſi appellationem non proſequitur, vel reſidentiam non facit, privatur præbenda.

☞ *Vide moderationem Elencho II. n. LVII.*

Cap. XXIX. *Conſuluit.* (26) A Judice juriſdictionem exequente non appellatur.

Cap. XXX. *Ad hæc.* (27) Qui ante citationem, vel notitiam litterarum miſit nuncium ad Papam, appellare poteſt, ne Delegatus procedat: ſecus ſi poſt.

Cap. XXXI. *De priore.* (28) Qui non detulit appellationi interpoſitæ ad Papam, mittitur cum litteris Ordinarii ad Curiam puniendus.

Cap. XXXII. *Quia.* (29) Contra conſtitutiones regulares appellatio Religioſum non defendit.

Cap. XXXIII. *Ad aures.* (30) Judex a quo poteſt præfigere terminum appellanti ad proſequendam appellationem, quo lapſo, reaſſumit Judex juriſdictionem.

Cap. XXXIV. *Ad audientiam.* (31) Si præcedente gravamine quis ſubmittit ſe protectioni Superioris, habetur pro appellante; dummodo ſervaverit ea, quæ in appellatione ſunt neceſſaria.

Cap. XXXV. *Accepta.* (32) Cauſa non eſt ad Judicem a quo remittenda, appellatione adhuc non juſtificata, niſi de Partium conſenſu.

Cap. XXXVI. *Poſtremo.* (33) Delegatus etiam datus cum clauſula *appellatione remota*, recuſari poteſt, ſi eſt conſanguineus impetrantis, vel ſi fuit Advocatus ejus in illa cauſa.

Cap. XXXVII. *Ad hæc.* (34) Sententia interdicti non ſuſpenditur per appellationem ſequentem.

Cap. XXXVIII. *Cum in Eccleſia.* (35) Judex appellationis remittit appellantem, & cauſam ad priorem Judicem; niſi ſibi conſtiterit a gravamine, vel injuſta ſententia fuiſſe appellatum.

Cap. XXXIX. *Directæ.* (36) Si appellans, qui non proſequitur, redit ad judicem a quo, & iterum gravatur, non obſtante prima deſertione, poteſt iterum appellare.

Cap.

(1) *Idem Norvic. Ep.*
(2) *Idem Rhemen: Archiep.*
(3) *Idem eidem.*
(4) *Idem eidem.*
(5) *Idem Pleb. & Cleric. S. Nazar.*
(6) *Idem Vigor. Ep.*
(7) *Idem eidem.*
(8) *Idem eidem.* (9) *Idem.*
(10) *Idem.* (11) *Idem Toletan. Archiep.*
(12) *Idem eidem.* (13) *Idem Eborac. Ep.*
(14) *Idem Cantuar. Archiep.*
(15) *Idem Bonon. Ep. & Archipræsb.*
(16) *Idem Zamor. Ep.*
(17) *Idem Cantuar. Archiep.*
(18) *Idem Carnoten. Ep.*
(19) *Idem VVinion. Epiſc.*
(20) *Idem Graden. Patriarch. & E. tit. S. Vitalis Præsb. Card. & Prior. S. Crucis.*
(21) *Idem Eborac. Archiep.*
(22) *Idem Richard. Cantuar. Archiep.*
(23) *Idem in Conc. Later.* (24) *Idem.*
(25) *Idem Sarisbar. Epiſc. in Angl.*
(26) *Idem Pariſien. Ep.* juxta Cujac.
(27) *Idem Januen. Ep.*
(28) *Idem Ebor. Archiep.* juxta Cujac.
(29) *Idem Ab. Ciſterc.*
(30) *Idem.* (31) *Idem Abulen. Ep.*
(32) *Idem Terrac. Archiep.*
(33) *Luc. III. Lincoln. Epiſc. in Angl.*
(34) *Idem Novar. Epiſc.*
(35) *Clem. III.*
(36) *Idem.*

Cap. XL. *Præterea*. (1) Sententia excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti lata ſub conditione, ſuſpenditur, ſi ante conditionis eventum fuerit appellatum.

Cap. XLI. *Secundo*. (2) Si per reſcriptum committantur plures articuli connexi, & in uno removeatur appellatio, intelligitur remota etiam in aliis.

Cauſa ſuſpicionis proponenda eſt coram Judice, qui recuſatur, & probanda coram Arbitris.

Cap. XLII. *An ſit*. (3) Non tenetur Judex, vel adverſarius deferre appellationi, cui non detulit appellans.

Cap. XLIII. *Novit*. (4) Merus exequutor non recuſatur, nec ab eo appellatur, niſi modum excedat, maxime ſi eſt datus cum clauſula *appellatione remota*. *Vel ſic*. A Judice ſuſpecto non receditur per appellationem, niſi modum excedat.

Cap. XLIV. *Sæpe*. (5) Si appellatio recipitur a Judice, vel approbatur a Parte, terminus ad eum proſequendum præfixus obtinet vicem peremptorii, ut in abſentem procedatur, ac ſi peremptorie fuiſſet citatus; nec talis terminus præveniri poterit ab aliqua Partium.

Cap. XLV. *Conſtitutus*. (6) Appellatione deſerta per negligentiam appellantis, poteſt Judex ex officio procedere in caſibus, in quibus ejus officium exuberat.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. LVIII.*

Cap. XLVI. *Conſtitutis*. (7) Contra electum, vel confirmatum nullum aliud jus expectantem non admittitur regulariter exceptio, vel appellatio; maxime fruſtratoria ad impediendum electionis, vel confirmationis effectum; ſed poſſeſſione habita, poterit accuſari, vel denunciari.

Cap. XLVII. *Ex parte*. (8) Appellari poteſt, ſi locus non tutus Partibus aſſignatur, etiamſi ſit ſcriptum, *appellatione remota*.

Cap. XLVIII. *Significavit*. (9) Licite appellat reus, ſi non auditur excipiens procuratorem actoris non habere ſufficiens mandatum; vel ſe prius conventum per alias litteras, de quibus non fit mentio in ſecundis.

Cap. XLIX. *Significantibus*. (10) Licite appellat reus, ſi non auditur petens declarari rem petitam in libello.

Cap. L. *Ex inſinuatione*. (11) Judex a quo, non poteſt ſtatuere terminum ad finiendam appellationem; quod ſi fecerit, intelligitur ſtatuiſſe ad ſe præſentandum.

Cap. LI. *Bona*. (12) Qui extra judicium appellat ex veriſimilibus, & probabilibus cauſis, ne in poſſeſſione moleſtetur, ſi poſtea ſpoliatur, reſtituitur ante omnia in ſtatum, in quo erat tempore appellationis emiſſæ.

Cap. LII. *Dilecti*. (13) Itineris arreptio habet vim appellationis, ſi ſervantur ea, quæ ſervari debent in appellatione.

Cap. LIII. *Paſtoralis*. (14) Per clauſulam *appellatione remota*, inhibetur omnis appellatio, quæ a jure non indulgetur expreſſe.

Licet excommunicatus ab excommunicatione appellet, nihilominus denunciari poteſt, & beneficii redditibus ſpoliari.

Cap. LIV. *Solicitudinem*. (15) Si appellans ad Superiorem comparet coram Judice inferiori ſuper concernentibus ipſam appellationem, ipſi appellationi renunciare videtur; ſi autem proteſtetur, quod propter hoc non intendit renunciare appellationi, tanquam contraria allegans, non eſt audiendus, niſi notorium ſit actum illum eſſe injuſtum, ſuper cujus emendatione adivit inferiorem.

Cap. LV. *Dilectis*. (16) Per appellationem legitime interpoſitam principale cum acceſſoriis ad Judicem appel. defertur, & ſententiæ excommunicationis, & interdicti poſt appellationem latæ non tenent.

Cap. LVI. *Ut noſtrum*. (17) Poſtquam Papa aliquam cauſam ad ſe revocat, non valet proceſſus poſtea per minorem Judicem factus; ſicut non valeret, ſi fuiſſet ab eo legitime appellatum.

Cap. LVII. *Oblata*. (18) Si terminum appellationis proſequendæ ſtatutum ab homine, altera pars prævenit, hoc tacito, litteras impetrando, litteræ non valent, ſed terminum juris etiam appellatus prævenire poteſt; dummodo nimium non præcurrat, & ubi ex dilatione imminet periculum, etiam neutra parte proſequente, poteſt Judex ad quem ſupplere, partes compellendo ad proſequutionem.

Cap. LVIII. *Per tuas*. (19) Altera parte contumaciter abſente, poteſt Judex appellationis etiam principale negotium definire, ſi poſt litem conteſtatam fuerit appellatum.

Cap. LIX. *Ut debitus*. (20) Appellans ante ſententiam tenetur exprimere cauſam rationabilem coram ipſo Judice a quo: nec admittitur exceptio, quod prius miſerat nuncium ad Sedem Apoſtolicam, vel quod litteras impetraverat, quæ nondum ſunt Judici præſentatæ.

Cap. LX. *Cum ceſſante*. (21) Si Judex, a quo eſt appellatum a gravamine, illud revocat, poteſt in principali cauſa procedere.

Cap. LXI. *Cum ſpeciali*. (22) Volens Judicem recuſare, debet coram eodem ſuſpicionis cauſam probabilem proponere, & eam coram arbitris communiter eligendis probare, qua non probata, ſua juriſdictione Judex utitur in principali; ea vero probata, remittit negotium ad ſuperiorem, vel cauſam committit de accuſatoris conſenſu.

In notoriis non admittitur appellatio. In dubiis cauſa probabilis coram Judice eſt exprimenda, quæ debeat legitima reputari: quam ſi non proſequitur, Judex a quo in cauſa procedat. Idem ſi proſequitur, & non probat. Hæc autem conſtitutio non extenditur ad Regulares.

Cap. LXII. *Cum cauſam*. (23) Si Judex confeſſionem Advocati eadem die revocatam pro litis conteſtatione velit habere, vel proceſſum a ſubdelegato ſubdelegati factum ratificat, licite appellatur.

Cap. LXIII. *Dilecto*. (24) Non ſufficit appellanti docere, quod exceptionem legitimam, & veram oppoſuit, & appellavit; niſi doceat propter exceptionem non admiſſam appellaſſe.

Cap. LXIV. *Nicolao*. (25) Appellans, qui terminum appell. præfigit, ſi mittit procuratorem ad impetrandum, & contradicendum tantum, & appellatio fuit recepta a Judice, vel approbata a parte, adverſario legitime proſequenti condemnatur in expenſis. *Gloſ. aliud ſentit*.

Cap. LXV. *Sua*. (26) Ab eadem ſententia ab eodem litigatore tertio appellare non licet.

Cap. LXVI. *Dilecti filii*. (27) Appellatio omiſſo medio Judice interpoſita, cauſam non devolvit, exceptione oppoſita.

☞ *Excepto ſummo Pontifice cap.* Per tuas *de ſent. excom. & cap.* Cordi 1. *hoc eodem tit. in 6. ac excepto Legato Sedis Apoſtol. cap.* Cum non 1. *de offic. Legat., & olim, quatuor Patriarchis majoribus in cauſis ſuarum Provinciarum ex ſpeciali privilegio Apoſtol. cap.* Antiqua 23. *de privileg. ad quos quiſque appellare poteſt, omiſſo medio*.

Cap. LXVII. *Ex parte*. (28) Si is, qui deſiit eſſe tutor, nomine pupilli convenitur invitus, poterit appellare.

Cap. LXVIII. *Intimaſti*. (29) Si Judex de jure dubitans vult conſulere ſuperiorem, debet conſultationis copiam partibus edere: alias ejus verbis conſultationis fides non adhibetur.

Cap. LXIX. *Significante*. (30) Si ante litem conteſtatam circa principale negotium Judex aliquid innovat, vel diem aſſignatum ſine cauſa prævenit, licite appellatur; Etſi Procurator datus ad impetrandum ſuper appellatione non ſervavit formam mandati, auditur appellans etiam poſt annum.

Cap. LXX. *Interpoſita*. (31) Ad juſtificandam appellationem ex cauſa interpoſitam, probare oportet cauſæ veritatem coram Judice a quo oblata probatio, & rejecta.

Si appellatio non fuit recepta a Judice, vel approbata a parte, ſufficit appellanti mittere procuratorem ad impetrandum, & contradicendum, licet pars adverſa ſit parata in curia proſequi.

Ante inchoatam proſequutionem appellationis appellans poteſt, ſi vult, invito appellato, petere, ut remittatur ad Judicem a quo, ſed condemnabitur in expenſis factis per partem adverſam in illa appellatione.

Articulus appellationis interpoſitæ a gravamine diſcutitur per Judicem ad quem, parte abſente per contumaciam, etiam lite non conteſtata in appellatione, vel principali cauſa.

Cap. LXXI. *Inquiſitioni*. (32) Clauſula *appellatione remota*, in medio litterarum poſita, reſpicit præmiſſa, quibus annectitur, non ſequentia, niſi repetatur in fine litterarum: & hoc ſi negotia ſunt ſeparata.

Cap. LXXII.

(1) *Cæleſt. III.* (2) *Idem.* (3) *Idem.*
(4) *In. III. Philip. Reg. Franc.* (5) *Idem.*
(6) *Idem Lemovic., & Cadurc. Epiſc.*
(7) *Idem Cancell. Meten. in Belg.* (8) *Idem Vigor. Ep.*
(9) *Idem P. Ep. & Decan. & Præceptor. Herforden.*
(10) *Idem G. Arched. de VViltoNomando, & G. de Cretes Canon. Sueſſion.*
(11) *Idem Albricen. Ep. & de Luc. de Monte Merel. Ab. Albricen. Diæc.* (12) *Idem Roffen. & Lendon. Ep.*
(13) *Idem N. S. Aug. & N. S. Georg. Priorib. Cantuar.*
(14) *Idem Ep. Helien.* (15) *Idem Epiſc. Pariſien.*
(16) *Idem Ep. Caotori & M. Archid. Trecen.*
(17) *Idem Mediol. Archiep.*
(18) *Idem Ab. S. Felic. & G. Canon. Bonon.*

(19) *Idem.* (20) *Idem in Conc. Later.* (21) *Idem ibid.*
(22) *Idem ibid.*
(23) *Honor. III. Decan. Cancell. & Cantor. Lincon. I.*
(24) *Idem Decan. Theſaur. & P. Petr. Canon. Zamor.*
(25) *Idem S. Andr. & Divichesd. Archid. & Joan. Canon. Diviſchesd.*
(26) *Idem Ep. Manturien. & N. Presb. Canon. Tuſcaniæ.*
(27) *Idem G. Archid. & Official. Lemovic. & Archip. de Notron. Lemovic. Diæc.* (28) *Greg. IX. Magiſtr. Scholar. H. & G. De Rupe Canon. S. Audoniani Morin. Diæc.*
(29) *Idem Mag. & Fratrib. S. Jo. Hieroſol. Morien.*
(30) *Idem Archiep. & G. Canon. Turon.* (31) *Idem.* (32) *Idem.*

Cap. LXXII. *Una sententia*. (1) Appellatio unius prodest alteri, si communi jure juventur, & idem sit negotium, & eadem defensionis causa, & sint eadem sententia condemnati; alias secus.

Cap. LXXIII. *Si justus*. (2) Justus metus excusat, adeo quod non appellans habetur pro appellante, si fuerit protestatus, & appellationis causas duxerit exprimendas.

IN SEXTO, *Lib. II. sub eodem Titulo, & ibi tit. XV. continente XII. Capitula.*

Cap. I. *Cordi*. (3) Appellans ad Papam in judicio, vel extra, appellare debet in scriptis, & causam exprimere, & apostolos petere. Si vult, & petit appellatus, principales personæ per se, vel per procuratores instructos super principali accedere debent ad Papam. In appellationibus a sententia definitiva interpositis nil mutatur. Demum utrique contrafacienti imponitur pœna.

☞ *Vide moderationem Elencho II. n. LIX.*

Cap. II. *Legitima*. (4) Judex, qui recusatur, statuit competens tempus arbitris ad finiendam causam: quo elapso, si finita non fuerit, in principali procedit.

Cap. III. *Romana*. (5) De officiali Episcopi non ad Episcopum, sed ad Archiepiscopum appellatur.

A subdito Episcopi ad ipsum, non ad Archiepiscopum appellatur, nisi aliud esset de consuetudine.

Archiepiscopus causam appellationis ab Episcopo interpositæ non debet committere, vel partes citare, nisi in appellatione probabilis causa sit expressa.

Si negetur per appellationem negotium devolutum, non inhibebit Archiepiscopus Judicem principalis causæ procedere; nisi prius de devolutione constiterit.

Si dicitur ex injusta causa appellatum, Archiepiscopus inhibere non potest, nisi prius, recepta appellatione ut probabili, incipiat cognoscere de causæ veritate.

Licet dicatur appellatum a definitiva in casu prohibito a jure, ex quo de hoc Archiepiscopus cognoscere cœperit, potest inhibere, ne sententia executioni mandetur.

Archiepiscopus in tertiam personam (post inhibitionem suam in causa per appellationem delata ad ipsum) aliquid innovantem, jurisdictionem exercere non potest.

Archiepiscopus appellantem in aliis causis a jurisdictione Episcopi non potest eximere.

Ab Episcopis in causis, quibus jurisdictionem temporalem habent, de jure debet ad Archiepiscopum appellari; nisi speciale jus aliud inducat.

Censuram ecclesiasticam in appellantem prolatam per Episcopum, Archiepiscopus revocare non potest, nisi partibus vocatis, & de causa legitime cognito.

Ex quo Archiepiscopus pronunciaverit male appellatum ante sententiam, statim debet causam ad Suffraganeum remittere.

☞ *Vide innovationem Elencho IV. n. VIII.*

Cap. IV. *Ut super*. (6) Si Judex requisitus non tradit apostolos, & postea procedit in causa, non valet processus; nisi renunciatum fuisset appellationi.

Cap. V. *Cum appellationibus*. (7) Judex appellationis inique appellantem ante sententiam remittere debet ad Judicem principalem, & in expensis condemnare; & hoc si principalis Judex non detulerat appellationi; sed si detulit, non fiet remissio de necessitate. In appellationibus interpositis a definitiva antiqua jura serventur.

Cap. VI. *Ab eo*. (8) Si appellans intra triginta dies instanter non petit apostolos, appellationi renunciat. Si Judex modo debito requisitus illos non tradit, sed postea procedit, non valet ejus processus.

Cap. VII. *Non solum*. (9) Innovata per Judicem post definitivam sententiam, a qua appellatum extitit, revocantur statim per Judicem appellationis, etiamsi ante appellationem fuerint innovata. Attentata vero post appellationem ante definitivam non revocantur, nisi primo de veritate constiterit, nisi post inhibitionem debito modo factam attentata fuissent.

Cap. VIII. *Concertationi*. (10) Qui appellat extra judicium, intra decem dies, ex quo scivit gravamen, appellare debet: postea per remedium juris communis audietur, sed non per appellationis remedium.

Cap. IX. *Appellatio*. (11) Valet appellatio in scriptis porrecta, licet coram Judice non legatur.

Cap. X. *Si a Judice*. (12) Judex a quo compellere non potest appellantem a gravamine ipsius veritatem probare; licet citare possit ad ipsius revocationem audiendam: qua facta in causa procedere poterit, ejus contumacia non obstante, ac si numquam appellasset.

Cap. XI. *A collatione*. (13) A collatione Capituli ad Episcopum appellatur, si ut Canonicus interfuit; secus si ut Prælatus.

Cap. XII. *Licet*. (14) Per appellationem interpositam a definitiva, revocari potest interlocutoria principali negotio præjudicans, alias non.

IN CLEMENTINIS. *Lib. II. sub eodem Titulo & ibi tit. XII. continente VII. Capitula.*

Cap. I. *Si a Judicibus*. (15) Valet appellatio coram majori parte plurium Judicum, sed appellato est appellatio, delatio, & termini præfixio intimanda.

☞ *Vide cap.* Cum super 23. *de offic. & potest Judic. deleg. ubi Gloss. Verbo* Simul.

Cap. II. *Quamvis*. (16) Sufficit apostolos peti uno contextu sæpius, & instanter; ad quos recipiendos, si Judex certum terminum statuat, appellans illos non petens in termino, appellationi renunciat. Idem cum Judex statuit terminum juris incertum, intra quem appellans illos debite non petivit; vel oblatos recipere renuit. Sed appellans non habens apostolos, appellationem prosequi potest. 1. Cum Judex eos petenti non dederit intra terminum a se præfixum. 2. Cum ei responderit se illum daturum nullo certo termino sibi præfixo. 3. Cum intra juris terminum se eos asseruit velle dare, & postea per appellantem congruo loco, & temporæ sæpius uno contextu requisitus eosdem non curaverit intra eumdem terminum exhibere.

Cap. III. *Sicut*. (17) Appellans prosequi, & finire tenetur appellationem extrajudicialem intra annum a die interpositæ appellationis, vel illati gravaminis: quo non facto, impedimento justo cessante, appellatio est deserta.

Cap. IV. *Quamdiu*. (18) Tempus ad prosequendam appellationem ab homine, vel a jure præfixum, non currit appellanti compromisso durante, vel de partium expresso consensu; nisi periculo imminente, ex mora Judex aliud decernat.

Cap. V. *Appellanti*, (19) Ante definitivam appellanti non licet prosequi causas in appellatione nominatim non expressas. Nec processus primi Judicis justificari, vel impugnari potest, nisi ex actis coram eo.

Cap. VI. *Si appellationem*. (20) Prosequutio appellationis desertæ non impedit, quin sententia censeatur in rem judicatam transivisse.

Cap. VII. *Cum a repulsione*. (21) A peremptoria repulsa ex alio, quam propter ineptitudinem, secundo appellans, & succumbens, non auditur super ea in appellatione a definitiva.

DE CLERICIS PEREGRINANTIBUS.

TITULUS XXIX.

Cap. unic. *Conquerente*. (22) Contra peregrinantem, seu proficiscentem ad Sedem Apostolicam non est aliquid innovandum.

☞ *Vide cap. 10. Bullæ Cœnæ.*

DE CONFIRMATIONE UTILI, VEL INUTILI.

TITULUS XXX. *continens IX. Capitula.*

Cap. I. *Si quis*. (23) De re scienter confirmata a Papa inferior cognoscere non potest; nisi confirmatio non tenuerit, ut quis subreptitia, vel de re litigiosa.

Cap. II. *De confirmationibus*. (24) *Idem dicit*.

Cap. III. *Bona*. (25) Litteræ confirmationis super sententia, a qua erat appellatum, non valent, si appellatus malitiose prævenit appellantem; alias pendent, donec de appellatione cognoscatur.

Cap. IV. *Cum dilecta*. (26) Innovatio privilegii novum jus non tribuit, sed antiquum confirmat.

Cap. V. *Ad nostram*. (27) Non valet confirmatio, quam religiosus impetravit a Papa super temporali administratione, seu prioratu, si tacuit se Regularem: si vero expressit, rescriptum præsumitur falsum, quia Papa non consuevit concedere.

Cap. VI. *Porrecta*. (28) *Idem dicit*.

Cap. VII. *Examinata*. (29) Sententia, seu laudum contra formam juris, vel compromissi latum per arbitros, licet a Pepa in forma communi confirmatum, non tenet.

Cap. VIII. *Venerabilis*. (30) In confirmatione ex certa scientia dictio *sicut* ponitur causative: nec nocet, si verbum cnnfirmationis præcedit tenorem confirmati.

Cap. IX. *Sua*. (31) Collatio Ecclesiæ alteri facta per Legatum, & a Papa confirmata jus Diœcesani non lædit.

IN

(1) *Idem*. (2) *Idem*. (3) *Innoc. IV. in Conc. Lugdun.* (4) *Idem*. (5) *Idem*. (6) *Idem*. (7) *Clem. IV.* (8) *Bonif. VIII.* (9) *Idem*. (10) *Idem*. (11) *Idem*. (12) *Idem*. (13) *Idem*. (14) *Idem*.

(15) *Clem. V. in Conc. Vien.* (16) *Idem*. (17) *Idem*. (18) *Idem*. (19) *Idem*. (20) *Idem*. (21) *Idem*.
(22) *Cælest. III. Ambian. Episc.*
(23) *Alex. III. Exon. Episc.*
(24) *Idem VVigorn. Episc.* (Hoc c. in Gonzal. incidit ex parte.
(25) *Cælest. III.* (26) *Inn. III. Decan. Padebrg. in Saxon.*
(27) *Idem Episc. & Præposit. Utisen.*
(28) *Idem Ab. Imol.* (29) *Idem Matth. De Rivariis.*
(30) *Honor. III. Hugoni I. Regi Cypri, & Hen. I. Filio &c.*
[31] *Idem Univers. Ab. & Prælat. Conven. & Cleric. Cnnstant. & Calced. Diac.*

IN LIBRO III. GREGORII PAPÆ IX.

CONTINENTUR TITULI L.

DE VITA, ET HONESTATE CLERICORUM.

TITULUS I. *Continens* XVI. CAPITULA.

Cap. I. **U**T *laici*. (1) Cum celebratur, divisus esse debet Clerus a populo.

Cap. II. *Clerici*. (2) Clerici arma portantes, & usurarii excommunicentur.

Cap. III. *Ut quisque*. (3) Presbyter habens populum, debet habere Clericum, qui secum cantet, & in aliis hic expressis, eum juvet.

☞ *Vide Elencho VI. n. VI.*

Cap. IV. *Si quis*. (4) Si quis ex Clericis comam relaxaverit, anathema sit.

☞ *Hæc pœna est ferendæ sententiæ, ut Gloss. Verb.* Anathema.

Cap. V. *Clericus*. (5) Clericus neque comam nutriat, neque barbam.

Cap. VI. *Clericus*. (6) Clericus non in sacris, nec professus, potest uxorem ducere, sed iterum tondebitur, si vult gaudere privilegio clericali, vel dispensative tenere beneficium.

Cap. VII. *Clericus*. (7) Clericus debet tonsuram deferre, & si non vult, potest invitus a suo Superiore tonderi.

Cap. VIII. *Monasteria*. (8) Frequentans Monasteria Monialium, & monitus non desistens, si Clericus est deponitur, si Laicus excommunicatur.

Cap. IX. *Quoniam*. (9) Episcopus potest statuere in Ecclesia certum numerum Clericorum secundum ipsius facultates, qui vivant in communi; & contradictores ad hoc compellere; & istos in communi viventes potest absolvere ab excommunicatione incursa propter injectionem manuum in socium.

☞ *Intellige, si percussio sit levis.* Cap. Pervenit 17. *de Sent. Excom. si sit enormis, & occulta, vide Trid. sess. 24. cap. 6. de ref. si sit publica, & percutiens sit impeditus accedere ad Papam, vide capp.* Mulieres 6. & De monialibus 33. *de sent. excom.*

Cap. X. *Cum ab omni*. (10) Ecclesiastici Judices, & Delegati gratis judicare debent, nec exigere possunt decimam, vel etiam quotam litis, etiamsi adsit consuetudo.

Cap. XI. *Deus*. (11) Ad evitandum scandalum possunt Religiosi diversi habitus missi ad prædicandum de novo conversis se in superiori habitu, & ratione vivendi conformare.

☞ *Hæc fuit concessio tantum specialis, non generalis pro Religiosis missis ad Livonienses de novo conversos.*

Cap. XII. *Cum decorem*. (12) Ludi theatrales, etiam prætextu consuetudinis in Ecclesiis, vel per Clericos fieri non debent.

Cap. XIII. *Ut Clericorum*. (13) Clerici non caste viventes puniuntur, & severius, qui possunt legitimo matrimonio uti.

☞ *Idest Orientales, qui utuntur matrimonio jam contracto etiam in sacris constituti.*

Cap. XIV. *A Crapula*. (14) Clericus crapulosus, vel ebriosus monitus non desistens, ab officio, vel beneficio suspenditur.

Cap. XV. *Clerici*. (15) A negotiis, personis, locis, ludis, vestibus inhonestis, & ornatu minus honesto præcipit Clericos abstinere, & habitu honesto uti; cujus vanitatem in pluribus detestatur.

☞ *In textu statuitur qualis debeat esse habitus monachi, qui creatus est Episcopus; circa quem vide Additiones meas lib. III. tit. 31. post n. 27.*

Cap. XVI. *Ex litteris*. (16) Clericus tertio monitus a negotiationibus sæcularibus non abstinens, interim perdit quoad bona privilegium clericale.

☞ *Vide notata Elencho VI. n. XXXVIII.*

IN SEXTO *Lib. III. sub eodem Titulo*.

Cap. unic. *Clerici*. (17) Clericus jaculatoriam artem per annum exercens, si tertio monitus non desistat, ipso jure perdit privilegium clericale.

IN CLEMENTINIS *Lib. III. sub eodem Titulo continente II. Capitula*.

Cap. I. *Diœcesanis*. (18) Statuit pœnam in Clericos conjugatos, & alios personaliter, & publice carnificum, & tabernariorum officium exercentes, qui nominatim, & tertio moniti illud officium non dimittunt, vel dimissum reassumunt.

☞ *Vide Trid. sess. 22. c. 1. de refor.*

Cap. II. *Quoniam*. (19) Puniti: 1. Clericos beneficiatos utentes publice virgata, & partita veste. 2. Subdiaconos, & Diaconos. 3. Omnes Clericos tonsuram publice cum tali veste portantes. 4. Habentes dignitatem, personatum, beneficium curatum, & Sacerdotes, & Religiosos publice portantes talem vestem, vel infulam. 5. Punit omnes prædictos utentes tabarro notabiliter brevi, integre foderato. 6. Certas caligas Clericis interdicit.

☞ *Vide ampliationem Elencho III. n. IX. & innovationem Elencho IV. n. IX. & Elencho VI. n. XXIII.*

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS *Lib. III. sub eodem Titulo*.

Cap. unic. *Docta*. (20) Cantorum lasciva melodia reprobatur, qui contra honestatem clericalem, quod ore cantabant, gestibus simulabant. Et cantores ipsi, tam exempti, quam non exempti, per octo dies ab officio suspenduntur.

DE COHABITATIONE CLERICORUM, ET MULIERUM.

TITULUS II. *continens X. Capitula*.

Cap. I. *Inhibendum*. (21) Clericus non debet retinere in domo mulierum suspectarum de incontinentia, etiamsi sit mater, vel alia consanguinea.

Cap. II. *Si quisquam*. (22) Excommunicatur Clericus in sacris, qui a suspectarum mulierum colloquio, vel earum consortio monitus non desistit.

☞ *Vide ampliationem Elencho III. n. X.*

Cap. III. *Clericos* (23) Non debet Prælatus clericum cogere ad concubinam abjurandam, sed eam nolentem dimittere potest excommunicare.

☞ *Vide ampliationem Elencho III. n. XI.*

Cap. IV. *Sicut*. (24) Si Clerici moniti concubinas non dimittunt, suspenduntur a beneficiis: etsi se non corrigunt, deponuntur.

☞ *Vide ampliationem Elencho III. n. XII.*

Cap. V. *Super eo*. (25) Litteræ a Clerico concubinario suspenso super absolutione, tacita facti serie, obtentæ non valent.

Cap. VI. *Si autem*. (26) Si Clerici moniti non dimittunt concubinas, suspenduntur a beneficiis: et si se non corrigunt, deponuntur.

☞ *Vide ampliationem Elencho III. n. XIII.*

Cap. VII. *Vestra*. (27) A Clerico fornicario, quandiu toleratur, nec fornicatio est evidens, licite audiuntur divina, & percipiuntur Sacramenta: a notorio vero abstinendum est; non quia in Sacramento sit defectus, sed ad ipsorum fornicatorum emendationem.

Cap.

(1) *Ex Conc. Mogunt.*
(2) *Ex Conc. Pictav.*
(3) *Ex Conc. Nanneten.*
(4) *Greg. II. in Synod. Rom.*
(5) *Ex Conc. Chartag.*
(6) *Ex Conc. Triaur.*
(7) *Alex. III. Cantuar. Archiep.*
(8) *Idem in Conc. Later.* (9) *Greg. VIII.*
(10) *Innoc. IV. Prælat. & Cler. Lombard.*
(11) *Idem Liven. Episc.* (12) *Idem.*
(13) *Idem in Conc. Lateran.*
(14) *Idem ibid.* (15) *Idem ibid.*
(16) *Honor. III. Ambiam. Ep.*

(17) *Bonif. VIII.*
(18) *Clem. V. in Conc. Vien.*
(19) *Idem.* (20) *Jo. XXII.*
(21) *Ex Conc. Nannet.*
(22) *Eug. II. in Syn. Rom.*
(23) *Alex. III. Salern. Archiep.*
(24) *Idem Cantuar. Archiep.*
(25) *Idem Eborac. Ep.*
(26) *Idem Lund. Ep.*
(27) *Luc. III. Magistr. & Fratrib. Milit. S. Jacob.*

Cap. VIII. *Tua nos*. (1) Si fornicatio Clerici est ita publica, ut transeat in notorium, nec accusator, nec testis necessarius est: si est publica per solam famam, non sufficiunt ad condemnationem testium dicta non juratorum, sed si ex hoc orietur scandalum, inducitur purgatio, in qua deficiens canonice punitur.

Cap. IX. *A nobis*. (2) Non est permittendum mulierculas cum Clericis habitare, iis exceptis, de quibus naturale fœdus nihil permittit sævi criminis suspicari.

Cap. X. *Quæsitum*. (3) *Summatur ut cap.* Tua nos 8. *supra*.

☞ *Vide ampliationem Elencho III. n. XIV.*

DE CLERICIS CONJUGATIS.

TITULUS III. *continens X. Capitula*.

Cap. I. *Si quis*. (4) Matrimonium contractum per Clericum existentem in sacris, non tenet; secus in minoribus; sed tunc cogitur dimittere beneficium.

Cap. II. *Sane*. (5) Conjugatus ad administrationem, & ad Ordinem ecclesiasticum, vel beneficium non promovetur, nisi castitatem promittat, & non sit bigamus.

Cap. III. *Quod ad te*. (6) Si Clericus in minoribus beneficiatus matrimonium contrahat, privatur beneficio, & quod dedit Ecclesiæ, illi restituitur.

Cap. IV. *Sane*. (7) Peracta pœnitentia, dispensant Episcopi cum Sacerdotibus, qui matrimonium de facto contraxerunt.

☞ *Intellige dispensare posse post triennalem pœnitentiam, si contraxerunt cum virgine: non vero si cum vidua, vel corrupta & eam cognoverint, propter pœnam bigamiæ interpretativæ, seu virtualis. Cap.* A nobis 7. *de Bigam. non ordinan.*

Cap. V. *Diversis*. (8) Auferenda sunt Clerico beneficia, quæ habebat tempore contracti matrimonii: collata vero postmodum scienter per Episcopum, per eumdem auferri non possunt, sed per Superiorem.

Cap. VI. *Cum olim*. (9) Filius Sacerdotis græci ex uxore genitus licite inter latinos promovetur, si scandalum non obsistat.

Cap. VII. *Joannes*. (10) Clericus conjugatus non beneficiatus non cogitur deferre tonsuram.

☞ *Statuitur etiam non posse gaudere privilegio clericali, si non sit privilegiatus. Sed vide correctionem Elencho I. n. XXIII.*

Cap. VIII. *Cum decorem*. (11) Uxorati non admittuntur ad ecclesiasticas dignitates; & coguntur dimittere, quas habent.

Cap. IX. *Ex parte*. (12) Clerici conjugati in rebus suis non gaudent privilegio clericali.

☞ *Vide Auctorem hoc eod. tit. n. 6.*

Cap. X. *Ut consultationi*. (13) Si Clericus in minoribus militet, non est cogendus deferre tonsuram, vel habitum clericalem.

IN SEXTO *Lib. III. sub eodem Titulo, & ibi tit. II.*

Cap. unic. *Clerici*. (14) Si Clericus conjugatus ferat habitum, & tonsuram, clericali privilegio gaudet; alias non.

☞ *Vide ampliationem Elencho III. n. XV. & respective correctionem Elencho II. n. CLXXXII. ac innovationem Elencho IV. n. X.*

DE CLERICIS NON RESIDENTIBUS IN ECCLESIA, VEL PRÆBENDA.

TITULUS IV. *Continens XVII. Capitula*.

Cap. I. *Non liceat*. (15) Episcopo non licet sine licentia Papæ transire ad alium Episcopatum, ipsum acceptando; alias privatur habito, & ambito.

Cap. II. *Ex gestis*. (16) Deponitur Cardinalis, qui in suo titulo non residet.

☞ *Circa Cardinalium residentiam in Curia vide Constit. Leonis X. in Conc. Later.* Sub. pœna, *& Innoc. X.* Cum juxta 19. *Febr.* 1646. *Urbani VIII.* Sancta Synodus 13. *Decembr.* 1634. *& de sex Episcopis suburbicariis vide lib. XIII. de Synod. Diœc. Bened. XIV. cap. 6. n. 6. & seqq.*

Cap. III. *Quia*. (17) Uni plures dignitates, vel Ecclesiæ conferri non debent: & Ecclesia est conferenda illi, qui residere, & regere valeat per se ipsum; alias perdit Ecclesiam; & donans conferendi potestate privatur.

☞ *Vide Elencho I. n. XXIV. & Elencho IV. n. XI.*

Cap. IV. *Relatum*. (18) Præsentatus ad Ecclesiam non confirmatus, si apparet qood nolit residere, non debet institui per Superiorem: confirmatus autem, & ex non justa causa non residens, privatur, appellatione remota.

☞ *Vide ampliationem Elencho III. n. XVI.*

Cap. V. *Fraternitati*. (19) Clericus alterius Diœcesis absque commendatitiis litteris sui Episcopi non debet recipi; nisi adsit Apostolicum mandatum.

Cap. VI. *Conquerente*. (20) Qui non residet in beneficio, etiam modicæ æstimationis, illo privatur.

☞ *Ex communi Interpretum opinione Textus loquitur de beneficio simplici habito pro titulo a Sacerdote, de quo hic, quod ex eodem textu personalem residentiam requirit: secus tamen ex contraria consuetudine. Et vide correctionem Elencho II. n. LX.*

Cap. VII. *De cætero*. (21) Qui est in servitio Episcopi, percipit fructus beneficii tanquam residens, præter distributiones quotidianas.

☞ *Vide Trid. sess. 24. c. 12.*

Cap. VIII. *Ex parte*. (22) Privandus est Prælatus, vel Clericus non residens, qui citatus non revertitur in termino sibi præfixo, nisi habeat justum impedimentum.

☞ *Circa hoc, & duo seqq. capp. vide notata in cap.* Ex gestis 2. *supra. Circa Prælatos non residentes vide Trid. sess. 6. cap. 1. & sess. 23. c. 1. de ref. Vide etiam moderationem Elencho II. n. LXI. & ampliationem Elencho III. n. XVII.*

Cap. IX. *Qualiter*. (23) *Summatum est ut supra*.

☞ *Vide moderationem Elencho II. n. LXII. & LXIII. ac ampliationem Elencho III. n. XVIII.*

Cap. X. *Inter*. (24) *Summatum est, ut cap.* Ex parte 8. *supra*.

☞ *Vide moderationem Elencho II. n. LXIV. & ampliationem Elencho III. n. XIX.*

Cap. XI. *Ex tua*. (25) Si nescitur ubi sit Clericus, tribus publicis edictis citabitur in Ecclesia sua; & si intra sex menses non revertatur privabitur Ecclesia sua.

☞ *Vide moderationem Elencho II. n. LXV.*

Cap. XII. *Tua*. (26) Privilegiatus, ut absens in studio fructus præbendæ recipiat. Existens in villa, & castello, ubi nullum est, vel minus competens studium privilegio non utitur.

☞ *Vide Elencho III. n. XXI.*

Cap. XIII. *Ex parte*. (27) Qui juravit in Ecclesia residere, pro servitiis Ecclesiæ licite se absentat.

☞ *Hoc juramentum ex Constit. Pii IV.* 87. Inter multiplices 10. *Mart.* 1583. *in Bullario veter. edit. Romæ* 1586. *datur provisis de parochiali a Papa etiam titulo Vicariæ perpetuæ sub pœnis tam in eam resignantem, aut cedentem, vel dimittentem in favorem alterius etiam intrusi, vel possessoris, vel occasione motæ litis, quam in resignatorios, vel cessionarios, ac etiam in consilium, auxilium, vel favorem dantes, si hi sint Episcopis inferiores, excommunicationis latæ sententiæ Papæ reservatæ & privationis ejusdem parochiæ, aliorumque beneficiorum ab ipsis jam obtentorum, & inhabilitatis ad eadem in posterum obtinenda, quæ eo ipso vacare censentur Apostolicæ Sedi reservata: nec conferenda consanguineis, affinibus, & confidentibus ipsius resignantis. Unde praxis Romanæ Curiæ ex mandato Greg. XIV. est, ut resignationes parochialium, aliorumque beneficiorum residentialium non admittantur, nisi exprimatur in supplicatione a quanto tempore resignans illa possederit: nec admitti solent, nisi possederit per quinquennium, vel circa, idest plus, vel minus sex mensibus. Ita Thes. de Pœn. verb.* Resignatio *cap. I. Quamvis Quaranta Verb.* Benef. Resignat. *referat Innoc. IX. instituisse, ne illud resignare possit ante triennium.*

Cap. XIV. *Cum dilectus*. (28) Familiaris Papæ, non obstante constitutione contraria, præbendæ suæ fructus percipit in absentia.

Cap. XV. *Ad audientiam*. (29) Duo Canonici absentes cum Episcopo, seu in ejus servitio, fructus præbendarum suarum percipiunt in absentia, constitutione Ecclesiæ contraria non obstante.

Cap.

(1) *Innoc. III. Oxom. Ep.*
(2) *Idem Tist. Ep.*
(3) *Greg. IX.* (4) *Alex. III.*
(5) *Idem Herford. Ep.*
(6) *Idem Verul. Ep.* (7) *Idem:*
(8) *Innoc. III. Archiep. Norvic.*
(9) *Idem Acherun. Archiep.*
(10) *Idem Ep. Tist.* (11) *Idem.*
(12) *Honor. III. Bereng. Angl. Reg.*
(13) *Idem VVillel. Linc. Ep.* juxta Cujac.
(14) *Bonif. VIII.*
(15) *Ex Conc. Sardic.*
(16) *Leo IV. Ex Gest. Roman. Pontif.* (Hoc cap. in Gonzal. incip. Leo.)
(17) *Ex Conc. Later. sub Alex. III.*
(18) *Alex. III. Eborac. Archiep.*
(19) *Idem eidem.*
(20) *Idem Ling. Ep.* (21) *Idem.*
(22) *Cæl. III. Cap. Magdeb.* juxta Cujac.
(23) *Innoc. III. Cap. August.*
(24) *Idem Constantinop. Patriarch.*
(25) *Idem Archiep. Tarracen.*
(26) *Idem Altissiod. Ep.*
(27) *Honor. III. V. Præposit. de Valeriis.*
(28) *Idem Cap. Metten.* (29) *Idem Meld. Ep.*

Cap. XVI. *Cum ad hoc.* (1) Si Ecclesia patitur ministrorum defectum, privilegiati super absentia per subtractionem proventuum redire coguntur.

☞ *Circa fructus in absentia percipiendos, vide Elencho VI. n. V.*

Cap. XVII. *Clericos.* (2) Privatur beneficio Clericus non residens, si monitus non redeat; nec justam excusationem alleget.

☞ *Vide moderationem Elencho II. n. LXVI. & ampliationem Elencho III. n. XX.*

IN SEXTO. *Lib. III. sub eodem Titulo, & ibi tit. III.*

Cap. unic. *Consuetudinem.* (3) Distributiones quotidianæ solum præsentibus, qui intersunt Divinis dari debent, consuetudine non obstante. Et qui aliter illas receperunt, non faciunt illas suas: & idem de distributionibus, quæ dantur pro anniversariis defunctorum.

☞ *Vide ampliationem Elencho III. n. XXI. & ibi notata ex nobis juribus & innovationem Elencho IV. n. XII.*

DE PRÆBENDIS, ET DIGNITATIBUS.

TITULUS V. *continens XXXVIII. Capitula.*

Cap. I. *Ut nullus.* (4) In bonis Ecclesiæ non succeditur jure consanguinitatis.

Cap. II. *Non liceat.* (5) Non licet Episcopo aliquem ordinare sine titulo.

☞ *Vide ampliationem Elencho III. n. XXII. & innovationem Elencho IV. n. XIII.*

Cap. III. *Ratio.* (6) Bona Ecclesiarum communia sunt, nec debet quisquam tamquam propria vindicare.

Cap. IV. *Episcopus.* (7) Qui ordinavit aliquem ad sacros Ordines sine titulo non habentem unde vivat, providere tenetur ei de suo, donec aliquem titulum fuerit consequutus.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. LXVII. & innovationem Elencho IV. n. XIV.*

Cap. V. *Quia.* (8) Non debent Episcopi permittere quamplures Ecclesias obtinere.

☞ *Vide Trid. sess. 24. c. 17. de ref.*

Cap. VI. *Cum teneamur.* (9) Ad mandatum Papæ non tenetur quis providere illi, qui beneficium in litteris tacuit; vel cui sine scandalo providere non potest.

Cap. VII. *Referente.* (10) Habens plures Ecclesias, alteram eligere, & alteram dimittere compellitur.

☞ *Hic habetur, Archidiaconum privasse Clericum beneficio, & in eo alium instituisse, quod Panormit. interpretatur factum non de jure, quo caret, sed ex consuetudine, vel privilegio, ibidem n. 2. & Barbos. ex auctoritate Episcopi. Vide correctionem Elencho I. n. XXV. & Elench. II. n. LXVIII.*

Cap. VIII. *Majoribus.* (11) Præbendæ, & dignitates non debent dividi, nec etiam permutari.

☞ *Vide Auctorem lib. I. tit. 9. n. 7.*

Cap. IX. *Relatum.* (12) Receptus in Canonicum ex promissione capituli, debet quando facultas se obtulerit, habere præbendam.

☞ *Vide cap. 4. de concess. preb. in 6. cum gloss.*

Cap. X. *Avaritia.* (13) Religiosi redditus Ecclesiarum suarum diminuere non possunt respectu portionis, quæ debetur Rectoribus, seu Vicariis; nec paræcias dividere.

Cap. XI. *Significatum.* (14) Possunt Prælatus & Capitulum præbendæ vacanti honestum onus imponere, ad quod Præbendarius teneatur.

☞ *Vide cap. Prohibemus 7. de censib. In hoc cap.* Significatum *agitur de onere imposito præbendato missam quotidie celebrandi, circa cujus celebrationis intermissionem vide Additiones meas lib. III. tit. 41. post n. 7.*

Cap. XII. *De Monachis.* (15) Ad præsentationem Religiosorum in eorum Ecclesiis nullus debet institui per Episcopum, nisi prius ei congrua portio redditum assignetur.

☞ *Circa præsentationem Vicariorum in Vicariis perpetuis Ecclesiarum Cathedralium ex Constit. S. Pii V.* Ad exequendum *deputandi sunt prævio examine, & approbatione Ordinarii ad nominationem illorum, in quorum Ecclesiis unitis ponentur. Quoad assignationem congruæ, & Vicarios Urbis vide Elencho VI. n. XII.*

Cap. XIII. *Ad hæc.* (16) Plures dignitates, vel personatus in una, vel in diversis Ecclesiis, qui habere non potest.

☞ *Vide Trid. sess. 7. cap. 4. & sess. 24. cap. 17. de ref.*

Cap. XIV. *Præterea.* (17) Habens plures dignitates, alteram dimittere compellitur.

☞ *Vide correctionem Elencho I. num. XXVI. & Elencho II. n. LXIX.*

Cap. XV. *Cum non.* (18) Si electus ad secundam Ecclesiam, noluerit dimittere primam, eligentes possunt resilire, & electum non acceptare.

Cap. XVI. *Cum secundum.* (19) Ordinato ad sacros per Episcopum sine titulo, nemine præsentante, ordinator, vel successor compellitur in necessariis providere, donec titulum habuerit.

☞ *Vide innovationem Elencho IV. n. XV.*

Cap. XVII. *Inter.* (20) Qui hoc ignoranti scienter contulit præbendam, quam non potuit, illa evicta, aliam, quam potest conferre tenetur.

☞ *Vide cap. unic.* Ne concessione *de rer. permutat. in Clementin.*

Cap. XVIII. *Cum jam.* (21) Cassatur electio illius, qui possidet plures dignitates, atque præbendas. Et idem si detinetur vitio ambitionis, & avaritiæ.

Cap. XIX. *Dilectus.* (22) Recepto in Canonicum, quam cito facultas se obtulerit, debetur præbenda, & interim habebit quotidianas distributiones.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. LXX.*

Cap. XX. *Tuæ fraternitatis.* (23) Non tenet electio, cum ad unam præbendam duo simpliciter eliguntur.

Cap. XXI. *Nisi.* (24) Si duo electi ad aliquam dignitatem compromittant in Judicem, poterit Judex alterum confirmare, & alteri pro bono pacis de proventibus provisionem facere.

☞ *Hodie fieri hoc nequit sine auctoritate Papæ. Vide Fagn. hoc eod. cap.*

Cap. XXII. *Pro illorum.* (25) Canonici privilegiati a Papa super certo numero, si sponte receperunt aliquem supra numerum, contra impetrantes a Papa exceptione numeri uti non possunt.

Cap. XXIII. *Tuis.* (26) Non beneficiatus habens sufficiens patrimonium ad sacros legitime promovetur.

☞ *Vide limitationem in Trident. sess. 21. c. 2. de refor.*

Cap. XXIV. *Accedens.* (27) Absenti potest conferri beneficium, alio mediante: nec refert, utrum absens investiatur per personam mediam, vel persona media investiatur pro absente.

Cap. XXV. *Dilecto.* (28) Si ad unum Canonicatum, & præbendam duo sunt recepti simpliciter, receptio non tenet, etiam interveniente Apostolica auctoritate.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. LXXI.*

Cap. XXVI. *Vacante.* (29) De una præbenda vacante possunt fieri duæ, si ejus suppetant facultates; alias dividens integrare tenetur.

Cap. XXVII. *Dilectus.* (30) Si Papa mandat capitulo, ut aliquem in canonicum recipiant, & præbendam, si qua vacat, conferant, si de mandato scientes alii conferant, coguntur primum recipere, & de redditibus Ecclesiæ loco beneficii providere, donec præbendam habeat.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. LXXII.*

Cap. XXVIII. *De multa.* (31) Habens personatum, vel beneficium curatum, si secundo tale receperit, vacat primum: quod si retinere contenderit, etiam secundo privabitur. Et is, ad quem spectat beneficii curati collatio, licite confert statim cum institutus aliud recepit, & si intra sex menses non conferat, devolvitur ad alium collatio, & aliter punitur. Cum sublimibus vero, & litteratis personis circa pluralitatem beneficiorum incompatibilium solus Papa dispensat.

☞ *Vide declarationem Elench. I. n. XXVII. & Elench. II. n. LXXIII. & ampliationem Elench. III. n. XXIII. ac innovationem Elench. IV. n. XVI.*

Cap. XXIX.

(1) *Greg. IX. Patriarch. Antioch. Ap. Sed. Leg.*
(2) *Idem.*
(3) *Bonif. VIII.*
(4) *Ex Conc. Pictav. quod tamen ibi non reperitur.*
(5) *In Corp. Canon. part. 5. in Novell. Justin. Constit. 5. de num. Cleric. Constantinop. Urb. cap. 2.*
(6) *D. Greg. Anthemio Subd.* (Hoc cap. in Gonzal. incip. Pervenit.
(7) *Alex. III. in Conc. Later.*
(8) *Idem ibid.* (9) *Idem.*
(10) *Idem in Concil. Lateran.*
(11) *Idem in Concil. Turonen.*
(12) *Idem Cantuar. Archiep.*
(13) *Idem Canon. Regul. & Monach. Eborac. Diæc.*
(14) *Idem Præp. & Capit. Insulen. in Belg.* (15) *Idem VVigor Ep.*
(16) *Idem Saler. Archiep.*
(17) *Idem Burdeg. Archiep.*
(18) *Idem Januen. Ep.*
(19) *Innoc. III. Zamor. Episc.*
(20) *Idem Archiep. Senon.*
(21) *Idem Episc. & Cantor. Tornacen.*
(22) *Idem Archiep. & Archid. Senon.*
(23) *Idem Episc. Brixien.* (24) *Idem.*
(25) *Idem Santon. Archiep. & Ab. Blasiaco* juxta Cujac.
(26) *Idem Bisuant. Ep.*
(27) *Idem Episc. Zamor.*
(28) *Idem H. Trecen. Ep.*
(29) *Idem Uratisl. Ep.*
(30) *Innoc. III. Vercel. Ep.*
(31) *Idem in Conc. Later.*

Cap. XXIX. *Grave*. (1) Concilium provinciale a beneficiorum collatione suspendit eos, qui post secundam correptionem indignis beneficia conferunt: providet etiam ut quis interim beneficia conferat; & illam suspensionem relaxat solus Papa, vel solus Patriarcha.

☞ *Vide innovationem Elencho IV. n. XVII.*

Cap. XXX. *Extirpanda*. (2) Rector Ecclesiæ, non obstante consuetudine Episcopi, vel patroni, debet de redditibus Ecclesiæ sufficientem habere portionem.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. LXXIV.*

Privatus est paræciali Ecclesia Rector in ea non residens, nisi sit annexa dignitati, vel præbendæ: quo casu debet ibi habere perpetuum Vicarium. Et in fine prohibet in fraudem Rectoribus de ipsius proventibus pensionem in beneficium dari. *Vel sic*. Non residens in Ecclesia paræciali, vel non ponens Vicarium quando est annexa beneficio majori, privatus est ea.

☞ *Vid. Trid. sess. 24. c. 3. de ref.*

Cap. XXXI. *In Lateranensi*. (3) Non debent Religiosi Ecclesias, vel decimas a Laicis sine Diœcesanorum consensu recipere, nec excommunicatos, vel interdictos ad divina admittere; in Ecclesiis quoque, quæ ad eos non pleno jure pertinent, instituere, vel destituere; sed præsentabunt Diœcesanis ad eas viros idoneos.

☞ *Vide Trid. sess. 25. cap. 9. de ref.*

Cap. XXXII. *Licet*. (4) Absens in Theologiæ studio, fructus beneficiorum suorum percipit in absentia; sed quotidianas distributiones non.

☞ *Vide Trid. sess. 5. cap. 1. de ref. & ampliationem Elencho III. n. XXIV.*

Cap. XXXIII. *Exposuisti*. (5) Propter paupertatem præbendarum cathedralis possunt eis annecti capellæ, reservata ipsarum presbyteris congrua portione.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. LXXV.*

Cap. XXXIV. *Dilectus*. (6) Licet Ecclesia ex ordinatione laici beneficium conferat, tenet illius beneficii impetratio, de hoc mentione non habita.

Cap. XXXV. *Super*. (7) Pueri, & alias beneficiati non sunt idonei ad beneficia consequenda.

☞ *Sunt tamen capaces pensionum etiam ante an. XIV. inchoatum si sint consuetati ex Constit. S. Pii V.* Sacrosanctum: *qui tenentur ad recitationem officii B. M. Virginis ex altera ejusdem Constit.* Ex proximo. *Etsi pensio excedat sexaginta ducatos aureos de camera, vide notata Elencho VI. n. XXXIII.*

Cap. XXXVI. *Cum causam*. (8) Pro unius præbendæ integratione alia dividi non debet.

Cap. XXXVII. *Venerabilis*. (9) Clerici ignobiles, & eminentis scientiæ propter hoc non debent a præbendis repelli, etiam in Ecclesia, quæ tales admittere non consuevit.

Cap. XXXVIII. *Cum olim*. (10) Si mandantur provideri in Ecclesia, non potest de Ecclesia provideri.

☞ *Circa mandata de providendo vide notata Elencho II. n. VI. & seqq.*

IN SEXTO. *Lib. II. sub eodem Titulo, & ibi tit. IV. continente XLI. Capitula.*

Cap. I. *Suscepti*. (11) Ad præsentationem Religiosorum, etiam exemptorum, non debent in Ecclesiis ipsorum Rectores institui; nisi primo tantum eisdem assignetur unde incumbentia onera subire possunt, & congrue sustentari: nec valet contraria consuetudo.

Cap. II. *Licet*. (12) Beneficia vacantia in Curia si alius, quam Papa conferat, irrita est collatio.

☞ *In quibus beneficiis hic decretal. locum habeat & quo se extendat Curia Romana, vide cap.* Præsenti 34. infr. *& cap.* Si duobus 1. ut lit. pend. in Clement. *ac moderationem Elencho I. n. XX. & XXIX.*

Cap. III. *Statutum*. (13) Si Papa beneficia vacantia in Curia non conferat intra mensem a die vacationis, poterunt ab illis conferri, quibus collatio pertinebat.

Cap. IV. *Quamvis*. (14) In beneficiis, vel in impetrationibus ad beneficia per provisionem usque ad certam summam pensio non debetur. Per Ecclesias civitatis, vel Diœcesis non comprehenditur Cathedralis. Sed per Ecclesias Provinciæ Metropolitanæ, & Cathedrales reliquæ includuntur.

Cap. V. *Cum de beneficio*. (15) Impetranti beneficium sæculare providetur de beneficio per sæculares Clericos usque ad præscriptionem legitimam possesso. Clerico sæculari prioratum impetranti simpliciter, non providetur de consueto per Religiosos gubernari.

Cap. VI. *Super*. (16) Habere personatum cum cura, & præbendam, cui annexa est paræcialis Ecclesia, non est contra cap. *de multa 28. de præb.*

Cap. VII. *Eum, cui*. (17) In impetratione beneficiorum inspicitur data, non præsentatio, vel receptio.

Cap. VIII. *Si pro Clericis*. (18) Per litteras Apostolicas non facientes de defectu Ordinis mentionem, potest impetranti de curato beneficio provideri: ad Ordines tamen se faciet proximis temporibus promoveri.

☞ *Vide Trid. sess. 22. c. 4. de ref.*

Cap. IX. *Si eum*. (19) Mandato alterius super provisione facienda per Papam impleto, provisio auctoritate Papæ intelligitur esse facta.

☞ *Vide notata cap. seq.*

Cap. X. *Mandato*. (20) Mandatum alternative plures collatores includens, verificatur in primo vacante. In simul vero vacantibus ordo scripturæ servatur.

☞ *Vide Elencho II. n. LXXVI. & seqq.*

Cap. XI. *Si Clericus*. (21) Si Clericus, cui mandabatur provideri de præbenda primo vacante, negligit petere præbendam sibi debitam, extincta est gratia. Si autem sibi collatus fuerit Canonicatus, tunc habebit præbendam, cum nullus est ibi expectans auctoritate Apostolica.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. LXXVI.*

Cap. XII. *Hi qui*. (22) Receptus auctoritate Papæ etiam ad mandatum alterius, præferendus est aliis in præbenda.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. LXXVII.*

Cap. XIII. *Si postquam*. (23) Si post gratiam mihi factam a Papa de Canonicatu, & præbenda, Bononien. Canonici hoc ignorantes, & ignoranti præbendam conferunt post vacantem, non tenet collatio.

Cap. XIV. *Dudum*. (24) 1. Si Papa det licentiam Legato suo recipiendi auctoritate Apostolica resignationes beneficiorum legationis suæ libere in manibus suis factas, & illa beneficia conferendi. 2. Si Papa de prædicta potestate non habita mentione canonicatum, & præbendam, si vacat, vel quam primo vacaverit in aliqua Ecclesia Legationis, mihi conferat. 3. Si Canonicus ipsius Ecclesiæ renunciet, & Legatus etiam ignorans collationem mihi factam confert illi præbendam prædictam, non tenet collatio Legati, sed mihi illa præbenda debetur.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. LXXVIII.*

Cap. XV. *Quia*. (25) Secundus, qui impetravit dignitatem, & præbendam præfertur priori, qui solum præbendam impetraverat, si præbenda dignitati est annexa, alias non.

Cap. XVI. *Cum in illis*. (26) Mandatum provideri de dignitatibus, vel aliis beneficiis, curata non includit, non expressa cura.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. LXXIX.*

In beneficii provisione modus electivus non includitur, si alii modi providendi exprimantur.

Beneficiales litteræ unum modum exprimentes, alios non includunt.

Mandatum simpliciter duos includens, alterum solum non astringit, & è converso directum uni, duos non afficit.

Cap. XVII. *Si tibi*. (27) Beneficium uni collatum ante dissensum illius, alteri conferri non potest; nisi terminus ei datus ad consentiendum esset elapsus: & tunc etiam post terminum, antequam alteri conferatur, poterit consentire.

Cap. XVIII. *Eum qui*. (28) Qui vi, vel injuste occupat secundum beneficium curatum, privatus est primo. Qui autem vi beneficium curatum aliquod occupat, est ipso jure privatus jure, quod in illo, vel ad illud habebat.

☞ *Vide ampliationem Elencho I. n. XXX.*

Cap. XIX. *Is, cui*. (29) Habens potestatem Apostolicam personæ idoneæ de beneficio providendi, alias beneficiato sufficienter providere non poterit; nisi in litteris hoc exprimatur; & tunc unicum simplex obtinenti providebit. Si vero conceditur, ut provideat beneficia obtinenti, ad duo tantum refertur, & contra factum est nullum.

☞ *Circa mandata de providendo vide Elencho II. n. IV. & VI.*

Cap. XX. *Si beneficio*. (30) Si quis ignorans recipiat bene-

(1) *Idem ibid.* (2) *Idem ibid.*
(3) *Idem ibid.*
(4) *Honor. III. Ab. & Prior. S. Genovefæ.*
(5) *Idem Episc. Vesprin.*
(6) *Idem Episc. Prior. & Archid. Maclovien. in Gall.*
(7) *Gregor. IX. Argentin. Episc.*
(8) *Idem Archiep. & R. Turonen.*
(9) *Idem.* (10) *Idem.*
(11) *Clem. III.* (12) *Idem.*
(13) *Greg. X. in Conc. Lugd.*

(14) *Bonif. VIII.*
(15) *Idem.* (16) *Idem.* (17) *Idem.*
(18) *Idem.* (19) *Idem.* (20) *Idem.*
(21) *Idem.* (22) *Idem.* (23) *Idem.*
(24) *Idem.* (25) *Idem.*
(26) *Idem.*
(27) *Idem.* (28) *Idem.*
(29) *Idem.* (30) *Idem.*

beneficium prius reservatum, vel alteri collatum per Papam, si ex quo scivit, illud sine difficultate dimittit, recuperat priora beneficia, propter illud dimissa, alias non.

Cap. XXI. *Non potest*. (1) Taciturnitas beneficii etiam modici vitiat dispensationem super pluralitate beneficiorum, quæ etiam legitime super duobus obtenta ad duo prima recepta refertur. Item provisio alicui facta de beneficio, non obstante quod aliud habeat, dispensationem super utroque retinendo non inducit.

☞ *Quoad retentionem plurium beneficiorum concordat Trident. sess. 7. c. 4. & sess. 24. c. 17. de reform.*

Cap. XXII. *Si Apostolica*. (2) Mandatum Legati super facienda provisione per Papam confirmatum, papalis gratia est censenda.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. LXXX.*

Cap. XXIII. *Si motu*. (3) Obstat taciturnitas obtenti beneficii, licet modici, nisi constet provisionem factam motu proprio Papæ: qui intelligitur, si hoc in littera exprimatur.

Cap. XXIV. *Si pluribus*. (4) Collatio facta motu proprio Papæ, pluribus beneficiis in eadem Ecclesia vacantibus simul, intelligitur facta de pinguiori: sed si beneficia sunt æqualia, ad eum spectat electio, cui gratia est concessa. Collatio vero facta ad petitionem alterius, ad minus beneficium restringitur: si sint æqualia, eligit, qui alias conferebat, quo negligente, alius eligit; & etiam e contra.

Cap. XXV. *Cum in Ecclesia*. (5) Non debetur expectanti præbenda, quæ per Episcopi præbendarii mortem vacat.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. LXXXI.*

Cap. XXVI. *Si tibi*. (6) Per adeptionem secundi beneficii curati, cujus fructus alter ex causa percipit, non vacat primum.

Cap. XXVII. *Cui*. (7) Cum mandatur alicui non sacerdotalis, vel integra, vel certi valoris conferri præbenda, sacerdotalis dimidia, vel minoris valoris illi etiam conferri non poterit.

☞ *Circa mandata de providendo nota ut supra c. 25.*

Cap. XXVIII. *Licet*. (8) Secundo beneficio curato effectualiter adepto, primum consimile (ejus possessore irrequisito) conferri potest; non autem ejus possessio dari.

Cap. XXIX. *Ei, cui*. (9) Sacerdotalis præbenda per simplex mandatum de providendo, non nisi apto ad Sacerdotium est conferenda.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. LXXXII.*

Cap. XXX. *Si pauper*. (10) Ex mandato Sedis Apostolicæ expectans a certa causa, ea deficiente, beneficium petere impeditur.

☞ *Vide notata supra cap. proximo.*

Cap. XXXI. *Si a Sede*. (11) Ubi de prioritate beneficii pluribus collati non constat, primo possessio, deinde major prærogativa præfertur.

Cap. XXXII. *Cum singula*. (12) Religiosus habens prioratum, vel Ecclesiam curatam, si recipit secundum sine licentia Papæ, ipso jure vacat primum. Quod si statim non dimiserit, efficitur ineligibilis, & privatur utroque. Eadem est pœna in iis, qui habebant ante hanc constitutionem, nisi intra mensem alterum elegerint; & alterum dimiserint.

☞ *Quoad pluralitatem beneficiorum nota ut in cap. 21. supra. Imo ex decreto Congr. super disciplina Regulari approbato a Clem. XI. 28. Maji 1715. nequit quicumque Regularis esse Prior, seu Superior sui conventus, & simul parochus, si cura animarum eidem conventui incumbat.*

Prioratus Ecclesiæ, vel administrationes unius Monasterii solitæ per ipsius monachos gubernari, absque Sedis Apostolicæ licentia alterius Monasterii monachis non committantur, nec commissa dimittantur. Qui contra fecerint, sint privati dicta potestate ordinandi ea vice: & defertur ad Diœcesanum in non exemptis, & ad Papam in exemptis: recipientes, vel detinentes, (*alias eligentes*) sunt ineligibiles ipso jure.

Cap. XXXIII. *Cum in Ecclesiis*. (13) Contemptum possunt prosequi, si ad receptionem, vel collationem absentes Monachi, vel Canonici non vocentur, nisi consuetudo sit eos non vocari.

Cap. XXXIV. *Præsenti*. (14) Beneficia morientium etiam in loco vicino Curiæ Romanæ per duas dietas legales, vel Sede ipsa vacante, ibi causam, domicilium, vel originem non habentium, vel etiam habentium, sed Curialium, & ibi causa Romanæ Curiæ morantium, vel translata Curia eam sequentium, & in itinere decedentium, vel in loco unde recessit Curia, in quo remanserant infirmi, conferri nequeunt per alium, quam per Papam.

☞ *Vide declarationem in cap.* Quia Regulares *de supplend. neglig. Prælat. in Clement.*

Cap. XXXV. *Si Apostolica*. (15) Mors Papæ tollit, ne paræciales Ecclesiæ in Curia vacare dicantur.

Cap. XXXVI. *Si cui*. (16) Gratia alicui concessa, ut providere possit personis idoneis in certa Ecclesia, personis non expressis, non expirat, re integra, obitu concedentis; secus si personæ essent expressæ.

☞ *Vide notata supra cap. 19.*

Cap. XXXVII. *Si Episcopus*. (17) Qui ex licentia circa incertos concessa absque titulo ad sacros Ordines Clericos promovet, eis tenetur providere. Dans licentiam promovent, vel etiam promovendis, eis promotis ad Sacros sine titulo providere tenebitur.

☞ *Vide innovationem Elencho IV n. XVIII.*

Cap. XXXVIII. *Quamvis*. (18) Si primo loco Papa dat licentiam conferendi beneficia certo modo vacantia, vel ad Papam devoluta, secundo aliquod de his conferat specialiter, vel conferri mandet: species generi derogat: ita quod secundo beneficium debetur.

Cap. XXXIX. *Si is*. (19) Revocatio gratiæ non tollit jus quæsitum, sed quærendum; nisi jus annexionis aliud inducat; nec tamen tollit jus quærendum annexum juri digniori jam quæsito.

Cap. XL. *Quodam*. (20) Obest revocatio gratiæ præbendam expectanti, & decreti interpositio etiam ignoranti.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. LXXXIII.*

Cap. XLI. *Mandatum*. (21) Mandatum de providendo beneficio ad collationem capituli pertinente non tangit jus singularis Canonici.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. LXXXIV.*

IN CLEMENTINIS *Lib. III. sub eodem Titulo, & ibi tit. II. continente VI. Capitula.*

Cap. I. *Si dignitatem*. (22) Clausula inserta litteris gratiosis super dignitate concessis, per quam providere mandatur, ne animarum cura, si dignitati imminet, negligatur, vel per quam inhibetur electionem fieri dignitatis, non facit extendi gratiam ad dignitatem curatam, vel ad quam quis per electionem assumitur.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. LXXXV.*

Cap. II. *Per litteras*. (23) Litteræ super provisione Clericorum non includunt hospitalia, & loca similia, & habentia Jura spiritualia; nisi id exprimatur in iisdem litteris.

Cap. III. *Si plures*. (24) Quo casu vacat una dignitas, per receptionem alterius, vacant etiam plures.

☞ *Vide Trid. sess. 7. cap. 4. & sess. 24. c. 17. de ref.*

Cap. IV. *Si Romanus*. (25) Valet provisio facta proprio motu Papæ tacentis beneficia provisi, quæcumque sint, & quotcumque.

Cap. V. *Si de beneficio*. (26) Expectans beneficium spectans ad collationem Episcopi, devolutum ad illius Capitulum, obtinere non poterit: devolutum tamen ad Episcopum, vel etiam ad Papam ex cujuscumque negligentia poterit obtinere.

☞ *Vide Elench. II. n. IV.*

Cap. VI. *Si juxta*. (27) Adeptus in Ecclesia dignitatem habentem præbendam annexam, perdit primam præbendam, quam habebat in illa.

IN EXTRAVAGANTIBUS JOANNIS XXII. *sub eodem Titulo, & ibi tit. III.*

Cap. unic. *Execrabilis*. (28) Tempore hujus cap. obtinentes plures dignitates, personatus, vel beneficia curam animarum habentia ex dispensatione virtute illius non poterunt retinere, nisi unum, & reliqua tenebuntur resignare verbaliter, & realiter coram Ordinario, sub testimonio publico intra mensem a tempore notitiæ hujus cap. nisi fuissent Cardinales, aut Regum filii. Illi autem qui plura talia sine dispensatione obtinebant, poterunt ultimum retinere, reliquis forma præscripta, & sub eodem tempore resignatis. Qui vero deinceps tale habuerit beneficium, si cum illo secundum simile receperit, quam primum illius possessionem habuerit, vel per eum steterit quo minus habeat primum, quo est

(1) *Idem.* (2) *Idem.*
(3) *Bonif. VIII.* (4) *Idem.*
(5) *Idem.* (6) *Idem.*
(7) *Idem.* (8) *Idem.*
(9) *Idem.* (10) *Idem.*
(11) *Idem.* (12) *Idem.*
(13) *Bonif. VIII.*
(14) *Idem.*

(15) *Idem.* (16) *Idem.*
(17) *Idem.* (18) *Idem.*
(19) *Idem.* (20) *Idem.*
(21) *Idem.*
(22) *Clem. V. in Conc. Vien.*
(23) *Idem.* (24) *Idem.*
(25) *Idem.* (26) *Idem.*
(27) *Idem.*
(28) *Joan. XXII. Aven.*

est ipso jure privatus, modo prædicto resignare tenetur: alias utrumque perdit, & inhabilis fit ad sacros Ordines suscipiendos, & ad quodcumque beneficium habendum. Tandem explicatur qui dicantur Ordinarii quoad præmissa, & quæ sint beneficia curata.

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS. *Lib. III. sub eodem Titulo, & ibi tit. II. continente XIV. Capitula.*

Cap. I. *Pii.* (1) Beneficiorum in Curia vacantium collationem Papa sibi reservat.

Cap. II. *Ex superne.* (2) Provisiones sub titulo Commendæ factas de Ecclesiis Patriarchalibus, Archiepiscopalibus, Episcopalibus, & monasteriis ad petitionem Regum, vel quorumcumque Magnatum revocat.

Cap. III. *Etsi.* (3) Beneficia majora, & minora vacantia, & vacatura, præsertim in Provincia Burdegalen. Clem. V. certis ex causis suæ dispositioni reservavit, cum appositione decreti.

Cap. IV. *Execrabilis.* (4) Statuit, quod omnes (exceptis Cardinalibus, ac Regum filiis) qui super pluralitate beneficiorum, quæ alias de jure non poterant obtineri, dispensationem obtinent, unum cum cura, aliud sine cura possint a tempore notitiæ eligere intra mensem, & alia cum effectu dimittere teneantur, alias omnibus sic dispensatis sint ipso jure privari. Et idem de beneficiis, in quibus jus est ad rem, dum vacabunt, de pluribus etiam talibus, injuste tamen, & sine dispensatione detentis, ordinat, quod ultimum obtineant, & omnia alia dimittant intra mensem; alioquin omnibus sint privati. Item vult, quod qui amodo talia receperint, dimissionem de primo faciant coram Ordinario cum effectu; alioquin sint omnibus ipso jure privati. Quæ omnia sic vacantia dispositioni Apostolicæ Sedis reservat; interpretans Ordinarios in hoc casu solos Diœcesanos beneficiorum sic dimissorum. Item hoc vult de solis beneficiis intelligi, in quibus quisque per se, vel Vicarium suum temporalem curam animarum, vel spiritualem jurisdictionem exercet de consuetudine, vel de jure.

☞ *Vide Trid. sess. 7. c. 2. & sess. 24. c. 17. de ref.*

Cap. V. *Salvator.* (5) Episcopatus Tholosanus erigitur in Metropolim cum deputatione suffraganearum Ecclesiarum.

Cap. VI. *Nuper.* (6) Infligit pœnas in impedientes Episcopatus Tholosani erectionem.

Cap. VII. *Nuper.* (7) Exequutores quatuor dantur ad pœnas in præced. cap. relatas solemniter publicandas.

Cap. VIII. *Nuper.* (8) Dispensat cum quodam Abbate, ut Episcopus possit esse; licet defectum patiatur in Ordinibus, & ætate.

Cap. IX. *Ad cujuslibet.* (9) Hortatur quemdam, ut curam pastoralem administret in Ecclesia de novo in Cathedralem erecta.

Cap. X. *Postulasti.* (10) Declaratur an collector fructuum primi anni omnium beneficiorum ecclesiasticorum vacantium, & vacaturorum usque ad certum tempus, deputatorum pro Cameræ Apostol. oneribus facilius supportandis possit cum obtinentibus beneficia convenire: & an altaria dotata cadant sub tali reservatione &c.

Cap. XI. *Cum nonnulla.* (11) Cum Papa pro Ecclesiæ Romanæ necessitatibus fructus beneficiorum vacantium usque ad certum tempus reservasset, solvit plurimas ambiguitates inde ortas.

Cap. XII. *Cum nonnulla.* (12) Fructus amborum beneficiorum, quibus quandoque beneficiatus privatur, Cameræ Apostol. deputantur.

Cap. XIII. *Ad regimen.* (13) Dispositioni Apostol. reservantur beneficia Curialium, & aliorum ad curiam accedentium, vel ab ea recedentium, si moriantur in locis ultra duas dietas legales ab ipsa Curia non distantibus.

☞ *Vide regulam 2. & 3. Cancell. de Reservat.*

Cap. XIV. *Ad Romani.* (14) Beneficia quæcumque dispositioni Apostol. reservata, per talem reservationem sunt affecta, ita ut illorum collatio facta ab alio, quam a Romano Pontifice non tenet.

DE CLERICO ÆGROTANTE, VEL DEBILITATO.

TITULUS VI. *continens VI. Capitula.*

Cap. I. *Cum percussio.* (15) Clericus infirmus integre percipit fructus beneficii sui.

Cap. II. *Presbyterum.* (16) Presbyter cui medietas palmæ cum duobus digitis est abscissa, missam non celebret, sed ceteris sacerdotalibus fungi potest.

Cap. III. *De Rectoribus.* (17) Si rector Ecclesiæ sit leprosus, dandus est ei coadjutor.

☞ *Vide ampliationem Elencho III. n. XXV.*

Cap. IV. *Tua.* (18) Si Rector Ecclesiæ fit leprosus, ab administrationis officio removetur, sed de bonis Ecclesiæ sustentatur.

Cap. V. *Ex parte.* (19) Episcopo, qui propter morbum incurabilem officium exercere non potest, dandus est coadjutor.

Cap. VI. *Consultationibus.* (20) Archidiacono morbo paralytico laboranti, qui officium linguæ amisit, coadjutor est merito adhibendus.

IN SEXTO. *Lib. II. sub eodem Titulo, & ibi tit. VI.*

Cap. unic. *Pastoralis.* (21) Datio coadjutorum Episcopis, & his superioribus spectat ad solum Papam: potest tamen Episcopus senio, vel infirmitate perpetua impeditus de consensu capituli, vel majoris partis sibi auctoritate Apostol. unum, vel duos coadjutores assumere: etsi demens fuerit, capitulum, aut duæ partes ipsius hoc facient: sed si Episcopus contradicit, tunc nil innovabit capitulum, sed Episcopi, & Ecclesiæ conditionem, quam cito poterit intimabit Papæ. Coadjutores sumptus moderatos habebunt de proventibus dd. Prælatorum.

DE INSTITUTIONIBUS.

TITULUS VII. *continens VII. Capitula.*

Cap. I. *Non amplius.* (22) Non amplius suscipiantur in monasterio monachorum, aut clericorum, seu etiam puellarum quam quot se regere de bonis Ecclesiæ absque penuria possint.

☞ *Vide ampliationem Elench. III. n. XXXVI.*

Cap. II. *In Ecclesia.* (23) Laici in Canonicos non possunt institui.

Cap. III. *Ex frequentibus.* (24) Institutio beneficiorum spectat ad Episcopos, vel eorum officiales.

Cap. IV. *Auctoritate.* (25) Ultra facultates non debet quis institui, invitis Clericis Ecclesiæ.

Cap. V. *Ad decorem.* (26) Cum in Ecclesiis oportet extraneos institui, non debent institui Clerici certæ originis tantum; sed undecumque sint; dum tamen sint idonei.

Cap. VI. *Cum venissent.* (27) Institutiones, & custodiæ possunt de jure speciali ad non Episcopum pertinere; & pendente lite cum Diœcesano defenditur in possessione. *Vel sic.* Si possidet jus instituendi is, ad quem de jure communi non spectat, pendente judicio proprietatis in possessione defenditur.

Cap. VII. *Cum ad nostram.* (28) Is, ad quem spectat collatio dignitatum, se ipsum instituere non potest.

IN SEXTO. *Lib. III. sub eodem Titulo & ibi tit. VI. continente II. Capitula.*

Cap. I. *Etsi.* (29) Capitulum, sede vacante licet beneficia ad Episcopi collationem spectantia conferre non possit, tamen ad illa præsentatos instituere potest.

Cap. II. *Si is.* (30) Non repellit præsentatum defectus sacrorum Ordinum, dummodo sit idoneus, & tempore a jure statuto ad Ordines promoveri possit.

DE CONCESSIONE PRÆBENDÆ.

TITULUS VIII. *continens XVI. Capitula.*

Cap. I. *Qui.* (31) Institutus scienter in beneficium viventis deponendus est.

Cap. II.

(1) *Bonif. VIII.*
(2) *Clem. V.* (3) *Idem.*
(4) *Joann. XXII.*
(5) *Idem.* (6) *Idem.*
(7) *Idem Barthol. elect. Narbon. Diæc. &c.*
(8) *Idem Arnol. Elec. Lumbanen.*
(9) *Idem Bertran. Ep. Mont. Albani.*
(10) *Idem Hugoni de Mirabello Canon. Ebredun. Collect.*
(11) *Idem.*
(12) *Idem.*
(13) *Benedict. XII. Aven.*
(14) *Paul. Fr. Venet.*
(15) *Greg. Candido Episc. Urb. Veter.*
(16) *Eugen. III. Sassien. Episc.*
(17) *Luc. III.* (18) *Clem. III. Lincon. Episc.* juxta Cujac.
(19) *Innoc. III. Arel. Episc.*
(20) *Honor. III. Episc. Avers.*
[21] *Bonif. VIII.* (22) *Ex Conc. Arelat. sub Leon. III.*
(23) *Eugen. II.* juxta Gonzal.
(24) *Alex. III. Cant. Archiep. & Suffrag.*
(25) *Clem. III. Clero Constantinop.*
(26) *Innoc. III. Petro Tit. S. Marcel. & Bened. Tit. S. Susan. Presb. Card. Ap. Sed. Leg.*
(27) *Idem Helien. Ep. & Archid. Novantomiæ, & Mag. H. de Gerst.* (28) *Idem Ep. Trec. & Archid. Deronen.*
(29) *Bonif. VIII.* (30) *Idem.* (31) *Gelas. I. ad Episc. Dardan.*

Cap. II. *Nulla*. (1) Beneficia non vacantia concedi, vel promitti non debent: & cum vacaverint, concedi debent intra sex menses: quibus elapsis de Episcopo ad capitulum, & e contra: demum ad proximum superiorem devolvitur collatio.

☞ *Concordat Trid. sess. 24. cap. 19. de reform. sed ex cit. cap. mandata de providendo, & gratiæ expectativæ nemini amplius concedendæ sunt, neque S. R. E. Cardinalibus. In hoc tamen decreto non comprehenditur Imperator ex declaratione Greg. XIII. relata a Fagn. hoc eodem cap. num. 9. & vide notata ad cap.* Nemo 15. *de Elect. in 6. Circa impetrantes beneficia viventium consule Reg. 21. Cancellariæ.*

Cap. III. *Relatum*. (2) Beneficia vacantia conferuntur, non obstante appellatione illorum, quibus promissa fuerant ante quam vacarent.

Cap. IV. *Proposuit*. (3) Si scribitur ei, ad quem spectat collatio, dato exequutore ad providendum per præsentationem litterarum collatori factam afficitur præbenda; ita quod collatio alteri facta non tenet.

☞ *Vide Elench. II. n. IV.*

Cap. V. *Quia*. (4) Semestre ad eligendum seu conferendum a jure præfixum, non currit legitime impedito; nec incipit currere nisi a die notitiæ vacationis.

Cap. VI. *Cum nostris*. (5) Non valent litteræ ad beneficium impetratæ, quæ de alterius colorata facti possessione non faciunt mentionem.

Cap. VII. *Post electionem*. (6) Ubi constat beneficium collatum per habentem potestatem per exceptionem abjurationis, & renunciationis, non debet possessio retardari.

Cap. VIII. *Cum super*. (7) Recepto in Canonicum tenetur Capitulum providere, quam cito facultas se obtulerit.

Cap. IX. *Litteras*. (8) Si habens præbendam in eadem Ecclesia recipit dignitatem cum præbenda, vel aliam præbendam, vacat prima; & quamvis a superiore sibi confirmetur, tamen valet impetratio per alium facta de ipsa, etiam tacito de possessione alterius, quæ colorata non est.

☞ *Vide ampliationem Elencho III. n. XXVII.*

Cap. X. *Ex parte*. (9) In Ecclesiis non numeratis vacatio præbendarum, seu canonicatuum possibilis non est: nec fit ibi devolutio ad superiorem ex negligentia semestri in non providendo Ecclesiæ de ministris.

Cap. XI. *Constitutus*. (10) Habens potestatem conferendi, potest de jure alteri tradere potestatem conferendi primum beneficium, quod vacabit.

Cap. XII. *Dilectus*. (11) Canon Later. Concilii de beneficiis ultra sex menses vacantibus ad Archiepiscopatus, & Episcopatus non extenditur.

Cap. XIII. *Ex tenore*. (12) Non valet promissio beneficii vacaturi.

☞ *Vide Trid. sess. 24. c. 19. de ref.*

Cap. XIV. *Accedens*. (13) Obligatur Prælatus, qui promittit providere, cum poterit.

☞ *Vide correctionem Elencho I. n. XXXI. & Elencho II. num. LXXXVI.*

Cap. XV. *Postulastis*. (14) Si ad Capitulum, & Prælatum, ut Prælatum potestas conferendi pertinet, de uno ad alterum lapsu temporis non transit: secus si Prælatus interfit, ut Canonicus; quia tunc de Capitulo transit ad Prælatum; nisi dolum committat.

Cap. XVI. *Cum dilecto*. (15) Sicut non potest Patronus promittere se præsentaturum aliquem ad beneficium vacaturum, ita nec dare potestatem præsentandi antequam beneficium vacet.

IN SEXTO. *Lib. III. sub eodem Titulo, & ibi tit. VII. continente VIII. Capitula.*

Cap. I. *Quia nonnus*. (16) Si mandetur alicui provideri de dignitate vacatura, quam duxerit acceptandam, & vacat dignitas, quam ante acceptationem Ordinarius confert, tenet ipsius collatio; etiam si exequutor impetrantis ante acceptationem fecerit reservationem, inhibitionem, & processus super prima vacante.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. LXXXVII.*

(1) *Ex Conc. Lat. sub Alex. III.*
(2) *Alex. III. Episc. Eborac.*
(3) *Innoc. III. Præp. N. Decan. & Capit. Camerac.*
(4) *Idem Petro Tit. S. Mariæ in Via Lata Diac. Card. Ap. Sed. Leg.*
(5) *Idem Basilien. & Bellic. Episc. & Ab. S. Mariæ.*
(6) *Idem Magistr. Honor. Archid. Richemudiæ.*
(7) *Idem Clarom. Canon. Terdon.*
(8) *Idem Ep. & Mag. H. Canon. Hildesemen.*
(9) *Idem Ep. & Archid. Papien.*
(10) *Idem Ep. & Capit. Laudun.*
(11) *Idem Gerun. Capit.*
(12) *Idem Prior. Ossen. & Subp. S. Fredeg.*
(13) *Idem Ab. & Convent. Monast. S. Mich. de Caranto.*
(14) *Idem P. Subd. Præp. & Capit. Ebrodun.*
(15) *Honor. III. Episc. Præposito & Cantor. Camerat.*
(16) *In IV. And. Capel. Papæ.*

Cap. II. *Detestanda*. (17) Omnis promissio, per quam datur via ad beneficia vacatura, est reprobata.

☞ *Vide Tridentin. sess. 24. cap. 14. & 19. de reformatione.*

Cap. III. *Ne captandæ*. (18) Habens litteras Apostolicæ Sedis super primo beneficio, dignitate, vel præbenda, quod duxerit acceptandum, certum acceptare non potest: sed primum, quod vacabit, vel ex causa secundum, vel ulterius poterit acceptare. Reservationes, processus, decreta contra hoc facta non valent.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. LXXXVIII.*

Cap. IV. *Exequutor*. (19) Sine speciali mandato non inhibet exequutor generaliter collationem beneficiorum Provinciæ: specialiter vero reservat primum, & inhibet ulteriorem non sine mandato: nec tunc tenet collatio contra facta.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. LXXXIX.*

Cap. V. *Si Capitulo*. (20) Si mandetur Capitulo, ut me recipiant in Canonicum, & præbendam conferant, cum id pertineret ad eos, dato exequutore ad providendum, per solam præsentationem factam, Capitulo affecta est præbenda: & exequutor (negligente Capitulo intra terminum per eum statutum me recipere, & præbendam conferre) non vocato Capitulo id exequi poterit.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. XC.*

Cap. VI. *Si soli*. (21) Si soli Ordinario, vel soli exequutori ad compellendum, vel Ordinario, & tali exequutori sit scriptum, per præsentationem talis mandati non afficitur præbenda, nisi in litteris esset decretum, aut exequutor ille insinuasset, & interdixisset; maxime cum decreto, vel ratione mandati jam esset facta receptio ad canonicatum; in his casibus, vel ipsorum altero, affecta est præbenda; ita quod collatio alteri facta non tenet.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. XCI.*

Cap. VIII. *Auctoritate*. (22) Si tres expectantes sunt in una Ecclesia, unus auctoritate Martini, alter auctoritate Bonifacii, tertius ejusdem auctoritate cum prærogativa, ut præferatur omnibus receptis non auctoritate Bonifacii; præbendas hi consequentur hoc ordine; quia primam habebit secundus, secundam tertius, tertiam primus, quod probatur argumento legali.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. XCII.*

Cap. VIII. *Quoniam*. (23) Revocatoria gratiarum includit receptos in Canonicos præbendam distinctam expectantes; etiamsi percipiebant distributiones quotidianas: secus si præbendam distinctam non expectant, sed augmentum portionis. Includit habentes jus ad vacaturam; si nondum est deventum ad collationem.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. XCIII.*

IN CLEMENTINIS. *Lib. III. sub eodem Titulo, & ibi tit. III.*

Cap. unic. *Cum ei*. (24) Decretum conditionale ante conditionis eventum non afficit potestatem Ordinarii, vel alterius collatoris: secus quando acceptationi beneficii tempus adjicitur cum decreto. Et qui beneficium vacans ab exequutore petit, vel recepit, illud intelligitur acceptasse; quæ vacatio nota dicitur expectanti, ex quo in loco beneficii publice scitur.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. XCIV.*

IN EXTRAVAGANTIBUS JOAN. XXII. *Lib. III. sub eodem Titulo & ibi tit. IV. continente II. Capitula.*

Cap. I. *Sedes*. (25) Exequutores gratiarum, & Judices causarum a Sede Apostolica deputati in Diœcesibus jam divisis, procedere possunt, sicut ante divisionem poterant.

Cap. II. *Ad Apostolatus*. (26) In beneficiis divisis habet quis eadem jura, quæ habebat in integris.

☞ *Hoc cap. declarat præced. & concordat cap.* Quia Monasterium *de Relig. dom.*

NE SEDE VACANTE ALIQUID INNOVETUR.

TITULUS IX. *continens III. Capitula.*

Cap. I. *Novit*. (27) Vacante Sede, status ejus mutari non debet.

Cap. II. *Illa*. (28) Beneficia spectantia ad collationem Prælati non possunt conferri per Capitulum, Sede vacante.

☞ Ex

(17) *Bonif. VIII.* (18) *Idem.*
(19) *Idem.* (20) *Idem.*
(21) *Idem.* (22) *Idem.*
(23) *Idem.*
(24) *Clem. V. in Conc. Vien.*
(25) *Joann. XXII.*
(26) *Idem.* (27) *In III. Prior. & Convent. Glastonien. in Angl.*
(28) *Honor. III. Episcop. Calven. & V. & J. Canonic. Suessæ hodis Sessæ.*

☞ *Ex constit. S. Pii V.* Sanctissimus : *reservata sunt Episcopo successori.*

Cap. III. *Constitutis*. (1) Sede vacante judicium habitum contra Ecclesiam non tenet.

IN SEXTO. *Lib. III. sub eodem Titulo & ibi tit. VIII.*

Cap. unic. *Si ad Episcopum*. (2) Collatione communiter ad Episcopum, & Capitulum pertinente, uno ipsorum effecto inhabili, alter confert.

Collatione spectante ad Episcopum de consilio, vel assensu Capituli; illo existente inhabili, nisi sit in mora, non confert Capitulum.

Habens conferre cum consilio Episcopi, sine illo confert, si illius mors supervenerit, vel in remotis degat.

IN EXTRAVAGANTIBUS JOAN. XXII. *Lib. III. sub eodem Titulo & ibi tit. V.*

Cap. unic. *Si fratrum*. (3) Vacante Sede Imperiali, cum jurisdictio ad Papam devolvatur, sub pœna excommunicationis prohibetur, ut nemo nomen Vicarii, Imperatoris, vel alterius cujuscumque officii retineat, assumat, vel resumat, nullusque ei obediat, vel auxilium præbeat, ac sub eadem pœna excommunicationis in personas, & interdicti in terras; nisi intra duos menses resipuerint.

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS. *Lib. III. sub eodem Titulo, & ibi tit. III.*

Cap. unic. *Suscepti*. (4) Ut occurratur dispendiis, quæ quotidie imminent ministris Ecclesiarum propter occupationes vacantium earumdem Ecclesiarum primi anni, quæ competunt ex diversis titulis aliquibus Ecclesiis, seu personis: statuit ut, quando talis occupatio imminebit in beneficiis, quæ consueverunt in decimæ solutione taxari, collectores ipsorum annalium sint contenti summa, pro qua consuevit dari decima, si ipsam eligendam duxerint, totali residuo penes eum, cui collatum est beneficium, remanente; vel dimissa eidem summa prædicta, possint dictum residuum sibi assumere; dum tamen alterum intra decem dies dicti eligant collectores: alias post decem dies ipsorum optio in beneficiatum transeat ipso jure. In non taxatis autem fructus decimales illius anni dividantur per medium, & utrique eorum medietas tribuatur: ita quod, si alter dimidia noluerit contentari, ipsa in volentem transeat ipso jure, etsi quicquam aliquis contra dictam ordinationem receperit, pœnas hic contentas incurrat.

☞ *Vide notata cap.* Suscepti 2. *de elect. in Extravag. Joann. XXII.*

DE HIS, QUÆ FIUNT A PRÆLATO SINE CONSENSU CAPITULI.

TITULUS X. *continens X. Capitula.*

Cap. I. *Irrita*. (5) Non tenet alienatio rei Ecclesiasticæ absque approbatione Capituli.

☞ *Consule Extravag.* Ambitiosæ *de reb. Eccl. non alien.*

Cap. II. *Continebatur*. (6) In temporali alienatione, quam facit Prælatus, taciturnitas Capituli habetur pro consensu.

Cap. III. *Cum nos*. (7) Alienatio temporalis facta sine consensu Capituli, per ratificationem ejus roboratur.

Cap. IV. *Novit*. (8) Prælatus sine consilio Capituli instituere, vel destituere, vel alia negotia Ecclesiæ tractare non debet.

Cap. V. *Quanto*. (9) *Sumatur ut supra.*

Cap. VI. *Ex noscitur*. (10) Si Ecclesia collegiata habet præsentationem, præsentabit Prælatus de consensu Capituli, vel majoris partis; nisi de consuetudine, vel privilegio competat soli Prælato.

Cap. VII. *Cum Apostolica*. (11) Tenet donatio, quam de solius Diœcesani consensu facit laicus Ecclesiæ de decimis, quas ab alia Ecclesia habet in feudum ab antiquo; idest ante Lateranen. Conc.

☞ *Hodie attendenda est Constit. Urb. VIII.* Romanus 5. *Jun.* 1641. *circa præservationem Jurium Sed. Apost. & inferiorum Ecclesiarum, & personarum a quibuscumque præjudicialibus.*

Cap. VIII. *Tua*. (12) Non potest Episcopus sine consensu capituli concedere Ecclesias aliis Ecclesiis, etiam si habeat jus patronatus in Ecclesiis concessis.

Cap. IX. *Pastoralis*. (13) Episcopus paræciales Ecclesias, vel obventiones ipsarum de consensu Patroni sine consensu Capituli sui Monasterio conferre non potest.

Cap. X. *Et si*. (14) Ad Concilia provincialia vocari debent, & admitti cathedralium Ecclesiarum Capitula.

☞ *Vide Trid. sess. 24. cap. 2. de reform.*

DE HIS, QUÆ FIUNT A MAJORI PARTE CAPITULI.

TITULUS XI. *continens IV. Capitula.*

Cap. I. *Cum in cunctis*. (15) In universitatibus ecclesiasticis prævalet regulariter, quod fit a majori parte, nisi minor pars rationabiliter contradicat.

Cap. II. *Quæsivit*. (16) Canonicus non interdicit Ecclesiam: sed hoc facere debet Episcopus cum Capitulo.

Cap. III. *Ex ore*. (17) Communis ordinatio Ecclesiæ per contradictionem, & appellationem ejus, cujus non interest, impediri non debet.

Cap. IV. *Ex parte*. (18) Prælatus cum majori parte Capituli, contradicente minori, statuere potest, quod ad necessariam reparationem fabricæ quilibet Canonicus conferre teneatur.

UT ECCLESIASTICA BENEFICIA SINE DIMINUTIONE CONFERANTUR.

TITULUS XII.

Cap. unic. *Ut nostrum*. (19) Occulta collatio beneficii, licet sit suspecta, valet; dummodo alias legitime facta probetur.

DE REBUS ECCLESIÆ ALIENANDIS, VEL NON.

TITULUS XII. *continens XII. Capitula.*

Cap. I. *Non licet*. (20) Non potest Prælatus res unius Ecclesiæ alteri dare, nec invicem res illas commutare sine ambarum consensu.

Cap. II. *Qui res*. (21) Principes sæculares res Ecclesiæ donare non possunt; & qui ab eis recipiunt, excommunicantur; & perdunt omnia, quæ ab Ecclesia alias legitime obtinebant.

Cap. III. *Consensus*. (22) Rector Ecclesiæ, qui dat Ecclesiæ rem duplæ æstimationis, servos Ecclesiæ manumittere potest; ipse tamen manumissus, & ejus posteri erunt sub patrocinio Ecclesiæ.

Cap. IV. *Episcopi*. (23) Si Prælatus nil de suô dans Ecclesiæ, servum Ecclesiæ manumittit, non tenet manumissio.

Cap. V. *Nulli*. (24) Res Ecclesiæ alienari non debent.

Cap. VI. *Si quis*. (25) Alienatio de rebus Ecclesiæ facta non tenet; alienatores nisi rem restituant, excommunicantur, & quilibet Clericus potest contradicere, & rem cum fructibus repetere.

Cap. VII. *Ad aures*. (26) Terra non fertilis Ecclesiæ dari potest in emphyteusim ei, cujus studio reducatur ad culturam.

Cap. VIII. *Ut super*. (27) Jurans non alienare bona Ecclesiæ, non potest alienare ea, quæ sunt de mensa; vel ea, de quibus dubitatur, an sint de mensa.

Possessiones Ecclesiæ minus utiles pro utilioribus de consensu Capituli potest Episcopus permutare, vel alienare.

☞ *Consule cap.* Ambitiosæ. *de reb. Eccl. non alien. in Extr. com.*

Cap. IX. *Ad audientiam*. (28) Canonicus prædium Ecclesiæ perpetuo locare non potest.

Cap. X. *Possessiones*. (29) Possessiones, quæ sunt de mensa, non possunt alienari; & Ecclesiæ consuetæ regi per Regulares sæcularibus Clericis conferri non debent.

☞ *Quoad secundam partem vide Trid. sess. 24. cap. 10. de reform.*

Cap. XI.

(1) *Idem Maurinen. Ep. Burdig.*
(2) *Bonif. VIII.* (3) *Joann. XXII.*
(4) *Joann. XXII.*
(5) *In Synod.* apud Valent. sub Damaso celebr. an. 334. juxta Gonzal.
(6) *Alex. III. Neoric. Episc.*
(7) *Idem Vigor. Episc.*
(8) *Idem Hierosol. Patriar.*
(9) *Idem eidem.*
(10) *Cælest. III.* vel Clem. III. juxta Gonzal.
(11) *Innoc. III. Archiep. & Magist. Scholar. & P. de Vico Canon. S. Astregisi Bituric.* (12) *Idem Archid. Meten.* seu Exonen. juxta Gonzal.
(13) *Idem Episc. Helien.*
(14) *Honor. III. Archiep. Senon.*
(15) *Ex Conc. Lateran. sub Alex. III.*
(16) *Cæl. III. Gilb. Claromon. Ep.*
(17) *Innoc. III. Siffredo Augusten. Præp.*
(18) *Idem Theob. Archiep. & Capit. Rhotom.*
(19) *Innoc. III. Mediol. Archiep.*
(20) *Ex Concil. Lugdun. I.* celeb. an. 570. sub Joan. III. juxta Gonzal.
(21) *Ex eodem*, seu ex Conc. Avern. sub Theodober. Can. IV. juxta Gonzal.
(22) *Ex Conc. Tolet. IV. Can. 68.*
(23) *Ex eod. Can. 67.*
(24) *Ex Conc. apud Silvanectum.*
(25) *Symmac. Pap. in Syn. Rom.*
(26) *Alex. III. VVigor. Episc.*
(27) *Urb. III. Gerar. Archiep. Raven.*
(28) *Cælest. III. Exon. Episc.*
(29) *Innoc. III. Caro. Archiep. Mont. Regal.*

Cap. XI. *Ad nostram*. (1) Restituitur Ecclesia contra alienationem, per quam enormiter fuit læsa.

Cap. XII. *Cum laicis*. (2) Alienatio rei Ecclesiasticæ facta sine legitimo Ecclesiasticarum personarum assensu non tenet; licet approbetur per constitutionem laicorum.

IN SEXTO. *Lib. III. sub eodem Titulo, & ibi tit. IX. continente II. Capitula.*

Cap. I. *Dudum*. (3) Perpetua alienatio facta de rebus Ecclesiæ vacantis, non præcedente tractatu, & sine justa causa, non valet.

Cap. II. *Hoc consultissimo*. (4) 1. Prohibet submissionem Ecclesiarum suorum immobilium bonorum, vel jurium fieri laicis absque consensu Capituli, & licentia Papæ. 2. Cassat contractus quacumque firmitate vallatos, contra hoc de cætero faciendos. 3. Punit Prælatos contrafacientes, & Clericos non contradicentes, & laicos, qui ipsos Prælatos ad hoc compulerunt, vel compellent. 4. Præcipit laicos per tales contractus eo casu quo valent, ultra debitum non usurpare, & pœnam apponit.

☞ *Usurpantes jurisdictiones, fructus, & bona Ecclesiastica, & Clerici consentientes incurrunt excommunicationem Bullæ* Cœnæ *c. 17.*

IN CLEMENTINIS. *Lib. III. sub eodem Titulo, & ibi tit. IV. continente II. Capitula.*

Cap. I. *Monasteriorum*. (5) Religiosus, qui concedit alicui ad vitam, vel certum tempus jura, redditus, vel possessiones administrationis, cui præest, suspensus est ab officio: nisi concurrat necessitas, vel utilitas: nec valet concessio. Excipitur locatio ad modicum tempus (*idest ad triennium*) & venditio reddituum, aut fructuum pariter ad modicum tempus.

☞ *Vide Auctorem hoc eod. tit.*

Cap. II. *Si una*. (6) Episcopus unire potest Ecclesiam alteri, vel loco religioso donare, etiam non vocato Rectore, vel Defensore.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. XCV.*

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS. *Lib. III. sub eodem Titulo, & ibi tit. IV.*

Cap. unic. *Ambitiosæ*. (7) Bonorum Ecclesiasticorum alienatio non tenet, & alienantes, & recipientes sunt excommunicati; Prælatisque diversis diversæ pœnæ imponuntur.

☞ *A Trid. sess. 22. cap. 11. de ref. infligitur pœna excommunicationis Papæ reservatæ, quæ ex hac decretali non erat reservata.*

DE PRECARIIS.

TITULUS XIV. *continens III. Capitula.*

Cap. I. *Precariæ*. (8) Precariæ de quinquennio in quinquennium secundum auctoritatem, & antiquam consuetudinem renoventur.

Cap. II. *De precariis*. (9) Revocat successor precariam per prædecessorem irrationabiliter factam.

Cap. III. *Precarium*. (10) Concessio precarii extinguitur voluntate concedentis, aut ei succedentis: precariæ autem concessio non.

☞ *Vide discrimen in Auctore hoc eod. tit.*

DE COMMODATO.

TITULUS XV.

Cap. unic. *Cum gratia*. (11) Commodatarius gratia sui tenetur etiam de levissima culpa, non de casu, nisi acciderit culpa sua, vel intervenerit pactum, seu in mora fuerit. Et commodatum ante usum completum non revocatur.

DE DEPOSITO.

TITULUS XVI. *continens II. Capitula.*

Cap. I. *Gravis*. (12) Ex deposito facto apud Clericum Ecclesiæ, non tenetur Ecclesia, nisi in utilitatem illius sit versum.

Cap. II. *Bona*. (13) Dicit ad quid tenetur depositarius; & quomodo reputatur depositum.

DE EMPTIONE, ET VENDITIONE.

TITULUS XVII. *continens VII. Capitula.*

Cap. I. *Placuit*. (14) Cogit Episcopus, ne carius vendatur transeuntibus, quam in mercato venderetur.

Cap. II. *Ut mensuræ*. (15) Fraudans mensuras, & pondera triginta diebus in pane, & aqua pœnitere debet.

☞ *Hodie hæc pœna in desuetudinem abiit.*

Cap. III. *Cum dilecti*. (16) Tenet venditio, licet venditor sit deceptus ultra dimidiam justi pretii: potest tamen venditor agere, ut restituatur res, vel justum pretium suppleatur: & si alterum præcise petit, succumbit.

Cap. IV. *Pervenit*. (17) Si vir habeat alia bona, unde uxor possit sibi consulere, & consentiente uxore rem propter nuptias donatam uxori vendiderit; emptorem, qui spatio triginta annorum rem possederit, non potest uxor inquietare super ea; maxime si pretium fuit conversum in communem usum viri, & uxoris.

Cap. V. *Ad nostram*. (18) Si in venditione apponitur pactum de recuperanda re post certum tempus, modico constituto pretio, præsumitur, pignus, & non venditio.

Cap. VI. *Cum causa*. (19) Venditor deceptus ultra dimidiam justi pretii agere potest, ut res sibi reddenti pretium acceptum restituatur, vel justum pretium suppleatur; & in hoc electio est emptoris.

Cap. VII. *Si venditori*. (20) Ponit tres casus, in quibus, re evicta, non tenetur venditor emptori de evictione.

☞ *Idest 1. si emptor non denunciaverit venditori, ut rem sibi venditam defendat 2. si contumaciter se absentaverit tempore sententiæ, 3. si per injuriam Judicis sententia lata fuerit contra ipsum.*

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS. *Lib. III. sub eodem Titulo, & ibi tit. V. continente II. Capitula.*

Cap. I. *Regimini*. (21) Contractus emptionis, & venditionis annui census cum conditione revenditionis declaratur hic non esse usurarius.

Cap. II. *Regimini*. (22) Contractum quemdam emptionis, & venditionis præcedenti similem, declarat juri consonum, & ab usuris alienum.

DE LOCATO, ET CONDUCTO.

TITULUS XVIII. *continens IV. Capitula.*

Cap. I. *Ex rescripto*. (23) Excommunicati sunt magistri, & scholares Bononienses, qui ante tempus conductionis conducunt hospitia aliorum magistrorum; vel scholarium sine eorum consensu.

Cap. II. *Vestra*. (24) Personæ Ecclesiasticæ locare possunt proventus decimarum his, cum quibus conditio Ecclesiæ fit melior, statuto Diœcesani contrario non obstante; & eadem ratio est de aliis rebus Ecclesiæ.

Cap. III. *Propter*. (25) Propter sterilitatem gravem conductori sine culpa sua contingentem remittitur pensio pro rata, nisi possit cum ubertate præcedentis, vel sequentis temporis compensari.

Ponuntur hic quatuor casus, in quibus inquilinus potest ante tempus conductionis finitæ licite expelli.

☞ *Idest 1. si immineat necessitas, quæ non imminebat tempore locationis. 2. si domus indigeat reparatione 3. si inquilinus perverse ibidem moretur. 4. si per biennium pensionem non solverit.*

Cap. IV. *Potuit*. (26) Emphyteuta Ecclesiæ meliorationes suas vendere non potest; nisi servatis his, de quibus hic. Et si contra fecerit, vel canonem per biennium non solverit, nec moram postea celeriter purgaverit, juste potest expelli.

☞ *Ut emphyteuta vendere possit meliorationes, in textu præscribitur servandum. 1. ut dominus requisitus dixerit se eas emere nolle. 2. ut post hujusmodi requisitionem expectetur lapsus duorum mensium.*

DE RERUM PERMUTATIONE.

TITULUS XIX. *continens IX. Capitula.*

Cap. I. *Si princeps*. (27) Princeps potest rem Ecclesiæ immo-

(1) *Idem Ep. Maurien. Præp. Ultien. & Decan. Hectorien. Turonen. & Maurien. Diœc.*
(2) *Idem in Conc. gen. Lat.* (3) *Innoc. IV.*
(4) *Greg. X. in Conc. Lugdun.*
(5) *Clem. V. in Conc. Vien.*
(6) *Idem ibid.*
(7) *Paul. II. Venet.*
(8) *Ex Conc. apud Belvacen.*
(9) *Ex Concil. Carthag.* licet in nullo ex Concil. Carthag. textus hic legatur. (10) *Greg. IX.*
(11) *Idem.* (12) *Alex. III. Lugdun. Episc.*
(13) *Greg. IX.*
(14) *Ex Conc. Avern.* sub Vigilio Papa an. 541. juxta Gonzal.
(15) *Ex Conc. Magun.*
(16) *Alex. III. Attreb. Ep.*
(17) *Cælest. III.*
(18) *Idem Ep. Pennen.* juxta Cujac.
(19) *Idem Ep. & Archid. Urbevet.*
(20) *Greg. IX.* (21) *Mart. V. Fratrib. Treveren. & Lubicinen. ac Almicen. Ep.* (22) *Cælest. III. Ep. Magdeb. Nuremburg. & H. Alberstad. Eccles. Decan.*
(23) *Clem. III. Ep. Bonon.* juxta Gonzal.
(24) *Honor. III. Ab. & Conv. S. Petri de Pratel. Lexov. Diœc.*
(25) *Greg. IX.* (26) *Idem.*
(27) *Ex Conc. apud Silvanectum.*

immobilem per permutationem acquirere data re meliori, vel æquali de communi voluntate.

Cap. II. *Ut commutationes.* (1) Permutatio rerum ecclesiasticarum facta in casu non concesso, seu non servata solemnitate juris, est revocanda per successorem.

Cap. III. *Mancipia.* (2) Mancipia Ecclesiæ non debent permutari, nisi ad libertatem, vel nisi sint fugitiva.

Cap. IV. *Injustum.* (3) Servi Ecclesiæ (*sive urbani, sive rustici*) cum profanis permutari non possunt, nec alienari; nisi sint fugitivi.

☞ *Vide cap.* Nulli 5. *de reb. Eccl. non alien.*

Cap. V. *Quæsitum.* (4) Præbendæ pacto præcedente permutari non possunt: Episcopus tamen potest de loco ad locum permutare personas; si utilius alibi se valeant exercere.

Cap. VI. *Ad quæstiones.* (5) Ecclesiæ jura proprietatis possunt ad invicem permutari, & possessiones earum etiam permutari possunt, & pro minus valentibus pretium suppleri.

☞ *Consule cap.* Ambitiosæ *de reb. Eccl. non alien. in Extrav. com.*

Cap. VII. *Cum olim.* (6) Beneficia sua perdunt, qui ea propria permutant auctoritate.

Cap. VIII. *Cum universarum.* (7) Si permutatio beneficiorum completa est ex una parte, & per alteram stat, quo minus impleatur; restituitur pars ad suum beneficium, & secundum hoc continet jus.

☞ *Vide cap.* Ne concessione *infra in Clem.*

Cap. IX. *Exhibita.* (8) Spirituale cum temporali permutari non potest.

IN SEXTO. *Lib. III. sub eodem Titulo, & ibi tit. X.*

Cap. unic. *Licet.* (9) Non obstantibus expectationibus, beneficiorum permutatio fieri potest.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. XCVI.*

IN CLEMENTINIS. *Lib. III. sub eodem Titulo & ibi tit. V.*

Cap. unic. *Ne concessione.* (10) de beneficiis causa permutationis vacantibus facta aliis quam permutantibus non tenet.

☞ *Hoc cap. determinat capp.* Inter 17. *de Præb.* & Cum universorum 8. *supra hoc eod. tit. vide circa permutationem beneficiorum cap.* Admonet 4. *de Renunc.*

TITULUS XX. *continens II. Capitula.*

Cap. I. *Insinuatione.* (11) Si dominus a vassallo recipit feudum in pignus, abstinendo ab ejus servitio, non debet computare fructus in sortem.

Cap. II. *Ex parte.* (12) potest Episcopus non obstante juramento de non infeudando & inconsulto Papa antiquum feudum ad Ecclesiam reversum novo vasallo concedere. Item filio, vel consanguineo illud alienantis; nec non ei, qui idem feudum jam deperditum recuperet, si facile ab Ecclesia recuperari nequeat.

☞ *Circa prohibitionem de infeudandis civitatibus, & locis S. R. E. vide Constit. S. Pii V.* Admonet: *Gregor. XIII.* Inter cætera, *Sixti V.* Quanta *Innoc. IX.* Quæ ab hac, *& Clem. VIII.* Romani.

DE PIGNORIBUS, ET ALIIS CAUTIONIBUS.

TITULUS XXI. *continens VIII. Capitula.*

Cap. I. *Nullus.* (13) Res Ecclesiæ pignorari non debent, nisi ex necessitate, & rationabili causa.

☞ *Consule cap.* Ambitiosæ *de reb. Eccl. non alien. in Extr. com.*

Cap. II. *Lator.* (14) Liber homo non potest pignorari.

Cap. III. *Ex præsentium.* (15) Si Rector Ecclesiæ pro facto proprio rem Ecclesiæ obligavit, cogitur ejus hæres rem redimere, & Ecclesiæ restituere.

Cap. IV. *Illo.* (16) Si usurarius emit rem eo pacto, quod post tempus restituat eam venditori, recipiendo aliquid ultra sortem, fructibus tamen in ea computatis judicatur contractus fæneratitius.

Cap. V. *Ex litteris.* (17) Mulier agit pro dote contra quemlibet detinentem bona mariti.

Cap. VI. *Cum contra.* (18) Si creditor, vel is, qui ab eo causam habet, tot fructus percepit ex pignore, quod satisfactum est sorti, debet pignus restitui debitori.

Cap. VII. *Significante.* (19) Si is, qui sub pacto legis commissoriæ pignoravit rem suam, & juravit non contravenire, juste impeditus intra diem statutum non redemit, post diem redimere poterit.

Cap. VIII. *Cum constet.* (20) Usufructuarius cavet, quod fruetur rebus immobilibus, salva ipsarum substantia, & pecuniam, & æstimationem mobilium, quæ consumuntur usu, finito usufructu restituet.

DE FIDEJUSSORIBUS.

TITULUS XXII. *continens V. Capitula.*

Cap. I. *Clericus.* (21) Clericus fidejussionibus inserviens, deponatur.

☞ *Hæc prohibitio locum habet, si frequenter, ac negotiationis causa fidejubeat: fidejussio tamen tenet, ut ex cap. seq.*

Cap. II. *Pervenit.* (22) Compellitur Clericus servare fidejussorem indemnem per assignationem redditunm suorum.

Cap. III. *Constitutus.* (23) Per distinctionem canonicam compellitur debitor a fidejussione absolvere fidejussorem, qui a creditoribus molestatur.

Cap. IV. *Quod quibusdam.* (24) Si sine licentia Prælati, & majoris partis capituli religiosus fidejusserit, vel mutuum acceperit, non tenetur Ecclesia; & ipse recipiens puniatur, nisi metuum sit versum in utilitatem Ecclesiæ.

Cap. V. *Cum pro.* (25) Fidejussor agit contra debitorem, antequam solvat, ut a fidejussione liberetur. 1. si debitor diu in debiti solutione cessavit. 2. si cœpit dissipare bona sua. 3. si fidejussor super hoc condemnatus fuerit.

DE SOLUTIONIBUS.

TITULUS XXIII. *continens IV. Capitula.*

Cap. I. *Ad hoc.* (26) Successor in beneficio tenetur solvere debita prædecessoris pro necessitate Ecclesiæ contracta.

Cap. II. *Si quorumdam.* (27) Si Prælatus obligat Ecclesiam pro alienis debitis est suspensus ipso facto ab administratione spiritualium, & temporalium; & Ecclesia non tenetur.

☞ *Hæc suspensio non est ab officio Ordinis, sed jurisdictionis, & beneficii: neque est reservata, neque comprehendit Episcopum cap.* Quia periculosum *de sentent. excom. in 6.*

☞ *Et vide notata supra in cap.* Exposuit 4. *de dilation.*

Cap. III. *Odoardus.* (28) Si Clericus non habeat, unde satisfaciat suis creditoribus, non debet excommunicari, nec aliter molestari; præstabit tamen cautionem saltem juratoriam de solvendo, cum venerit ad pinguiorem fortunam.

☞ *Beneficium hujus cap. & cap.* Pervenit: *ex Constitut. Pii V.* Cupientes 1. *Nov.* 1561. *in Urbe non suffragatur debitoribus etiam clericis, nisi gestent biretum viride; quod ferme statuerat etiam Paulus IV. ut refertur in citata Constit. Pii, sed neutra servatur in praxi, saltem quoad clericos. Vide additiones meas lib.* 1. *tit.* 19. *post num.* 2. *& notata in summariis tit.* 8. *de dilation. cap.* Exposuit 4.

Cap. IV. *Is qui.* (29) Conquerens se indebite solvisse, hoc probare debet; nisi adversarius negans solutionem sibi factam deinde convincatur.

DE DONATIONIBUS.

TITULUS XXIV. *continens X. Capitula.*

Cap. I. *Prudentes.* (30) Promittentes aliquid donare, tanquam debitum dare tenentur.

Cap. II. *Fraternitatem.* (31) Non valet donatio facta a Prælato, inconsulto capitulo, & in damnum Ecclesiæ.

Cap. III. *Ceterum.* (32) Prælatus Ecclesiæ non potest ejus res donare, nisi modicæ sint, & adsit consuetudo.

Cap. IV. *Consultationibus.* (33) Ecclesia non vacans in beneficium concedi nequit, sed in proprietatem sic; de auctorirate tamen Episcopi, & sine præjudicio Prælati.

☞ *Ho-*

(1) *Ex Conc. Belvac.* vel Melden. juxta Gonzal.
(2) *Ex Conc. apud Silvanectum.*
(3) *Ex eodem.*
(4) *Urban. VIII.* (5) *Clem. III.*
(6) *Innoc. III. Senon. Archiep.*
(7) *Idem Archiep. & Præp. S. And. & Scholast. S. Petri Colon.*
(8) *Greg. IX.*
(9) *Bonif. VIII. Biter. Ep.*
(10) *Clem. V. in Conc. Vien.*
(11) *Innoc. III. Maurien. Episc.*
(12) *Idem Archiep. Mediol. S. R. E. Card.*
(13) *Ex Conc. Rhemen.* (14) *D. Greg. Fantino defens.*
(15) *Alex. III. Exon. Episc.*
(16) *Innoc. III. Gallando Subd. & B. Vitali Canon. Pisan.*
(17) *Idem Episc. Aquin.*
(18) *Idem R. de Mont. fort.*
(19) *Idem Hug. & Com. & Marsicto Pisan. Canon.*
(20) *Greg. IX.* (21) *Ex Can.* 20. *Apost.* juxta Gonzal.
(22) *Luc. III. Helien. Ep. & Archid. Norvic.*
(23) *Idem Cantuar. Archiep.*
(24) *Innoc. III. in Conc. Lat.* (25) *Greg. IX.*
(26) *Alex. III. Cap. Decan. Morin.*
(27) *Greg. IX. Univers. Eccles. Prælat.*
(28) *Idem Decan. & Canon. Tullen.*
(29) *Idem.*
(30) *D. Greg. Asclepiod. Patric. Gal.*
(31) *Alex. III. Episc. Paris.*
(32) *Idem.*
(33) *Idem Ab. S. Alban.*

☞ *Hodie ex Trid. ſeſſ. 24. cap. 13. & 15. Iſta unio fieri nequit ſine auctoritate Papæ. Conſule etiam ſeſſ. 7. cap. 6. & 7. ſeſſ. 14. cap. 9. de reform. & Gonzal. hoc eod. cap.*

Cap. V. *Per tuas*. (1) Non obſtante juramento de non infeudando de novo, Prælatus integrare poteſt feudum, ſi appareat vaſallum in menſura fuiſſe deceptum.

Cap. VI. *Cum dilecti*. (2) In donationibus pleniſſima fit interpretatio; & ob hoc clauſula oneroſa poſt multas donationes appoſita, proximam donationem tantum reſpicit.

Cap. VII. *Paſtoralis*. (3) Si Epiſcopus in Eccleſia, quam de conſenſu capituli pio loco conceſſit, percipiebat certos proventus, illos donaſſe videtur: alioquin omnes proventus præter cathedraticum, cedunt pio loco. Etſi Epiſcopus conceſſit de conſenſu patroni, intelligitur patronus donaſſe jus patronatus.

Cap. VIII. *Inter*. (4) *Tractat. de quadam donatione facta ab Hoſpitalariis.*

Cap. IX. *Apoſtolicæ*. (5) *Statuit quantitatem donationis, quam poteſt facere Epiſcopus de fructibus ſuæ Eccleſiæ tam pro conſtruenda aliqua Eccleſia, quam pro jam conſtructa dotanda. Diſtinctionem vide in Gonzal.*

Cap. X. *Propter*. (6) Donatio propter ingratitudinem poteſt per donatorem, non per hæredem ejus revocari, ſi donator tacuit has cauſas. 1. Quod donatarius manus in ipſum injecerit. 2. Quod atroces injurias eidem intulerit. 3. Quod præſumpſerit inferre grave damnum ipſius bonis. 4. Quod periculum vitæ intentaverit.

DE PECULIO CLERICORUM.

TITULUS XXV. *continens V. Capitula.*

Cap. I. *Inveſtigandum*. (7) Quæſitum a Rectore Eccleſiæ tempore promotionis nihil habente, præſumitur de bonis Eccleſiæ quæſitum.

Cap. II. *Presbyter*. (8) De emptis a Prælato ex bonis Eccleſiæ debet inſtrumentum confici nomine Eccleſiæ, alias Prælatus eſt ab adminiſtratione removendus.

Cap. III. *Ut unuſquiſque*. (9) Quæſita ab Epiſcopo poſt conſecrationem, Eccleſiæ relinquenda ſunt.

Cap. IV. *Inquirendum*. (10) Empta a Prælato ex emolumentis Eccleſiæ, efficiuntur Eccleſiæ; licet Prælatus emerit nomine alieno.

Cap. V. *Si quis*. (11) Meliorationes factæ a Prælato in rebus Eccleſiæ ſunt ejus in vita; licet dimittat beneficium: ſed de his teſtari nequit.

EX TESTAMENTIS, ET ULTIMIS VOLUNTATIBUS.

TITULUS XXVI. *continens XX. Capitula.*

Cap. I. *Quorumdam*. (12) Epiſcopus de rebus patrimonialibus teſtari poteſt; ſecus de rebus Eccleſiæ, ſeu intuitu Eccleſiæ quæſitis.

☞ *Vide notata infra cap.* Relatum 12. *& circa diſtributionem proventuum Eccleſiaſticorum inter vivos vide Trid. ſeſſ. 25. cap. 1. de ref.*

Cap. II. *Quia*. (13) Abbatiſſa teſtari non poteſt; etiamſi nunquam induiſſet habitum.

☞ *Circa Regularium proprietatem vide Trident. ſeſſione 25. capit. 2. de regular. & circa profeſſionem abſque ſuſceptione habitus vide correctionem Elencho II. numero XCVII.*

Cap. III. *Nos quidem*. (14) Si intra annum a die monitionis non fit exequutio teſtamenti, hæc devolvitur ad Epiſcopum.

☞ *Ex hoc textu inferunt Canoniſtæ poſſe Epiſcopum reducere numerum miſſarum in certis caſibus, ſed vide Elencho VI. n. CIX.*

Cap. IV. *Indicante*. (15) Debetur legatum, ad pias cauſas, quamvis nudis verbis a teſtatore ſit relictum.

Cap. V. *Filius*. (16) Non debetur legatum cum teſtator rem non ſuam, ſed Eccleſiæ legavit.

Cap. VI. *Si hæredes*. (17) Hæredi non adimplenti juſſa teſtatoris ab Epiſcopo interdicitur res a teſtatore relicta.

Cap. VII. *Cum in officiis*. (18) De bonis per Eccleſiam acquiſitis Clerici teſtari non poſſunt.

☞ *Vide notata in cap.* Relatum 12. infra.

Cap. VIII. *Ad hæc*. (19) Moderatam eleemoſynam de bonis per Eccleſiam acquiſitis Clerici facere poſſunt, etiam in ægritudine conſtituti.

Cap. IX. *Quia nos*. (20) De bonis propriis, vel acquiſitis intuitu perſonæ, Clerici teſtari poſſunt; de acquiſitis intuitu Eccleſiæ non.

Cap. X. *Cum eſſes*. (21) Valet teſtamentum, quod parochianus facit coram parocho, & duobus teſtibus: nec valet contraria conſuetudo.

☞ *An conditum in Urbe, & ejus diſtrictu juxta hoc c. ſtante ſtatuto 42. ejuſdem Urbis valeat, vide Fagn. hoc c. n. 157. & ſeqq.*

Cap. XI. *Relatum eſt*. (22) Valet ultima voluntas ad pias cauſas coram duobus teſtibus.

Cap. XII. *Relatum eſt*. (23) De propriis poteſt teſtari Clericus: in acquiſitis per Eccleſiam, etiamſi ſint mobilia, ſuccedit Eccleſia, vel ſucceſſor: poteſt tamen aliqua ſervitoribus, vel pauperibus elargiri: ſi autem defunctus habet plures Eccleſias, vel beneficia, fiet æque diviſio inter illa.

☞ *Beneficiati incolæ, & Cives Urbis Romæ in ea, & ejus diſtrictu decedentes poſſunt teſtari de bonis Eccleſiæ etiam ad cauſas profanas ex Conſtitut. Julii III.* Cupientes *6. Idus Martii 1549. confirmata pro eadem Urbe, & ejus diſtrictu ad decem milliaria a Paulo V. Conſtitut.* In eminenti 18. *April. 1606. vi cujus Conſtit. & alterius Conſtit. Alex. VII.* Decens, *ſi decedant inteſtati, ſuccedunt hæredes.*

☞ *In iiſdem bonis aliorum decedentium ſine teſtamento, aut ſine facultate teſtandi ſuccedit non Eccleſia, neque ſucceſſor beneficii, ut in hac decretali ſed Camera Apoſt. ubi viget jus ſpolii ex Conſtitut. Pauli III.* Romani, *etiamſi teſtarentur ad pias cauſas ex Conſtitut. Pii IV.* In ſuprema: *ſic & in bonis Regularium vagantium, & morientium extra clauſtra, acquiſitis tamen extra eadem clauſtra, niſi habeant facultatem teſtandi ex Conſtit. Gregor. XIII.* Officii noſtri: *& Pauli IV.* Poſtquam.

☞ *Excipiuntur Cardinales ubicumque decedant, ac Curiales, & Prælati ex Conſtit. Pii IV.* Decens: *Item Concláviſtæ ex Conſtit. Greg. XV.* Romanus: *ac tandem beneficiati, quorum beneficium non excedit fructus ducatorum auri triginta de camera ex Conſtit. S. Pii V.* Romani. *Quoad pluralitatem beneficiorum vide Trid. ſeſſ. 24.*

Cap. XIII. *Cum tibi*. (24) Tenet teſtamentum, ſi quis extremam voluntatem ſuam alterius diſpoſitioni committit.

Cap. XIV. *Officii*. (25) De relictis Eccleſiæ petit Epiſcopus partem ſuam; licet aliquid fuerit ei a teſtatore legatum, niſi ea conditione legatum fuerit, ut hoc contentus eſſet, & ipſe acceptaverit. Quod tamen eo caſu non tenet, quo fuerit in ejuſdem fraudem relictum.

Cap. XV. *Requiſiſti*. (26) Relictum Epiſcopo contemplatione perſonæ non dividitur cum Eccleſia cathedrali: ſecus ſi contemplatione Eccleſiæ; ſive nihil relinquatur Eccleſiæ, ſive aliquid, ſive conjunctim, ſive ſeparatim. Sin autem ſoli Eccleſiæ eſt factum relictum, Epiſcopus habebit portionem canonicam. Præſumitur autem relictum contemplatione Eccleſiæ factum, quando fit ab extraneo habente adminiſtrationem: ſecus ſi fiat ab adminiſtrationem non habente. Cum Eccleſiis vero inferioribus Epiſcopus non dividit ſibi relictum; quia non eſt ſibi tanta communio cum Eccleſiis inferioribus, ſicut cum cathedrali.

☞ *Circa portionem canonicam vide Additiones meas lib. I. tit. 31. poſt n. 15.*

Cap. XVI. *Raynutius*. (27) In bonis patris, matris, & aviæ habet quis debitam partem jure naturæ, in qua gravari nequit; & filius rogatus de reſtituenda hæreditate ſub conditione, detrahit debitam jure naturæ, & trebellianicam, in qua computantur fructus poſt litis conteſtationem percepti.

Cap. XVII.

(1) *Innoc. III. Petro Epiſc. Florent.*
(2) *Idem R. Cedeburg., & G. Briburg. Abbat. & J. Rect. Eccl. de Bilchale.*
(3) *Idem Ep. Helien.*
(4) *Idem Florent. & Feſul. ac Archipr. Piſtor.*
(5) *Idem Epiſc. S. And.* (6) *Greg. IX.*
(7) *Ex Conc. Arelat.*
(8) *Ex eodem*, vel ex Concilio Aghatenſe juxta Gonzal.
(9) *Ex Epiſt. Pii Papæ*, vel ex Conc. Carthag. temp. Siric. Pap. juxta Gonzal.
(10) *Ex Conc. Rhem.*
(11) *Ex Conc. Tolet. II. Can. 4.*
(12) *Greg. Magn. Ante campan. Subd.*
(13) *Idem Ep. Calar.*
(14) *Idem Jan. Ep. Calar.*
(15) *Idem Petro Subd. Sicil.*
(16) *Idem Bono Ep. Maſſan.*
(17) *Ex Conc. Mogunt.*
(18) *Ex Conc. Later.*
(19) *Alexand. III.*
(20) *Idem Vigilien. Epiſc.*
(21) *Idem Ubaldo Hoſtien. Epiſc. &c.*
(22) *Idem Judic. Vellitr.*
(23) *Idem Elect. & Cap. Caſſan.*
(24) *Innoc. III. Altiſiod. Ep.*
(25) *Idem G. Titul. Sanct. Laurent. in Luc. Presbyt. Card. Apoſt. Sed. Leg.*
(26) *Idem.*
(27) *Idem Epiſc. Tuſcan.*

Cap. XVII. *Tua.* (1) Episcopus compellit fideicommissarios, seu exequutores testamenti ad exequendas pias voluntates defunctorum; etiamsi testator hoc interdixisset.

Cap. XVIII. *Raynaldus.* (2) Filius rogatus restituere hæreditatem, detrahit tertiam jure naturæ, & quartam trebellianicam: in quibus potest legata relinquere, hæredes instituere, & pœnam imponere.

Cap. XIX. *Joannes.* (3) Exequutor testamentarius, qui suscepit illud officium, exequi compellitur.

Cap. XX. *De his.* (4) Canonica portio non solvitur de legatis Ecclesiæ, aliique pio loco factis pro ipsius ornatu, fabrica, luminariis, anniversario, septimo, vigesimo, trigesimo die; sive aliis ad perpetuum cultum divinum, nisi fiant in fraudem.

☞ *Vide Elencho VI. n. CXIII.*

IN SEXTO. *Lib. III. sub eodem Titulo, & ibi tit. XI. continente II. Capitula.*

Cap. I. *Si pater.* (5) In fideicommissariis constitutionibus locum habet quartarum deductio. in directis non: & substitutiones interpretari debemus directas; dummodo conveniant verbis, & personis institutis.

Cap. II. *Religiosus.* (6) Superior potest consentire religiosis deputatis exequutoribus.

☞ *In textu non adstringitur superior ad licentiam impertiendam, & vide seq. cap.* Religiosis.

Pluribus exequutoribus datis, uno mortuo, vel in remotis existente, vel exequi nolente, unus officium exequutionis exercebit, ne impediatur testatoris voluntas: nisi aliud per testatorem disponeretur.

IN CLEMENTINIS. *Lib. III. sub eodem Titulo, & ibi tit. V.*

Cap. unic. *Religiosis.* (7) Ordinarius loci rationem exigit a Religiosis etiam exemptis, de testamentorum exequutione, quas gesserunt, & circa id delinquentes punit.

DE SUCCESSIONIBUS AB INTESTATO.

TITULUS XXVII. *continens III. Capitula.*

Cap. I. *Sed hoc.* (8) Clericus bona propria dare potest, cui vult: sed si decedat intestatus, & non habet consanguineos, succedit Ecclesia.

Cap. II. *Sancto.* (9) Si olim servus, Presbyter factus intestatus decedat; ejus bona dividuntur in quatuor partes, quarum una assignatur Episcopo, altera Ecclesiæ, tertia pauperibus, quarta parentibus, si fuerint capaces, alias Episcopus eam in usum Ecclesiæ convertet.

☞ *Vide notata supra cap.* Relatum 12.

Cap. III. *Cum dilectus.* (10) Valet testamentum ad pias causas conditum per verba enunciativa, etiam propter aliud prolata; quamquam successio, seu testatio veniat ad exclusionem alterius Ecclesiæ. *Vel sic.* Per unum testem de veritate, & per confessionem etiam incidenter factam, probatur oblatio, etiam quoad effectum consequendi bona oblata.

DE SEPULTURIS.

TITULUS XXVIII. *continens XIV. Capitula.*

Cap. I. *Nos instituta.* (11) Decedens intestatus, sepelitur in sepulcro majorum; vel ubi eligitur sepultura: paræcialis tamen Ecclesia habebit canonicam portionem ejus, quod relinquit Ecclesiæ sepulturæ.

☞ *Vide Elencho VI. n. CXIII.*

Cap. II. *Relatum.* (12) Qui convertitur ad monasterium, medietatem bonorum, quæ pro anima sua disposuit, tenetur relinquere Ecclesiæ paræciali.

☞ *Vide abrogationem Elencho I. n. XXXII.*

Cap. III. *Fraternitatem.* (13) Non potest quis, relicto majorum sepulcro, eligere sibi sepulturam in Ecclesia, quæ de jure, vel ex privilegio non habet jus sepeliendi.

☞ *Vide correctionem Elencho I. num. XXXIII.*

Cap. IV. *De his.* (14) Si quis in ægritudine, de qua decedit, offert se, & sua monasterio, Ecclesia paræcialis habet inde canonicam portionem: secus si in sanitate.

☞ *Sic etiam dic de sæcularibus utriusque sexus nondum regularem habitum indutis, sed ad hunc finem in noviciatum admissis, etiamsi ibidem sepeliantur propriis expensis. Vide Card. Petra tom. 2. ad Constit. 9. Innoc. III. sect. unic. n. 38.*

Cap. V. *Ex parte.* (15) Sepelientes paræcianum alienum, coguntur restituere corpus, & quæ ratione ipsius obtinuerunt.

☞ *Et ita etiam juxta Constit. Alex. VII.* Alias pro parte.

Cap. VI. *Cum liberum.* (16) *Summa ut supr.*

Cap. VII. *De uxore.* (17) Mulier nupta libere potest sibi eligere sepulturam.

Pater filios impuberes, ubi voluerit, potest sepeliri facere; si hoc habet consuetudo loci.

Cap. VIII. *Cum super.* (18) Si paræcianus Ecclesiæ cathedralis alibi sepelitur, de ipsius funeralibus, seu relictis Ecclesiæ sepulturæ debetur quarta capitulo Ecclesiæ cathedralis.

☞ *Vide notata supra cap.* Nos Instituta 1.

Cap. IX. *Certificari.* (19) In quantitate canonicæ, quæ debetur Ecclesiæ paræciali, statur loci consuetudini.

Cap. X. *In nostra.* (20) Privilegiati super jure funerandi sepelire possunt illos, qui apud eos eligunt sepulturam; solvendo tamen canonicam portionem Ecclesiæ paræciali. Si vero alios sepeliunt, tenentur restituere quidquid occasione funeris receperunt.

☞ *Vide notata supra cap.* Ex parte 5.

Cap. XI. *Ex parte.* (21) Casualiter mortuus non debet privari Ecclesiastica sepultura.

Cap. XII. *Sacris.* (22) Si ossa excommunicatorum sunt sepulta in Ecclesiastico cæmeterio, & discerni possunt, debent exhumari, & projici: alias secus.

☞ *Intellige si prius nullum dederint signum pœnitentiæ cap.* A nobis 18. *de sent. excom.*

Cap. XIII. *Abolendæ.* (23) Terra cæmeteriata pro sepultura fodienda vendi non debet.

☞ *Ex communissima tamen praxi vendi potest locus honorabilior, & capella pro construenda sepultura, etiam sine beneplacito Apostol. ex Decreto Cong. Conc. 6. Sept. 1659. in Meliten. alienat. relat. a Card. Petra tom. 5. ad Constit. Pauli II. sect. 2. n. 18. quod tamen requiritur, si concedatur usus capellæ, seu sepulturæ jam constructæ, ibidem num. 19.*

Cap. XIV. *Parochiano.* (24) Excommunicatus, qui per suum Presbyterum fuit absolutus in morte, in cæmeterio sepeliri debet; & ad satisfaciendum coguntur hæredes.

☞ *Intellige 2. partem, si fuit excommunicatus propter debitum proveniens ex delicto, vel contractu.*

IN SEXTO. *Lib. III. sub eodem Titulo, & ibi tit. XII. continente V. Capitula.*

Cap. I. *Animarum.* (25) Hic prohibetur pactum de sepultura eligenda. Non obstante pacto de ea eligenda, vel electa non mutanda, sepeliendus est quis, ubi alias erat de jure sepeliendus: & alias sepultus, cum omnibus sepulturæ obventibus restituendus est; alias pœna incurritur hic contenta.

☞ *Idest interdicti quoad Ecclesiam tumulantem, ejusque cæmeterium, donec intra decendium non fiat restitutio ut supra. Huic pœna addita est a Clem. V. cap.* Cupientes *3. de pœn. §.* Sane *excommunicatio Papæ reservata, sequuta electione per juramentum, vel votum, vel pactum, etiam non subsequuto effectu sepulturæ.*

☞ *Vide ampliationem Elencho I. n. XXXIV.*

Cap. II. *Cum quis.* (26) Ecclesiæ dimissæ (*intellige, ubi est sepultura majorum*) non debetur canonica portio, sed paræciali, & pluribus, si sunt plures.

☞ *Quoad portionem solvendam parochiali vide Trident. sess. 25. cap. 13. de ref. Quoad divisionem inter parochiales, si sint plures, quod potest contingere, cum quis duo domicilia æqualiter inhabitat. V. G. per sex menses in uno, & per sex alios in altero est in viridi observantia etiam in Urbe, ut in statuto Cleri Rom. c. 3. §. 19. quæ tamen æqualitas non mathematice, sed moraliter intelligi debet, ut ibid. explicatur.*

☞ *Si*

(1) *Greg. IX. Noviod. Episc.*
(2) *Idem.*
(3) *Idem.*
(4) *Idem.*
(5) *Bonif. VIII.*
(6) *Idem.*
(7) *Clem. V. in Conc. Vien.*
(8) *Ex Conc. apud Altejem.*
(9) *Ex Conc. Tribur. sub Arnul.*
(10) *Innoc. III. Niver. Episc. &c.*
(11) *Leo III.*
(12) *Leo III.* vel *IX. Fidel. per Dardan.*
(13) *Innoc. II. Januar. Episc.*
(14) *Alex. III. Spolet. Episc.*
(15) *Idem.*
(16) *Idem F. Decan. & R. Rhem.*
(17) *Urb. III. Ep. Florent.*
(18) *Idem Præp. & Canon. Favent.*
(19) *Clem. III.*
(20) *Innoc. III. Episc. Clarom. &c.*
(21) *Idem Archiep. Turon.*
(22) *Idem Nidros. Ep.*
(23) *Honor. III. Magal. Ep.*
(24) *Greg. IX. Ep. N.*
(25) *Bonif. VIII.*
(26) *Idem.*

☞ *Si vero quis inhabitet domum habentem unum ingreſſum intra unam, & alterum intra aliam parochiam, tunc portio canonica integra debetur parochiæ, intra quam eſt principalior ingreſſus. Aloiſ. Ricc. in praxi for. Eccleſ. deciſ. 333. in 1. edit. & reſolut. 510. in 2. edit. Et ita etiam deciſum fuit ab Alex. Sperelli 10. Septembr. 1694. tunc Viceſgerent. favore capituli S. Mariæ ad Martyres de Urbe contra capitulum S. Euſtachii reſpectu clariſſimæ familiæ D. Virginii Marchionis Creſcenzi, cujus palatium principaliorem ingreſſum habet intra parochiam d. S. Mariæ.*

In loco etiam minus religioſo poteſt nova eligi ſepultura (*id eſt non parochiali, vel ſepultuaria majorum.*)

☞ *In quacumque tamen Eccleſia eligatur ſepultura, ex Conſtit. S. Pii V.* Cum primum, *defuncti corpus ſemper collocandum eſt in tumba profunda infra terram; & capſæ omnes, depoſita, ac alia cadaverum conditoria ſuper terram exiſtentia amovenda ſunt.*

Cap. III. *Is, qui.* (1) Tranſlatio perſonæ ad certum locum facta ad tempus, Eccleſiæ jus ſepulturæ non aufert.

Mulier mortua, quæ pluribus nupſit, cum viro ultimo ſepelitur.

Cap. IV. *Licet.* (2) Ex conſuetudine poteſt pater impuberi eligere ſepulturam, pubes autem eligit per ſe ipſum, & pro anima non legat ſine aſſenſu patris bona non caſtrenſia.

Cap. V *Religioſi.* (3) Religioſi, niſi multum remoti a monaſterio, nequeunt alibi eligere ſepulturam.

IN CLEMENTINIS. *Lib. III. ſub eodem Titulo, & ibi tit. VII. continente II. Capitula.*

Cap. I. *Eos.* (4) Etiam exempti, qui in caſibus non permiſſis, defunctos ſepeliunt in cæmeteriis tempore interdicti; vel qui ſcienter ſepeliunt excommunicatos publice nominatim interdictos, vel manifeſtos uſurarios, excommunicati ſunt.

Cap. II. *Dudum.* (5) Prædicatores, & Minores in locis ſuis libere ſepeliunt illos, qui hoc libere elegerint. De funeralibus tamen, & quibuſcumque obventionibus, & relictis, etiam de quibus alias non debetur canonica, quartam, & non ultra ſolvent Eccleſiæ parochiali.

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS. *Lib. III. ſub eodem Titulo, & ibi tit. VI. continente II. Capitula.*

Cap. I. *Deteſtandæ.* (6) Corpora defunctorum exenterantes, & ea immaniter decoquentes, ut oſſa a carnibus ſeparata ferant ſepelienda in terram ſuam, ipſo facto ſunt excommunicati.

Cap. II. *Super cathedram.* (7) Super prædicationibus, confeſſionibus, & ſepulturis providet ad tollendas contentiones, inter Curatos, & Jacobitas, ac Cordigeros.

☞ *Vide correctionem Elencho I. n. XXXV.*

DE PAROCHIS, ET ALIENIS PAROCHIANIS.

TITULUS XXIX. *continens V. Capitula.*

Cap. I. *Si Epiſcopus.* (8) Inter Epiſcopum ſubſtitutum Epiſcopo hæretico, & ipſum Epiſcopum hæreticum reverſum, & ex diſpenſatione receptum, dividitur Epiſcopatus modo hic expreſſo.

☞ *Cum ex hoc cap. in una, eademque diœceſi deberent eſſe duo Epiſcopi, quod ab Innoc. III. cap.* Quoniam 14. *de offic. Jud. Ord. reprobatur tanquam monſtrum cum duobus capitibus in uno corpore, credit hic Fagn. aliter S. Sedem hodie Epiſcopo ſubſtituto in ſimili caſu proviſuram.*

Cap. II. *Ut Dominicis.* (9) Presbyteri parochiales dominicis diebus, & feſtivis paræcianos alienos ad miſſam admittere non debent, ſi ex contemptu ad eorum Eccleſiam accedunt.

☞ *In textu præcipitur parochis, ut interrogent plebem, an alienus parochianus ſit in Eccleſia, qui proprio contempto Parocho, velit ibi miſſam audire, & ſi invenerint, ejiciant ab Eccleſia. Huic tamen præcepto derogatum & nedum ex contraria conſuetudine, ſed etiam ex Conſtit. Leon. X.* Intelleximus *13. Novemb. 1517. qua declaratur ſatisfacere parochianum præcepto audiendi miſſam extra parochiam, non contempto proprio parocho. Idem ſancivit Clem. VIII. Conſtit.* Significatum *1592. cum eadem conditione Bened. XIV. de Synod. Diœc. edit. an. 1755. lib. II. cap. 14. n. 9. notat nomine contemptus intelligendum eſſe aliquem diſtinctum actum ab auditione ſacri extra parochiam, quo quis ſive expreſſe, ſive tacite ſe a proprio parocho averſum oſtendit.*

Cap. III. *Nullus.* (10) Epiſcopus parochianum alterius ſine ipſius licentia ordinare non poteſt; nec eum aliter judicare.

☞ *Vide Trid. ſeſſ. 23. cap. 10. de reform.*

Cap. IV. *Super.* (11) Fines parochiarum, de quibus conſtat, vel finibus cohærentia præſcribi non poſſunt.

Cap. V. *Significavit.* (12) Si paræcianus ſeu diœceſanus domicilium transfert, primus Prælatus in eo Jura epiſcopalia, ſeu diœceſana ſibi non vendicat: decimæ tamen prædiales illius paræciæ ei debentur, niſi alteri debeantur ex conſuetudine.

DE DECIMIS, PRIMITIIS, ET OBLIGATIONIBUS.

TITULUS XXX. *continens XXXV. Capitula.*

Cap. I. *Decimam.* (13) Exprimit quatuor genera decimarum, quæ ex veteri lege debebantur.

Cap. II. *Novum.* (14) ☞ *Circa hoc cap. vide in Auctore hoc eod. tit. n. 5. & correctionem Elencho I. numero XXXVI.*

Cap. III. *Ex multiplici.* (15) Compoſitio ſuper decimis non tollitur per privilegium ſequens, ſi de illa mentionem non facit.

Cap. IV. *Commiſſum.* (16) Monachi tenentur ſolvere decimas prædiales de prædiis noviter cultis, de quibus decimæ prius ſolvebantur.

Cap. V. *Pervenit.* (17) Per excommunicationem compellitur quis ad ſolvendas decimas de molendinis, piſcariis, fæno, & lana, ſi vigeat conſuetudo.

Cap. VI. *Nuncios.* (18) Sumatur ut præced.

Cap. VII. *Cum homines.* (19) Decima fructuum, ſtatim cum collecti ſunt, ſolvi debet, non deductis expenſis.

Cap. VIII. *Dilecti.* (20) Privilegiati ſuper decimis non ſolvendis de iis prædiis, quæ ab aliis conducunt, decimam ſolvere tenentur.

Cap. IX. *Suggeſtum.* (21) Revocatur privilegium de non ſolvendis decimis, ſi ex poſt facto incipit enormiter nocivum eſſe.

Cap. X. *Ex parte.* (22) Ciſtercienſes, Templarii, & Hoſpitalarii decimam prædiorum ſuorum, quæ propriis manibus, aut ſumptibus excolunt, ſolvere non tenentur: alii vero Religioſi non ſolvunt decimas de hortis, & nutrimentis animalium, nec de novalibus, quæ propriis manibus, ac ſumptibus excolunt.

Cap. XI. *Licet.* (23) Privilegium ſuper decimis laborum non extenditur ad terras, quæ aliis traduntur excolendæ.

Cap. XII. *Ad audientiam.* (24) Privilegium ſuper decimis laborum etiam ea, quæ non ſunt novalia, comprehendit.

Cap. XIII. *Quoniam.* (25) Decimæ novalium debentur Eccleſiæ, in cujus paræcia ſurgunt; ſi vero non ſunt in certa paræcia, debentur Diœceſano, qui poteſt ſibi retinere, vel alteri Eccleſiæ concedere.

Cap. XIV. *Parochianos.* (26) Decimæ poſſunt exigi quaſi debitum.

Cap. XV. *Ad hæc.* (27) Decima laico jure hæreditario concedi non poteſt.

Cap. XVI. *De terris.* (28) Judæi coguntur prædiales decimas ſolvere, aut prædia dimittere.

☞ *Vide notata infra cap.* Multorum *2. de Judæis &c.* Quanto *18. de Uſur.*

Cap. XVII. *Quamvis.* (29) Decimæ, vel oblationes Eccleſiæ laicis concedi non poſſunt; & Prælatus contrafaciens eſt puniendus.

Cap. XVIII. *Cum ſint.* (30) Statur conſuetudini, an colonus ſolvat decimam Eccleſiæ, in cujus paræcia habet prædia, an Eccleſiæ, ubi audit divina, & percipit eccleſiaſtica Sacramenta.

Cap. XIX. *Prohibemus.* (31) Non poteſt laicus transferre decimam in alium laicum, etiamſi cum titulo illam poſſideat.

Cap. XX. *Ad Apoſtolica.* (32) Decima perſonalis debetur Eccleſiæ, ubi quis percipit ſacramenta; licet alicubi lucrum contigerit. In prædiali vero ſtatur conſuetudini, ſi in aliena paræcia colonus prædium coluit.

Cap. XXI.

(1) *Idem.* (2) *Idem.*
(3) *Idem.*
(4) *Clem. V. in Conc. Vien.*
(5) *Idem.* (6) *Bonif. VIII.*
(7) *Idem.*
(8) *Ex Conc. Afric.*
(9) *Ex Conc. Nannet.*

(10) *Hadr. Papa.*
(11) *Urb. III. Prior. De Novoloco, & de Viget.*
(12) *Clem. III.* (13) *Hier. ſupr. Ezech.*
(14) *Paſch. II.* (15) *Hadr. IV. Vigor. & Herford. Ep.* juxta Gonz.
(16) *Idem Theobal.* vel Alex. III. B. Thomæ Archie. Cantuar. juxta Gonz. (17) *Alex. III. Cantuar. Archiep. &c.*
(18) *Idem VVinton. Ep.* (19) *Idem Exon. & VVigorn. Ep.*
(20) *Idem Monach. De Nembel.* (21) *Idem Ab. & Fratr. de Dalon.*
(22) *Idem Tarac. Ep.* (23) *Idem.*
(24) *Idem Conventr. Epiſc. &c.* (25) *Idem Brix. Epiſc.*
(26) *Idem Rhem. Ep.* (27) *Idem Amb. Ep.*
(28) *Idem Maſſil. Ep.* (29) *Idem*, vel ex Conc. Turon. juxta Gonz. (30) *Idem Maſſil. Epiſc.*
(31) *Idem ex Conc. Lat.* (32) *Luc. III. Strigon. Ep.*

Cap. XXI. *Ex parte*. (1) De omni fructu prædii ſolvendæ ſunt decimæ.

☞ *Vide moderationem Elencho I. n. XXXVII.*

Cap. XXII. *Non eſt*. (2) *Summa ut cap. 7. ſupra.*

Cap. XXIII. *Ex tranſmiſſa*. (3) De redditibus molendini ad ventum ſolvendæ ſunt decimæ.

Cap. XXIV. *A nobis*. (4) Locator, vel conductor poſſeſſionum tenentur ad decimas, niſi ſe immunes oſtendant.

Cap. XXV. *Tua*. (5) Imperialis conceſſio ſub quacumque forma e ſolutione decimarum eximere non poteſt.

Decimæ novalium non pertinent ad laicum, qui decimas habet in feudum.

Cap. XXVI. *Tua*. (6) Sine deductione ſeminis, & ſumptuum debent dominus, & colonus decimam ſolvere; & non cui voluerint Eccleſiæ, vel pauperibus, ſed Eccleſiæ, cui debentur: Quamvis earum parochi inhoneſte, & turpiter vivant.

Cap. XXVII. *Ex parte*. (7) Privilegium ſuper decimis non ſolvendis Eccleſiaſticæ perſonæ conceſſum, novalia comprehendit.

Cap. XXVIII. *Paſtoralis*. (8) Negotiator de lucro decimam ſolvit, deductis expenſis, quas facit de pecunia decimata: expenſæ vero, quæ fiunt pro habendis fructibus non deducuntur; & de fructibus ſolvitur decima, etiam non deductis expenſis factis pro reſtaurandis rebus.

Cap. XXIX. *Cum contingat*. (9) Qui præſcribit decimas in aliena paræcia, ſi ibi ſurgunt novalia, ipſorum decimas non habebit.

Cap. XXX. *Cum in tua*. (10) Decima omnium fructuum prædii debetur ei, qui decimas ibi præſcripſit, ſed ad aliud prædium præſcriptio non extenditur.

Cap. XXXI. *Dudum*. (11) Laici etiam Reges Eccleſias, vel decimas donare non poſſunt; nec ex eorum titulo præſtatur cauſa præſcribendi.

Cap. XXXII. *In aliquibus*. (12) Domini prædiorum cogi poſſunt, ut prædia dent colenda talibus, a quibus ſine contradictione Eccleſia poſſit decimas conſequi.

Cap. XXXIII. *Cum non*. (13) Prius ſolvendæ ſunt decimæ, quam cenſus, ſeu tributa, & ſi prius illa ſolvuntur, poſtea decimari debent.

Cap. XXXIV. *Nuper*. (14) Ciſtercienſes Templarii, & Hoſpitalarii de fructibus poſſeſſionum, quas acquiſierunt poſt Conc. Later. ſub Innoc. III. decimas ſolvere tenentur, ſi de illis prius ſolvebantur.

Cap. XXXV. *Interdicimus*. (15) Interdicitur, omnibus Eccleſiaſticis, ut decimas detentas a laicis ad alienas Eccleſias pertinentes in pignus recipere ab eiſdem laicis non præſumant.

IN SEXTO. *Lib. III. ſub eodem Titulo, & ibi tit. XIII. continente II. Capitula.*

Cap. I. *Diſcretioni*. (16) Populus ut Eccleſiis jura debita perſolvat, eſt in prædicationibus, & aliis exhortandus.

☞ *Vide Trid. ſeſſ. 25. c. 12. de ref.*

Cap. II. *Statuto*. (17) Privilegium decimas novalium concedens non includit decimas novalium per alios poſſeſſas tempore impetrationis; & loca tantum includit, ubi percipiebantur antiquæ, & ad portionem antiquam.

Privilegium decimarum novalium limitatum ad menſuram antiquarum non poteſt ultra dimidiam includere. Fallit in Ciſtercienſibus, & Cartuſienſibus.

Privilegiati ſuper decimis recipiendis, Eccleſiis paræcialibus gratis aſſignare debent portione pro debitis oneribus ſupportandis.

Decimæ per laicos ante Later. Conc. ſub Alex. III. in feudum receptæ a Religioſis per eos recognitæ in feudum, non poſſunt ipſis Religioſis concedi ſine Diœceſanorum conſenſu.

Diœceſani compellunt Religioſos exemptos ſolvere decimas paræcialibus Eccleſiis, ſi non agatur de rebus exemptis.

Religioſi etiam exempti de poſſeſſionibus acquiſitis, & acquirendis Eccleſiis paræcialibus ſolvere debent decimas, ſi quo ad hoc privilegiati non ſunt.

Ex donatione laicorum habentes decimas antiquas, novales ſupervenientes in eodem loco non percipiunt.

IN CLEMENTINIS. *Lib. III. ſub eod. Titulo, & ibi tit. VIII. continente II. Capitula.*

Cap. I. *Religioſi*. (18) Religioſi præſumentes uſurpare decimas ex novalibus, aut alias debitas; ſive de animalibus familiarium, & paſtorum ſuorum, vel aliorum, etiam animalia ipſa eorum gregibus immiſcentium, ſeu de animalibus in fraudem Eccleſiarum pluribus in locis emptis, & ſic emptis traditis venditoribus, vel aliis ab ipſis retinendis, ſeu de terris aliis traditis ad excolendum, ſi requiſiti per illos, quorum intereſt, non deſiſtunt intra menſem, vel de uſurpatis, vel retentis intra duos menſes non fecerint emendam, ſuſpenſi ſunt ab officiis, adminiſtrationibus, & beneficiis; & talia non habentes ſunt excommunicati.

☞ *Hodie ex Bulla Cœnæ cap. 17. hæc excommunicatio eſt reſervata Papæ.*

☞ *Vide moderationem Elencho III. n. XXVIII.*

Cap. II. *Si beneficiorum*. (19) Decima beneficiorum alicui conceſſa ei debetur ſecundum taxationem, & de moneta currente. Nec poſſunt collectores propter hoc diſtrahere, vel occupare ornamenta divinis officiis deputata.

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS. *Lib. III. ſub eod. Titulo & ibi tit. VII.*

Cap. unic. *Declarationes*. (20) Cum Bonif. VIII. decimam ab Eccleſiis, & Eccleſiaſticis exigi ſtatuiſſet, multa dubia exinde ſuborta hic manifeſtantur.

☞ *Vide Clement. 2. eodem tit.*

DE REGULARIBUS, ET TRANSEUNTIBUS AD RELIGIONEM.

TITULUS XXXI. *continens XXIV. Capitula.*

Cap. I. *Nullus*. (21) Non poteſt quis ad Religionem admitti, niſi volens, & in ætate idoneus.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. XCVIII.*

Cap. II. *Si quis*. (22) Impubes monaſterium ingreſſus, poſt annum a parentibus revocari non poteſt. Pubes per vim ingreſſus, poſt annum exire, vel a parentibus revocari non poteſt.

☞ *Vide moderationem Elencho II. n. XCIX.*

Cap. III. *Ut Clerici*. (23) Clericus ſæcularis utens habitu, & nomine monachali cogitur ut fiat monachus, vel ab hoc deſiſtat.

Cap. IV. *Vidua*. (24) Novitia ſponte ſe ingerens actibus profeſſarum cenſetur profeſſa.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. C.*

Cap. V. *Joannes*. (25) Monachus temere ad aliud monaſterium tranſire, & peculium habere non poteſt.

☞ *Vide Elench. VI. n. XXV.*

Cap. VI. *Quia*. (26) Ubi eſt dura congregatio, vel Religio, requiritur in profitente plena pubertas, ſcilicet tempus 18. annorum.

☞ *Vide moderationem Elencho II. n. CI.*

Cap. VII. *Non eſt*. (27) Si Ciſtercienſis ſine licentia ſui Abbatis ad aliud monaſterium tranſit, ad proprium monaſterium regredi cogitur.

☞ *Vide Elench. VI. n. XXV. & correctionem Elencho II. num. CII.*

Cap. VIII. *Ad noſtram*. (28) Profeſſio facta ante XIV. annum non obligat: poſt XIV. vero ſi fit per ſuſceptionem habitus profeſſorum, etiam non obligat, niſi detur perſeverantia tridui.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CIII.*

Cap. IX. *Super*. (29) Qui recipit habitum profeſſorum, ubi diſtincti ſunt habitus, compellitur ibi, vel alibi eſſe Religioſus: ſed ſi recipit habitum novitiorum, poteſt ad ſæculum redire.

☞ *Hæc decretalis locum tantum habet in eo, qui voto ſe obſtrinxit in aliquo ex Ordinibus regul. profiteri, ut ex lectura textus, & Gloſ. verbo* Votum. *Cæterum per ſolam aſſumptionem habitus profeſſorum ex Trid. ſeſſ. 25. c. 15. de Regul. non inducitur profeſſio regularis.*

Cap. X. *Sane*. (30) Canonicus regularis poteſt effici monachus, ſi Religio, ad quam tranſit, eſt ſtrictior ſua: alias ſecus.

☞ *Vide Elench. VI. n. XXV.*

Cap. XI. *Significatum*. (31) Minor XIV. annis profitendo, non obligatur Religioni, niſi factus major ratum habuerit.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CIV.*

Cap. XII.

(1) *Cæleſt. III.* (2) *Idem.*
(3) *Idem.* (4) *Innoc. III. Piſtor. Epiſc.*
(5) *Idem Vercell. Ep.* (6) *Idem.*
(7) *Idem Ab. S. Columb.* (8) *Idem Helien. Ep.*
(9) *Idem Belvac.*
(10) *Idem eidem.*
(11) *Idem Veſprin. Epiſc.*
(12) *Idem in Concil. Lateran.*
(13) *Idem ibid.*
(14) *Idem ibid.*
(15) *Gregor. IX.*
(16) *Idem Fratr. Prædic. & Minor.*
(17) *Alexand. IV.*

(18) *Clem. V. in Conc. Vien.*
(19) *Idem.* (20) *Bonif. VIII. Collect. Decimæ.*
(21) *Ex Conc. Mogunt.* Hoc cap. in Gonzal. incipit De Clericis.
(22) *Ex eodem.*
(23) *Ex Conc. Tolet. 4.*
(24) *Ex Conc. Aurelian.* vel Mogunt. vel VVormat.
(25) *D. Greg. Authem. Subd.* (26) *Idem eidem.*
(27) *Alex. III. Archiep. & Epiſc. & aliis per Gall.*
(28) *Idem Magiſtr. Fidantiæ Canon. Civit.*
(29) *Idem Helien. Epiſc.*
(30) *Idem Amb. Epiſc.*
(31) *Idem Belvac. Epiſc.*

Cap. XII. *Cum virum*. (1) Si filia minor XII. annis a parentibus monasterio tradita, major facta sponte veletur, ad saeculum redire non potest.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CV.*

Cap. XIII. *Porrectum*. (2) Valet professio facta sine susceptione habitus Religionis.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CVI.*

Cap. XIV. *Cum simus*. (3) Si Pater se cum bonis suis, & filio impubere obtulit monasterio, filius factus major exire potest a Religione, & legitimam a monasterio petere.

Cap. XV. *Sicut*. (4) Furiosus profitendo, non obligatur, nisi factus sanae mentis ratum habuerit.

Cap. XVI. *Ad apostolicam*. (5) Professio nec fieri, nec recipi debet intra tempus probationis; sed facta, & recepta tenet.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CVII.*

Cap. XVII. *Sicut*. (6) Qui professionem facit, licet in claustro numquam permanserit, sed in saeculo, & suis bonis usus fuerit, ad observantiam regularem compellitur.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CVIII.*

Cap. XVIII. *Licet*. (7) Potest Religiosus zelo sanctioris vitae ad Religionem transire strictiorem, petita prius licentia Praelati sui, licet non obtenta; etiamsi primum monasterium sit ita privilegiatum, quod de illo ad aliud, etiam arctius transire non possit.

☞ *Vide Elencho VI. n. XXV.*

Cap. XIX. *Veniens*. (8) Conjuges Religionem profitendo ab invicem divertere possunt: aliter se abjurant, & non si continent, illicitum est juramentum.

Cap. XX. *Consulti*. (9) Qui ad monasterium convertitur, sumendo habitum novitii, potest intra tempus probationis redire ad saeculum; nisi appareat eum vitam voluisse mutare omnino.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CIX. & CX.*

Cap. XXI. *Postulasti*. (10) Qui intra annum probationis, non facta professione, redit ad saeculum, licite potest ad Ordines, & beneficia promoveri.

Cap. XXII. *Ex parte*. (11) Qui ultra annum portat habitum monachalem in monasterio, ubi sunt habitus indistincti, censetur professus.

☞ *Vide notata Elencho II. n. XCVII.*

Cap. XXIII. *Statuimus*. (12) Intra probationis annum libere quis redit ad saeculum; nisi professionem fecerit tacite, vel expresse, vel appareat eum vitam mutare voluisse. Ad hoc ut dignoscantur novitii a professis, debet habitus professorum benedici in locis, ubi habitus non est distinctus.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CXI.*

Cap. XXXIV. *Ne religiosi*. (13) Religiosi fugitivi annuatim sunt requirendi, & cogendi, ut ad monasterium revertantur.

☞ *Hac decretalis ex declaratione Congr. Conc. jussu Urb. VIII. hanc eamdem innovantis, apposita in decreto de Apostat. fugitiv. & eject. servanda est in iis quoque, qui juris ordine servato expulsi fuerunt, dummodo tamen in expulsis subsit spes evidens emendationis.*

☞ *Circa incorrigibilium ejectionem vide in Auctore lib. III. hoc eod. tit.*

☞ *Circa nullitatem professionis vide Elencho VI. n. CII.*

IN SEXTO. *Lib. III. sub eodem Titulo & ibi tit. XIV. continente VI. Capitula.*

Cap. I. *Is, qui*. (14) Si minor XIV. annis ingreditur Religionem, in XV. anno liber exit, nisi in ipso XV. anno professionem fecerit, vel habitum professorum receperit, vel expresse ratam habuerit professionem prius a se factam. Si autem per totum XV. annum portavit habitum, ubi non est distinctus, intelligitur professus; nisi tanta sit indistinctio, quod viventes cum eis simili habitu induantur. Si major XIV. annis ingreditur, si portat habitum per annum, quantumcumque sit indistinctus, intelligitur professus.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CXII.*

Cap. II. *Non solum*. (15) Praedicatores, & Minores intra annum probationis quemquam ad professionem recipere non possunt; quod si fecerint, receptus alligatus non est eorum Ordini; & ipsi a receptione professionis aliorum sunt suspensi, & puniendi poena, quae pro gravioribus culpis eis consuevit infligi.

☞ *Habes in seq. cap. extensionem. Vide correctionem Elencho II. n. CXIII. & ampliationem Elencho III. numero XXIX.*

Cap. III. *Constitutionem*. (16) Decretalis *Non solum* extenditur ad omnes Mendicantes.

☞ *Vide correctionem Elencho II. num. CXIV. etiam quoad reliqua hic disposita.*

Cap. IV. *Beneficium*. (17) Beneficium ingredientis Religionem intra annum probationis non est alteri conferendum, nisi accedat ipsius consensus, vel constet se absolute vitam velle mutare, vel professionem expressam fecerit, vel scienter receperit habitum professorum. Interim tamen debebit per alium beneficio deserviri assignata eidem substituto congrua portione, unde vivere possit.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CXV.*

Cap. V. *Qui*. (18) Secundum votum solemne Religionis derogat priori simplici.

Cap. VI. *Si ad solum*. (19) Vacante monasterio, conventus novum recipit monachum, si communiter ad Abbatem, & eos spectat: si ad Abbatem solum, secus.

IN CLEMENTINIS. *Lib. III. sub eodem Tit. & ibi tit. IX. continente II. Capitula.*

Cap. I. *Ut professores*. (20) Professi Ordinem Mendicantium, etiam licite transeuntes ad non Mendicantes, licet administrationes habeant, non habent vocem in capitulo, etiamsi alii de capitulo id concedant: nec deinceps consequi possunt administrationes, prioratus, vel officia, etiam tamquam Vicarii, nec pro se, vel aliis aimarum curam gerere, & irritat contra factum. Ponit casum exceptum, *quem vide in textu*.

☞ *S. Poenitentiaria dispensare solet super hac inhabilitate, teste Thes. de poenis. c. 4. num. 6.* Verb. Religiosi transeuntes.

Cap. II. *Eos*. (21) Pubes per annum deferens habitum novitiorum non patenter distinctum ab habitu professorum, intelligitur professus.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CXVI.*

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS. *Lib. III. sub eodem Titulo, & ibi tit. VIII. continente II. Capitula.*

Cap. I. *Viam*. (22) Religiosi Mendicantes sub excommunicationis poena prohibentur transire ad Religionem non Mendicantium quocumque quaesito colore, quam ipso facto incurrunt tam recepti, quam recipientes, quacumque licentia non obstante.

☞ *Vide Elencho VI. n. XXV.*

Cap. II. *Ad nostrum*. (23) Religiosi sine sui superioris licentia ultra mare euntes, sunt ipso facto excommunicati: nec ibi sunt ad praedicationem, vel divinorum celebrationem admittendi.

☞ *Vide Elencho VI. n. LXXXVI.*

DE CONVERSIONE CONJUGATORUM.

TITULUS XXXII. *continens XXI. Capitula.*

Cap. I. *Praeterea*. (24) Si vir de uxoris licentia profitetur, & uxor ipsa suspecta nec continentiam vovet, nec Religionem ingreditur, Episcopus uxori virum restituet.

Cap. II. *Verum*. (25) Ante matrimonium consummatum potest alter conjugum, etiam altero invito, Religionem ingredi: sed remanens in saeculo, potest ad secunda vota transire.

☞ *Circa primum vide Trid. sess. 24. de ref. matr. can. 6. & secundum intellige post solemnem professionem emissam a conjuge in Religionem ingresso. Et vide ampliationem Elencho III. n. XXX.*

Cap. III. *Quidam*. (26) Qui invita uxore, professionem fecit, & ei postea restituitur, non compellitur, mortua uxore ad monasterium redire: matrimonium tamen contrahere non debet.

Cap. IV. *Cum sit*. (27) uxoratus Religionem intrare non potest, nisi etiam uxor ingrediatur; vel nisi suspecta non sit, & continentiam promittat.

Cap. V. *Conjugatus*. (28) Conjugatus non est ordinandus ad sacros Ordines, nisi uxor continentiam promittat.

Cap. VI. *Sane*. (29) Uxoratus in Episcopum promoveri non potest; nisi uxor Religionem profiteatur.

Cap. VII. *Ex publico*. (30) Sponsa de praesenti non cognita, quae dicit se velle Religionem ingredi compel-

(1) *Clem. III.* (2) *Innoc. III. N. de Novo.*
(3) *Caelest. III.* (4) *Innoc. III. & Ep. & Cap. Tragur.*
(5) *Idem Pisan. Archiep.* (6) *Idem Accon. Ep.*
(7) *Idem Prior. & Conv. Delviomen.*
(8) *Idem Praep. &c. Colon. Diaec.*
(9) *Idem Ab. De Affligien. & Magistr. R. & C. Canonic. Traject.*
(10) *Idem Lingon. Episc.*
(11) *Honor. III. Ep. Venet. in Gall.*
(12) *Greg. IX.* (13) *Idem.* (14) *Innoc. IV.*
(15) *Alex. IV. Fratr. Praedic. & Minor.*

(18) *Bonif. VIII.*
(17) *Idem Paris. Capit.*
(18) *Idem.* (19) *Idem.*
(20) *Clem. V. in Conc. Vien.*
(21) *Idem.* (22) *Mart. IV.*
(23) *Jo. II. Aven.* (24) *Alex. III. Elien. Episc.*
(25) *Idem Saler. Episc.*
(26) *Idem Pisan. Archiep.*
(27) *Idem Exon. Episc.* (28) *Idem Strigon. & Coloc. Archiep.*
(29) *Idem eidem.* (30) *Idem Brix. Episc.*

pellitur intra certum tempus profiteri, vel adhærere marito.

☞ *Hoc tempus, quod est duorum mensium, intelligendum est antequam sponsa ingrediatur Religionem, ut in textu; si enim ingressa esset, expectare deberet sponsus lapsum unius anni a Trid. præscripti sess. 25. cap. 15. de Regul. quo completo, si non profiteatur, compelli debet, ut redeat ad virum suum.*

Cap. VIII. *Uxoratus*. (1) *Summa ut cap.* Cum sit 5. *supra*.

Cap. IX. *Ex parte*. (2) Conjugatus faciens professionem, uxore consentiente, licet nunquam intravit monasterium, si mortua conjuge, cum alia contrahat, non valet matrimonium, & monasterium intrare compellitur.

☞ *Vide notata Elencho II. n. CVI. & CVIII.*

Cap. X. *Consuluit*. (3) Professus Religionem, uxore sciente, & dissimulante, ea mortua, ad sæculum redire non potest.

Cap. XI. *Charissimus*. (4) Conjux, quæ continentiam vovit, tenetur reddere debitum conjugi, licet ad tempus voto consenserit.

Cap. XII. *Placet*. (5) Si alter conjugum, altero ignorante, Religionem profitetur, & propter hoc de monasterio educitur; illo mortuo, ad monasterium redire non cogitur.

Cap. XIII. *Ad Apostolicam*. (6) *Summa ut cap.* Cum sit 5. *supr.*

Cap. XIV. *Ex parte*. (7) Per Religionis professionem, non per propositum castitatis servandæ in sæculo dissolvuntur sponsalia de præsenti.

Cap. XV *Constitutus*. (8) Maritus factus monachus a conjuge adulterata revocari non potest.

Cap. XVI. *Veniens*. (9) Uxor non potest repetere maritum, de cujus licentia Religionem intravit, si post ingressum non continuit; licet ad consentiendum, seu ad dandam licentiam dolo fuerit inducta.

Cap. XVII. *Accedens*. (10) Uxor maritum professum repetere potest, non obstante licentia profitendi ab ea metu extorta.

Cap. XVIII. *Vide notata in cap.* Perlatum 1. *de his, quæ vi &c.*

Cap. XVIII. *Significavit*. (11) Uxor professi, quæ dedit viro licentiam profitendi, non compellitur ingredi Religionem, si continens est, & non suspecta.

Cap. XIX. *Gaudeamus*. (12) Adultera, quam maritus reconciliare non vult, ad agendum pœnitentiam in aliquo claustro collocatur.

Cap. XX. *Dudum*. (13) Si conjuges se ad invicem absolverunt, continentiam promittendo, & uterque, vel alter eorum Religionem profitetur, alter alterum repetere non potest.

Cap. XXI. *Mulier*. (14) Quæ in fide remansit, potest nolente viro, qui ab infidelitate revertitur, propter quam ab eo fuerat judicio Ecclesiæ separata, ad Religionem libere convolare.

DE CONVERSIONE INFIDELIUM.

TITULUS XXXIII. *continens II. Capitula.*

Cap. I. *Laudabilem*. (15) Non potest quis illam habere in uxorem, cujus maritum occidit machinatione ipsius mulieris: secus, si sine machinatione.

Cap. II. *Ex litteris*. (16) Si alter infidelium conjugum venit ad fidem, altero remanente in infidelitatis errore, communis proles assignatur converso.

DE VOTO, ET VOTI REDEMPTIONE.

TITULUS XXXIV. *continens XI. Capitula.*

Cap. I. *De peregrinationis*. (17) Vota possunt eleemosynis redimi; vel in aliud commutari superioris auctoritate, & justa causa redimendi, vel mutandi.

Cap. II. *Venientis*. (18) Commutat Papa votum ultramarinum, in his maxime, qui in puerili ætate voverunt.

Cap. III. *Litteraturam*. (19) Solum propositum suscipiendi habitum religiosum votum non inducit.

Cap. IV. *Scripturæ*. (20) Omne votum mutabile est in votum Religionis.

Cap. V. *Non est*. (21) Exequutio voti ultramarini auctoritate Papæ potest ex causa differri.

Cap. VI. *Licet*. (22) Ecclesia compellit hæredem laicum per excommunicationem, & bonorum subtractionem ad exequutionem voti ultramarini, ad quod se obligavit pro defuncto.

Cap. VII. *Magna*. (23) Commutat Papa votum ultramarinum in vigilias, orationes, & jejunia; tunc maxime, cum cessat causa, quæ induxit ad vovendum; ita etiam quod expensæ faciendæ in eundo, morando, & redeundo, integraliter mittantur in Terræ sanctæ subsidium.

Cap. VIII. *Quod super*. (24) Impedito ad tempus exequi votum ultramarinum conceditur dilatio: perpetuo vero impedito indicitur redemptio in eo, quod magis expediat Terræ Sanctæ.

Cap. IV. *Ex multa*. (25) Votum ultramarinum commutari potest per solum Papam, vel de ipsius speciali mandato.

☞ *Ex Constit. Sixt. IV.* Etsi Dominici *hoc & alia quatuor vota Papæ reservata commutantes prætextu privilegiorum incurrunt excommunicationem eidem Papæ reservatam.*

Habiles ad eundum, sed inhabiles ad pugnandum, si sunt strenui consilio, vel milites bellatores possunt secum ducere, votum ultramarinum non redimunt.

Uxores possunt sequi viros ultra mare, si volunt; sed non tenentur, nisi & ipsæ voverint.

Viri sine consensu uxorum emittere possunt votum ultramarinum.

Clerici tanquam inhabiles ad pugnandum redimunt votum ultramarinum; secus, si sint consilio strenui, vel officio prædicationis instructi, aut deputati Magnatuum obsequio, aut ita divites, & potentes, ut secum propriis expensis bellatores ducere valeant.

Cap. V. *Per tuas*. (26) Qui vovit Religionem ingredi, Si voto non completo fiat Episcopus, renunciare debet, & votum implere.

☞ *Intellige, si sit tantum electus, ut in textu, quia acceptatio Episcopatus non est votum. Secus autem si confirmatus, aut consecratus fuerit, quia propter matrimonii spiritualis vinculum inter ipsum, & Ecclesiam, non potest votum implere, inconsulto Papa.*

Cap. XI. *Postulastis*. (27) Prælatus etiam professus, potest votum ultramarinum remittere, & in suos vigesimam proventuum Ecclesiæ convertere.

IN SEXTO *Lib. III. sub eodem Titulo, & ibi tit. XV.*

Cap. unic. *Quod votum*. (28) Votum solemnizatum per susceptionem sacri Ordinis, vel per professionem factam in aliqua Religione approbata, dirimit matrimonium post contractum: alias solum impedit, & non dirimit.

☞ *Vide Elencho II. n. CXVII.*

IN EXTRAVAGANTIBUS JOANNIS XXII.

Lib. III. sub eodem Titulo, & ibi tit. VI.

Cap. unic. *Antiqua*. (29) Votum per susceptionem sacri ordinis solemnizatum impedit matrimonium sequens, non præcedens, licet nondum consummatum. Hoc durante, etiam nondum consummato recipiens aliquem sacrum Ordinem, dissoluto etiam matrimonio, nec in illo ministrare, nec ad superiores ascendere poterit, nisi aliquam Religionem approbatam ingrediatur, & ejus regulam expresse vel tacite profiteatur. Talis conjugatus sic ordinatus, est per Diœcesanum monendus, ut Religionem ingrediatur, si matrimonium nondum est consummatum: quod si renuerit, & uxor institerit, compellitur per excommunicationem ad matrimonii consummationem.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CXVIII.*

DE STATU MONACHORUM, ET CANONICORUM REGULARIUM.

TITULUS XXXV. *continens VIII. Capitula.*

Cap. I.

(1) *Idem G. Prior. & Fratrib. S. Joann.*
(2) *Urb. III. Prior. S. Cruc.*
(3) *Cælest. III.*
(4) *Idem.*
(5) *Idem.*
(6) *Innoc. III. Archiep. Pisan.*
(7) *Idem Lugdun. Archiepisc.*
(8) *Idem Ruthen. Episc.*
(9) *Idem Episc. Patav. vel Pictav. & Ab. Borun. Barderberg.*
(10) *Idem.*
(11) *Honor. III. Episc. Decan. Thes. Lingon.*
(12) *Greg. IX.* vel Innoc. III. Ep. Tiberiad. in Gal. juxta Gonz.
(13) *Idem J. Moniali Monast. de Planda.*
(14) *Greg. IX.*
(15) *Cælest. III.*
(16) *Gregor. IX. Argen. Episc.*
(17) *Alex. III. Exon. Episc.*
(18) *Idem Noric. Episc.*
(19) *Idem M. Ab. de Vadforden. vel Madford.*
(20) *Alex. III. Univers. Ab. Cisterc. Ord. per Angl.*
(21) *Honor. III. Strigon. Archiep.*
(22) *Idem And. Duci Hung.*
(23) *Innoc. III. Trecen. Episc.*
(24) *Idem Cantuar. Archiepisc.*
(25) *Idem eidem.*
(26) *Idem Goben. Elect.*
(27) *Honor. III. Sarisbar. & Beregad. Præp.*
(28) *Bonif. VIII. Mitiv. Episc.*
(29) *Joann. XXII. Aven.*

Cap. I. *Theodosius*. (1) Diæcesanus non debet molestare monasteria, præterquam pro causa correctionis, nec eis oblata sibi vindicare.

Cap. II. *Monachi*. (2) Monachi non debent poni singuli per paræcias.

Si pro monachatu aliquid detur, receptus a sacris Ordinibus prohibetur; & recipiens ab officio suspenditur. Monachus habens peculium sine licentia Abbatis, ab altaris communione removetur, & sic decedens, sepultura, & fratrum communione privatur. Si pecunia confertur pro habendo aliquod officium in monasterio, dans, & recipiens deponuntur. In prioratibus conventualibus per electionem instituti non sunt removendi sine causa rationabili; idest si fuerint dilapidatores, vel incontinenter vixerint, aut aliquid simile egerint; vel si pro necessitate majoris officii de consilio fratrum fuerint transferendi.

☞ *Vide Fagn. cap.* Quod Dei *num.* 17. *& Elencho VI. num. XXVI.*

☞ *Circa peculium vide constit. Clem. VIII.* Religiosæ *de largit. muner. & Urb. VIII.* Nuper.

Cap. III. *Recolentes*. (3) Monet Cistercienses, ut servent regulam secundum primævam institutionem: & domus religiosa aggregata Cisterciensibus, eorum mores servare tenetur.

☞ *Hoc statutum est de omnibus Regul. a Trid. sess. 25. cap. 1. de Regul. & vide correctionem Elencho I. numero XXXVIII.*

Cap. IV. *Super*. (4) Regularis Canonicus, qui non resignavit proprium in morte, non debet in cœmeterio sepeliri: & si de facto sepultus fuit, inde debet exhumari, si sine scandalo fieri potest.

☞ *Vide Trid. sess. 25. c. 2. de Regul.*

Cap. V. *Quod Dei*. (5) Canonicus regularis potest præfici Ecclesiæ paræciali, etiam sæculari; sed debet habere socium secum sui Ordinis, si commode fieri potest.

☞ *Vide derogationem Elencho VI. n. XXVI.*

Cap. VI. *Cum ad Monasterium*. (6) *Tractat 1. de vestibus Monachorum. 2. de abdicatione proprietatis. 3. de silentio. 4. de cibis. 5. de officiis in genere, & in specie.*

☞ *In textu præcipitur, ut proprietarius expellatur de monasterio, sed vide notata cap.* Relatum 7. *ne Cleric. vel Monac. &c.*

Cap. VII. *In singulis*. (7) Statuit 1. de conciliis Regularium provincialibus celebrandis singulis trienniis. 2. moderatur numerum evectionum, & personarum venientium. 3. disponit de Instructoribus, & Præsidentibus capitulo. 4. de tempore, quo duret capitulum, & quid ibi fiet. 5. ut observetur, quod ibi fiet. 6. de capitulo sequenti. 7. de communi vita ducenda. 8. de Visitatoribus eligendis, & ipsorum officio. 9. hæc extendit ad Canonicos regulares. 10. providet super discordia Visitatorum. 11. hortatur Diœcesanos ad monasteriorum reformationem. 12. præcipit protervos, & similes compesci ab offensis monasteriorum.

☞ *Loquitur de Regularibus non exemptis viventibus sub regula Ordin. S. Bened. & hæc decretalis confirmatur a Trident. sess. 25. cap. 8. de Regul. & vide ampliationem Elencho III. num. XXXI. ac innovationem Elencho IV. num. XIX.*

Cap. VIII. *Ea quæ*. (8) Tractat 1. de correctione monachorum. 2. de correctione Abbatum. 3. Visitatorum. 4. de sæcularibus in monasteriis beneficiatis. 5. Constitutionem extendit ad moniales.

☞ *Circa ejectionem incorrigibilium nota ut supra c.* Cum ad Monasterium 6. *Quoad correctionem vide Trid. sess. 25. cap. 14. de Regul.*

☞ *Circa amotionem Abbatis, & telam judiciariam, de qua in textu, vide Clementin.* Sæpe contingit. *de verb. sign. & textus loquitur de Abbat. non exemptis.*

IN SEXTO. *Lib. III. sub eodem Titulo, & ibi tit. XVI.*

Cap. unic. *Periculoso*. (9) Moniales tacite, vel expresse professæ, clausuras monasterii exire non possunt, nec alii ad illas intrare; nisi causa legitima, & superioris licentia interveniat.

☞ *Vide ampliationem Elencho III. n. XXXII. & XXXIII. ac innovationem Elencho IV. num. XX. Pœnas vero tam contra egredientes, quam ingredientes Elench. VI. num. LXXXVIII. & seqq.*

In monasterio non Mendicantium tot sorores debent recipi, quot poterunt sine penuria sustentari: & ultra non valet receptio.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CXIX. & ampliationem Elencho III. n. XXXII. & XXXIII.*

Abbatissæ Principibus sæcularibus ad fidelitatis sacramentum præstandum adstrictæ, si non possunt per procuratorem jurare, personaliter exeundo monasterium, jurabunt absque dilatione ad monasterium se redituras.

☞ *Vide Elencho VI. n. LXXXVIII.*

Compelluntur Domini temporales per censuram, ut in suis curiis admittant Abbatissas per procuratores litigare. Ecclesiastici vero in temporalibus, & spiritualibus earum procuratores admittere debent.

Ordinarii locorum in subjectis monasteriis propria, in exemptis Apostol. auctoritate clausuram procurare debent: nec est propter hoc in aliis casibus jurisdictio in exemptos eis attributa.

☞ *Vide notata Elencho VI. n. LXXXVII.*

IN CLEMENTINIS. *Lib. III. sub eodem Titulo & ibi tit. X. continente II. Capitula.*

Cap. I. *Ne in agro*. (10) Interdicit monachis nigris exquisitum ornatum in vestibus, cibis, equitaturis, & lectisterniis. Providet circa qualitatem vestium &c. confessionem, communionem, expositionem regulæ, & noviciorum instructionem.

☞ *Vide Elench. III. n. XXXIV.*

Providet circa venationes & aucupationes & contra euntes ad curias Principum sine licentia suorum superiorum; vel alias vagantes, vel intra septa monasterii arma tenentes.

☞ *Hodie facultas deputandi religiosos ad servitia Principum, & Episcoporum sublata est Superioribus regul. ex decretis generalibus Clement. VIII. innovatis ab Urb. VIII. in decretis de celeb. miss. §. 19.*

Providet circa eorum solitudines, Priorum ætatem, Sacerdotium, professionem, habitationem, ordinationem, & doctrinam monachorum. Confirmat & innovat capp. *Cum ad monasterium 6. in Singulis 7.*

Cap. II. *Attendentes*. (11) Moniales soli Papæ subjectæ, & Canonici sæculares per Ordinarios, & alia exempta per suos Prælatos debent annis singulis visitari, & ponit numerum personarum visitationi interesse debentium.

☞ *Circa visitationem, & subjectionem monialium vide Elencho VI. num. XC. & quod visitationem exemptorum per suos Prælatos vide Trident. sess. 25. cap. 8. de Regul. & ampliationem Elencho III. n. XXXV.*

DE RELIGIOSIS DOMIBUS, UT EPISCOPO SINT SUBJECTÆ.

TITULUS XXXI. *continens IX. Capitula.*

Cap. I. *Nunc*. (12) Si dubitatur in cujus Diæcesi sit Basilica consecranda, ille Episcopus consecrabit, qui prius in illo loco episcopalia exercebat.

Cap. *Quia*. (13) Nihil juris deperit Episcopo, in cujus diæcesi sita est ecclesia, quam Papa unit Ecclesiæ alterius diæcesis.

Cap. III. *De Xenodochiis*. (14) Episcopo ejusque ordinationi subsunt omnia loca pia.

☞ *An Hospitalia sub immediata protectione Regum examinantur a Trident. sess. 22. cap. 8. de reformatione a visitatione Episcopi, vide Fagnan. hoc eodem cap. num. 4. 19. & seqq.*

Cap. IV. *Ad hæc*. (15) Locus auctoritate Episcopi ad usum hospitalitatis deputatus, est religiosus, & ad mundanos usus redire non debet.

Cap. V. *Inter*. (16) Locus religiosus debet reformari de Religiosis dumtaxat, non de sæcularibus; nisi in defectum Religiosorum.

☞ *Facultas reducendi monasteria Regularium ad statum Clericorum sæcularium, etiam ob collapsam regularem disciplinam est tantum penes Papam ex Constit. Innoc. X.* Inter cetera *17. Decemb. 1649. &* Instaurandæ: *Idib. Octobr. 1652.*

Cap. VI. *Constitutus*. (17) Ecclesia sita in diœcesi Episcopi tenetur illi in episcopalibus respondere; nisi appareant remissa legitime: & potest Episcopus, remittendo episcopalia, censum sibi retinere.

Cap. VII *Cum venerabilis*. (18) Episcopus petens Ecclesiam quoad temporalia, & spiritualia, obtinet in spiritualibus eo ipso quod probat esse in sua diœcesi, si non appareat exempta; sed in temporalibus succumbit, nisi aliter doceat de jure suo.

Cap. VIII.

(1) *D. Greg. Fortun. Episc. Neapol.* (2) *Ex Conc. Lat. sub Alex. III.*
(3) *Alex. III. Univers. Ab. & Convers. Cister. Ord.*
(4) *Clem. III.*
(5) *Innoc. III. Ubal. Pleb. S. Gab.*
(6) *Idem Ab. & Convent. Sublac.*
(7) *Idem in Conc. Lateranen.*
(8) *Honor. III. Abbat. & Monach. in Lombar. & Marc. Trevis.*
(9) *Bonif. VIII.*

(10) *Clem. V. in Conc. Vien.*
(11) *Idem ibidem.*
(12) *Incer. Pontif.*
(13) *D. Greg. Agap. Abb.*
(14) *Ex Decr. Eug. II. in Syn. Rom. cel. an. 826.*
(15) *Urban. III. Ariminen. Episc.*
(16) *Innoc. III. Constantinop. Patriarc.*
(17) *Idem Ab. & Fratr. Cryp. Fer.*
(18) *Idem Ab. & Conv. Farf.*

Cap. VIII: *Cum dilectus*. (1) Monaſterium ſubjectum eſt Epiſcopo, in cujus diœceſi ſitum eſt, niſi probetur exemptum.

Cap. IX. *Ne nimia*. (2) Novam Religionem non licet conſtituere ſine auctoritate Papæ nec in diverſis monaſteriis poteſt quis eſſe Abbas, vel Monachus.

☞ *Vide ampliationem in ſeq. & correctionem Elencho II. num. CXX.*

IN SEXTO. *Lib. III. ſub eodem Titulo, & ibi tit. XVII.*

Cap. unic. *Religionum*. (3) Non licet novum Ordinem, vel Religionem, aut habitum novæ Relig. creare, & aſſumere, & revocantur Ordines Mendicantium per Papam non approbati, creati poſt Concilium Lugdunenſe 1273.

Religioſi Mendicantes per Papam poſt dictum Conc. approbati, & inſtituti, non poſſunt aliquem ad profeſſionem recipere, domum, vel locum de novo acquirere, nec acquiſita ſine licentia alienare, nec extraneis prædicare, confeſſiones eorum audire, vel ad ſepulturam admittere. Contra factum non tenet, & contrafaciens excommmunicatus eſt.

Revocatio Ordinum Mendicantium Prædicatores, Minores, Eremitanos, & Carmelitas non comprehendit.

Exiſtens de Ordinibus revocatis, non collegialiter, ſed ſingulariter ad alios Ordines tranſire poteſt.

IN CLEMENTINIS. *Lib. III. ſub eodem Titulo, & ibi tit. XI. continente II. Capitula.*

Cap. I. *Cum de quibuſdam*. (4) Mulieres ſtatum Beguinarum ſectantes, & de novo aſſumentes, ac Religioſi in hoc dantes conſilium, vel favorem, ipſo facto ſunt excommunicati: ſtatus tamen pœnitentialis per hoc non interdicitur.

Cap. II. *Quia contingit*. (5) Statuit hoſpitalia reformari per Collatores ipſorum; & cogi Rectores eorum ad conſervationem locorum, & ſuorum jurium, & ad hoſpitalitatem tenendam: ſtatuit per locorum Ordinarios ſupplere defectum, vel negligentiam Collatorum, etiam circa exempta.

Præcipit hoſpitalia in beneficium non concedi, niſi in duobus caſibus; & reprobat contrariam conſuetudinem; ſubmittens, quales eſſe debeant, quibus adminiſtratio ipſa committitur, & de ipſorum juramento, inventario, & ratione reddenda.

☞ *Vide ampliationem Elenc. III. num. XXXV. & Elencho IV. num. XXI.*

Declarat conſtitutionem non extendi ad hoſpitalia Religioſorum Militarium Ordinum.

Conſervat antiquas conſuetudines talium locorum circa divina officia, & Sacramenta.

IN EXTRAVAGANTIBUS JOANN. XXII. *Lib. III. ſub eodem Titulo, & ibi tit. VII.*

Cap. unic. *Sancta*. (6) Secta, & Religio Fraticellorum, ſive Beguinorum, qui ſe dicebant de tertio Ordine B. Franciſci, caſſatur, quoniam inter ceteros errores, Eccleſiaſtica ſacramenta deſpiciebant.

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS. *Lib. III. ſub eodem Titulo, & ibi tit. IX.*

Cap. unic. *Ratio*. (7) Licet Beguinarum ſtatus ſit per Clem. V. reprobatus, permittitur tamen mulieribus fide dignis, quæ nec ſunt culpabiles, nec ſuſpectæ ſub habitu Beguinarum vivere; nec ſunt tales per Ordinarios moleſtandæ.

☞ *Vide cap. 1. in Clenent. ſupr.*

DE CAPELLIS MONACHORUM, ET ALIORUM RELIGIOSORUM.

TITULUS XXXVII. *continens IV. Capitula.*

Cap. I. *In Eccleſiis*. (8) Ad curam monaſterio ſubjectam non monachi, ſed ſæculares Clerici præficiuntur, & Epiſcopis ſubſunt.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CXXI.*

Cap. II. *Dilectus*. (9) Si Eccleſia non cathedralis vindicat ſibi jus in alia Eccleſia, obtinebit ſolum quo ad ea, quæ probabit ſibi deberi præſcriptione, vel alio legitimo modo.

Cap. III. *Ex parte*. (10) In prioratibus Monachorum non poſſunt ſinguli Monachi commorari, etiamſi ſuper hoc habeant reſcriptum Apoſtolicum; niſi in illo fiat mentio de Lateran. Conc. ſub Alexandro III.

Cap. IV. *Ad audientiam*. (11) Ordinarius compellit Abbatem, ut Monachos a Prioratibus revocet ad clauſtrum, vel eis ſocios adjungat.

IN SEXTO. *Lib. III. ſub eodem Titulo, & ibi titulo XVIII.*

Cap. unic. *Presbyteri*. (12) Inſtituti in Eccleſiis Monachorum ad curam populi per Epiſcopum ad ipſorum præſentationem, per eumdem, ſi cauſa ſubſit, ſint deſtituendi.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CXXII.*

DE JURE PATRONATUS.

TITULUS XXXVIII. *continens XXXI. Capitula.*

Cap. I. *Perlatum*. (13) Si propter diſcordiam Patronorum Eccleſia caret adminiſtratore, ceſſatur in Eccleſia a Divinis; tolluntur reliquæ, & oſtia clauduntur, ſi aliter ſine ſcandalo Eccleſiæ provideri non poteſt.

☞ *Vide correctionem Elencho I. n. XXXIX.*

Cap. II. *Quacumque*, (14) *Summatur ut ſupra.*

☞ *Vide correctionem Elencho I. n. XL.*

Cap. III. *Quoniam*. (15) Si Patroni in præſentando diſcordant, præfertur præſentatus a majori parte, ſi eſt idoneus; etſi hoc ſine ſcandalo fieri non poteſt, vel Patroni intra tempus debitum non præſentant, Epiſcopus ordinabit Eccleſiam.

Cap. IV. *Præterea*. (16) Excommunicantur Patroni laici, qui Clericos inſtituunt, & deſtituunt in Eccleſiis, etiam patronatis, vel bona ipſarum aliter adminiſtrant: & Clerici, qui inſtitutionem laicorum recipiunt communione priventur.

☞ *Ex Conc. Later. ſub Leone X. dicti Clerici redduntur inſuper inhabiles ad qualibet beneficia obtinenda, donec a Papa fuerint diſpenſati Theſ. Verb.* Beneficium *c. 8. n. 3. quod idem ſtatuitur cap.* Quiſquis 43. *de Elect. & vide notata infra cap.* Illud 8.

Cap. V. *Quod autem*. (17) Si Patronus laicus ſucceſſive præſentat duos, & ſecundus inſtituitur ab Epiſcopo, valet inſtitutio. Patronus non poteſt Clerico, vel alteri Eccleſiæ conferre Eccleſiam patronatam, vel alteri donare.

Cap. VI. *Quia*. (18) Comparans, vel emens juſpatronatus, eo ſpoliari debet. *Vel ſic*: Qui emit juſpatronatus, ut poſſit præſentare filium, vel nepotem, ſeu quem vult eo privari debet.

☞ *Vide ampliationem Elencho III. n. XXXVII.*

Cap. VII. *Ex litteris*, (19) Juſpatronatus conſiſtens in aliqua Univerſitate temporalium, tranſit cum ipſa Univerſitate, licet hæc tranſeat tantum quoad utile dominium, niſi juriſpatronatus ſpecifice ſit exceptum.

Cap. VIII. *Illud*. (20) Si Laicus Clerico, vel religioſo loco concedit Eccleſiam ſine conſenſu Epiſcopi, non obſtante tali conceſſione, quæ non valet, ad ipſam Eccleſiam, cum vocaverit, poterit præſentare, & eam alteri Eccleſiæ de conſenſu Epiſcopi poterit concedere.

☞ *Hoc cap. concordat cum capp.* Cum Laici, *&* Suggeſtum *infra. Quoad præſentationem faciendam Epiſcopo, & quoad nullitatem præſentationis aliter facta vide Trid. ſeſſ. 14. c. 13. de ref.*

Cap. IX. *Querimonia*. (21) Inſtituti in Eccleſiis patronatis, per novos Patronos mutari non poſſunt; nec viciſſitudines Eccleſiarum per eos fieri.

Cap. X. *Cum laici*. (22) Patronus Eccleſiam Clerico, inconſulto Epiſcopo, conferre non poteſt, & ſi contulerit, poteſt, hoc non obſtante, ad Eccleſiam præſentare alium Rectorem ab Epiſcopo inſtituendum.

☞ *Nota ut in cap.* Illud 8. *ſupr.*

Cap. XI. *Cura*. (23) Religioſi ſine Diœceſani conſenſu vindicare, vel retinere non poſſunt Eccleſias ſibi conceſſas a laicis in iiſdem juſpatronatus habentibus, niſi legitime præſcripſerint, vel poſtea Diœceſanus conſenſerit.

Cap. XII. *Si vero*. (24) Si Patroni Eccleſiæ vacantis intra tempus a jure conceſſum non præſentant, Epiſcopus ordinabit Eccleſiam.

Cap. XIII. *Cum ſæculum*. (25) Si juſpatronatus Eccleſiæ advenit ad exemptos, per hoc in nullo debet lædi jus epiſcopale.

Cap. XIV.

(1) *Idem Lucen. Ep. Ab. de Melon. & Petr. Jo. Archid. Aſtoric.*
(2) *Idem in Conc. Lat.* (3) *Greg. in Conc. Lugdun.*
(4) *Clem. V. in Conc. Vien.*
(5) *Idem.*
(6) *Joann. XXII. Aven.*
(7) *Idem.*
(8) *Urban. II. in Conc. Claromon. an.* 1095. Hoc cap. apud Gonzal. incip. Congregato.
(9) *Innoc. III. Archipr. &c. S. Cær. de Urb. Tranſtyb.*
(10) *Honor. III. Ep. Venetten.*
(11) *Idem Burdeg. Epiſc.* (12) *Bonif. VIII.*
(13) *Ex Conc. Mediolanen.*
(14) *Ex Conc. Tribur.*
(15) *Ex Conc. Later. ſub Alex. III.* (16) *Ex eodem.*
(17) *Alex. III. Ebor. Archiep.*
(18) *Idem Exen. Epiſc.* (19) *Idem H. Eſord. Ep. &c.*
(20) *Idem VVinton. Epiſc.*
(21) *Idem eid.* (22) *Idem Ebor. Archiep.*
(23) *Idem Ab. & Prior. & Cleric. Archiepiſcopat. Eboracen.*
(24) *Idem*, vel Luc. III. *Lincon. Ep.* juxta Gonzal.
(25) *Idem Hoſpit. & Templ.*

Cap. XIV. *Ex insinuatione*. (1) Sine consensu Patroni non potest quis Ecclesiam occupare.

Cap. XV. *Consuluit*. (2) Non potest Patronus Ecclesiam sibi retinere, vel etiam alteri concedere propria auctoritate.

Cap. XVI. *De jure*. (3) Juspatronatus absolute vendi non potest.

Cap. XVII. *Nullus*. (4) Patronus non potest sine Episcopi, vel Papæ consensu etiam loco religioso conferre Ecclesiæ decimas, vel aliud spirituale.

Cap. XVIII. *Significasti*. (5) Si quis Episcopus in Ecclesia alterius diœcesis est Patronus, præsentatus ab eo debet admitti, si est idoneus.

Cap. XIX. *Consultationibus*. (6) Institutus ad præsentationem ejus, qui tunc juspatronatus Ecclesiæ possidebat, removeri non debet; licet illud jus ab eo postmodum evincatur: secus si non possidebat, sed tantum credebatur esse Patronus.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CXXIII.*

Cap. XX. *Suggestum*. (7) Valet secunda concessio Ecclesiæ facta alteri Ecclesiæ per Episcopum, & Patronum, non obstante priori facta per Patronum solum.

Cap. XXI. *Relatum*. (8) Ab officio, & beneficio removetur, qui monitus non dimittit Ecclesiam sine consensu Episcopi concessam.

☞ *Nota ut in c.* Illud 8. *supr.*

Laici spoliantes Ecclesiam, excommunicantur.

Cap. XXII. *Eam te*. (9) Si quæstio jurispatronatus (*Ecclesiastici*) intra sex menses non terminatur a tempore vacationis, libere potest Episcopus sine præsentatione ibidem instituere Rectorem.

☞ *Vide cap.* Si laicus *in 6. hoc tit.*

Cap. XXIII. *Præterea*. (10) Patronus juspatronatus propria auctoritate alienare non potest; nec ab Ecclesia aliquid temporale exigere; nisi tempore fundationis a Diœcesano illud fuerit ei reservatum.

Cap. XXIV. *Cum autem*. (11) In pluribus successive præsentatis a Patrono laico Episcopo datur gratificatio, sed in præsentatis a persona Ecclesiastica, potior est primo præsentatus.

Cap. XXV. *Nobis*. (12) Ex constructione Ecclesiæ facta de consensu Episcopi acquiritur juspatronatus. Patronus non eligit Prælatum in conventuali Ecclesia, sed in capella sic. Patrono debetur processionis honor, & alimentatur ab Ecclesia, si vergat ad inopiam.

☞ *Vide Trident. sess. 14. cap. 12. & sess. 25. cap. 9. de refor.*

Cap. XXVI. *Per nostras*. (13) Patronus Ecclesiæ vacantis, quamquam sit Clericus, ad eam se præsentare non potest.

☞ *Potest tamen acceptare præsentationem sui factam ab aliis compatronis Rota divers. par. 2. decis. 185. n. 4.*

Cap. XXVII. *Cum propter*. (14) Si quæstio jurispatronatus inter Patronos non definitur intra quatuor menses, Episcopus ordinabit Ecclesiam sine præjudicio eorumdem.

☞ *Vide Trid. sess. 24. cap. 18. de ref. & addit. meas lib. III. tit. 38. post. n. 31.*

Cap. XXVIII. *Cum dilectus*. (15) Legatus de latere Ecclesiam, cujus alia Ecclesia est Patrona collationi suæ reservare potest, licet non vacet, & conferre, cum vacat.

Ex duobus præsentatis a Patrono laico potest superior instituere secundum.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CXXIV.*

Cap. XXIX. *Pastoralis*. (16) Si laicus Patronus duos successive præsentet, valet institutio de secundo, non obstante appellatione prius facta per primum. Episcopus tamen, qui malitiose primum repulit eidem in competenti beneficio providere compellitur.

Cap. XXX. *Postulasti*. (17) Si ad præsentationem Rectoris ad titulum Ecclesiæ aliquis fuerit ordinatus, Patronus, qui non consentit, ad ipsam, cum vacabit, poterit præsentare.

Cap. XXXI. *Transmissa*. (18) Patronus etiam Clericus Ecclesiam vacantem conferre non potest, etsi contulit, potest nihilominus ad illam præsentare.

IN SEXTO. *Lib. III. sub eodem Titulo, & ibi tit. XIX.*

Cap. unic. *Si laicus*. (19) Donatio jurispatronatus laici facta loco Ecclesiastico, etiam sine consensu Episcopi tenet: non tamen præjudicat juri Episcopi.

☞ *Vide Trid. sess. 25. c. 9. de ref.*

Laicus quadrimestre tempus habet ad præsentandum; Ecclesia vero semestre, licet a laico acquisiverit jus patronatus.

IN CLEMENTINIS. *Lib. III. sub eodem Titulo & ibi tit. XII. continente II. Capitula.*

Cap. I. *Ut constitutio*. (20) Si præsentatis ad Ecclesias per Patronos Ecclesiasticos, in quibus ipsi non consueverunt omnia onera supportare, non assignetur intra terminum competentem congrua portio, Diœcesanus eam assignare debebit. Quod locum non habet quando onera sunt per Patronos supportanda.

Cap. II. *Plures*. (21) In plures hæredes unius ex pluribus patronis transit jus patronatus per stirpes.

DE CENSIBUS, EXACTIONIBUS, ET PROCURATIONIBUS.

TITULUS XXXIX. *continens XXVII. Capitula.*

Cap. I. *Sanctum*. (22) Ecclesiæ fundandæ debet pro dote tribui mansus liber a quolibet servitio temporali, non tamen ab Ecclesiastico, sed si aliquid confertur Ecclesiæ ultra mansum, tenetur Ecclesia ex eo solvere onera consueta. *Vide Gonzal.*

Cap. II. *Omnis*. (23) Solutio tributi arguit subjectionem.

Cap. III. *Scientes*. (24) Non potest Episcopus novum censum imponere monasterio.

Cap. IV. *Licet*. (25) Cœcus, & pauper ad collectas non tenentur.

☞ *Michelorius tract. de cœco cap. 23. intelligit hunc textum quo ad cœcum de collectis personalibus, non realibus: licet Gonzalez fentiat exemptum esse ab utrisque de benignitate Ecclesiæ juxta litteram textus.*

Cap. V. *Pervenit*. (26) Petens censum, debet rationem exprimere, puta si non constet de titulo, seu causa ipsius census, vel non elapsum sit tempus legitimum, quod justum titulum præsumere facit.

Cap. VI. *Cum Apostolus*. (27) Ponit numerum equorum, quos secum ducere possunt Prælati visitantes: & prohibet eis tunc uti venationibus, & sumptuosas epulas quærere.

☞ *Vide Trid. sess. 24. cap. 3. de ref.*

Prælati non debent gravare subditos talliis, & exactionibus: permittitur tamen ex justa causa petere ab eis moderatum auxilium.

Cap. VII. *Prohibemus*. (28) Novus census Ecclesiis imponi nequit, nec antiquus augeri.

Cap. VIII. *Præterea*. (29) Prælatus, seu rector Ecclesiæ non potest, præsertim post mortem, Ecclesiam suam propria auctoritate constituere censualem.

Cap. IX. *Ecclesiis*. (30) Episcopus Ecclesiæ de manu laici per se ereptæ, non potest ob hoc censum imponere.

Cap. X. *Innovamus*. (31) Nova pedagia sine consensu Principis imponens, communione privatur.

☞ *Vide Bulla* Cœnæ.

Cap. XI. *Cum Clerici*. (32) Qui per collusionem constituit Ecclesiam censualem, illa privabitur.

Cap. XII. *Ea quæ*. (33) Si collectores gravant Ecclesias, privari debent officio.

Cap. XIII. *Significavit*. (34) Qui recipit juramentum de novo censu imposito Ecclesiæ persolvendo, compellitur jurantem absolvere.

Cap. XIV. *Sopitæ*. (35) Archiepiscopus visitans provinciam, etiam a monasteriis provinciæ procurari debet.

☞ *Vide moderationem Elencho II. n. CXXV.*

Cap. XV. *Gravis*. (36) Patroni etiam Clerici novum censum Ecclesiæ imponere non possunt, nec veterem augere. Et si super hoc juramenta, vel cautiones exegerunt, coguntur absolvere.

Cap. XVI. *Quanto*. (37) *Loquitur de onere imposito a Funda-*

(1) *Idem.* (2) *Idem Adrien. Ep.*
(3) *Idem.* (4) *Idem.*
(5) *Idem.* (6) *Idem Ab. S. Alb.*
(7) *Idem Ebor. Archiep.*
(8) *Idem Archiep. & Ep. per. Angl.*
(9) *Idem.* (10) *Luc. III.*
(11) *Idem Noric. Ep.*
(12) *Clum. III.* vel Cælest. III. juxta Gonzal.
(13) *Innoc. III. Rothomag. Archiep.*
(14) *Idem Conventr. Episc.*
(15) *Idem Archid. Cancel. & Decan. Altissod. Paris.*
(16) *Idem Helien. Episc.*
(17) *Idem Aurien. Episc.*
(18) *Greg. IX. Archiep. Ebor.*

(19) *Bonif. VIII.*
(20) *Clem. V. in Conc. Vien.* (21) *Idem.*
(22) *Ex Conc. Guamaticen.* seu VVormatien.
(23) *Ex Ep. 13. D. Paul. ad Rom.*
(24) *D. Greg. Steph. Cartular.*
(25) *Idem Constantin. Ep.*
(26) *Pasch. II. Comitis. Mathil.*
(27) *Ex Conc. Lat. sub Innoc. III.*
(28) *Ex eodem sub Alex. III.*
(29) *Alex. III. VVigorn. Episc.*
(30) *Idem Carnot. Episc.* (31) *Idem.*
(32) *Idem Cantuar. Archiep.*
(33) *Idem.* (34) *Luc. III.*
(35) *Idem Ravenatm. Episc.*
(36) *Clem. III.*
(37) *Innoc. III. Ab. & Convent. Bellevil.*

Fundatore cujusdam monasterii favore alterius, cujus explanationem vide in Gonzal.

Cap. XVII. *Cum instantia.* (1) Omnes Ecclesiæ, nisi sint exemptæ, procurare tenentur Legatos, & Nuncios Sedis Apostolicæ, nec in hoc præscriptione juvantur, & tractat de modo procurationis eorumdem.

Cap. XVIII. *Ex parte.* (2) Si ad unicam mensuram solvi solet quod debetur ex voto, ad illam imposterum solvi debebit: si vero ad diversas, liberabitur solvens etiam ad minorem.

☞ *Vide in Gonzal. historiam, & originem voti, de quo hic.*

Cap. XIX. *Cum olim,* (3) Ecclesiæ tenentur Episcopo, in cujus Diœcesi sunt, respondere de procurationibus, quarta decimarum, & aliis episcopalibus.

Cap. XX. *Olim.* (4) Solvendi sunt census ad antiquam monetam, in qua instituti fuerint, nisi sit in alterius monetæ solutione præscriptum.

☞ *Vide Auctorem hoc tit. n. 3. & seqq.*

Cap. XXI. *Cum venerabilis.* (5) Episcopus remittens Ecclesiæ servitia sibi debita, & statuens, quod aliud servitium non imponatur, procurationem non intelligitur remisisse.

☞ *In textu statuitur, Episcopum bis in anno visitantem, bis quoque debere procurationem recipere: sed ex decreto Cong. Conc. relato in Thes. Resol. in S. Marci Plurium 16. Jan. 1723. pluries visitans intra annum, quod præstare potest toties quoties opus fuerit etiam intra annum ex Trid. c. 4. sess. 6. de refor. semel tantum procurari debet: & vide correctionem Elencho II. n. CXXVI.*

Cap. XXII. *Super eo.* (6) Ecclesiæ noviter jurisdictioni Episcopi assignatæ in procurationibus, & aliis servabunt consuetudinem vicinarum.

Cap. XXIII. *Procurationes.* (7) Prælati tunc sunt procurandi, cum personaliter visitant; & debent tunc servare mediocritatem evectionum, & personarum juxta Conc. Later. sub Alex. III & prædicationi, correctioni, & reformationi vacare: Legati, & Nuncii Apostolici pro diebus tantum, quibus moram trahunt, procurari debent, & contra hanc constitutionem exactum restituitur duplicatum.

☞ *Vide Trid. sess. 24. cap. 3. de refor.*

Cap. XXIV. *Venerabili.* (8) Ecclesia etiam civitatensis tenetur procurare Episcopum visitantem, quamquam ipsum nunquam procuraverit.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CXXVII.*

Cap. XXV. *Cum nuper.* (9) Qui jure metropolitano, vel legationis visitat provinciam, in provinciales, sibi procurationes denegantes potest ferre sententiam.

Cap. XXVI. *Cum Canonicis.* (10) Ad antiquam monetam, vel si non est in usu, ad ejus æstimationem solvendæ sunt pensiones antiquæ.

Cap. XXVII. *Auctoritate.* (11) Propter privatum Oratorium procuratio ratione visitationis non debetur.

☞ *Hoc secundum omnes Canonistas locum habet in omnibus Oratoriis privatis: sed textus loquitur de Oratoriis sitis in Granciis Monachorum, ubi degunt tantum Conversi pro agrorum cultura, ibique interdum monachi celebrant. De quibus vide Add. meas tit. 48. lib. III. & Elencho VI. n. XXX.*

IN SEXTO. *Lib. III. sub eodem Titulo, & ibi tit. XX. continente V. Capitula.*

Cap. I. *Romana.* (12) Archiepiscopus volens provinciam visitare, prius debet visitare Ecclesiam, civitatem, & diœcesim propriam, clericos, & laicos earumdem.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. XLI. & XLII. ac moderationem Elencho II. n. CXXVIII.*

Visitata sua diœcesi, Archiepiscopus in parte, vel in totum, visitat omnia loca ecclesiastica, clerum, & populum provinciæ, procurationem a visitatis recipiendo.

Archiepiscopus post inceptam visitationem in una diœcesi, transiens ad aliam, ad primam redire non potest, nisi de novo reiteret in tota provincia.

Expedita visitatione, non reiterat illam Archiepiscopus sine consilio Suffraganeorum, & definitione in scriptis prius facta, debet tamen reincipere ab illis, qui in prima non fuerunt visitati.

Archiepiscopus visitans debet proponere verbum Dei, inquirere de vita ministrorum, & de pertinentibus ad divinum officium, absque juramento. Infamatos Ordinariis denunciet, & notoria crimina puniat.

☞ *Vide Trid. sess. 24. cap. 3. de ref.*

Visitator non in pecunia, sed in victualibus recipiet procurationem moderatam, nec familia sua aliquid recipere potest, etiam prætextu officii, nec ipse, nec sui aliquod munus etiam oblatum recipient.

☞ *Vide notata cap. 2. & 3. seqq.*

Forma visitationis præmissa servari debet ab Episcopis, & aliis Prælatis inferioribus Regularium, consuetudinibus exceptis.

Cap. II. *Exigit.* (13) Confirmat præcedentem decretalem Innoc. IV. pœnas adjiciens.

☞ *Vide correctionem Elencho I. nu. XLIII. & XLIV. & Elencho II. n. CXXIX. Elencho III. n. XXXVIII. ac Elencho IV. n. XXII.*

Cap. III. *Felicis.* (14) Visitator recipere potest procurationem in pecunia, volentibus visitatis, sed una die ultra unam procurationem non recipiet, licet plura visitaverit loca.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CXXX.*

Cap. IV. *Quanquam.* (15) Si Universitas, vel singularis persona Ecclesias, vel ecclesiasticas personas compulerit solvere pedagia, vel guidagia, vel exactiones pro rebus suis, quas causa negotiationis non deferunt, vel pro personis; singulares sunt excommunicati, & Universitas interdicta: nec prodest contraria consuetudo.

☞ *Hæc decretalis confirmat, & ampliat c. Quia nonnulli, 1. de immun. Eccl. hoc. eod. lib. & vide addita a Clem. V. cap. Præsenti 3. hoc eod. tit. vide etiam Trident. sess. 25. cap. 20. de ref. ac ampliationem Elencho I. n. XLV.*

Cap. V. *Perpetuo,* (16) Archiepiscopus visitare potest provinciam, ac etiam iterare, licet Suffraganei non sint negligentes: & tunc confessiones omnium audire, absolvere, & pœnitentias imponere.

☞ *Vide moderationem Elencho II. n. CXXXI.*

IN CLEMENTINIS. *Lib. III. sub eodem Titulo & ibi tit. XIII. continente III. Capitula.*

Cap. I. *Cum sit.* (17) Religiosi subire tenentur onera, quæ incumbebant Ecclesiis a se ante hoc Conc. acquisitis; nisi privilegio, exceptione, vel alia justa causa juventur: quæ privilegia, vel exemptiones non juvant in Ecclesiis post Conc. acquirendis.

Cap. II. *Ad nostrum,* (18) Ponit quædam gravamina, quæ Prælati inferebant exemptis, præcipue Cisterciensibus; & illa fieri prohibet; statuens, quod Episcopi, qui in monasterio Cisterciensis Ordinis charitative procurantur, sint contenti cibariis, quæ sibi ministrantur. Si vero procurantur ex debito, ipsis volentibus, carnes ministrari debent extra septa monasterii, vel saltem extra portam, quæ dicitur regularis. Ipsorum etiam eleemosynarii fragmenta mensarum possunt pauperibus erogare.

Cap. III. *Præsenti.* (19) Diœcesani, quibus hoc constat, illos, qui exigendo a Clericis pedagia, vel guidagia excommunicati sunt, vel interdicti, publicare debent.

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS. *Lib. III. sub eod. Titulo & ibi tit. X.*

Cap. unic. *Vas electionis.* (20) Taxat procurationes, pabula charitatis, & subsidium charitativum. Salvat privilegia, conventiones, consuetudines, præscriptiones, & indemnitatem pauperum. Inhibet contraveniri. Punit transgressores, & eorum familiares.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CXXXII.*

DE CONSECRATIONE ECCLESIÆ VEL ALTARIS.

TITULUS XL. *continens X. Capitula.*

Cap. I. *Ad hæc.* (21) Amoto altari, vel lapide continente sigillum, reconsecrabitur altare, non autem Ecclesia.

Cap. II. *Tua fraternitas.* (22) Diebus etiam non festis possunt Ecclesiæ consecrari.

Cap. III. *Quod in dubiis.* (23) 1. Idem dicit, quod in præced. 2. quod oleum non consecratum potest commisceri oleo consecrato (*si hoc est in majori quantitate*) & totum sit consecratum.

Cap. IV. *Proposuisti.* (24) Reconciliatur Ecclesia, quæ propter homicidia, & vulnera hominum ibi perpetrata, polluta est.

Cap. V. *Cum sis.* (25) Plura altaria simul in eadem Ecclesia consecrari possunt, & idem in pluribus Episcopis.

Cap.

(1) *Idem Primic. & Clero Mediol.*
(2) *Idem Zamor. & Salman. Ep.*
(3) *Idem Cæsaraug. Ep.*
(4) *Idem Spalet. Ep.*
(5) *Idem Prior. S. Steph. Diœc. Tharen.*
(6) *Idem Petro Compostel. Archiep.*
(7) *Idem in Concil. Lateranen.*
(8) *Honor. III. Ab. de Tyro, & de Josaphath.*
(9) *Greg. IX.* (10) *Idem.*
(11) *Idem.*
(12) *In. IV.*
(13) *Gregor. X. in Concil. Lugdunen.*
(14) *Bonif. VIII.* (15) *Idem.*
(16) *Idem.* (17) *Clem. V. in Conc. Vien.*
(18) *Idem.* (19) *Idem.*
(20) *Bened. XII.* (21) *Alex. III.*
(22) *Idem Tornac. Episc.*
(23) *Idem Nidros. Episc.*
(24) *Idem Compostel. Archiep.* (25) *Idem.*

Cap. VI. *Ligneis*. (1) Corruente tecto, parietibus illæsis, & mensa altaris non enormiter fracta, nec altare, nec Ecclesia consecratur.

Cap. VII. *Consuluisti*. (2) Polluitur Ecclesia, vel cœmeterium, si excommunicatus in ea sepelitur.

Cap. VIII. *Cum sicut*. (3) Qui fecit Ecclesiam consecrari, tenetur eam dotare.

Cap. IX. *Aqua*. (4) Ecclesia polluta per Sacerdotem simplicem reconciliari non potest, etiam si aqua fuerit per Episcopum benedicta.

Cap. X. *Si Ecclesia*. (5) Ecclesia etiam non consecrata, si polluitur, reconcilianda est.

IN SEXTO. *Lib. III. sub eodem Titulo & ibi tit. XXI.*

Cap. unic. *Si Ecclesiam*. (6) Polluta Ecclesia, pollutum est cœmeterium contiguum, sed non remotum. Pollutio cœmeterii Ecclesiam non polluit, licet contiguam. Polluto uno cœmeterio, aliud contiguum pollutum non est, licet per portam de uno in aliud detur ingressus.

DE CELEBRATIONE MISSARUM, ET SACRAMENTO EUCHARISTIÆ, ET DIVINIS OFFICIIS.

TITULUS XLI. *continens XIV. Capitula*.

Cap. I. *Presbyter*. (7) Presbyter tenetur horis debitis dicere horas canonicas; permittitur tamen ex causa dicere eas usque ad vesperas inclusive.

☞ *Qui alii teneantur ad horarum, & officii B. Virginis recitationem vide Additiones meas lib. III. hoc eod. tit. cum hic textus loquatur solum de parocho, ac de horarum recitatione publice peragenda.*

Cap. II. *Quidam*. (8) Propter missam specialem (*idest de particularibus Sanctis ad indiscretam quorundam petitionem*) missa de feria dimittenda non est.

Cap. III. *Consuluisti*. (9) Sufficit Sacerdoti semel in die celebrare: excepto casu necessitatis, & festo Nativitatis.

☞ *Hoc verbum* Sufficit; *Sacerdotes adigit sub præcepto, ne pluries in die celebrent, ut ex epist. BENED. XIV. ad Episc. Oscensem*: Declarasti 16. Mart. 1746.

Cap. IV. *Consilium*. (10) In missa votiva B. Virginis licet dicatur propria præfatio, non tamen dicitur hymnus Angelicus, nec Symbolum.

Cap. V. *Ex parte*. (11) Semper Sacerdos vino perfundere debet, postquam totum acceperit Eucharistiæ Sacramentum; nisi eadem die aliam missam deberet celebrare.

Cap. VI. *Cum Marthæ*. (12) Si quæ verba sunt in canone missæ, quæ ab Evangelistis dicta non fuerunt, credere debemus, quod a Christo Apostoli, & ab Apostolis eorum successores acceperunt.

In sacramento altaris aqua cum vino transsubstantiatur in sanguinem.

☞ *Hic Innoc. non decidit, sed dicit hanc inter alias opiniones esse probabiliorem, ut in textu.*

Cap. VII. *de homine*. (13) Gravius peccat qui simulat in missa corpus Christi conficere, & non conficit, quam ille, qui conficit in mortali.

☞ *Hoc ob idololatriam saltem materialem, cujus causam præbet missam audientibus; & vide Addit. meas lib. V. tit. 28. post n. 4.*

Cap. VIII. *In quadam*. (14) Hic improbat opinionem, quod in Sacramento altaris aqua convertatur in phlegma: & probat Christum fuisse verum Deum, & verum hominem, & quod de ipsius latere exivit vera aqua.

Cap. IX. *Dolentes*. (15) Præcipit Prælatis, & Clericis in virtute obedientiæ, ut nocturnum officium, & diurnum studiose celebrent, & devote.

☞ *Vide Additiones meas lib. III. hoc eod. tit. post n. 11.*

Cap. X. *Sane*. (16) Eucharistia debet munde servari, & in ejus elevatione, & delatione populus debet se inclinare: & cum defertur ad infirmum, debet deferri in decenti habitu, & cum lumine; transgressores vero sunt puniendi.

☞ *Vide Trid. sess. 13. cap. 6. & cap. 6. & 7. de Euchar.*

Cap. XI. *Cum creatura*. (17) In Ecclesiis collegiatis debent celebrari duæ missæ collegialiter, una pro defunctis, alia pro festo, si festum occurrit; vel pro feria, si feria.

☞ *Vide Elencho VI. n. XLIII.*

Cap. XII. *Te referente*. (18) In die Cœnæ Domini Episcopus tantum in sua Ecclesia debet missam celebrare, & Chrisma conficere.

Cap. XIII. *Perniciosus*. (19) In Sacrificio altaris plus de vino, quam de aqua ponendum est.

Cap. XIV. *Litteras*. (20) Ab officio, & beneficio deponitur Presbyter celebrans qui sine aqua, & *sine duobus saltem candelis accensis*, vel in pane fermentato, si non sit Sacerdos græci ritus, vel vase ligneo sacrificat.

☞ *Non tamen vetitum est sacrificare in vase stanneo, quando Ecclesiarum, vel Sacerdotum tanta est paupertas, ut majoris pretii vasa comparari nequeant*. Ut Calix *de consecrat. dist. 1.*

IN CLEMENTINIS. *Lib. III. sub eodem Titulo, & ibi tit. XIV. continente II. Capitula.*

Cap. I. *Gravi*. (21) Prælati, ad quos spectat correctio, & illis negligentibus, Superiores ipsorum debent esse soliciti, ut horis debitis in cathedralibus, regularibus, & collegiatis Ecclesiis horæ canonicæ devote psallantur: & quod in Ecclesiis aliis celebretur convenienter, & debite diurnum officium, & nocturnum.

Cap. II. *Dignum*. (22) Clerici etiam religiosi, domestici commensales Cardinalium, vel Episcoporum se possunt illis in Divinis Officiis coaptare.

☞ *Cum hoc privilegium sit restrictum ad recitantes cum solis Cardinalibus, ac Episcopis, & quidem consecratis, & non electis tantum, non est extendendum ad recitantes cum quibuscumque aliis, ut aliqui perperam opinarunt.*

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS. *Lib. III. sub eodem Titulo & ibi tit. XI.*

Cap. unic. *Discipulorum*. (23) Præcipit recitari certas preces, dum missæ celebrantur, & viginti dies indulgentiarum hoc facientibus elargitur.

DE BAPTISMO, ET EJUS EFFECTU.

TITULUS XLII. *Continens VI. Capitula.*

Cap. I. *Si quis*. (24) Licet puer sit ter mersus in aqua, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, si non sit dictum. *Ego te baptizo in nomine &c.* non est baptizatus.

Cap. II. *De quibus*. (25) Si probaliter dubitatur, an quis fuerit baptizatus potest baptizari *sub conditione*.

Cap. III. *Majores*. (26) Sacramentum baptismi utiliter confertur parvulis, licet non credant, nec intelligant, & remittitur eis peccatum originale.

Originale peccatum, quod sine consensu contrahitur, remittitur in baptismo, etiam non consentienti, ut parvulis: secus de actuali: quia sicut non committitur sine consensu, ita non relaxatur.

Licet in baptismo dimittatur originale peccatum parvulis, qui tamen consentire non possunt, in adultis tamen amentibus, vel dormientibus, qui non consentiunt baptismo, non dimittitur actuale; & idem etiam nec originale.

☞ *Quoad amentes intellige, si non sint tales a nativitate, cum tunc æquiparentur parvulis.*

Amentes, vel dormientes baptizati, si ante dementiam, vel dormitionem baptizari volebant, characterem suscipiunt, alias secus. Coacti vero causative suscipiunt.

Cap. IV. *Debitum*. (27) Nemo potest se ipsum baptizare, etiam instante necessitatis articulo.

Cap. V. *Non ut*. (28) Ubi deest vel forma vel aqua, non est baptismi sacramentum.

Cap. VI. *Licet*. (29) Baptizatos a Latinis Græci rebaptizare non debent.

IN CLEMENTINIS. *Lib. III. sub eodem Titulo & ibi tit. XV.*

Cap. unic. *Præsenti*. (30) In fontibus Ecclesiarum, non in privatis domibus debet baptisma conferri; & transgressores puniri præcipit, exceptis duobus casibus.

☞ 1. *Quando sunt baptizandi liberi Regum, vel Principum, quorum nomine veniunt, etiam nepotes ex filiis,* & *alii*

(1) *Innoc. III. Archiep. & Cap. Bisunt.*
(2) *Idem Selvuic. Ep.*
(3) *Honor. III. Gertr. Ux. And. II. Reg. Hung.*
(4) *Greg. IX. Astoric. Episc.*
(5) *Idem eidem.*
(6) *Bonif. VIII.*
(7) *Ex Conc. Agathen.* ut aliqui volunt.
(8) *Ex Conc. Tribur.* seu Salegustaden. juxta Gonzal.
(9) *Innoc. III. VVigor. Ep.*
(10) *Idem Archiep. Brachar.*
(11) *Idem.*
(12) *Idem Joan. quond. Archiep. Lugdunen.*
(13) *Idem Rectorib. Roman. Frater.*
(14) *Idem Ferar. Ep.*
(15) *Idem in Conc. Lat.*
(16) *Hon. III.*
(17) *Idem Archiep. & Episc. Franc.*
(18) *Idem Archiep. Sipont.*
(19) *Idem Archiep. Upsalen. in Svec.*
(20) *Idem Berthol. Ep. Brix.*
[21] *Clem. V. in Conc. Vien.*
(22) *Idem ibid.*
(23) *Jo. XXII. Aven.*
(24) *Alex. III.*
(25) *Idem.*
(26) *Innoc. III. Arelat. Archiep.*
(27) *Idem Theodos. Meten. Ep.*
(28) *Idem Nidros. Archiep.*
(29) *Idem in Conc. Lat.*
(30) *Clem. V. in Concil. Vien.*

& alii descendentes ff. de verbor. significat. L. Liberorum. 2. quando instat necessitas ob periculum vitæ baptizandi.

DE PRESBYTERO NON BAPTIZATO.

TITULUS XLIII. *continens III. Capitula.*

Cap. I. *Si quis.* (1) Si non baptizatus ordinatur, Ordinis characterem non recipit.

Cap. II. *Apostolicam.* (2) Omissio baptismi non nocet credenti probabiliter se esse baptizatum.

☞ *Hic Innoc. loquitur de Presbytero, qui vita decessit sine baptismo fluminis; ideoque ei non nocuit decedere in fide, & Christi nominis confessione ad salutem æternam. Ceterum probabilitas baptismi recepti non satis est pro recipiendis Ordinibus, ut cap. seq.*

Cap. III. *Veniens.* (3) Non baptizatus ordinari non potest; et si ordinetur, non recipit Ordinis characterem, licet credebatur baptizatus.

DE CUSTODIA EUCHARISTIÆ, CHRISMATIS, ET ALIORUM SACRAMENTORUM.

TITULUS XLIV. *continens II. Capitula.*

Cap. I. *Statuimus.* (4) Eucharistia, & Chrisma debent fideliter sub clavibus custodiri; & contrafacientes sunt puniendi.

☞ *Circa custodiam Eucharistiæ si contrafacientes sint Regulares, puniendi sunt nedum à suo superiore sed etiam ab Episcopo ex decreto Conc. Episc. & Regul. 8. Jan. 1724. approbato ab Inn. XIII. relato a BEN. XIV. lib. IX. de Synod. Diæc. c. 15. n. 4.*

Cap. II. *Relinqui.* (5) Supellectilia in Ecclesiis poni non debent, nisi necessitas urgeat. Ecclesiæ debent sua vasa, & vestimenta munde tenere.

DE RELIQUIIS, ET VENERATIONE SACRORUM.

TITULUS XLV. *continens II. Capitula.*

Cap. I. *Audivimus.* (6) Sine Papæ licentia non licet aliquem venerari pro sancto.

Cap. II. *Cum ex eo.* (7) Sanctorum Reliquiæ vendi non possunt; vel passim ostendi non debent, ne circa illas populus decipi possit.

☞ *Vide Trid. sess. 25. de Vener. & invocat. sanct. & moderationem Elencho II. n. CXXXIII.*

☞ *Nota quod pingens, seu minians & vendens Agnus Dei cereos incurrit excommunicationem non reservatam ex Constit. Gregor. XIII.* Omni.

IN SEXTO. *Lib. III. sub eodem Titulo & ibi tit. XXII.*

Cap. unic. *Gloriosus.* (8) Festa duodecim Apostolorum, quatuor Evangelistarum, & quatuor Doctorum, & Confessorum Ecclesiæ, scilicet Gregorii, Augustini, Ambrosii, & Hieronymi, sub officio duplici debent solemniter celebrari.

IN CLEMENTINIS. *Lib. III. sub eodem Titulo & ibi tit. XVI.*

Cap. unic. *Si dominum.* (9) Festum Corporis Christi celebrari debet feria quinta post octavam Pentecostes: & certæ Indulgentiæ conceduntur iis, qui in festo, vel intra octavam officiis, vel horis intererunt.

☞ *Vide Trid. sess. 13. cap. 5. & can. 6. de SS. Eucharistiæ Sacram.*

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS. *Lib. III. sub eid. Tit. & ibi tit. XII. continente II. Capitula.*

Cap. I. *Cum præ excelsa.* (10) Qui Conceptionem Immaculatæ Virginis devote celebrabunt, & in eodem festo, & ejus octava officio intererunt, consequuntur easdem indulgentias, quas quis consequitur in Corporis Christi solemnitate.

Cap. II. *Grave.* (11) Excommunicationem ipso facto incurrunt Prædicatores asserentes B. Virginem in peccato originali fuisse conceptam: qui etiam dicunt, quod festum Conceptionis ejus celebrantes graviter peccant.

☞ *Vide innovationem Elencho IV. n. XXIII.*

DE OBSERVATIONE JEJUNIORUM.

TITULUS XLVI. *continens III. Capitula.*

Cap. I. *Ex parte.* (12) Vigilia occurrens in Dominica jejunari debet in sabbatho, & jejunanda est vigilia B. Matthiæ.

Cap. II. *Consilium.* (13) Statuit. 1. jejunandum esse in omnibus vigiliis Apostolorum præter illas SS. Philippi, & Jacobi, ac S. Joannis Evangelistæ. 2. jejunandum esse in sabbatho præcedenti in vigiliis earum festivitatum, quæ incidunt in feriam secundam. 3. servandam esse regionis consuetudinem circa diem vigiliæ S. Bartholomæi. 4. non esse puniendos edentes carnem in quadragesima ob magnam annonæ inopiam; preces tamen aliquas pro illis, & cum illis esse ad Deum fundendas. 5. jejunandum esse die sabbathi (*intellige quo ad abstinentiam a carnibus*) juxta consuetudinem Ecclesiæ Romanæ, & aliorum locorum; a quo excusantur debiles, & infirmi, si citra vitæ peculum jejunare nequeant. 6. dispensari posse esum carnium cum infirmis in quadragesima, & aliis jejuniis.

☞ *Circa jejunium vide Additiones meas lib. 3. tit. 46. post n. 5.*

Cap. III. *Explicari.* (14) Si festum Nativitatis (*Domini*) occurrit sexta feria, licitum est omnibus carnes comedere; exceptis professis, & voventibus.

☞ *Idest iis Regularibus obstrictis ex vi regulæ sub pœna peccati mortalis se abstinere a carnibus.*

DE PURIFICATIONE POST PARTUM.

TITULUS XLVII.

Cap. unic. *Volens.* (15) Mulier post partum statim potest ingredi Ecclesiam; nec tenetur abstinere per aliquot dies secundum legem mosaicam.

DE ECCLESIIS ÆDIFICANDIS, VEL REPARANDIS.

TITULUS XLVIII. *continens VI. Capitula.*

Cap. I. *Quicumque.* (16) Habentes beneficium in Ecclesia tenentur contribuere ad ipsius reparationem.

☞ *Vide Trid. sess. 7. c. 8. & sess. 21. c. 7. de ref.*

Cap. II. *Cum dicat.* (17) Leprosi permitti debent, sine præjudicio antiquarum paræciarum habere Ecclesiam propriam, & Presbyterum, nec tenentur solvere decimas de hortis, vel nutrimentis animalium.

Cap. III. *Ad audientiam.* (18) Propter nimiam distantiam Ecclesiæ potest nova Ecclesia in ipsius paræcia ædificari, & certa portio de antiqua sibi deputari.

☞ *Vide ampliationem Elencho III. n. XXXIX. & ampliationem Elencho IV. n. XXIV.*

Cap. IV. *De his.* (19) Rectores Ecclesiarum possunt compelli, ut de redditibus, qui supersunt, teneantur conferre ad constructionem, seu reparationem Ecclesiæ.

Cap. V. *Ad audientiam.* (20) Sæcularis Ecclesia sine præjudicio Clericorum ad statum regularem potest reparari, & Collegio, quod nondum est, privilegium non confertur.

Cap. VI. *Tua nos.* (21) Non obstante juramento de rebus Ecclesiæ non alienandis, potest Episcopus propter indigentiam novam Ecclesiam ædificare.

DE IMMUNITATE ECCLESIARUM CÆMETERII, ET RERUM AD EAS PERTINENTIUM.

TITULUS XLIX. *continens X. Capitula.*

Cap. I. *Ut in domibus.* (22) In domibus Ecclesiarum non debet Judex laicus judicare, nec hospitium quærere.

Cap. II. *Pervenit.* (23) Tempore magnæ necessitatis non debet aliquis (*intellige neque Clericus*) excusari a murorum, seu civitatis custodia.

Cap. III. *Indicatum.* (24) Rusticus adstrictus ad culturam agrorum Ecclesiæ, non potest illam deserere.

Cap. IV. *Non minus.* (25) Laici collectas imponentes Clericis, vel Ecclesiis, seu jurisdictionem eorum usurpantes, si moniti non desistunt, sunt excommunicati cum suis fautoribus: potest tamen Episcopus cum Clero eis in necessitate præbere subsidia.

☞ *Hodie ex Bulla* Cœnæ *sunt excommunicati ipso jure, & vide limitationem Elencho I. n. XLVI.*

Cap. V.

(1) *Ex Conc. apud Compendium.*
(2) *In. III. Ep. Cremon.*
(3) *Idem Hug. Ferrar. Ep.*
(4) *In. III. in Conc. Lat.*
(5) *Idem ibid.*
(6) *Alex. III.*
(7) *Innoc. III. in Conc. Lat.*
(8) *Bonif. VIII.*
(9) *Clem. V. in Conc. Vien.* (10) *Xist. IV.* (11) *Idem.*
(12) *Innoc. III. Cleric. S. Petri & Magdalen.*
(13) *Idem Brachar. Episc.*
(14) *Honor. III. Episc. Pragen.*
(15) *Innoc. III. Armachan. Archiep.*
(16) *Ex Concil. Mogunt.*
(17) *Ex Conc. Later. sub Alex. III.*
(18) *Alex. III. Eborac. Archiep.*
(19) *Idem Lexov. Ep.*
(20) *Urban. III.*
(21) *Cælest. III.*
(22) *Ex Synod. Raven. sub Jo. IX.* juxta Gonzal.
(23) *D. Greg. Agnello Ep. Terracin.*
(24) *Idem Vitali Defens. Sard.*
(25) *Ex Conc. Lat. sub Al. III.*

Cap. V. *Cum Ecclesia*. (1) Causæ sanguinis in Ecclesia, vel cæmeteriis agitari non debent.

Cap. VI. *Inter alia*. (2) Reus criminis ad Ecclesiam fugiens, non est violenter ab ea extrahendus; nec debet amplius prætextu criminis commissi damnari ad mortem, vel ad aliam pœnam corporalem; est tamen aliter legitime puniendus *Fallit in duobus casibus seqq.* Servus fugiens ad Ecclesiam timore domini sui, est domino de ejus impunitate juranti restituendus.

Casus 1. est, si fuerit publicus latro, 2. si fuerit nocturnus depopulator agrorum & in his concordat Constit. Greg. XIV. Cum alias §. 3. *Vide ampliationem Elencho I. n. XLVII. & XLVIII. & Additiones meas lib. III. hoc eod. tit.*

Cap. VII. *Adversus*. (3) Clerici non debent necessitatibus, seu utilitatibus civitatum, seu aliorum locorum, etiam ubi laicorum non suppetunt facultates, subvenire, nisi prius Rom. Pont. consulatur. Sententiæ, & constitutiones editæ a laicis collectantibus Ecclesiam, sunt ipso jure irritæ, nec ullo tempore convalescunt. Rectores excommunicati ob gravamina præmissa, remanent excommunicati, etiam post depositum officium; nihilominus excommunicati sunt successores, nisi satisfecerint intra mensem.

Cap. VIII. *Quia plerique*. (4) Prælati plus debito a subditis extorquentes prætextu procurationis, vel alterius servitii impensi Legato, vel alteri, illud restituent, & tantumdem pauperibus erogabunt.

Cap. IX. *Ecclesia*. (5) Ecclesia non consecrata, in qua divina officia celebrantur, gaudet immunitate.

Concordat cit. Constit. Greg. XIV. Ex communiori Interpretum consensu idem die, etiamsi nondum ibi celebrata fuerint divina misteria.

Cap. X. *Immunitatem*. (6) Qui sub spe immunitatis in Ecclesiis, vel cæmeteriis delinquunt, immunitate non gaudent.

Vide notata cap. Inter alia *6. supra.*

IN SEXTO. *Lib. III. sub eod. tit. & ibi tit. XXIII. continente V. Capitula.*

Cap. I. *Quia nonnulli*. (7) Sæculares potestates ab Ecclesiis, vel Ecclesiasticis personis tallias, vel exactiones pro rebus, vel possessionibus acquisitis, vel acquirendis exigere non præsumant, nec eos compellere ad ipsas distrahendum, vel extra manum suam ponendum.

Vide ampliationem in cap. Quoniam 4. *supra de cens. hoc eod. lib.*

Cap. II. *Decet*. (8) In Ecclesiis dato humili ingressu, debet orationibus insisti, exclusis clamoribus, & seditionibus, conciliis Universitatis laicorum, & eorum publicis parlamentis, vanis colloquiis, negotiationibus, & nundinis, ac judiciis sæcularibus, & maxime criminalibus.

Vide Elencho VI. n. XXXV.

Locorum Ordinariis mandatur prædictorum exequutio, & sententiæ in Ecclesiis habitæ declarantur nullæ, & contrafacientes puniri debent.

Cap. III. *Clericis*. (9) Ponit excessus laicorum, qui Clericis collectas, tallias, & onera imponebant, & excessus Clericorum, qui talibus consentiebant.

Vide moderationem Elencho I. n. XLIX.

æcipit Ecclesiasticos pro rebus suis, vel Ecclesiarum nil laicis solvere debere absque licentia Apostol. Sedis, sub quocumque colore mutui, subventionis, doni, vel alio quolibet; ut etiam ipsi laici talia non exigant, vel recipiant, nec occupent quocumque modo deposita Ecclesiarum, vel personarum Ecclesiasticarum: singulares contra facientes excommunicat; Univesitates interdicit: quæ pœnæ locum habeant in promissionibus factis etiam ante hanc Constit. si postmodum solvantur, vel recipiantur, & ab his sententiis solus Papa absolvit, excepto mortis articulo.

Omnia privilegia derogantia huic Constit. cessat, & irritat.

Cap. IV. *Quoniam*. (10) Excommunicati sunt impedientes super causis ad forum ecclesiasticum de jure, vel de consuetudine pertinentibus litteras a Sede Apostolica impetrari, vel super ipsis coram Ordinariis, vel Delegatis ecclesiasticis litigari.

Vide Bullam Cœnæ *cap. 14.*

Cap. V. *Eos qui*. (11) Domini temporales prohibentes subditis, ne cum Ecclesiasticis econtrahant, vel communia obsequia exhibeant, ipso facto excommunicationem incurrunt.

IN CLEMENTINIS. *Lib. III. sub eodem Titulo, & ibi tit. XVII.*

Cap. unic. *Quoniam*. (12) *Revocat, cap.* Clericis 3. *in 6. supr.*

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS. *Lib. III. sub eod. Titulo & ibi tit. XIII.*

Cap. unic. *Quod olim*. (13) *Cap. Clericis 3. in 6.* habet locum tantum quo ad laicos tallias a Clericis exigentes, & dantes illis auxilium, & non quo ad solventes. Præcipit deinde Lateran., & generalia Concilia diligenter observari.

Vide correctionem Elencho I. n. L.

NE CLERICI, VEL MONACHI SÆCULARIBUS NEGOTIIS SE IMMISCEANT.

TITULUS L. *continens X. Capitula.*

Cap. I. *Multa*. (14) Clericis prohibetur 1. accipere, vel dare injusta munera. 3. conductio alicujus personæ pro sæculari quæstu. 3. contentiones, vel rixas facere. 4. causas agere, excepta defensione orphanorum, vel viduarum. 5. conducere bona sæcularium. 6. Joculatores agere. 7. aleas amare. 8. ornamentum indecens ferre. 9. deliciose vivere. 10. gulam, & ebrietatem sequi. 11. ponderibus, vel mensuris injustis uti. 12. negotium injustum exercere. 17. canes, & aves ad venandum nutrire.

Circa negotiationem vide Elencho VI. n. XXXVIII.

Cap. II. *Sacerdotibus*. (15) Clerici non debent esse ministri, vel procuratores laicorum; quod si contra fecerint, & deprehendantur in fraude, non subvenitur iis ab Ecclesia.

Cap. III. *Non magnopere*. (16) Religiosi professi exeuntes ad audiendas leges, vel phisicam, nisi intra duos menses ad claustrum redeant, excommunicati sunt; & in nulla causa patrocinari possunt; & in choro, & in capitulo, & ceteris erunt ultimi, & sine dispensatione Papæ non promoventur.

Vide ampliationem Elencho I. n. LI.

Cap. IV. *Sed nec*. (17) Clericus generalis procurator, vel Justitiarius Principis sæcularis deponendus est: & si Religiosus est, gravius punietur.

Cap. V. *Clericis*. (18) Clericus judicium sanguinis exercens, ab officio, & beneficio deponitur, & excommunicatus est habens officium Præpositi sæcularis, si monitus non desistat.

Hæc excommunicatio est lata sententia, sed non reservata, & secundum magis commumem officit solos Sacerdotes exercentes tale officium cum jurisdictione ordinaria Thesaur. verb. Judex *c. 2.*

Cap. VI. *Secundum*. (19) Non licet Clericis, vel Monachis lucri causa negotiari.

Vide Elencho IV. n. XXXVIII.

Monachi nequeunt nomine proprio conductas possessiones habere.

Laicis non debet Ecclesia titulo conductionis concedi.

Cap. VII. *Relatum*. (20) Monachi incorrigibiles de monasterio expellentur; & reformabitur monasterium de Fratribus alterius Ordinis, si de Monachis ejusdem Ordinis reformari non potest.

Circa ejectionem incorrigibilium vide in Auctore lib. III. Tit. 31. §. 4. n. 39.

Cap. VIII. *Sicut*. (20) Clerici in sacris compellendi sunt per beneficiorum subtractionem, ut desistant a tabellionatus exercitio.

Vide moderationem Elencho I. n. LII.

Cap. IX. *Sententiam*. (21) Clericus nec dictare, nec proferre sententiam sanguinis debet, nec quicquam aliud exercere, per quod ad vindictam sanguinis tendatur, vel purgationi vulgari opem præstare non debet.

Cap. X. *Super specula*. (22) Constitutionem Turon. Concil. relatam in cap. *Non magnopere 3. supr.* extendit ad habentes dignitates, & personatus, & ad Presbyteros.

Verbum ad legendas *quo Alex. III. usus est in cit. c. 3. hic*

(1) *Luc. III.*
(2) *In. III. Regi Conatiæ in Iber.*
(3) *Idem in Conc. Lat.*
(4) *Idem ibid.*
(5) *Greg. IX. Astor. Epist.*
(6) *Idem Tolet., & Compost. Archiep.*
(7) *Al. III.*
(8) *Greg. X. in Conc. Lugd.*
(9) *Bonif. VIII.*
(10) *Idem.* (11) *Idem.*
(12) *Clem. V. in Conc. Vien.*
(13) *Bened. XI.*
(14) *Ex Conc. Magunt.* (Hoc cap. in Gonz. incip. Providendum.)
(15) *Eug. III. Luc. II. Archiep.*
(16) *Al. III. in Conc. Tur.*
(17) *Idem in Conc. Lao.*
(18) *Idem Cantuar. Archiep.*
(19) *Idem Lund. Ep.*
(20) *Idem eid.*
(21) *Idem Ep. Asculan.*
(22) *Idem in Conc. Lat.*
(23) *Hon. III. Patriar., & cæter. Præl. Antioch.*

3. hic declaratur intelligi ad audiendas . *Uterque tamen textus est contra Religiosos audientes, & docentes has facultates extra claustra tantum. Unde prohibitio non extenditur ad audientes, & docentes intra claustra. Vide moderationem Elencho I. n. LIII.*

IN SEXTO *Lib. III. sub eodem Titulo & ibi tit. XXIV. continente III. Capitula.*

Cap. I. *Statutum*. (1) Capitulum *super specula* prohibens audientiam legum, & phisicæ, non includit paræciales Ecclesias habentes, nisi sint plebaniæ habentes sub se capellas, in quibus Clerici perpetuo instituantur.

Cap. II. *Ut periculosa*. (2) Excommunicatus est ipso facto religiosus professus habitum temerarie dimittens, vel ad quæcumque studia accedens, non obtenta licentia & Prælati, & conventus. Doctores scienter docentes, vel in scholis retinentes ad leges, vel phisicam tales religiosos similiter excommunicationem incurrunt.

Cap. III. *Episcopus*. (3) Clericus in loco temporalis jurisdictionis suæ super delicto ibi commisso delegans aliquem, ut veritate inquisita, justitiam exequatur, non fit irregularis, licet pœna sanguinis inferatur.

(1) *Bonif. VIII.*

(2) *Idem.* (3) *Idem.*

IN LIBRO IV. GREGORII PAPÆ IX.

CONTINENTUR TITULI XXI.

DE SPONSALIBUS, ET MATRIMONIIS.

TITULUS I. *Continens XXXII. CAPITULA.*

Cap. I. De *Francia*. (1) Matrimonium consensu contrahitur, nec invalidatur, si consuetudo patriæ non servetur.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CXXXIV.*

Cap. II. *Praterea*. (2) Sponsalia de futuro etiam jurata dissolvuntur, si sponsi se dissolvunt.

Cap. III. *Juvenis*. (3) Si major septennio duxit in uxorem minorem septennio, & eam traduxit ad domum, oritur ex tali contractu publicæ honestatis justitia.

Cap. IV. *Ad audientiam*. (4) Ex sponsalibus contractis cum consanguinea oritur publicæ honestatis justitia.

☞ *Vide moderationem Elencho II. n. CXXXV.*

Cap. V. *De illis*. (5) Si sponsus de futuro ante copulam ad remota se transfert, sponsa libere cum alio contrahit: si tamen per eam stetit, quominus matrimonium perficeretur, illi pœnitentia imponitur.

Cap. VI. *De muliere*. (6) Non omnis violentia impedit contractum matrimonii.

Cap. VII. *Ex litteris*. (7) Si aliqui apti ad matrimonium contrahunt per verba obscura, communem verborum intellectum sequi tenentur.

Cap. VIII. *Sponsam*. (8) Inter sponsam, & consanguineos sponsi oritur impedimentum publicæ honestatis impediens, & dirimens matrimonium inter eos contrahendum.

☞ *Vide moderationem Elencho II. n. CXXXVI.*

Cap. XI. *Ex parte*. (9) Si vir, & mulier invicem promittunt, quod ab eo tempore se pro conjugibus habebunt, contractum est matrimonium de præsenti.

☞ *Vide notata supra cap.* de Francia 1.

Cap. X. *Ex litteris*. (10) Qui juravit cum aliqua contrahere, si non subest impedimentum, per censuram contrahere compellitur.

☞ *Nec obstat cap.* Requisivit 17. *infra hoc eod. tit. statuens resilientem a jurata promissione nubendi monendum potius, quam cogendum, hic enim agitur de cogendo viro, ibi de cogenda fœmina, cum qua mitius procedendum est, nedum propter faciliorem censurarum contemptum, difficilioremque coacti matrimonii exitum ob sexus imbecillitatem, sed etiam propter leve præjudicium, quod viro irrogaret resiliendo; qui ceteroquin repudiatus facile alteri posset nubere; non sic fœmina ob periculum famæ, quod subiret, saltem apud vulgares homines propter prava conversationis suspicionem cum eodem viro. Quibus rationibus innixa ita has duas decretales conciliavit Rota in Majoricen. Sponsal. 25. April. 1746. & 16. Jan. 1747. coram Bussio: quidquid in contrarium senserit Glossa in tit. cap.* Requisivit, *& DD. communiter. Imo nec cogendus est vir aliqua probabili causa suffragante, ut ex pluribus decretis Congr. Conc. relatis in folio 28. Feb. 1733. in Gallipolitana Sponsal. Ceteroquin nulla suffragante causa, vir cogendus est per censuras, licet sponsalia non fuerint jurata, ut ex veriori recepta opinione firmatur in eadem Majoricen. 25. Aprilis §. 9.*

Cap. XI. *Non est*. (11) Per censuram ecclesiasticam pater compellitur restituere filio ejus uxorem, quam injuste detinuit, vel detinet.

☞ *Vide Elencho I. n. LIV.*

Cap. XII. *Praterea*. (12) Consanguineus viri opponens impedimentum ortum ex copula a se habita cum ipsius sponsa, non auditur, si sponsalia firmata fuerunt juramento; cum in hoc casu attendi non debeat dictum unius aliunde non corroboratum ad impediendum matrimonium: secus admittitur.

Cap. XIII. *Veniens*. (13) Si mulier invita cum aliquo contrahat, nec in eum postea consentiat, tenet matrimonium, si alteri postea nubunt.

Cap. XIV. *Cum locum*. (14) Si timetur inferri violentia puellæ, de cujus matrimonio agitur, debet Judex illi providere locum tutum, donec causa terminetur.

Cap. XV. *Veniens*. (15) Sponsalia de futuro, si sequuta est copula, non solvuntur per sponsalia de præsenti: alias tenent sponsalia de præsenti, nisi per metum, qui potuisset cadere in constantem virum, contracta sint.

☞ *Vide correctionem Elenc. II. n. CXXXVII.*

Cap. VI. *Commissum*. (16) Consulitur conscientiæ cujusdam, qui juraverat se intra biennium matrimonium contracturum, & postea Religionem ingredi desideraverat, ut scilicet prius juramentum servaret, & deinde ante copulam monasterium ingrederetur, si vellet, ne perjurii reatum incurreret, cum sui tantum desiderio, non alia lege teneretur Religionem ingredi.

Cap. XVII. *Requisivit*. (17) Qui juravit cum aliqua contrahere, moneri potius debet, quam compelli, ut contrahat.

☞ *In textu casus est de muliere, quæ juravit se matrimonium contracturam, non de viro. Vide notata supra in cap.* Ex litteris 10. *pro conciliatione utriusque textus.*

Cap. XVIII. *Cum in Apostolica*. (18) Matrimonium secundum contractum pendente lite de primo, est validum, si postea constet primum fuisse nullum.

Cap. XIX. *In præsentia*. (19) Uxor non certificata de morte viri, contrahere non potest, quamvis ignoret quid sit de marito, qui longo tempore absuit.

Cap. XX. *Inter opera*. (20) Contrahens matrimonium cum peccatrice volente se corrigere, opus charitatis exercet.

Cap. XXI.

(1) *Ex Conc. Tribur.*
(2) *Al. III. Exon. Ep.*
(3) *Eug. III. Presb. Æsculap.*
(4) *Alex. III. Elect. Papien.*
(5) *Idem Panor. Archiep.*
(6) *Idem Eboar. Padoan. Ep.*
(7) *Idem Cantuar. Archiep.*
(8) *Idem Virgil. Ep.*
(9) *Idem Ab. S. Cadman, & de Remescia.*
(10) *Idem Pict. Episc.*
(11) *Idem Archiep. Ep. & aliis per Angl., & Cismarii. Terram Reg. Angl.*
(12) *Idem Ep. S. Agat.*
(13) *Idem Procurat. & Canon. Soran.*
(14) *Idem Papien. Episc.*
(15) *Idem.*
(16) *Idem Exon. Ep.*
(17) *Luc. III. Ravell. Ep.*
(18) *Urb. III. Cenom. Ep.*
(19) *Clem. III. Cæsar-aug. Ep.*
(20) *Innoc. III.*

Cap. XXI. *Ad id*. (1) Matrimonium per vim contractum, cohabitatione spontanea convalescit.

Cap. XXII. *Sicut*. (2) Sponsalia de futuro, etiam jurata, solvuntur per secunda sponsalia de præsenti; non autem per secunda de futuro.

Cap. XXIII. *Cum apud*. (3) Mutus, & surdus, & omnes, qui non prohibentur, matrimonium contrahere possunt.

Cap. XXIV. *Dilectus*. (4) Furiosus matrimonium contrahere non potest.

Cap. XXV. *Tua fraternitati*. (5) Solo consensu legitimo contrahitur matrimonium, sed verba requiruntur quo ad probationem, vel alia signa æquipollentia.

☞ *Vide notata supra cap.* de Francia 1.

Cap. XXVI. *Tua nos*. (6) Si alter contrahentium utitur verbis dubiis animo decipiendi mulierem, & eam postmodum cognoscit carnaliter, judicatur pro matrimonio in foro judiciali; secus in pœnitentiali.

☞ *Vide notata d. c.* de Francia 1.

Cap. XXVII. *Cum in tua*. (7) Ad denunciationem unius honesti viri, qui defert consanguinitatem, & de fama, vel scandalo docet, impeditur matrimonium contrahendum.

Cap. XXVIII. *Consultationi*. (8) Mulieri, quæ negat se in matrimonium consensisse, non creditur; marito probante contrarium; secus si probat se consensisse per metum, qui potest cadere in constantem virum.

Cap. XXIX. *Gemma*. (9) In matrimoniis, & sponsalibus debet esse libertas; unde in eis promissio pœnæ non obligat.

☞ *Vide Trid. sess.* 24. *c.* 9. *de ref. matr.*

Cap. XXX. *Is qui*. (10) Sponsalia de futuro transeunt in matrimonium per carnalem copulam subsequutam, sed non pernisum ejusdem copulæ.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CXXXVIII.*

Cap. XXXI. *Si inter*. (11) Sponsalia de præsenti non solvuntur per sequens matrimonium, etiam consumatum, sed sponsalia de futuro etiam jurata solvuntur per sequentia de præsenti.

Cap. XXXII. *Adolescens*. (12) Nisus ad copulam non facit sponsalia de futuro transire in matrimonium.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CXXXIX.*

IN SEXTO. *Lib. IV. sub eodem Titulo I.*

Cap. unic. *Ex sponsalibus*. (13) Sponsalia pura, & certa ex consensu valida, licet alias nulla, inducunt publicam honestatem, quæ dirimit sequentia sponsalia, sed non præcedentia.

☞ *Vide Trid. sess.* 24. *c.* 3. *ref. matr.*

Publicam honestatem non inducunt sponsalia conditionalia ante conditionis eventum.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CXL.*

DE DESPONSATIONE IMPUBERUM.

TITULUS II. *continens XIV. Capitula.*

Cap. I. *Tua nos*. (14) Pater pro filio impubere sponsalia contrahit; secus pro pubere, nisi consentiat.

Cap. II. *Ubi non*. (15) Impuberes ambo, vel alter, nisi pro bono pacis conjugi non debent.

Cap. III. *Puberes*. (16) Puberes sunt, quoad matrimonium, qui ex habitu corporis concipere, & generare possunt.

Cap. IV. *Litteras*. (17) Ex sponsalibus contractis cum minore septennio non oritur impedimentum publicæ honestatis; secus si cum majore, vel minore consentiente post septennium; & affinitas sequens dissolvit sponsalia præcedentia de futuro.

Cap. V. *Accessit*. (18) Sponsalia nulla ex defectu consensus inita ante septennium non creant publicæ honestatis justitiam: secus vero si completo septennio sic desponsati consensum præstiterint; licet legitimo modo fuerint dissoluta.

Cap. VI. *Continebatur*. (19) Si impubes desponsata, & traducta petit licentiam pubes facta alteri nubendi, non auditur, si vir jurat, se eam cognovisse, nec auditur, si nondum pubes, sed proxima pubertati probetur cognita. Et ex sponsalibus contractis cum impubere major septennio oritur publica honestas.

Cap. VII. *De illis*. (20) Si majores septennio contrahunt sponsalia, neuter ante pubertatem resilere potest. Et ille, qui primo fit pubes, alterum expectabit. Quod si tempore contractus alter erat pubes, non ille, sed alter factus pubes, resilire potest.

Cap. VIII. *A nobis*. (21) Impuberes sponsalia contrahentes ante pubertatem separari non debent, sed post pubertatem possunt, si contradicunt sponsalibus; nisi copula carnalis intervenerit.

Cap. IX. *De illis*. (22) Minores apti ad matrimonium ex contractu matrimonii obligantur, nisi violentia intercedat.

Cap. X. *Attestationes*. (23) Contractus ante pubertatem, etiam cum nisu carnalis copulæ, non facit matrimonium.

Cap. XI. *Ex litteris*. (24) Si major invita contraxit sponsalia cum minore, non tenetur ipsum expectare, donec veniat ad ætatem adultam.

Cap. XII. *Duo*. (25) Sponsalia contracta cum minore septennio per cohabitationem mutuam post septennium convalescunt, & inducunt publicæ honestatis justitiam: solvuntur tamen per matrimonium de præsenti.

Cap. XIII. *Ad dissolvendum*. (26) Accusari non potest matrimonium, quod nullum est; ut si cum minore septennio sit contractum: denunciari tamen potest impedimentum, ne contrahatur in posterum.

Cap. XIV. *Tua*. (27) Si quis per verba de præsenti contrahit cum impubere, in qua ætatem malitia non supplet, intelligitur non matrimonium, sed sponsalia contraxisse, etiam si subarrhatio intercesserit.

IN SEXTO. *Lib. IV. sub eod. Titulo II.*

Cap. unic. *Si infantes*. (28) Sponsalia amborum infantium, vel alterius tantum per supervenientem majorem ætatem non validantur, nec publicam honestatem inducunt, nisi fuerint ratificata tacite, vel expresse.

Sponsalia per verba de præsenti contracta inter impuberem, & puberem, vel inter impuberes non proximos pubertati, valent ut sponsalia de futuro; nec in matrimonium transeunt ex sola perseverantia ætatis, nisi aliter approbentur, inducunt tamen publicam honestatem.

Sponsalia pro absentibus filiis non tenent, nisi ipsis præsentibus, vel nisi postea approbaverint tacite, vel expresse.

DE CLANDESTINA DESPONSATIONE.

TITULUS III. *continens III. Capitula.*

Cap. I. *Si quis*. (29) Pro clandestino matrimonio non præsumitur; sed illud alleganti incumbit onus probandi.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CXLI.*

Cap. II. *Quod nobis*. (30) Qui matrimonium clandestine contraxerunt, altero negante, vel utroque, non apparente legitima exinde probatione, simul cohabitare non compelluntur: & si illud publicaverint, tanquam in conspectu Ecclesiæ factum comprobabitur; nisi rationabilis causa subsit, quæ impediat.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CXLII.*

Cap. III. *Cum inhibitio*. (31) Cum matrimonia sunt contrahenda, debent per Presbyteros in Ecclesia edicta proponi, assignato termino, intra quem qui voluerit impedire, impedimentum opponat: & si probabilis conjectura fuerit de impedimento, interdicatur matrimonium, donec de hoc cognoscatur.

Si in gradu prohibito matrimonium clandestine, vel contra interdictum, de quo supra, contractum fuerit, etiam per ignorantes de impedimento, nati ex illo matrimonio sunt illegitimi. Idem est si ambo parentes sciunt impedimentum matrimonii, licet in conspectu Ecclesiæ contrahant.

Parochus contemnens prohibere matrimonia interdicta, & quilibet Clericus etiam Regularis, qui interfuit, per triennium a beneficio suspenduntur; & etiam gravius puniuntur juxta culpæ qualitatem. Præsumentes vero contra

(1) *Clem. III.*
(2) *Innoc. III. Ferent. Ep.*
(3) *Idem Arelat. Archiep.*
(4) *Idem Vercell.*
(5) *Idem Brixien. Episc.*
(6) *Idem Geben. Ep.*
(7) *Idem Belvac. Ep.*
(8) *Honor. III. Selvvic. Ep.*
(9) *Greg. IX.*
(10) *Idem Cenom. Episc.*
(11) *Idem.* (12) *Idem.*
(13) *Bonif. VIII.*
(14) *Hormis. Eus. Ep.* (15) *Nicol. I.*
(16) *Isidor. lib.* 11 *Etymolog. cap.* 2.
(17) *Alex. III. Herford. Episc.*
(18) *Idem Eboracen. Archiep.*
(19) *Idem Novicen. Episc.*
(20) *Idem Bathon. Episc.*
(21) *Idem eidem.*
(22) *Idem Janu. Ep.*
(23) *Urb. III. Cenom. Ep.*
(24) *Idem Pisan. Ep.*
(25) *Clem. III.*
(26) *Idem Corrado, & Petro Filiis Malebrancæ.*
(27) *Idem Episc. Albertad.*
(28) *Bonif. VIII.*
(29) *Ex Conc. Arelat.* juxta I. Collect.
(30) *Alex. III. Belvac. Episc.*
(31) *Innoc. III. in Conc. Later.*

contra hoc cap. contrahere etiam in gradu licito, puniendi sunt, sicut & calumniose denunciantes.

☞ *Vide ampliationem Elencho III. n. XL. & XLI.*

DE SPONSA DUORUM.

TITULUS IV. *continens V. Capitula.*

Cap. I. *Duobus.* (1) Contrahens successive per verba de præsenti cum duabus, tenetur adhærere primæ. Si autem primo contraxit per verba de futuro, secundo per verba de præsenti, adhærebit secundæ.

Cap. II. *Accepisti.* (2) Ponit pœnitentiam quadraginta dierum in pane, & aqua illi, qui alterius sponsam de præsenti sibi accepit in uxorem; nec unquam in uxorem eam habere potest.

Cap. III. *Licet.* (3) Sponsalia de præsenti, non solvuntur per sequens matrimonium, etiam consummatum.

Cap. IV. *Tua.* (4) Appellans in causa matrimonii interdici debet, ne aliud contrahat, lite pendente; & si contraxerit, debet separari.

Cap. V. *Tuas.* (5) Desponsans duas per verba de præsenti, primam habebit in uxorem, licet secundam prius cognoverit; nec valet contraria consuetudo.

DE CONDITIONIBUS APPOSITIS IN DESPONSAT., ET ALIIS CONTRACTIBUS.

TITULUS V. *continens VII. Capitula.*

Cap. I. *Quicumque.* (6) *Summa ut cap.* Si conditiones *infra.*

Cap. II. *Cum sit.* (7) Servus manumissus ea conditione, ut fiat monachus, & monasterio serviat, alias in servitutem redeat; si hoc acceptato monachus factus sit, manumittentis voluntatem cogitur observare.

Cap. III. *De illis.* (8) Qui juravit aliquam in uxorem accipere, si centum sibi donaverit, centum non datis, recipere non tenetur; nisi postea pure consenserit, vel eam cognoverit.

Cap. IV. *Verum.* (9) Res donata Ecclesiæ sub modo, statim est Ecclesiæ, nec revocatur, modo non servato, nisi hoc in contractu sit expressum.

Cap. V. *Super.* (10) Contrahens matrimonium sub conditione non improbata a jure, non compellitur matrimonium consummare ante conditionis eventum.

Cap. VI. *Per tuas.* (11) Qui sub honesta conditione sponsalia contrahit, & ante conditionis eventum desponsatam cognoscit, a conditione recedit.

Cap. VII. *Si conditiones.* (12) Si contractui matrimonii apponitur conditio turpis, vel impossibilis, habetur pro non adjecta; nisi sit contra substantiam matrimonii; quia tunc vitiat contractum.

QUI CLERICI VEL VOVENTES MATRIMONIUM CONTRAHERE POSSUNT.

TITULUS VI. *continens VII. Capitula.*

Cap. I. *De Diacono.* (13) Diaconus, vel Subdiaconus matrimonium contrahere non possunt; & si contraxerint, etiamsi sint facti irregulares, debent separari.

Cap. II. *Ex litterarum.* (14) Subdiaconus matrimonium contrahere non potest.

Cap. III. *Meminimus.* (15) Votum solemne impedit, & dirimit matrimonium postea contractum: votum simplex tantum impedit contrahendum; sed non dirimit post contractum.

Cap. IV. *Consuluit.* (16) Susceptio habitus professorum extra Religionem a non habente potestatem incorporandi Religioni, impedit in dubio matrimonium contrahendum, sed non dirimit contractum.

☞ *Textus loquitur de quadam muliere, quæ in susceptione habitus professarum extra monasterium præsumebatur elicuisse votum simplex; & ideo dicitur hujusmodi susceptionem impedire in dubio matrimonium contrahendum, cujus voti obligationem, ut naturalem neque Trident. sess. 25. cap. 15. de Regul. sustulit, neque decretum Clement. VIII. de non recipiendis ad habitum, & professionem novitiis in conventibus non designatis sub pœna nullitatis.*

☞ *Et vide correctionem Elencho II. n. CXLIII.*

Cap. V. *Veniens.* (17) Votum castitatis de præsenti impedit matrimonium contrahendum: Ecclesia tamen ex causa ab illo dispensat.

Cap. VI. *Rursus.* (18) Votum simplex impedit sponsalia de futuro; non autem dirimit matrimonium sequens: secus in voto solemni.

Cap. VII. *Insinuante.* (19) Votum solemne impedit, & dirimit matrimonium post contractum.

DE EO, QUI DUXIT IN MATRIMONIUM, QUAM POLLUIT PER ADULTERIUM.

TITULUS VII. *Continens VIII. Capitula.*

Cap. I. *Propositum,* (20) Si quis vivente uxore, contrahit cum secunda hoc ignorante, prima mortua, ad sui petitionem non separabitur a secunda.

Cap. II. *Significavit.* (21) Si vivente prima uxore, & non cognita, quis contraxit cum secunda scienter, & eam cognovit, etiam mortua prima, secundam habere non potest; secus si prima erat non legitima uxor.

Cap. III. *Super hoc.* (22) Non potest quis cum illa contrahere, quam, uxore vivente, cognovit, si machinata fuit in mortem uxoris.

Cap. IV. *Ex litterarum.* (23) Qui vivente uxore, etiam ab eo separata quo ad torum, secundam consciam ducit uxorem, prima mortua, separabitur a secunda, sed cum alia contrahere poterit.

Cap. V. *Cum haberet.* (24) Qui vivente uxore legitima, cum secunda contrahit adultera, etiam prima mortua, separabitur a secunda; etiamsi longo tempore ei cohabitavit, & filios ex ea suscepit.

Cap. VI. *Significasti.* (25) Si quis mortua uxore, contrahit cum ea, quam vivente uxore sine fidei donatione cognoverat, tenet matrimonium, dummodo in mortem defunctæ neuter fuerit machinatus.

Cap. VII. *Veniens.* (26) Si quis vivente prima, secundam hujus rei insciam duxerit uxorem, mortua prima, licite remanet cum secunda, novo consensu interveniente.

Cap. VIII. *Siquis.* (27) Contrahens cum secunda vivente prima, quam tamen non cognovit nec ante contractum, nec post, potest cum hac contrahere mortua prima.

DE CONJUGIO LEPROSORUM.

TITULUS VIII. *continens III. Capitula.*

Cap. I. *Pervenit.* (28) Lepra superveniens non dissolvit matrimonium, nec illius effectum: & ideo ad invicem maritali affectione conjuncti se tractare debent, aut ad perpetuam continentiam vovendam induci.

Cap. II. *Quoniam.* (29) Conjuges propter lepram separandi non sunt a conjugio: Et leprosi contrahere possunt matrimonium & invicem sibi reddere debitum tenentur.

☞ *Cabasut. Jur. canon. Theor. lib. 3. c. 28. n. 10. refert responsum 9. Stephani III. quo an. 754. prohibuit debitum reddi, jussitque conjuges separari; testaturque hoc Stephani decretum amplexatam fuisse Synodum Compendiensem cap. 16.*

Cap. III. *Litteras.* (30) Sponsalia de futuro præcise non compellunt ad contrahendum matrimonium cum leproso, lepra post sponsalia superveniente.

DE CONJUGIO SERVORUM.

TITULUS IX. *continens IV. Capitula.*

Cap. I. *Dignum.* (31) Servus contradicente domino, matrimonium contrahere potest; sed non liberatur a servitiis eidem debitis.

Cap. II. *Propofuit.* (32) Separatur matrimonium, quando liber ignoranter cum ancilla contraxerit; nisi postea hoc sciens, illam cognovit.

Cap. III. *Licet.* (33) Si consuetudo est in loco, quod partus

(1) *August.* juxta 1. Collect.
(2) *Ex Pœnit. Rom.*
(3) *Alex. III. Saler. Archiep.*
(4) *Idem Jan. Ep.*
(5) *Idem Mutin. Ep.*
(6) *Ex Conc. African.*
(7) *Greg. Mag. Chrys. Ep. Spolet.*
(8) *Alex. III. Panormit. Archiep.* (9) *Idem.*
(10) *Urban. III.*
(11) *Innoc. III. Messan. Ep.* (12) *Greg. IX.*
(13) *Alex. III. Rhem. Archiep. vel Cenom. Ep.*
(14) *Idem Cenom. Ep.*
(15) *Idem VVigor. Ep.*
(16) *Idem Lucen. Ep.*
(17) *Idem.* (18) *Cælest. III.*
(19) *Idem Ulyssip. & Colimbrien. Ep.*
(20) *Alex. III. Ab. S. Albani.*
[21] *Idem Ab. de Fontib. & Mag. Vicar.*
(22) *Idem Bajon. Episc.*
(23) *Clem. III.* (24) *Cælest. III.*
(25) *Innoc. III. Capit. Spolet.*
(26) *Idem Capit. Messan.*
(27) *Greg. IX. Fratr. Rom.*
(28) *Al. III. Cant. Archiep.*
(29) *Idem Bajon. Ep.*
(30) *Urb. III. Flor. Ep.*
(31) *Adr. IV. Salis. Archiep.*
(32) *Alex. III. Prior. & Præp. Mortar.*
(33) *Urban. III. Arim. Ep.*

partus conditionem patris sequatur, natus ex libero, & ancilla, liber est, & ut liber matrimonium contrahit.

Cap. IV. *Ad nostram.* (1) Si liber contraxit cum ancilla ignoranter, & ex quo scivit, non consensit, separatur matrimonium, & cum alia contrahere poterit.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CXLIV.*

DE NATIS EX LIBERO VENTRE.

TITULUS X.

Cap. unic. *Indecens.* (3) Natus ex libera vel liberta, liber est.

DE COGNATIONE SPIRITUALI.

TITULUS XI. *continens VIII. Capitula.*

Cap. I. *Utrum.* (3) Filii duorum compatrum, per quorum neutrum deventum est ad compaternitatem, licite contrahunt, nisi consuetudo repugnet: separantur autem, si per eorum alterum, vel utrumque compaternitas est contracta.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CXLV.*

Cap. II. *Si vir.* (4) Compaternitas scienter, vel ignoranter superveniens inter conjuges, conjugium non dissolvit.

Cap. III. *Super eo.* (5) Filii duorum compatrum, per quorum neutrum deventum est ad compaternitatem, licite invicem contrahunt matrimonium: si tamen adsit consuetudo impediens, & dirimens talia matrimonia, servanda est.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CXLVI.*

Cap. IV. *Martinus.* (6) Inter patrem baptizati, & uxorem levantis prius ab eo cognitam, contrahitur compaternitas efficax ad matrimonium dirimendum.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CXLVII. cum ibi notatis.*

Cap. V. *Contractio.* (7) Compaternitas per cathechismum contracta impedit matrimonium contrahendum, sed contractum non dirimit.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CXLIII.*

Cap. VI. *Veniens.* (8) Inter patrem baptizati, & levantem: seu tenentem baptizatum contrahitur cognatio spiritualis valida ad impediendum, & dirimendum matrimonium post contractum.

☞ *Vide Trid. sess. 24. cap. 2. de ref. matr.*

Cap. VII. *Tua nos.* (9) Si filii duorum compatrum, per quorum alterum deventum est ad compaternitatem, matrimonium contrahant, separantur, & tempore contractus scientes impedimentum, illud denunciare tenentur.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CXLIX.*

Cap. VIII. *Ex litteris.* (10) Inter baptizatum, & filium baptizantis oritur cognatio spiritualis impediens, & dirimens matrimonium inter eos contrahendum.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CL.*

IN SEXTO. *Lib. IV. sub eodem Titulo continente III. Capitula, & ibi tit. III.*

Cap. I. *Nedum.* (11) Inter baptizatum, & levantem filios, & uxorem levantis ante carnaliter cognitam, & suscipientem, & patrem, & matrem suscepti (& similiter de baptizante) spiritualis contrahitur cognatio.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CLI.*

Confirmatio frontis inducit spiritualem cognationem, sicut baptisma.

Cap. II. *Per catechismum.* (12) Compaternitas per catechismum contracta impedit matrimonium, sed non dirimit.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CLII.*

Cap. III. *Quamvis.* (13) Unus tantum intervenire debet in levatione infantis de sacro fonte, vel chrismatione frontis: tamen si plures interveniunt, cognationem contrahunt spiritualem. Et ex aliis sacramentis cognatio non contrahitur.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CLIII.*

DE COGNATIONE LEGALI.

TITULUS XII.

Cap. unic. *Si qua.* (14) Inter adoptatum, & filiam adoptantis non potest, durante adoptione, consistere matrimonium.

(1) *Idem Ep. Racesburg.*
(2) *Greg. Magn. Anchem. Subd.* (Hoc cap. apud Gonzal. incip. Non solum. (3) *Al. III. Saler. Ep.* (4) *Idem eid.*
(5) *Idem Vigor. Ep.* (6) *Glem. III.* (7) *Idem.*
(8) *Innoc. III. N. Ep. Lincolnien. & N. Decan. de Hutendun.*
(9) *Idem Mag. C. de Melun. Cap. Herford.* (10) *Greg. IX.*
(11) *Bonif. VIII.* (12) *Idem.* (13) *Idem.*
(14) *Nicol. I. ad consul. Bulgar.*

DE EO QUI COGNOVIT CONSANGUINEAM UXORIS SUÆ, VEL SPONSÆ.

TITULUS XIII. *continens XI. Capitula.*

Cap. I. *Si quis.* (15) Affinitas superveniens matrimonio contracto illud non solvit; sed exactionem debiti impedit: & crimen incestus inhabilitat matrimonium contrahendum.

☞ *In textu statuitur incestuosum reddi inhabilem ad contrahendum matrimonium, cum quacumque; sed vide Elencho I. n. XXII. & ac Elencho VI. n. LVI.*

Cap. II. *Veniens.* (16) Affinitas superveniens etiam per illicitum coitum, dissolvit sponsalia de futuro, sed non matrimonium, & incestuosus contrahere non potest.

☞ *Vide correctionem Elencho I. n. LVI.*

Cap. III. *De illo.* (17) Non separatur matrimonium ad dictum unius asserentis affinitatem inter conjuges præcessisse.

Cap. IV. *Transmissæ.* (18) Incestuosus matrimonium contrahere non debet, sed si contrahit, tenet; & tunc tenetur reddere, sed non potest debitum exigere; tenetur autem uxori necessaria administrare.

☞ *Vide correctionem Elencho I. n. LVII.*

Cap. V. *Super eo.* (19) Non separatur matrimonium ad confessionem conjugum, qui dicunt affinitatem præcessisse, etiamsi rumor viciniæ consentiat.

Cap. VI. *Discretionem.* (20) *Summa ut cap.* Si quis 1. *supr.*

Cap. VII. *Fraternitati.* (21) Copula habita cum puella septenni dirimit matrimonium postea contractum cum consanguinea.

Cap. VIII. *Ex litteris.* (22) Affinitas orta ex copula illicita, rumpit sponsalia præcedentia, & privat facultate contrahendi matrimonium.

Cap. IX. *Veniens.* (23) *Idem dicit.*

Cap. X. *Tua Fraternitatis.* (24) *Summa ut cap.* Si quis 1. *supr.*

Cap. XI. *Jordana.* (25) *Summa ut cap.* Si quis 1. *supr.*

DE CONSANGUINITATE, ET AFFINITATE.

TITULUS XIV. *continens IX. Capitula.*

Cap. I. *Ex litteris.* (26) Separatur matrimonium contractum inter affines primi generis, & quarti gradus.

☞ *Qui sint affines primi generis vide in Auctore hoc eodem tit. n. 11.*

Cap. II. *Super eo.* (27) Affinitas superveniens, de qua saltem constat per famam, solvit sponsalia de futuro.

Cap. III. *Quod dilectio.* (28) Si dispensatur cum aliquo, ut possit contrahere in certo gradu, alias prohibito, requiritur, quod uterque contrahentium toto gradu distet a stipite, præsertim si hoc habet consuetudo.

Cap. IV. *De infidelibus.* (29) Infideles conjuncti in gradu prohibito a lege canonica, post baptismum non separantur.

Cap. V. *Quod.* (30) Consanguinei mariti cum consanguineis uxoris licite contrahunt. In gradibus prohibitis non possunt matrimonia contrahi, etiamsi adsit consuetudo.

☞ *Vide Trid. sess. 24. cap. 5. de ref. matr.*

Cap. VI. *Quia.* (31) Non valet dispensatio obtenta a Papa super matrimonio inter consanguineos contracto, si causa falsa sit expressa, nisi postea eam Papa confirmaret.

Cap. VII. *Tua nos.* (32) Testes, qui de consanguinitate deponunt, computationem debent a stipite, vel germine incipere.

Cap. VIII. *Non debet.* (33) In secundo, & tertio affinitatis genere tollitur prohibitio, quæ olim erat in matrimonio contrahendo. Similiter tollitur prohibitio de sobole suscepta ex secundis nuptiis, quæ olim non poterat contrahere cum cognatione prioris viri. Et prohibitio conjugii ultra quartum consanguinitatis, & affinitatis gradum non extenditur.

Cap. IX.

(15) *Ex Concil. apud VVermeriam.*
(16) *Alex. III. Tict. Episc.* (17) *Idem.*
(18) *Celest. III.* (19) *Idem.*
(19) *Innoc. III. Præposit. S. Mariæ Magdeb.*
(20) *Idem Bisuntin. Archiep.*
(21) *Idem Ep. Gerund.*
(22) *Idem Ep. Magdeb.*
(23) *Idem Archiep. Strigon.*
(24) *Greg. IX. Ep. Tict.*
(25) *Alex. III Cassin. Ab.*
(26) *Urb. III. Burdeg. Archiep.*
(27) *Celest. III.*
(28) *Innoc. III. Archiep. & Capit. Tyren.*
(29) *Idem Rossan. Archiep.*
(30) *Idem.* (31) *Idem.*
(33) *Idem in Conc. Lat.*

Cap. IX. *Vir qui.* (1) Distans a stipite quarto gradu, vel citeriori, cum distante quinto, vel ulteriori, contrahere potest.

☞ *Circa dispensationes matrimoniales proreticentia gradus proximioris vide in Auctore lib. IV. post tit. XXI. §. 3. n. 24.*

IN CLEMENTINIS, *Lib. IV. sub eodem Titulo & ibi tit. unico.*

Cap. unic. *Eos qui.* (2) Scienter contrahens matrimonium in gradu consanguinitatis, vel affinitatis prohibito, vel cum Moniali, excommunicatus est ipso jure, & publicari debet, & vitari. Idem in professo, & professa, vel constituto in sacris.

☞ *Vide Trid. sess. 24. cap. 5. de ref. matr. & ampliationem Elencho III. n. XLII.*

DE FRIGIDIS, ET MALEFICIATIS, ET IMPOTENTIA COEUNDI.

TITULUS XV. *Continens VII. Capitula.*

Cap. I. *Accepisti.* (3) Si marito provocante ad divortium, & se impotentem asserente, mulier hoc item fatetur servata solemnitate canonica, matrimonium indistincte dirimitur, sed si decipiatur Ecclesia, primum matrimonium reparatur. Si vero, muliere agente, vir asserat se potentem, nisi per aspectum corporis, vel alio indubitato modo convincatur, mulier non auditur; sed si vir hoc idem confitetur, vel convincitur, matrimonium separatur, & mulieri contrahendi licentia datur.

☞ *Vide notata Elencho VI. n. LXXXIII.*

Cap. II. *Quod sedem.* (4) Impotens ad copulam, est impotens ad contrahendum matrimonium, sive sit impedimentum ætatis, sive naturæ.

Cap. III. *Ex litteris.* (5) Naturale impedimentum ad coitum irreparabile arte medicorum, matrimonium impedit.

Cap. IV. *Consultationi.* (6) Contrahens scienter cum impotenti ad copulam, ab ea non separatur.

☞ *Hæc decretalis locum habet, quando qui scienter contraxerunt, vivere possunt cum uxore tanquam cum sorore, exclusio omni libidinis periculo, ut in textu. Et ita tenendum est de matrimonio spadonum, & eunuchorum jam contracto juxta Breve Sixti V. ad Episcopum Novarien. in Regnis Hispaniar. Nuncium 26. Junii 1587.*

Cap. V. *Laudabilem.* (7) Si de impotentia coeundi Constet, statim matrimonium separatur, alias cohabitabunt conjuges per triennium; & si cum septima manu propinquorum jurent, quod dederunt operam copulæ, & non potuerunt conjungi, statim separantur.

☞ *Vide Elencho VI. n. LXXXIII.*

Cap. VI. *Fraternitatis.* (8) Propter arctationem mulieris, si apparet, quod præter miraculum absque periculo corporali habilis reddi non potest, separatur matrimonium; reintegratur tamen, si postea appareat Ecclesiam fuisse deceptam.

Cap. VII. *Litteras.* (9) Si uxor dicit virum, cui cohabitavit per triennium, non habere potentiam coeundi, eis hoc jurantibus cum septima manu propinquorum, matrimonium separatur.

DE MATRIMONIO CONTRACTO CONTRA INTERDICTUM ECCLESIÆ.

TITULUS XVI. *continens III. Capitula.*

Cap. I. *Litteras.* (10) Matrimonium contra interdictum Ecclesiæ, vel Judicis contractum non dirimitur: imponitur tamen pœnitentia sic contrahentibus, & separantur, donec cognoscatur de causa interdicti.

Cap. II. *Ex litteris.* (11) Sponsalia de futuro cum una etiam contra interdictum Ecclesiæ contracta, non diriment matrimonium postea contractum cum alia.

Cap. III. *De muliere.* (12) Si hi, qui dicebantur consanguinei, contraxerunt contra præceptum Judicis, debent separari, donec de causa cognoscatur.

QUI FILII SINT LEGITIMI.

TITULUS XVII. *continens XV. Capitula.*

Cap. I. *Conquestus.* (13) Naturalis ex soluto genitus, & soluta, legitimatur per subsequens conjugium, etiam quoad hæreditatem.

Cap. II. *Cum inter.* (14) Separato matrimonio in facie Ecclesiæ contracto, filii geniti, vel concepti ante sententiam sunt legitimi.

Cap. III. *Transmissæ.* (15) Statur verbo viri, & mulieris, qui negant aliquem esse suum filium, nisi indiciis, & testibus probetur contrarium.

Cap. IV. *Causam.* (16) Illegitima proles est, quam viro vivente, uxor ex adulterio concepit, sive cum adultero, sive cum viro moretur.

Cap. V. *Lator.* (17) Quæstio nativitatis opposita petenti hæreditatem coram Judice sæculari, est ad Ecclesiasticum Judicem transmittenda.

Cap. VI. *Tanta est.* (18) Naturales legitimantur per sequens parentum conjugium, spurii vero non.

☞ *Pius IV. Constit. Quamvis abrogavit omnes legitimationes spuriorum naturalium in præjudicium vocatorum ex testamento, revocavitque omnes legitimandi facultates in simile præjudicium.*

Cap. VII. *Causam.* (19) De causa civili inter laicos non cognoscit Ecclesia; cognoscit tamen, an quis sit de legitimo matrimonio natus.

Cap. VIII *Perlatum.* (20) Si mulier per judicium Ecclesiæ separata a primo, vivente illo, contrahit cum secundo, legitima erit proles, quam ex illo suscepit.

Cap. IX. *Quod nobis.* (21) Filii nati ex matrimonio clandestino postmodum per Ecclesiam approbato, sunt legitimi.

Cap. X. *Referente.* (22) Nati ex matrimonio contracto contra publicæ honestatis justitiam, illegitimi sunt, & ab hæreditate parentum excludendi.

Cap. XI. *Pervenit.* (23) Ad docendum prolem illegitimam non sufficit probare impedimentum matrimonii, si fuit in facie Ecclesiæ contractum.

Cap. XII. *Per tuas.* (24) Statur dicto testium, qui probant aliquem legitimum, licet fama viciniæ, & tractatus parentum habeat contrarium.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CLIV.*

Cap. XIII. *Per venerabilem.* (25) In terris Ecclesiæ Papa potest libere illegitimos legitimare; in terris vero alienis non, nisi in causis multum arduis, vel nisi in spiritualibus: tunc tamen indirecte, & per quamdam consequentiam intelligitur legitimare etiam quoad temporalia.

Cap. XIV. *Ex tenore.* (26) Si conjugatus, vivente prima, in facie Ecclesiæ contrahit cum secunda hoc ignorante, legitima erit eorum proles.

Cap. XV. *Gaudemus.* (27) Proles infidelium, qui postea convertuntur, legitima est; etiam si parentes sint in gradu prohibito lege canonica.

QUI MATRIMONIUM ACCUSARE POSSUNT, VEL CONTRA ILLUD TESTARI.

TITULUS XVIII. *continens VI. Capitula.*

Cap. I. *Relatum.* (28) Cum agitur de fœdere matrimonii, reo absente contumaciter, possunt super impedimento matrimonii recipi testes; dummodo sint legitimi; & ad dicta eorum fertur sententia.

Cap. II. *A nobis.* (29) Accusatio, & testimonium in causa matrimoniali personaliter, & non per litteras fieri debent.

Cap. III. *Videtur.* (30) In causa matrimonii super consanguinitate, sive conjugandi, sive disjungendi testificari possunt consanguinei, & parentes.

Cap. IV. *Insuper.* (31) Invita desponsata, postea sponte cognita, contra matrimonium non auditur.

Cap. V. *Significante.* (32) Repellitur accusans matrimonium propter quæstum.

Cap. VI. *Cum in tua.* (33) Repellitur ab accusatione matrimonii, qui denunciationis tempore tacuit; nisi denunciationem probabiliter ignoravit; vel juret de novo didicisse, & quod non objicit illam malitiose.

DE

(1) *Greg. IX.* (2) *Clem. V. in Conc. Vien.*
(3) *Ex Bruecar. Lib. 19.*
(4) *Alex. III. Amb. Ep.*
(5) *Idem.* (6) *Luc. III.* (7) *Cælest. III.*
(8) *Idem Episc. Altissiod.*
(9) *Hon. III. Ep. & Mag. B. Canon. Amb.*
(10) *Alex. III. Paduan. Ep.*
(11) *Idem VVinton., Bathon., & Herford. Ep.*
(12) *Idem Paduan. Ep.* (13) *Alex. III.*

(14) *Idem Canon. Clero, & Pop. Temul.*
(15) *Idem Rotomag. Archiep.*
(16) *Idem Exon. & VVinton. Ep. & Ab. Forden.*
(17) *Idem Exon. Ep. & Ab. Forden.*
(18) *Idem Exon. Ep.* Hoc cap. apud Gonz. incip. Meminimus.
(19) *Idem Lond. VVinton. & Exon. Episc.*
(20) *Idem Episc. & Archid. Vicent.*
[21] *Idem Belvac. Ep.*
(22) *Cælest. III. Eborac. Episc.*
(23) *Idem Lincon. Ep. & Ab.*
(24) *Innoc. III. N. Hydrunt. Archiep.*
(25) *Idem VVillel. Com. Mont. Pesul.*
(26) *Idem Henr., & Vlt. Can. Beneven.*
(27) *Idem Ep. Tiberiad.*
(28) *Alex. III. Parm.* vel Paris. *Ep.*
(29) *Clem. III.* (30) *Cælest II. Floren. Eccles.*
(31) *Cælest. III.*
(32) *Idem Archiep. Præp. & Prior. S. Mariæ de Albanio Januen.*
(33) *Idem.*

DE DIVORTIIS.

TITULUS XIX. *continens IX. Capitula.*

Cap. I. *Si qua.* (1) Homicidium neceſſarium non privat ſpe conjugii, ſed machinatio in mortem conjugis ſic.

Cap. II. *Quæſivit.* (2) Conjuges propter alterius crimen non ſeparantur; niſi alter alterum ad infidelitatem trahere tentet: & tunc durat conjugium, eis etiam ſeparatis.

Cap. III. *Porro:* (3) Vir non poteſt dimittere uxorem ſine judicio Eccleſiæ, etiam propter impedimentum parentelæ notorium. Si fama refert impedimentum conjugii, etiam nemine opponente Epiſcopus ex officio poteſt de eo inquirere. Si vero impedimentum eſt notorium poteſt ex officio matrimonium ſeparare.

☞ *Ex Conſtit. Pauli III.* Cum ſicut: *uxor a marito diſſidens, niſi locetur in loco honeſto, petere debet cautionem de non offendendo, ne ſuſpectam vivendi libertatem affectet.*

☞ *Ex Conſtit. Sixti V.* Ad compeſcendum *ſe temere ſeparantes abſque Judicis licentia, puniendi ſunt arbitrio Judicis. Et maritus ſi poſt obtentam ſeparationem, cum ſcortis, aut aliis mulieribus luxurioſe vixerit, ita ut appareat ideo ſeparationem affectaſſe, puniendus eſt ultimo ſupplicio: ſicut & uxor ſi a marito fugerit, ut impudice vivat. Et vide Elencho VI. n. LVII. item notata lib. V. tit. XVI. Poſt cap. I.*

Cap. IV. *Significaſti.* (4) Repellitur uxor petens reſtitutionem mariti, ſi notorie fornicata eſt, & maritus continuit.

Cap. V. *Ex litteris.* (5) Matrimonium ſeparatur propter adulterium mulieris; & ſi vir poſtea fornicetur, redintegratur.

Cap. VI. *De illa.* (6) Si uxor a viro lapſo in hæreſim propria auctoritate divertit, ad eum reverſum redire compellitur; ſecus ſi per judicium Eccleſiæ ab eo fuiſſet ſeparata.

Cap. VII. *Quanto.* (7) Vinculum conjugale non diſſolvitur altero conjugum fidelium in hæreſim lapſo. Sed ſi unus infidelium conjugum convertitur ad fidem, & alter nolit ſibi cohabitare, vel non ſine blaſphemia, vel ſine peccato mortali, ſolvitur conjugium; & converſus contrahere poterit.

☞ *Vide Trid. ſeſſ.* 24. *can.* 5. *de ref. matr.*

Cap. VIII. *Gaudemus.* (8) Pagani juncti in gradu prohibito lege canonica tantum, converſi ad fidem non ſeparantur. Si paganus prius plures uxores habebat, poſt fidem ſuſceptam adhærebit primæ. Et ſi repudiata uxore, cum ſecunda contraxerit, etiam poſt baptiſmum dimittet ſecundam, & adhærebit primæ repudiatæ; etiamſi repudiata cum alio contraxiſſet: ſecus ſi fornicata fuiſſet.

Cap. IX. *Deus.* (9) Non licet relictam fratris in uxorem accipere: & ducta ſeparanda eſt; niſi aliter Eccleſia diſpenſet.

☞ *Circa hanc diſpenſationem vide Gonzal. hoc eod. cap.*

DE DONATIONIBUS INTER VIRUM, ET UXOREM, ET DE DOTE POST DIVORTIUM RESTITUENDA.

TITULUS XX. *continens VIII. Capitula.*

Cap. I. *Mulieres.* (10) Separato licite matrimonio, dos reſtituenda eſt.

☞ *Sive ſolvatur quo ad vinculum, ſive quo ad torum Gonz.*

Cap. II. *Significavit.* (11) Soluto matrimonio, cogitur vir dotem reſtituere; & bona dividere, quæ communiter eis obvenerunt.

Cap. III. *De prudentia.* (12) Delegatus ad cauſam matrimonii, ſi ferat ſententiam divortii, pronunciare debet dotem reſtitui.

Cap. IV. *Plerumque.* (13) Mulier propter adulterium a viro ſeparata, perdit dotem, & donationem propter nuptias.

Cap. V. *Et ſi.* (14) Donatio propter nuptias declaratas nullas, quia fuerunt inceſtuoſæ, a marito repeti poteſt, nec lucro uxoris cedit.

Cap. VI. *Nuper.* (15) Uſufructuarius donans ſine conſenſu domini rem ipſam uxori propter nuptias, non transfert in eam plus juris, quam ipſe habebat: idem de eo, qui ſub conditione adimente habet rem in hæreditatem, vel in feudum.

Cap. VII. *Per veſtras.* (16) Vir agens pro dote, non omnino excluditur ex eo, quod vergat ad inopiam; nec præciſe cogitur ſatiſdare ultra facultatem propriam; ſed dos ſibi aſſignatur ſub cautione, quam præſtare poteſt. Et ſi per illam cautionem non eſſet ſufficienter proviſum conſumptioni dotis, deponetur dos apud mercatorem, ut de honeſto lucro vir ſuſtineat onera matrimonii.

Cap. VIII. *Donatio.* (17) Donatio, quæ, conſtante matrimonio, inter conjuges dicitur eſſe facta, ex quo alter locupletior, & pauperior alter efficitur, firmitatem non habet; niſi donatoris obitu confirmetur: quæ tamen pœnitus evaneſcit, ſi revocetur ab eo tacite, vel expreſſe; vel qui donatum accepit, prius debitum naturæ perſolvat. Sane ſoluto matrimonio, ſicut dos ad mulierem, ſic & donatio propter nuptias redit ad virum; niſi de conſuetudine ſecus obtineat; vel ex pacto de lucranda dote, & donatione propter nuptias, quod æquale ſit tamen hinc inde contrarium inducatur.

DE SECUNDIS NUPTIIS.

TITULUS XXI. *continens V. Capitula.*

Cap. I. *Capellanum.* (18) Secundæ nuptiæ non benedicuntur; & benedicens puniendus eſt.

☞ *Ex textu eas benedicens ſuſpenſus ab officio, & beneficio mittendus eſt ad Sedem Apoſtol. ſed hodie hæc miſſio ſublata eſt, eſtque in arbitrio Epiſcopi vel ſuſpenſionem inferre, vel aliam pœnam Theſ. verb.* Matrimon. *cap.* 1. *n.* 5. *& verb.* Sacrament. *c.* 3.

Cap. II. *Dominus.* (19) Dubitas de morte conjugis, niſi prius certificetur contrahere non debet; etſi contraxit, reddat, ſed non exigat debitum: etſi poſtmodum ſciat primam vivere, dimittat ſecundam.

☞ *Vide de cap.* Inquiſitioni 44. *de ſent. Exc.*

Cap. III. *Vir autem.* (20) Si unus ex conjugibus fuit alias benedictus, non debent conjuges de novo benedici.

Cap. IV. *Super.* (21) Mulier nubens intra annum lugubrem, infamiam non incurrit.

Cap. V. *Cum ſecundum.* (22) *Summa ut ſupra.*

(1) *Ex Conc. apud. Vermeriam.*
(2) *Al. III. Ep. Carnol.* juxta Gonzal.
(3) *Idem Amb. Ep.*
(4) *Idem Trec. Ep.*
(5) *Clem. III.*
(6) *Urban. III. Floren. Ep.*
(7) *Idem Ferr. Ep.*
(8) *Idem Triberiad. ad Ep.*
(9) *Idem Livon. Ep.*

(10) *Ex Conc. VVormat. temp. Car. Mag.*
(11) *Urb. III. Decan. Cant., & Theſaur. Lexov.*
(12) *Clem. III.* (13) *Celeſt. III.*
(14) *Innoc. III. Compoſtel. Archiep. & Ep. in Regno Legion.*
(15) *Idem Archid. S. And. de Scotia.*
(16) *Idem Archiep., & O. Archid. Jan.* (17) *Gr. IX.*
(18) *Alex. III.* (19) *Luc. III. Chriſt. in capriv. Saracen.*
(20) *Urb. III. Vigil. Ep.* juxta Gonzal.
(21) *Idem Exon. Ep.*
(22) *Innoc. III. P. Nob. Mul.*

IN LIBRO V. GREGORII PAPÆ IX.

CONTINENTUR TITULI XLI.

DE ACCUSATIONIBUS, INQUISITIONIBUS, ET DENUNCIATIONIBUS.

TITULUS I. *Continens XXVII.* CAPITULA.

Cap. I. *Si legitimus*. (1) De persona accusatoris prius quærendum est in judicio.

Cap. II. *Si quis*. (2) A denunciatione repellitur is, qui non præmonuit.

Cap. III. *Illa*. (3) Criminatio Prælati debet tractari coram illis, quorum interest.

Cap. IV. *Omnipotens*. (4) Qui de aliquo crimine accusatur, vel denunciatur, interim promoveri non potest.

Cap. V. *Nulli*. (5) Episcopus accusatus a suo familiari eum per exceptionem criminis ab accusatione repellere nequit, quem ante a sua familiaritate neglexerit separare.

Cap. VI. *De his*. (6) Absolutus de certo crimine, de eodem iterum accusari non potest.

Cap. VII. *Repellantur*. (7) Cohabitantes inimicis accusari, ab accusatione repelluntur.

Cap. VIII. *Accusasti*. (8) Ponit pœnitentiam accusatoris calumniosi; cum sequitur inde mors, vel membri debilitatio.

Cap. IX. *Evidentia*. (9) Super notorio procedit Judex, nemine accusante.

Cap. X. *Cum*. (10) Laici, vel inimici Clericos accusare non possunt.

☞ *Exceptis casibus relatis in capp.* De cætero 14. de Testib. & Nulli 5. *hoc eod. tit.*

Cap. XI. *Ex parte*. (11) Monachus accusare potest Abbatem, & de bonis monasterii expensas litis necessarias habebit.

Cap. XII. *Si constiterit*. (12) Presbyter ebriosus missam celebrans non præmissa digestione, Ecclesia privari debet.

Cap. XIII. *Meminimus*. (13) Inimicus etiam a voluntaria exceptione repellitur.

Cap. XIV. *Licet*. (14) Dicens se aliquem accusaturum coram Judice, ante inscriptionem potest sine pœna desistere, & non accusare: sed ei desistenti silentium imponitur in perpetuum.

Cap. XV. *Veniens*. (15) Ad prosequendam accusationem criminalem non admittitur procurator; licet possit allegare causam absentiæ, seu alias exceptiones non tangentes crimen propositum: & qui juravit stare mandato alicujus, non admittitur ad accusandum illum; si virtute juramenti sibi fuit injunctum, ut non accusaret.

Cap. XVI. *Super his*. (16) Denunciator criminis non se inscribit, quia ad correctionem tendit: accusator autem inscribit; quia tendit ad pœnam: excipiens vero inscribit ad pœnam extraordinariam; si per exceptionem dejicitur ab obtento; alias secus. Dum discutitur de crimine, per modum exceptionis potest intervenire procurator.

Cap. XVII. *Qualiter*. (17) Generales Inquisitores si non servaverunt debitum inquisitionis ordinem prudenter, & caute se corrigere debent. Ponit formam juramenti, quod Inquisitores exigunt ab inquisitis.

Cap. XVIII. *Cum dilecti*. (18) Si is, contra quem inquiritur, juravit respondere tantum ad interrogata, post confessionem auditur volens probare excusationes, quæ confessionem non perimunt, sed exponunt: secus si juraverit plenam, & meram veritatem dicere.

Cap. XIX. *Cum oporteat*. (19) De veritate criminum non inquiritur; nisi prius constet de infamia: & tunc non inimici, vel perjurii, sed idonei viri ad prosequendum inquisitionem, & ad testimonium admittuntur: & non probato crimine, indicitur infamatis purgatio.

Cap. XX. *Cum dilectus*. (20) A denunciatione repellitur publicus concubinarius, excommunicatus, & conspirator, & is, qui non præmonuit.

Cap. XXI. *Inquisitionis*. (21) Crimen probatum per modum inquisitionis regulariter pœna ordinaria non punitur; sed si impedit ordinis exequutionem, fit depositio, sicut in accusatione: etsi impedit tantum beneficii retentionem, fit privatio a beneficio, nec poterit Judex hanc pœnam moderari.

Contra non infamatum super veritate criminum inquiri non debet; etiamsi libellus famosus contra eum oblatus fuerit in secreto: nec super principali creditur testi, qui juratus dicit se illius, contra quem inquiritur, inimicum. Idem si hoc dicit ante juramentum; nisi præsumatur hoc dixisse in fraudem.

Non punitur quis de crimine, de quo non constat nisi per famam, & testium credulitatem: & per dicta paucorum non debet quis apud Judicem infamatus reputari.

Cap. XXII. *Ad petitionem*. (22) Si is, de cujus crimine in judicio constat, petit restitutionem propter judiciarium ordinem non servatum, non est audiendus; sed eum tanquam notorium criminosum debet superior de novo privare.

Cap. XXIII. *Accedens*. (23) Agenti possessorio adipiscendæ in beneficialibus non obstat exceptio criminis; nisi de eo sit infamatus: & infamato, accusatore non probante, vel non apparente indicitur purgatio; in qua si defecerit, punitur ut convictus.

☞ *Cum hic non improbetur successio immediata collateralium, seu transversalium in beneficiis, vide notata in cap.* Ex parte 12. *de offic. & potest. judic. deleg.*

Cap. XXIV. *Qualiter*. (24) Superior contra subditum, maxime Prælatum, de his tantum inquiret, super quibus præcessit infamia, & tunc vocabit eum, & tradet illi capitula, & nomina, & testium dicta publicabit, & ipsius legitimas exceptiones admittet: & probato gravi crimine, eum ab administratione removebit. In Regularibus vero Prælatis ad unguem servandus non est hic ordo.

☞ *Hic etiam præcipitur Episcopum procedentem contra subditum in criminalibus teneri secum adhibere canonicos Cathedralis; sed hodie communiter contra eos circa hoc Episcopi præscripserunt, ideoque soli inquirunt Fagn. hoc eod. cap. n.* 14.

Cap. XXV. *Sicut olim*. (25) Metropolitani ad correctionem excessuum, & reformationem morum singulis annis facere debent provinciale concilium, in quo statuere debent personas idoneas per singulas Diœceses, quæ solicite investigent, & in sequenti concilio referant corrigenda: & Episcopi debent facere Synodos episcopales singulis annis, & publicare agitata in provinciali concilio, & hæc negligentes ab exequutione officii suspenduntur.

☞ *Vide moderationem Elencho II. n. CLV.*

Cap. XXVI. *Olim V. V.* (26) Sententiæ excommunicationum, suspensionum, vel interdicti latæ post denunciationem per Abbatem denunciatum, vel alium pro ipso

(1) *Felix II. ad Ep. in Alex. Synod. congreg.* licet Baron. dubitat hunc fuisse Auctorem istius Decretal. Hoc cap. apud Gonzal. incipit Quoties.

(2) *Felix.* I. juxta Gonz. & hoc cap. in eod. incipit Hæc sunt.

(3) *D. Greg. Guidiscal. Duci Camp.*

(4) *Idem Constant. August.*

(5) *Pasch.* Nescitur an I. vel II. cum hæc Decretal. non reperiatur inter epist. utriusque.

(6) *Ex Conc. Mogun.* juxta Gonzal.

(7) *Steph. I.*

(8) *Ex Burchard. Lib.* 19.

(9) *Augustin. super Gen. de morte Abel.* juxta Gloss. quamvis hæc verbat. in operib. Aug. non reperiantur.

(10) *Al. III. Galac. Elec.*

(11) *Idem VVigor. Ep.*

(12) *Alex. III. Amb. Ep.*

(13) *Idem.*

(14) *Inn. III. Bisun. Archiep.*

(15) *Idem Salisb. Archiep.*

(16) *Idem S. Frid. Trior. & Mag. B. Can. Pis.*

(17) *Idem Vercel. Ep. & Ab. de Til.*

(18) *Idem Archie. Arelat. & Val. Mag. Ab.*

(19) *Idem Archiep. Tarac. & Ab. S. M. de Populeto, & Archid. Barchin.* (20) *Idem.*

(21) *Innoc. III. Episc. Genev. & Vien. Sacr.*

(22) *Idem Silvan. Ep. & Latiniac. Diæc. Paris. & Decan. Silvan.*

(23) *Idem.*

(24) *Idem in Conc. Lat.* (25) *Idem ibid.*

(26) *Greg. IX. Archiep., & Pr. S. M. Rothomag.*

ipso in monachos denunciantes, vel adhærentes eisdem, relaxantur: spoliati restituuntur, & juramenta de tacenda varitate relaxantur: dicta testium denunciato traduntur, & expensæ de bonis monasterii monachis denunciantibus ministrantur: & propter hoc ab obedientia Abbatis non eximuntur, sine tamen litis præjudicio.

Cap. XXVII. *Prælatorum*. (1) Contra Prælatum denunciatum de dilapidatione fit commissio super veritate inquirenda, & pendente negotio debet sibi interdici potestas alienandi.

IN SEXTO. *Lib. V. sub eodem Titulo, & ibi tit. I. continente II. Capitula.*

Cap. I. *Postquam*. (2) Ex confessione coram Delegato inquirente super certis criminibus deputato facta, punitur confitens, licet dicat se prius diffamatum non fuisse, vel inquisitionis capitula non habuisse.

Cap. II. *Si is*. (3) Valet inquisitio facta super veritate criminum, omissa inquisitione infamiæ, si reus præsens tacuit.

DE CALUMNIATORIBUS.

TITULUS II. *continens II. Capitula.*

Cap. I. *Cum fortius*. (4) Subdiaconus calumniose accusans Diaconum, subdiaconatu privatur, & publice verberibus castigatur, & in exilium mittitur.

☞ *Ista verberatio in desuetudinem abiit Clarus §. final. q. 71. n. 2.*

Cap. II. *Cum dilectus*. (5) Denunciator in probatione criminum deficiens, ab officio, & beneficio suspenditur, donec innocentiam suam purget.

DE SIMONIA, ET NE ALIQUID PRO SPIRITUALIBUS EXIGATUR, VEL PROMITTATUR.

TITULUS III. *continens XLVI. Capitula.*

Cap. I. *In ordinando*. (6) Episcopus pro Ordine ab eo conferendo, vel ministri, vel notarii nihil temporale exigere debent.

☞ *Vide Trid. sess. 21. cap. 1. de ref. & notata Elencho VI. n. XXVII.*

Cap. II. *Qui alium*. (7) Deponendus est, qui per pecuniam aliquem ejecit de Ecclesia sua, se postea intrudendo.

Cap. III. *Si Dominum*. (8) Quilibet catholicus admittitur ad accusandum de crimine simoniæ.

Cap. IV. *Accusatum*. (9) Simoniacus, pendente accusatione, ab administratione divinorum prohibetur.

Cap. V. *Quoties*. (10) *Idem dicit, quod cap. præced:: nisi quod illud loquitur in accusatione, hoc in inquisitione, illud de simoniaco in genere, hoc declarat de Ordine.*

Cap. VI. *Sicut*. (11) Simoniacus est deponendus.

Cap. VII. *Tanta*, (12) Simoniacum accusare possunt servus, meretrix, criminosi.

Cap. VIII. *Non satis*. (13) Simoniacum est pretium recipere pro ingressu Religionis, pro prioratibus, vel pro capellis concedendis, & pro Prælatis instituendis, pro concedenda sepultura, pro chrismate, pro oleo sancto, pro benedictionibus nubentium, vel aliis sacramentis; nec valet consuetudo contraria.

☞ *Circa pretium pro ingressu in Religionem vide notata in cap.* Sane 1. *infr. in extr. com. & pro sepultura notata infra in cap.* Suam 29., *& quoad pœnas pro simoniaca sacramentorum administratione servanda est Constit. S. Pii V.* Cum primum.

Cap. IX. *Cum in Ecclesia*. (14) *Summa ut supr.*

Cap. X. *Cum sit*. (15) Nihil pro Ecclesiarum consecratione potest, vel debet præter procurationem exigi.

Cap. XI. *De hoc*. (16) Convictus de simonia, deponendus est; idem de ea infamatus, si se non purgat.

Cap. XII. *Cum essent*. (17) Simoniacum est pro temporali obsequio beneficium ecclesiasticum promittere.

Cap. XIII. *Insinuatum*. (18) Notorius simoniacus in beneficio, ab illo deponitur: sic de ea infamatus, si se non purgat.

☞ *Pœnas simoniacorum in beneficiis vide in Auctore hoc eod. tit. §. IV. & in Const. Innoc. XII.* Ecclesiæ, *ac correctionem Elencho I. n. LVIII.*

Cap. XIV. *Nemo*. (19) Simoniacum est pretio, vel favore celare peccatorem, vel reconciliare non pœnitentem, vel digne pœnitentem a reconciliatione removere.

Cap. XV. *Querelam*. (20) Ecclesia emi, vel redimi non potest.

Cap. XVI. *Ea quæ*. (21) Pro chrismate ab Ecclesiis pecunia exigi non debet; etiamsi adsit consuetudo.

Cap. XVII. *Ex diligenti*. (22) Pro habendis spiritualibus homagium facere simoniacum est.

Cap. XVIII. *Et si*. (23) Ordinatio, vel consecratio non censetur simoniaca, licet Ordinatori aliquid donatum fuerit non ex pacto.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CLXVI.*

Cap. XIX. *Veniens*. (24) Abbas & majores de conventu, si pro receptione monachi receperunt pecuniam ex pacto, ab officio, & beneficio suspenduntur; & taliter recepta pecunia restituitur, & in aliud monasterium ita receptus transfertur.

☞ *Vide ampliationem Elencho I. n. LIX. LX.*

Cap. XX. *Ex tua*. (25) Si ordinandus præsentatori suo aliquid dedit ex pacto, simoniacum est; non tamen deponitur, si est occultum.

Cap. XXI. *Ad nostram*. (26) Mandamus, quatenus pro ministerio ecclesiastico exercendo, sive pro Vicariis assignandis, seu pro chrismate nullatenus pecuniam exigatis.

Cap. XXII. *De simoniaca*. (27) Cum simoniace ordinato, ignorante simoniam dispensari potest.

☞ *Vide explicationem in Gonzal.*

Cap. XXIII. *Matthæus*. (28) Si contradicens electo pro pecunia de voluntate electi tradita a contradictione cessat, electus postea confirmatus, est simoniacus, & beneficio renunciare tenetur.

Cap. XXIV. *Ad aures*. (29) Pro absolvendo excommunicato pretium exigi non debet.

Cap. XXV. *De regularibus*. (30) Monachi per simoniam, ipsis scientibus, recepti, ad arctiora monasteria transferuntur: si autem ipsis ignorantibus, post notitiam habitam in iisdem, vel in aliis monasteriis ejusdem Ordinis poterunt collocari.

Cap. XXVI. *Ex insinuatione*. (31) Si quis canonicatui renuncians, ad quem per simoniam ignoranter assumptus fuerat, postea de novo assumatur ad illum, non potest ex prima receptione sibi aliquid vindicare.

Cap. XXVII. *Nobis*. (32) Electio simoniaca est cassanda, si propter hoc Electoribus promissa fuit pecunia, quamvis electus ignoret, nisi hoc factum fuerit in fraudem electi. Cum electo reprobato per vitium simoniæ non dispensat Episcopus.

☞ *Circa simoniam in electione Papæ vide Fagnan. hoc eod. cap.*

Cap. XXVIII. *Dilectus*. (33) Qui dat Prælato pecuniam, ne ipsum in jure suo de facto molestet, illam repetit, si Prælatus promissa non servet.

Cap. XXIX. *Suam*. (34) Pro benedictionibus nubentium, & exequiis mortuorum nihil exigi debet.

☞ *Hæc prohibitio intelligenda est, quando quod exigitur, nec jus, nec publica authoritas, nec consuetudo exigi permittit. Glossa, & cap.* Ad audientiam 42. *hoc eod. tit. verba* Nituntur.

Cap. XXX. *Dilectus*. (35) Si per accusationem constat monachum simoniace fuisse receptum, receptus, & recipiens deponuntur: si vero per inquisitionem, receptus in arctius monasterium detruditur. Recipienti vero & majoribus pœna condigna imponitur; & interim ab exequutione Ordinum sacrorum suspenduntur.

Cap. XXXI. *Licet*. (36) Abbas contra testes, qui deposuerunt contra eum de simonia in judicio inquisitionis excipere potest, quod sunt inimici, & conspiratores: alias vero exceptiones criminum opponere non potest.

Cap. XXXII. *Per tuas*. (37) Declarat an, & quando testes criminosi admittantur in crimine simoniæ.

Cap.

(1) *Idem Ep. Cisterc. & Ab. de Alde, & Saben.*
(2) *Bonif. VIII.* (3) *Idem.*
(4) *D. Greg. Anthem. Subd. Campan.*
(5) *Innoc. III. Zamor. Segov. & Abul. Episc.*
(6) *D. Greg. in syn. Rom. an. ejus* 5. In Gonz. hoc cap. incip. Antiquam, *& lectura differt ab ea, quæ reperitur in tex. Greg. IX., idem tamen dicit.*
(7) *Ex Conc. Mogun.* Hoc cap. in Gonz. incip. Quicumque.
(8) *Ex Decr. collect. a Card. Deusdedit.*
(9) *Ex Regest. D. Greg. Maximo intruso in Episcop. Salonit.*
(10) *Ex eod.*
(11) *Luc. Papa* nescitur tamen an. I. II. vel III.
(12) *Card. Deus dedit.*
(13) *Alex. III. Arelat. Archiep. & Val. Mag. Ab.*
(14) *Idem in Conc. Lat.*
(15) *Idem Vigil. Ep.*
(16) *Idem Tolet. Archiep.*
(17) *Idem Eborac. Archiep.*

(18) *Idem Cistren. Ep.* (19) *Idem.*
(20) *Idem Vigor. Ep. & Prior. de Patejar.* [21] *Idem.*
(22) *Idem Paren. Piccardo.* (23) *Idem Strigon. Ep.* (24) *Idem.*
(25) *Idem.* (26) *Idem Herford. Archid.*
(27) *Luc. III. Archiep.* (28) *Idem Turon. Archiep.*
(29) *Idem.* (30) *Clem. III.*
(31) *Idem.* (32) *Cælest. III.*
(33) *Idem Lincen. Ep. & Prior. de Eractoponte & Arch. de Marin.*
(34) *Innoc. III. Ab. de Jugo Dei, & N. Prior. de Stillin.*
(35) *Idem Cantuar. Archiep.*
(36) *Idem Prior. S. Victor. & Mag. J. Bonon. & L. Modocen. Canon.* (37) *Idem.*

Cap. XXXIII. *Sicut*. (1) Non imputatur electo confirmato, si eo prohibente, pro ipsius confirmatione pecunia data fuit.

☞ *Vide Extravag.* Detestabile 2. *infra.*

Cap. XXXIV. *Tua nos*. (2) Si clericus cum pacto confert Ecclesiæ bona sua, ut in ipsa recipiatur in canonicum, & illa sibi retineat pro præbenda, simonia committitur: secus si hoc fiat sine pacto.

☞ *Vide Elencho VI. n. LXXII.*

Cap. XXXV. *Per tuas*. (3) Non debet quis Ordinem recipere ab eo, quem credit simoniacum, sed ministrare potest in illis, quos prius ab isto recepit.

Cap. XXXVI. *In tantum*. (4) Pro chrismate, vel investitura Ecclesiarum nil exigi debet; nec excusat consuetudo, vel nominis variatio.

Cap. XXXVII. *Per tuas*. (5) Ordinatus in subdiaconum, qui prius præsentatori suo promisit, quod nil ab eo peteret, in suscepto ministrare, vel ad superiores Ordines ascendere sine dispensatione non potest, licet peccare non crediderit.

Cap. XXXVIII. *Consulere*. (6) Simonia est dare pecuniam pro Vicariatu, vel pro alia administratione rerum spiritualium, seu ecclesiasticarum habenda; & dantes, & recipientes ab illa Ecclesia sunt ejiciendi.

Cap. XXXIX. *Sicut*. (7) Simoniacum est aliquid exigere pro consecratione Episcoporum, & benedictionibus Abbatum, & ordinationibus Clericorum; nec excusat consuetudo.

Cap. XL. *Quoniam*. (8) Religiosi pretio recepti, una cum recipientibus de monasterio expelluntur, & in arctioribus monasteriis ad agendam pœnitentiam detruduntur: sed recepti ante istud Conc. ponebantur sic recepti in aliis locis ejusdem Ordinis, nisi, ob multitudinem queant alibi collocari; ita tamen quod renuncient primæ receptioni, & de novo recipiantur.

Cap. XLI. *Audivimus*. (9) Episcopi nil exigere debent, ut permittant in Ecclesiis sibi subjectis Clericos instituí, monachos profiteri, vel mortuos sepeliri; alioquin exacta restituentur duplicata.

Cap. XLII. *Ad Apostolicam*. (10) Sacramenta sunt libere conferenda: cogit tamen Ordinarius laicos observare laudabiles consuetudines.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CLVII.*

Cap. XLIII. *Ne Dei*. (11) Prohibet Abbates Cistercienses solemniter installari: & ponit formam obedientiæ, quam præstant suis Episcopis.

Cap. XLIV. *Jacobus*. (12) Recepto in canonicum debetur præbenda, & redditus, consuetudine non obstante, quod non servaverit pravam consuetudinem de aliquo temporali dando ipsis canonicis.

☞ *Vide Elencho VI. n. LXXII.*

Cap. XLV. *Si quis*. (13) Qui ordinavit aliquem sub promissione de non petendo ab ipso provisionem, Ordinator per triennium a collatione, præsentator ab exequutione Ordinum etiam per triennium suspensi sunt: Ordinatus ab Ordine perpetuo sit suspensus, & solum Papa cum eis dispensat.

Cap. XLVI. *Mandato*. (14) Facultas concessa a Papa dispensandi cum monachis simoniacis ob aliquod datum pro receptione in monasterium extenditur etiam ad dispensandum cum Abbate, ob id pariter simoniaco, licet nulla de eo facta fuerit mentio in mandato; cum & ipse veniat sub nomine monachorum.

Ob simoniam mere mentalem non tenetur quis resignare spiritualia, vel temporalia simoniace acquisita.

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS. *Lib. V. sub eodem Titulo & ibi tit. I. continente II. Capitula.*

Cap. I. *Sane*. (15) Pastus, vel jocalia exigentes, & etiam dantes pro religionis ingressu, si sint singulares personæ, excommunicationis, si conventus, vel capitulum, suspensionis sententias ipso facto incurrunt; & utriusque vinculi absolutio Papæ reservatur, aliis pœnis in suo robore duraturis; nisi ingredientes, aliquid sponte, & sine pactione obtulerint.

☞ *Hanc decretalem quoad moniales pacifcentes de dote, licet monasterium sit locuples, & quoad ordinarium numerum, de quo in textu esse revocatam tradit hic Glos. imo & Cabosut jur. can. Theor. lib. 5. c. 5. n. 17. dicit revocatam esse ab In. VIII. Mart. V. Clem. VII. & VIII.*

Cap. II. *Cum detestabile*. (16) Simoniaci, cujuscumque dignitatis, aut status, sunt ipso facto excommunicati; nec habent simoniace ordinati Ordinis exequutionem. Electiones, aut aliæ provisiones simoniace factæ non valent, nec jus percipiendi fructus tribuunt. Mediatores simoniæ eadem censura ligantur, absolvendi a solo Papa, cui omnes prædicti sunt revelandi.

☞ *Hoc cap. confirmatum est a S. Pio V. Constit.* Cum primum §. 8. *& beneficia sic obtenta dimittenda sunt ante omnem declarationem, non obstante ignorantia facti etiam invincibili, seu bona fide, scilicet tertio simoniam operante ut ex cap.* Nobis 27. *& cap.* Sicut 33. *supra.*

NE PRÆLATI VICES SUAS, VEL ECCLESIAS SUB ANNUO CENSU CONCEDANT.

TITULUS IV. *continens IV. Capitula.*

Cap. I. *Praeterea*. (17) Qui dat pecuniam, ut episcopalem, vel spiritualem jurisdictionem exerceat, officio privatur; & sic conferens, illud amplius conferre non poterit, & punietur.

☞ *Vide ampliationem Elencho III. n. XLIII.*

Cap. II. *Quoniam*. (18) *Summa, ut supra.*

☞ *Vide ampliationem Elencho III. n. XLIV.*

Cap. III. *Quoniam*. (19) Regimen Ecclesiæ sub annuo censu committi non debet.

Cap. IV. *Querelam*. (20) Fructus Ecclesiarum sub annuo censu concedi possunt.

DE MAGISTRIS, ET NE ALIQUID EXIGATUR PRO LICENTIA DOCENDI.

TITULUS V. *continens V. Capitula.*

Cap. I. *Quoniam*. (21) Ecclesia cathedralis providere debet magistro de beneficio, qui Clericos ejusdem Ecclesiæ, & alios pauperes gratis doceat: & vendens licentiam docendi, aut interdicens idoneum ad docendum, beneficio privatur.

☞ *Vide cap.* Quia nonnullis 4. *infr.*

Cap. II. *Prohibeas*. (22) Pro licentia docendi nil exigi debet, vel promitti; & exactum restitui, & promissum remitti debet: negligente inferiore Prælato magistrum constituere, supplebit Superior.

Cap. III. *Quanto*. (23) Pro licentia docendi pecunia exigi non debet, licet adsit consuetudo.

Cap. IV. *Quia nonnullis*. (24) In qualibet cathedrali Ecclesia, vel alia in facultatibus sufficienti debet a Prælato, vel capitulo unus magister eligi, cui redditus unius præbendæ debent assignari. In metropolitana vero Ecclesia etiam eligi debet theologus; & si ad grammaticum, & theologum non sufficit, provideri ipsi theologo ex redditibus suæ Ecclesiæ, & grammatico faciat provideri in aliqua Ecclesiarum suæ civitatis, vel Dioecesis.

☞ *Vide moderationem, ac correctionem Elencho II. a n. CLVIII. ad CLX.*

Cap. V. *Super specula*. (25) Prælati, & capitula ad studia theologiæ scholares dociles transmittere tenentur; qui in absentia redditus præbendarum suarum, & beneficiorum per quinquennium integraliter percipient: & si proprii redditus ad substentationem studii eis non sufficiunt, debet Prælatus cum capitulo eis providere: magistri vero donec docuerint, integre percipiunt fructus beneficiorum suorum.

☞ *Onus transmittendi scholares ad studia, & eis providendi in defectum propriorum redditüum abrogatum est a contraria consuetudine. Glos. 1. hic. Quoad perceptionem fructuum beneficiorum, durante hac quinquennali absentia, vide Elencho I. n. LXI.*

IN CLEMENTINIS. *Lib. V. sub eodem Titulo, & ibi tit. I. continente II. Capitula.*

Cap. I. *Inter*. (26) In studiis Romanæ Curiæ, Parisien. Oxonien., Bononien. & Salamantino, debent esse magistri catholici, scholas regentes in linguis hæbraica, arabica, & chaldæa; duo scilicet pro qualibet lingua. Et statuitur per quos eis debeat de stipendiis, & sumptibus provideri.

Cap. II. *Cum sit*. (27) Is, ad quem spectat magisterium, vel doctoratum tribuere, prius a doctorando recipiat juramen-

(1) *Idem Ab. Gemblac.*
(2) *Idem Decan. Belvac.*
(3) *Idem Prior. Cartus.*
(4) *Idem Cantuar. Archie.*
(5) *Idem.* (6) *Idem.*
(7) *Idem in Conc. Lat.*
(8) *Idem ibid.*
(9) *Idem ibid.*
(10) *Idem ibid.*
(11) *Honor. III. univer. Ab. & Frat. Ord. Cister.*
(12) *Greg. IX. Prior. S. Th. Ascul.*
(13) *Idem.* (14) *Idem.* (15) *Urban. IV.*
(16) *Paul. II. Venet.*
(17) *Alex. III. in Conc. Lat.* (18) *Idem.*
(19) *Idem in Conc. Tur.*
(20) *Idem Exonen. Episc.*
(21) *Ex Conc. Lat.*
(22) *Alex. III. VVinton. Episc.*
(23) *Idem contra Concellar. Paris.* juxta Gonzal.
(24) *Innoc. III. in Conc. Lat.*
(25) *Honor. III.*
(26) *Clem. V. in Concil. Vien.* (27) *Idem.*

mentum, quod in solemnitate sua non expenderit ultra summam trium millium Turonensium argenteorum. Quod si non fecerit, etiam si sit Episcopus, per sex menses a collatione magisterii est suspensus.

☞ *Olim Comites Palatini lauream magistralem conferre poterant, sed vide Elencho VI. c. LXVI.*

DE JUDÆIS, SARACENIS, ET EORUM SERVIS.

TITULUS VI. *continens XIX. Capitula.*

Cap. I. *Præsenti.* (1) Si servus a Judæo emptus causa mercimonii factus est, vel fieri desiderat christianus, pro XII. solidis redimitur.

Cap. II. *Multorum.* (2) Judæus christianum in servum habere non potest: in adscriptitium vero potest.

☞ *Ex textu permissum est Judæis bona immobilia possidere, sed derogatum est a Paulo IV. Constit.* Cum nimis *vide Constit. S. Pii V.* Romanus *& Clem. VIII.* Cœna.

Cap. III. *Judæi.* (3) Judæi antiquas sinagogas retinere possunt, sed non novas erigere.

Cap. IV. *Quia.* (4) In die veneris sancta non licet Judæis tenere ostia, vel fenestras apertas.

Cap. V. *Judæi.* (5) Excommunicari debent Christiani, qui in domo serviunt Judæis, vel Saracenis, sive Paganis: sicut & Principes sæculares præsumentes spoliare Judæos baptizatos suis bonis.

☞ *Retentionem bonorum Judæis baptizatis indulsit etiam Paul. III. Constit.* Cupientes, *licet dicta bona acquisita fuerint ex usuris, dummodo non notæ sint personæ, quibus essent restituendæ. Quam Const. confirmavit Clemens XI. Constit.* Propagandæ: *imo §. 17. ampliavit favore filiorum conversorum tam Hebræorum, quam infidelium quoad legitimam, & subtractionem a patria potestate.*

Cap. VI. *Ita.* (6) Christiani deferentes Saracenis merces prohibitas, vel in ipsorum navibus navigantes, excommunicati sunt, & rebus eorum privandi: & efficiuntur capientium servi.

☞ *Vide cap.* Ad liberandum *17. & ampliationem Elencho I. n. LXII.*

Cap. VII. *Consuluit.* (7) *Summa, ut c.* Judæi *3. supr.*

Cap. VIII. *Ad hæc.* (8) In familiari servitio Judæorum Christiani esse non debent.

Cap. IX. *Sicut.* (9) Judæi inviti non sunt baptizandi, nec ad hoc cogendi, nec sine judicio puniendi, aut rebus suis spoliandi, vel in suis festivitatibus molestandi, nec ipsorum cœmeteria violanda, aut eorum corpora exhumanda.

☞ *Cogendi tamen sunt accedere ad audiendas conciones statutis temporibus ex Const. Greg. XIII.* Sancta mater *& Clement. XI.* Propagandæ.

Cap. X. *Quam sit.* (10) Ponit duas indulgentias illorum, qui Paganis prædicant.

Cap. XI. *Significavit.* (11) Pro redimendis captivis licet ire Alexandriam, jurantibus, quod nihil deferent auxilii, seu subsidii extra redemptionis articulum. Portans, vel mittens, etiam post treugas merces prohibitas, excommunicatus est: & pacis appellatione non veniunt treugæ.

Cap. XII. *Quod olim.* (12) Excommunicati sunt, qui cum Saracenis tempore belli aliquod habent commercium; vel eis præstant subsidium.

Cap. XIII. *Et si.* (13) Judæi nutrices, vel servientes Christianos habere non debent: contrafacientibus interdicitur Christianorum commercium.

☞ *Idem statuitur a Paulo IV. Constit.* Cum nimis: *nec Christiani admittere possunt ad se curandos Judæos medicos sub pœna in eos admittentes subtractionis Sacramentorum, & ecclesiasticæ sepulturæ ex Constitut. Gregor. XIII.* Alias piæ.

Cap XIV. *Postulasti.* (14) Judæus percutiens Clericum, temporaliter punitur; etsi puniri non potest, interdicitur illi Christianorum commercium, donec satisfecerit injuriam passo.

Cap. XV. *In nonnullis.* (15) Judæi, & Saraceni utriusque sexus debent in terris Christianorum uti habitu, per quem a Christianis discernantur, & in die passionis Domini non debent in publicum progredi.

☞ *Quoad primum idem statuit Paul. IV. Constit.* Cum nimis.

Cap. XVI. *Cum sit,* (16) Præficiens Judæum, vel Paganum publicis officiis per Concilium provinciale corripitur; & præposito denegatur Christianorum commercium, donec deposuerit officium & in usus Christianorum pauperum restituet inde quæsita secundum Episcopi providentiam.

Cap. XVII. *Ad liberandam.* (17) Repetit statutum in c. *Ita 6.* supr. & addit pœnam satisfactionis tempore absolutionis impendendam.

☞ *Hic excommunicantur deferentes arma, & alia ad belli apparatum facientia ad Saracenos: item in vendentes eis galeas, aut naves, vel in eorum piraticis navibus gubernationem exercentes, aut machinis, vel quibuslibet aliis rebus aliquod eisdem auxilium impendentes, vel consilium in dispendium Terræ sanctæ; sed hodie hæc excommunicatio, & pœna non est in usu, quia Terra sancta ab Infidelibus detinetur. Thes. verb.* Arma *c. 5.*

Cap. XVIII. *Ex specialis.* (18) Judæi, vel Pagani publicis officiis præficiendi non sunt: & si eis regalia jura vendantur, ad ea colligenda præficiendus est Christianus non suspectus.

Cap. XIX. *Nulli.* (19) Nulli Judæo baptizatum, vel baptizari volentem emere liceat, vel in suo servitio retinere. Quod si quem nondum ad fidem conversum causa mercimonii emerit, & postmodum factus sit, vel fieri desideret Christianus, datis pro eo XII. solidis, ab illius servitio protinus subtrahatur. Si autem intra tres menses ipsum venalem non exposuerit; vel ad sibi serviendum emerit eumdem, nec ipse vendere, nec alius audeat comparare; sed nullo dato pretio, perducatur ad præmia libertatis.

IN CLEMENTINIS. *Lib. V. sub eodem Titulo, & ibi tit. II.*

Cap. unic. *Cedit.* (20) Principes Christiani compescere debent Saracenos sibi subjectos ab invocatione publica nominis machometi; & a peregrinatione, quam facere solent ad sepulcrum ejus.

IN EXTRAVAGANTIBUS JOAN. XXII. *Lib. V. sub eod. Titulo & ibi tit. VIII.*

Cap. unic. *Copiosus.* (21) Excommunicantur portantes prohibita Infidelibus, & Saracenis Regni Granatæ.

☞ *Vide cap.* Ita quorumdam *6. & cap.* Ad liberandum *17. hoc eod. Tit. supr.*

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS. *Lib. V. sub eodem Titulo & ibi tit. II. continente II. Capitula.*

Cap. I. *Multa.* (22) Christiani arma portantes ad Infideles, Christianos impugnantes, ipso facto sunt excommunicati, capientium servi, infames, & intestabiles tam active, quam passive, & eorum bona confiscata.

☞ *Vide cit. c. 6. & c. 17. supra.*

☞ *Cum hæc excommunicatio lata sit contra deferentes ad Saracenos Ægypti, hodie non esset in usu, quia Regnum Ægypti non est sub Saracenis. Thes. Verb.* Arma *c. 7.*

Cap. II. *Dignum.* (23) Judæi ad fidem conversi, non sunt in bonis molestandi; ne sint deterioris conditionis post baptismum, quam ante.

☞ *Vide notata supr. in c.* Judæi *5.*

DE HÆRETICIS.

TITULUS VII. *continens XVI. Capitula.*

Cap. I. *Dubius.* (24) Infidelis est, qui non habet certitudinem fidei: & Infideli non est credendum in præjudicium alterius.

Cap. II. *Qui alios.* (25) Errare in fide convincitur, qui alios errantes, cum possit, ab errore non revocat.

Cap. III. *Firmissime.* (26) Hæreticus perseverans, æternaliter damnatur, cui nec prodest baptismus, nec eleemosyna, vel martyrium, vel aliud quodcumque bonum quoad hoc, ut consequatur vitam æternam.

Cap. IV. *Fraternitatis.* (27) Damnato Auctore, damnantur ejus scripturæ, libri, & opera.

Cap. V. *Si quis.* (28) Episcopus instituens hæredem hæreticum consanguineum, vel extraneum, vel paganum, etiam post mortem excommunicatus nunciatur.

Cap. VI. *In eos.* (29) *Idem dicit quod cap. præced. & extendit pœnam ad Presbyteros, & alios Clericos.*

Cap. VII.

(1) *Ex Conc. Maticon.* Hoc cap. apud Gonz. inc. Et Licet.
(2) *D. Greg. Lunen. Ep.*
(3) *Idem Januar. Episc. Calarit.*
(4) *Al. III. Massilien. Ep.*
(5) *Ex Conc. Lat.*
(6) *Ex eod.* (7) *Alex. III.*
(8) *Idem.* (9) *Clem. III.*
(10) *Idem.* (11) *Idem.* (12) *Idem.*
(13) *Idem Archiep. Senonen. & Episc. Parisien.*
(14) *Idem.*
(15) *In Conc. Later. sub In. III.*

(16) *Ex eodem.*
(17) *Ex eodem.*
(18) *Greg. IX. Astoric. & Lucen. Episc.*
(19) *Idem.* (20) *Clem. V. in Conc. Vien.*
(21) *Jo. XXII. Auen.*
(22) *Clem. V.* (23) *Jo. XXII.*
(24) *Steph. Omnib. Episc.*
(25) *Leo Pap. Turibio Ep. Asturic.* Hoc cap. apud Gonzal. incipit De qua re. (26) *August. de Fide.*
(27) *D. Gregor. Anast. Antioch.* Hoc cap. apud Gonzal. incipit Praeterea.
(28) *Ex Conc. Afric.* Hoc cap. apud Gonzal. incipit Item.
(29) *Ex eodem.*

Cap. VII. *Cum Christus*. (1) Christus fuit verus Deus, & verus homo: sentiens oppositum, hæreticus est, & excommunicatus.

Cap. VIII. *Sicut ait*. (2) Hæretici, receptatores, & fautores eorum excommunicati sunt (*excommunicatione non reservata, sed postea reservata in Bulla Cœnæ*) & decedentes in hoc peccato in cœmeterio Ecclesiæ sepeliri non debent; nec pro eis orari.

☞ *Vide ampliationem Elencho III. n. XLVI.*

Cap. IX. *Ad abolendam*. (3) Hæreticus male sentiens, vel male docens de Sacramentis Ecclesiæ, excommunicatus est: & convictus, nisi se correxerit, & errorem abjuraverit, si Clericus est, degradetur, & Curiæ sæculari tradatur, per quam etiam laicus punietur. Eadem est pœna suspectis de hæresi, si se non correxerint; & relapsis omnino audientia denegatur. Sæculares Principes, qui jurare nolunt de Ecclesia contra Hæreticos defendenda, excommunicantur, & terræ eorum supponuntur interdicto. Civitates vero ipsorum resistentes, aliarum commercio, & episcopali dignitate privantur: exempti vero subsunt Ordinariis super his, quæ contra hæreticos instituuntur.

☞ *Ex Constit. Pauli V.* Romanus *revocata est facultas Prælatis Regularium concessa cognoscendi causas ad S. Officium pertinentes; eisque præcipitur sub pœnis excommunicationis Papæ reservatæ, aliisque in Hæreticorum fautores latis, ne retardent denunciationes contra suos Religiosos hæreticos, vel de hæresi suspectos Inquisitoribus, vel vicinioribus locorum Ordinariis faciendas.*

Cap. X. *Vergentis*. (4) Bona Hæreticorum confiscantur, & in terris Ecclesiæ applicantur Fisco Ecclesiæ: in terris Imperii Judicis sæcularis Fisco; & procedit etiam si catholicos habent filios.

☞ *Vide infra cap.* Quicumque *2. & cap.* Statutum *15. in 6. & cap.* Cum secundum *19. hoc eod. tit.*

Cap. XI. *Si adversus*. (5) Advocati, vel notarii hæreticis, vel eorum defensoribus faventes, aut sub eis litigantibus patrocinantes, & pro eis instrumenta scribentes, infames sunt, & ab illo officio suspensi.

Cap. XII. *Cum ex injuncto*. (6) Laici non prædicent; nec occulta conventicula faciant, nec Sacerdotes reprehendant.

Cap XIII. *Excommunicamus*. (7) Excommunicati sunt omnes Hæretici quibuscumque nominibus nominentur.

☞ *Vide ampliationem Elencho III. n. XLVII.*

Damnati de hæresi, per sæcularem Judicem puniuntur; & bona laicorum hæreticorum confiscantur; & Clericorum bona applicantur Ecclesiis, ubi beneficiati erant.

Si suspectus de hæresi se non purgat, arbitrio Superioris excommunicatur: & existens per annum in excommunicatione, ut hæreticus damnatur.

Potestates sæculares perpetuæ, vel temporales jurare tenentur universos Hæreticos ab Ecclesia damnatos pro viribus exterminare: & temporalis Dominus non purgans terram suam hæreticis, excommunicatur: etsi perstiterit in excommunicatione per annum, indicetur Papæ, qui fideles ejus a juramento absolvet; & ejus terram fidelibus exponet, salvo jure principalis domini; nisi & ipse sit in culpa.

Cruce signati ad exterminationem Hæreticorum, gaudent privilegio concesso Cruce signatis in subsidium Terræ sanctæ.

Hic ponitur pœna credentium, receptatorum, & defendentium hæreticos, laicorum, & Clericorum.

☞ *Vide infra cap.* Statutum *15. Circa pœnas in hos vid. Constit. Innoc. IV.* Inconsutilem; Ad extirpandam, *&* Noverit: *Pauli IV.* Cum ex Apostolatu; *ac S. Pii V.* Si de protegendis.

Nullus debet sibi officium prædicandi assumere, nisi super hoc sibi a jure, vel a Sede Apostolica, vel a diœcesano Episcopo licentia concedatur; alias excommunicatur; & nisi resipuerit, alia pœna imponitur.

☞ *Vide Trident. sess. 5. c. 2. & sess. 24. c. 4. de ref.*

Archiepiscopi, & Episcopi inferiorum suorum Provincias, & Diœceses suspectas habentes de hæresi, saltem semel in anno per se, vel per alios visitent: qui etiam debent, si expedire videbitur, exigere juramentum ab illis de vicinia ad revelandos Hæreticos; & occulta conventicula celebrantes; quos revelatos, relapsos canonice punient; & renitentes jurare, ut hæretici condemnentur.

Episcopus negligens in hæresi persequenda, a dignitate episcopali est removendus, & alius est subrogandus.

Cap. XIV. *Sicut*. (8) *Summa ut cap.* Cum ex injuncto 12. *supr.*

Cap. XV. *Excommunicamus*. (9) *Prima pars hujus cap. summatur ut in principio c. 13. supr.*

Si in hæresi deprehensi nolunt redire ad fidem, detrudendi sunt in perpetuo carcere ad pœnitentiam peragendam: & credentes erroribus hæreticorum, hæretici sunt.

Cap. XVI. *Absolutos*. (10) Liberantur ab omni obligatione, qui hæreticis tenebantur adstricti.

IN SEXTO. *Lib. V. sub eod. tit. & ibi tit. II. continente XX. Capitula.*

Cap. I. *Quoniam*, (11) Propter crimen hæresis clericum in quibuscumque sacris Ordinibus constitutum solus ejus Episcopus degradare poterit.

☞ *Vide ampliationem Elencho II. n. CLXII.*

Cap. II. *Quicumque*. (12) Excommunicationem incurrit sepeliens scienter hæreticos, vel eorum receptores, defensores, vel fautores; nec absolvitur, nisi exhumet eorum corpora: locus vero privatur sepultura.

Excommunicari debent laici publice, vel occulte disputantes de fide.

Non valet promotio hæreticorum, eis credentium, fautorum, receptorum, & defensorum eorum, nec filiorum suorum usque ad secundam generationem ad beneficia Ecclesiastica, vel officia publica.

☞ *Vide infra cap.* Statutum *15.*

Privati sunt habentes beneficia Ecclesiastica ad preces hæreticorum, & inhabiles efficiuntur ad alia obtinenda, si scienter talia receperunt.

Nulla est emancipatio filiorum, vel subditorum per hæreticos facta, etiamsi postea vitium detegatur.

Cap. III. *Filii*. (13) Filii, vel hæredes petentium in infirmitate sua hæreticorum consolationem, non admittuntur ad probandum, quod ipsi defuncti non sana mente, vel perdita loquela susceperint, si constat, quod erant sanæ mentis, vel si prius suspecti, vel diffamati erant de hæresi; alias admittuntur, scilicet per testes fide dignos non suspectos.

Cap IV. *Super eo* (14) Relapsi in hæresim sunt tradendi Curiæ sæculari, licet pœniteat eos, & ad fidem redeant; non tamen denegantur eis Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ.

Cap. V. *In fid i*. (15) Excommunicati, participes, & socii criminis, admittuntur in testes contra hæreticos, si sciunt verisimiliter veritatem deponere.

Cap. VI. *Præsidentes*. (16) Ordinarii, vel eorum Delegati, & Inquisitores sine pœna excommunicationis facere possunt exequutionem justitiæ contra hæreticos, per habentes jurisdictionem sæcularem in loco, licet excommunicati sint, vel de facto tantum illam possideant.

Cap. VII. *Cum contumacia*. (17) Excommunicatus propter contumaciam non respondendi super hæresi, de qua erat suspectus, post annum damnatur ut hæreticus.

☞ *Vide Trid. sess. 25. cap. 3. de ref.*

Cap. VIII. *Accusatus*. (18) Abjurans in judicio hæresim propter vehementem præsumptionem, si iterato labitur (licet non fuisset probatum plene) relapsus dicitur, secus si levis erat præsumptio.

Culpabilis in uno articulo hæresis, generaliter postea abjurando, relapsus dicitur, si committit etiam in alium articulum sepa atum.

Qui post abjurationem hæresis, de qua convictus fuerat, vel postea convincitur hæreticos receptet, deducat, visitet, associet, munera mittat, seu favorem impendat, relapsus dicitur.

Testis in causa hæresis falsum deponens, licet perjurus sit, probat dicendo contrarium, dum tamen ex indiciis constet dictum non corruptionem, sed veritatem continere.

Inquisitores super hæresi deputati, non se intromittant de divinationibus, vel sortilegiis, non sapientibus hæresim manifestam.

Inquisitores hæresis de quæstionibus usurarum se intromittere non possunt.

Inqui-

(1) *Alex. III. Rhemen. Archiep.*
(2) *Ex Conc. Lat. sub Alex III.*
(3) *Luc. III.*
(4) *Innoc. III. Cler. consul. & pop. Viterb.*
(5) *Idem Regi Arag.*
(6) *Idem Christifidelib. & in Urbe & Diœc. Meten.*
(7) *Idem in Conc. gen. Later.*
(8) *Greg. IX. Archiep. Mediol.*
(9) *Idem.*
(10) *Idem.*
(11) *Idem Rhemen. Archiep. & Suffrag.*
(12) *Alex. IV.*
(13) *Idem Inquisit. hæret. pravit.*
(14) *Idem iisdem.*
(15) *Idem iisdem.*
(16) *Idem iisdem.*
(17) *Idem iisdem.*
(18) *Idem iisdem.*

Inquiſitores poſſunt compellere hæredes fautorum hæreticorum (qui tamen hæretici non erant) ad implendum pœnitentiam injunctam in bonis temporalibus; ſecus ſi mortui ſint, antequam fuerit pœnitentia injuncta.

Poſt mortem hæretici, declarari poteſt eum hæreticum fuiſſe, ad finem confiſcandi.

Clerici inſtruentes teſtes, ne Inquiſitores veritatem inveſtigent, puniri poſſunt per eos, & religioſi gravius puniuntur.

Cap. IX. *Statutum*. (1) Non valent ſtatuta, per quæ Inquiſitoris hæræſis officium impeditur, vel retardatur.

☞ *Vide Conſtit. Innoc. IV.* Ad extirpanda, & *Alex. IV.* Implacida.

Cap. X. *Ne aliqui*. (2) Officium Inquiſitoris hæreſis morte concedentis non expirat, etiam quoad negotia prius non cœpta, vel exorta.

Cap. XI. *Ut officium*. (3) Informat Inquiſitores ad Deum, ut ejus timorem hominum metui anteponant, in procedendo ſimul, vel ſeparatim contra hæreticos, & ſuos fautores, & etiam in eos abſolvendo, cum vere redierint.

☞ *Vide Conſtit. Urb. IV.* Licet.

Inſtruit Inquiſitores in modo examinationis teſtium, & in perſonis, quæ teſtificata ſcribere debeant.

☞ *Vide Conſtit. Alex. IV.* Ne commiſſæ, *& Pii IV.* Paſtoralis.

Inſtruit Inquiſitores circa perſonas, per quas impediri poſſet, vel differri inquiſitionis negotium.

☞ *Circa Prædicatores cum quæſtu, de quo in textu, vide correctionem Elencho II. n. CLXIII.*

Cap. XII. *Ut commiſſi*. (4) Dat Inquiſitoribus poteſtatem committendi citationes, & ſententiarum denunciationes, vocandi peritos, clerum, & populum ut eis aſſiſtant, dat poteſtatem procedendi contra illos, qui de ſua in aliam provinciam ſe tranſtulerunt, repetendi libros, & proceſſus, commutandi, & mitigandi pœnas, privandi, & privatos nunciandi officiis, & honoribus hæreticos, fautores, & defenſores eorum; ita tamen quod hoc fiat de Diœceſanorum, vel in eorum abſentia Vicariorum ſuorum conſilio, niſi iidem ſcienter talibus beneficia contuliſſent.

☞ *Vide Conſt. Urb. IV.* Licet.

Cap. XIII. *Contra*. (5) Chriſtiani ad Judaiſmum tranſeuntes, & redeuntes, hæretici reputantur.

Cap. XIV. *Decrevit*. (6) Non confiſcantur dotes uxorum innocentium propter hæreſim maritorum.

Cap. XV. *Statutum*. (7) Filii hæreticorum uſque ad ſecundam lineam paternam, ad primam vero maternam, ſunt inhabiles ad beneficium Eccleſiaſticum, vel officium ſæculare, ſi patres ante mortem Eccleſiæ reincorporati non fuerint.

☞ *Vide ſupra cap.* Vergentis 10. *& cap.* Excommunicamus 13. §. Credentes, *& in hoc lib. cap.* Quicumque 2. §. Hæretici. *Huic cap. conſonat Conſtit. Nicol. III.* Noverit § Hæretici. *Sed ambæ intelligendæ ſunt de beneficiis obtinendis, non de obtentis, juxta declarationem Clement. VIII. relatam a Fagn. in cit. cap.* Vergentis *num.* 31. *Ex decreto Cong. Conc.* 21. *Maji* 1718. *filii hæreticorum, reverſis eorum patribus ad Eccleſiæ ſinum, irregularitate ſolvuntur.*

Cap. XVI. *Inquiſitores*. (8) Inquiſitor Papæ ſuper hæreſi ſine ſpeciali mandato non inquirit contra Epiſcopum, ſed ſi eum culpabilem ſciverit, nunciabit Papæ.

☞ *Vide Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 5. *de ref. & Conſt. S. Pii V.* Si de protegendis.

Cap. XVII. *Per hoc*. (9) Non derogatur Ordinariis ſuper proceſſu hæreticorum, licet Papa generaliter alteri delegeт. Et ſuper eodem facto Epiſcopus, & Inquiſitor poſſunt procedere communiter, vel diviſim, vel proferre ſententiam, in qua ſi diſcordant, debent Papæ referre, & Epiſcopi qualitercumque procedant, debent ſervare modum Inquiſitoribus impoſitum.

Cap. XVIII. *Ut inquiſitionis*. (10) Epiſcopis, & Inquiſitoribus hæreſis non reſiſtant, ſed omnino pareant Domini temporales, & de eo crimine non cognoſcant; alias puniuntur.

☞ *Ex cap.* 13. *Bullæ* Cœnæ *incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam impedientes exequutionem decretorum Inquiſitorum recurrentes ad hunc effectum ad Judices ſæculares.*

☞ *Ex decreto S. Pii V.* Sanctiſſimus, *excommunicantur Magiſtratus, & Officiales fori ſæcularis non obedientes Cardinalibus Inquiſitoribus generalibus in pertinentibus ad S. Officium.*

Cap. XIX. *Cum ſecundum*. (11) Bona hæreticorum ipſo jure ſunt confiſcata. Sed apprehenſio bonorum fieri non debet per Dominum ſæcularem, niſi prius pronunciatum fuerit ſuper crimine per Judicem Eccleſiaſticum.

☞ *Vide cap.* Vergentis 10. *ſupra, & circa confiſcationem vide Sanchez lib.* 2. *c.* 16. *n.* 25. *&* 26.

Cap. XX. *Statuta*. (12) In cauſa hæreſis proceditur ſimpliciter, & de plano, & dicta teſtium, & accuſatorum non publicantur, ſi periculum timeatur.

☞ *Cum ſemper præſumi poſſit hoc periculum, ideo hodie nunquam publicantur; imo ipſis datur juramentum de ſecreto ſervando ſuper denunciatione a ſe facta.*

IN CLEMENTINIS. *Lib. V. ſub eod. Titulo & ibi tit. III. continente III. Capitula.*

Cap. I. *Multorum*. (13) Ponit Conſtitutionem de officio Inquiſitionis exercendo per Diœceſanos, & Inquiſitores, primo ponens quinque, quæ poteſt alter ſine altero, ſecundo tria, quæ non poteſt: & decretum apponit ſubmittens, quomodo impeditus, vel intereſſe nolens, committit alii, vel conſentit. Providet circa carceres hæreticorum, ipſorum claves, cuſtodes, & cuſtodum miniſtros. Ponit juramentum cuſtodum, miniſtrorum ſuorum, & notariorum, & aliorum officialium. Punit Epiſcopos, Inquiſitores, & eorum ſubſtitutos, qui faciendo, vel ommittendo delinquunt in officio. Confirmat antiqua jura huic Conſtit. non obvia.

Cap. II. *Nolentes*. (14) Determinat. 1. ætatem Inquiſitorum. 2. punit Inquiſitores, qui prætextu officii pecuniam illicitis modis extorquent, vel ob delictum clericorum Eccleſiarum bona confiſcant. 3. præcipit notariis, officialibus, & ſociis, ut hoc facientes reprehendant, & ſuperioribus denuncient, ſi probare poſſunt. 4. prohibet Inquiſitoribus abuſum armorum, & circa quantitatem, vel qualitatem officialium.

☞ *Ex Conſtit. Bened. XIV.* Ad ſupremum 21. *Jul.* 1755. *renovatur privilegium delationis armorum tam defenſivorum, quam offenſivorum pro ſui, ſanctique Officii tuitione, illudque extenditur uni ex actualibus eorum famulis, exceptis armis prohibitis in Conſtit. S. Pii V.* Cum vices 11. *Febr.* 1572. *Alex. VIII.* Et ſi cunct. *Idib. Auguſt.* 1690. *& Clem. XII.* In ſuprema 4. *Kal. Feb.* 1734. *puta pugionibus, cultellis, parvis ſicis, alioque armorum genere brevioris menſuræ trium palmorum.*

Hæc tamen delatio interdicitur Inquiſitoribus regularibus, quos ceteroquin inhibetur eorum ſuperioribus amovere a monaſteriis illius loci, ubi Inquiſitoris munus exercent ſine juſta cauſa, & inconſulta Sac. Cong. licet in ceteris iiſdem parere teneantur.

Cap. III. *Ad noſtrum*. (15) Damnat ſectam Beguardorum, & Beguinarum Alemagnæ, & octo ipſius errores.

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS. *Lib. V. ſub eodem Titulo & ibi tit. III. continente III. Capitula.*

Cap. I. *Ex eo*. (16) Declarat cap. *Per hoc* 17. ſupr. in 6. bona hæreticorum per Diœceſanos uſurpari vetans.

Cap. II. *Vas electionis*. (17) Damnat tres errores Magiſtri Joannis de Poliaco Doctoris Pariſienſis.

Cap. III. *Cum Matthæus*. (18) Inquiſitores hæreticæ pravitatis cenſuras Eccleſiaſticas fulminare non poſſunt in officiales, & Nuncios Sedis Apoſtol. ſine ipſius licentia ſpeciali, ſed de eorum exceſſibus informationem facere poſſunt, & deinde Papæ ſignificare.

DE SCHISMATICIS, ET ORDINATIS AB EIS.

TITULUS VIII. *continens II. Capitula.*

Cap. I. *Quod*. (19) Irritæ ſunt ordinationes, beneficiorum collationes, & Eccleſiaſticarum rerum alienationes per ſchiſmaticos factæ, & a dignitate, & ordine ſuſpenduntur, qui ſchiſma tenere jurant.

☞ *Vide Auctorem hoc eod. tit. n.* 4.

Cap. II. *Fraternitati*. (20) Ordinatus a ſchiſmatico ab officio eſt repellendus, niſi probet ſecum fuiſſe diſpenſatum.

IN SEXTO. *Lib. V. ſub eodem Titulo, & ibi tit. III.*

Cap. unic. *Ad ſuccidendos*. (21) Ponit pœnas, quas protulit in Jacobum, & Petrum olim Card. Columnenſes, filios, & poſteros dicti Joannis imponit pœnas iis, qui de ce-

(1) *Urban. IV.*
(2) *Clem. IV. Inquiſit. hæret. pravit.*
(3) *Idem iiſdem.*
(4) *Bonif. VIII. iiſdem.*
(5) *Idem.* (6) *Idem.*
(7) *Idem.* (8) *Idem.*
(9) *Idem.*
(10) *Idem.*

(11) *Idem.* (12) *Idem.*
(13) *Clem. V. in Conc. Vien.*
(14) *Idem ibidem.*
(15) *Idem ibidem.*
(16) *Bened. XI. Inquiſitor hæret. pravit.*
(17) *Joann. XXII. Aven.*
(18) *Idem.*
(19) *Ex Conc. Lateran. ſub Alex. III.*
(20) *Innoc. III. Biſunt. Archiep.*
(21) *Bonif. VIII.*

de cetero deliberare dictos Jacobum, & Petrum pro Cardinalibus habuerint, vel eis, vel prædictis natis Joann. favorem præbuerint, & jubet similes excessus puniri similibus pœnis imposterum. *Vide cap. seq.*

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS. *Lib. V. sub eodem Titulo, & ibi tit. IV.*

Cap. unic. *Dudum*. (1) Processus, & sententias latas per Bonif. VIII. contra Jacobum, & Petrum de Columna tanquam schismaticos, & eorum posteros revocat hic Benedictus XI. exceptis confiscationibus in quibus nihil immutat.

DE APOSTATIS, ET REITERANTIBUS BAPTISMA.

TITULUS IX. *continens VI Capitula*.

Cap. I. *Præterea*. (2) Clericus, qui dimisso habitu, & tonsura, immiscet se enormitatibus, perdit privilegium Canonis, *si quis suadente*, & eum deprehendentes non incidunt in excommunicationem.

Cap. II. *Ex litterarum*. (3) Si crimen Acolyti, qui rebaptizanti præbuit ministerium, est occultum, promoveri potest, si publicum non, nisi cum eo Religionem intrante dispensetur.

☞ *Ex consuetudine, & communi DD. sensu idem est de Sacerdote: si casus sit occultus DD. dicunt dispensari posse ab Episcopo ex cap. 6. Trident. sess. 24. de reformatione.*

Cap. III. *Tua*. (4) Infamatus de Apostasia compellitur se purgare.

Cap. IV. *Quidam*. (5) Baptizati, alterius sectæ, vel Fidei ritus dimittere compelluntur.

Cap. V. *A nobis*. (6) Apostatæ incarcerari, & affligi possunt, ut habitum reassumant.

Cap. VI. *Consultationi*. (7) Monachus in apostasia ordinatus, non potest sine dispensatione Papæ in suscepto Ordine ministrare.

DE HIS, QUI FILIOS OCCIDERUNT.

TITULUS X. *continens III. Capitula*.

Cap. I. *Veniens*. (8) Mulier occidens sponte filium, debet perpetuo in monasterio pœnitere: si tamen timetur de innocentia; datur, vel saltem non denegatur illi licentia nubendi.

☞ *Hodie hæc pœna commutata est in carcerem perpetuum. Vide Auctor. hoc tit.*

Cap. II. *Intelleximus*. (9) Mulier occidens filium, propter hoc a viro separari non debet; sed alia pœnitentia ei imponitur.

Cap. III. *De infantibus*. (10) Parentes opprimentes infantulos in suo lecto puniendi sunt.

DE INFANTIBUS, ET LANGUIDIS EXPOSITIS.

TITULUS XI.

Cap. unic. *Si a patre*. (11) Infans expositus a patre, vel alio, eo consentiente, vel ratum habente, hoc ipso a patria potestate liberatur. Idem in servo, & liberto, qui ob prædictam causam liberantur a dominica potestate. Idem juris est in languidis cujuscumque ætatis sic expositis; vel si eis alimenta denegantur. Qui tamen his alimenta præstiterint, nullum jus in eis acquirunt.

DE HOMICIDIO VOLUNTARIO VEL CASUALI.

TITULUS XII. *continens XXV. Capitula*.

Cap. I. *Si quis*. (12) Homicida incorrigibilis debet deponi, & tradi Curiæ sæculari, ut moriatur.

☞ *Vide Additiones meas lib. III. titul. 39. & quo ad remotionem ab altari vide Trident. sess. 14. cap. 7. de reformat.*

Cap. II. *Interfecisti*. (13) Ponit pœnitentiam occidentis latronem, cum se poterat aliter liberare: si vero aliter se non poterat liberare, non tenetur agere pœnitentiam, nisi ad cautelam.

☞ *Pœnitentia hic imposita hodie non est amplius in usu, quam si lubet, vide re potes in textu.*

Cap. III. *Si perfodiens*. (14) Non occiditur fur diurnus sine culpa; sed nocturnus *sic*.

☞ *Ex textu clare infertur non licere occidere furem diurnum pro rebus etiam magni valoris conservandis.*

Cap. IV. *Cum juramento*. (15) Sub generali promissione, etiam jurata, non venit illicitum.

Cap. V. *Si aliquis*. (16) Homicida est, qui facit, vel dat sortilegia, vel venena sterilitatis.

☞ *Vide circa abortum in Auctore hoc eod. tit. num. 25. & 46. Pro petenda dispensatione ab irregularitate ob abortum animatum de stylo Pœnitentiariæ debet exprimi, an fætus sit a se genitus.*

Cap. VI. *Sicut*. (17) In pœnitentia imponenda Judex debet attendere circumstantias, ex quibus augetur, vel minuitur delictum. Socians homicidam animo occidendi, licet non apponat manum, si tamen ex sua causa mors sequuta est, tenetur fere pari pœna cum homicida. Qui sociat homicidam tantum animo prohibendi ne impediatur, tenetur paulo minori pœna. Incitans ad homicidium mitius punitur, quam homicida: secus si incitavit ad certum homicidium; nam eo sequuto, tenetur ut homicida. Custodientes sarcinas occidentium, scientes eos sicarios, non sunt immunes a pœna homicidii. Occupans bona occisi, non tenetur de homicidio, & non sufficit occupanti, quod eroget illa pauperibus; cum poterit restituere eis, quorum constat fuisse. Participantes interfectoribus in excommunicatione diversimode puniuntur juxta modum participationis. Ponitur pœnitentia Clericorum præstantium prædictæ morti auxilium, consilium, vel favorem.

Cap. VII. *Presbyterum*. (18) Homicidium casuale imputatur ei, qui dabat operam rei licitæ si non adhibuit diligentiam, quam debuit.

Cap. VIII. *Continebatur*. (19) Homicidium casuale imputatur ei, qui dabat operam rei illicitæ, vel etiam licitæ, si non adhibuit diligentiam, quam debuit.

Cap. IX. *Latro*. (20) Homicidium casuale non imputatur ei, qui non fuit in culpa.

Cap. X. *Suscepimus*. (21) Is, ex cujus opera illicita sequitur homicidium, irregularis efficitur.

☞ *Hic etiam statuitur circa occisionem furis, quod in cap.* Si perfodiens 3.

Cap. XI. *De cætero*. (22) Dans causam homicidio, irregularis est.

☞ *In textu legitur*. Non videtur ad Sacerdotium promovendus; *sed hoc verbum in Legislatore importat juris dispositionem.*

Cap. XII. *Ad audientiam*. (23) *Summa ut cap.* Continebatur 8.

Cap. XIII. *Dilectus*. (24) Homicidium casuale non imputatur ei, qui dedit operam rei licitæ, nec fuit in culpa.

Cap. XIV. *Ex litteris*. (25) *Summa ut supr.*

Cap. XV. *Ex litteris*. (26) *Summa ut supr.*

Cap. XVI. *Significasti*. (27) *Summa ut supr.*

Cap. XVII. *Petrus*. (28) Non censetur homicida is, quo prohibente, & causam non dante, a consanguineis homicidium committitur.

Cap. XVIII. *Significasti*. (29) Irregularis censetur, qui aliquem lethaliter percussit, licet ab aliis fuerit extinctus. Idem si non apparet an lethaliter: si etiam percussus ab aliis obiit, & non apparet ex cujus vulnere decesserit. Idem est, si percusserit non lethaliter, si animum occidendi habuit, & ex aliorum vulneribus percussus objerit.

Cap. XIX. *Tua nos*. (30) Religiosus chirurgiam exercens, si ex ea mors sequitur, irregularis est; etiamsi sit peritus, & diligens, & hoc fecerit causa pietatis; sed cum eo post satisfactionem dispensari potest.

Qui

(1) *Benedict. XI.*
(2) *Alex. III.*
(3) *Idem Abb. S. Genov.*
(4) *Innocent. III.*
(5) *Idem in Conc. Lateran.*
(6) *Honor. III. Archiep. Tyren.*
(7) *Idem Archiepisc. Lundunen.*
(8) *Alexand. III. Tornac. Episc.*
(9) *Luc. III. Paris. Episc.*
(10) *Alex. III.*
(11) *Gregor. IX.*
(12) *In Exod. cap. 21.*
(13) *Ex Conc. Aurelianen. translat. in Pœnitentiar. Roman.*
(14) *August. super Exod. cap. 22.*
(15) *Hieron. in cap. 14. Matth.*
(16) *Ex Conc. Guarmacien.* vel Vormaten.
(17) *Alex. III. Barthol. Exon. Episc.*
(18) *Idem.*
(19) *Idem Cosen. Archiepisc.*
(20) *Idem Barthol. Exonen. Episc.*
(21) *Idem Abb. S. Bened. de Nevia.*
(22) *Idem Lucen. Episc.*
(23) *Clem. III.*
(24) *Idem Episc. Lingon.*
(25) *Idem Meten. Episc.*
(26) *Idem Episc. Bisunt.*
(27) *Idem Episc. Paduan.*
(28) *Innocent. III. Oscen. & Tirasson. Episc.*
(29) *Idem Abb. S. Tirin. de Malleon.*
(30) *Idem.*

Qui Judici sæculari dedit intersignia furis, a quo fuit vulneratus, irregularis non est, licet ille postmodum occidatur.

Cap. XX. *Sicut*. (1) Qui dat causam abortui animato, homicida est, alias secus.

☞ *Vide cap.* Si aliquis 5.

Cap. XXI. *Postulasti*. (2) Non imputatur Clerico civiliter justitiam petenti de laico, si in hunc Judex exercet vindictam sanguinis.

Cap. XXII. *Exhibita*. (3) *Summa ut cap.* Lator. 9. *supr.*

Cap. XXIII. *Joannes*. (4) *Summa ut c.* Dilectus 13.

Cap. XXIV. *Petitio tua*. (5) Clericus pugnando etiam contra inimicos fidei, si de interfectione alicujus ipsum remordet conscientia, a ministerio altaris abstinere debet.

Cap. XXV. (6) *Summa ut cap.* Dilectus 13.

IN SEXTO. *Lib. V. sub eodem Titulo & ibi tit. IV. continente II. Capitula.*

Cap. I. *Pro humani*. (7) Per assassinos faciens vel tantum mandans aliquem interfici, ipso facto incurrit excommunicationem; & depositionem ab officio, & beneficio.

☞ *Incurrit etiam pœnam perduellionis, seu diffidationis (quo verbo utitur textus) perpetua a toto populo christiano ipso facto in personam & sua bona, ut tamquam publicus hostis habeatur, ita ut impune a quocumque occidi possit, & ipsius bona conceduntur primo occupanti. Ad exequendum autem hanc pœnam diffidationis opus est sententia declaratoria criminis probata. Thes. verb.* Assassinium *cap.* 1.

Cap. II. *Prælatis*. (8) Sine pœna irregularitatis possunt Clerici de suis malefactoribus conqueri coram Judice sæculari; etiam de criminibus, ex quibus debetur pœna sanguinis; expresse protestando, quod pœnam sanguinis non intendunt.

Cap. III. *Is qui*. (9) Mandanti aliquem verberari sequuta mors imputatur.

IN CLEMENTINIS. *Lib. V. sub eodem Titulo & ibi titulo IV.*

Cap. unic. *Si furiosus*. (10) Aut infans, seu dormiens, hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit. Et idem de illo dic, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit, vel mutilat invasorem.

DE TORNEAMENTIS.

TITULUS XIII. *continens II. Capitula.*

Cap. I. *Felicis*. (11) Torneamenta fieri non debent; & vulnerato in eis conceditur pœnitentia: sed si moriatur, denegatur ei sepultura Ecclesiastica, si accessit animo pugnandi; secus si accessit alia causa, puta, ut debita sibi exigeret.

☞ *Vide Auctorem hoc eod. tit.*

Cap. II. *Ad audientiam*. (12) *Idem dicit*.

IN EXTRAVAGANTIBUS JOANNIS XXII. *Lib. V. sub eodem Titulo & ibi tit. IX.*

Cap. unic. *Quia*. (13) Constitutio Clem. V. in quibusdam Regnis torneamenta inhibens sub pœnis excommunicationis, & interdicti hic revocatur; & illi, qui hujus occasione sententias incurrerant, absolvuntur.

DE CLERICIS PUGNANTIBUS IN DUELLO.

TITULUS XIV. *continens II. Capitula.*

Cap. I. *Porro*. (14) Clericus iniens duellum, sive obtulerit, sive susceperit, deponendus est: poterit tamen Episcopus cum eo dispensare, si mors, vel mutilatio membri non sit inde sequuta.

☞ *Vide notata in cap.* de Presbytero 1. *de corp. vitiat. & ampliationem Elencho III. n. XLVIII.*

Cap. II. *Henricus*. (15) Irregularis est Clericus, non solum si ipse interficit per se, sed etiam si pugilli ab eo datus adversarium occidat: nec excusat consuetudo: poterit tamen cum eo circa beneficium habendum dispensari.

☞ *Ex Const. Pii IV. Ea, quæ duellum committentes incurrunt eo ipso inhabilitatem ad quæcumque beneficia; ideoque Episcopus dispensare nequit.*

DE SAGITTARIIS.

TITULUS XV.

Cap. unic. *Autem*. (16) Excommunicandus est sagittarius, & balistarius contra Christianos.

DE ADULTERIIS, ET STUPRO.

TITULUS XVI. *continens VII. Capitula.*

Cap. I. *Si seduxerit*. (17) Stuprans virginem tenetur eam dotare, & ducere in uxorem & si non vult cum ea contrahere, ultra dotem corporaliter castigabitur.

☞ *Vide ampliationem in Auctore circa hoc & sequens c. hoc eod. tit. n. XII.*

☞ *Conciliatores, proxenetæ, lenones, ac lenæ inducentes masculos, vel fœminas ad prostitutionem ex Const. Pauli IV.* Sanctissimus, *perfecto flagitio puniendi sunt capitali pœna: imperfecto vero, perpetuo deportandi sunt in insulam: in cæteris casibus, fustibus cedendi. Ex Constit. Sixti V.* Ad compescendum 30 *Octob.* 1586. *prostituentes filiam, & uxorem etiam puniendi sunt ultimo supplicio: aliaque severa sancita sunt contra alios adulteros, lenones, & conjugatos non resipiscentes. Eodem ultimo supplicio ex altera ejusdem Constit.* Volentes 5. *Apr.* 1587. *puniendi sunt scienter matrem, & filiam, aut duas sorores carnaliter cognoscentes, ac mulieres patrem, & filium, aut duos fratres ad copulam admittentes. Item qui cum matre, filia, aut sorore sua concubuit, sicut & mulier, quæ concubuit cum patre, filio, aut fratre. Quæ Constitutiones locum habent in statu Ecclesiastico, & quoad ultimum supplicium nostris temporibus numquam redactæ fuerunt ad praxim, teste Ursaja Inst. crimin. lib. III. tit. V. n. XLVI.*

☞ *Vide notata supra lib. IV. tit. XIX. post cap. 3. & Elench. VI. n. LVII.*

☞ *Circa meretricum bona ab intestato decedentium, facultatem testandi vide Constit. Leonis X.* Salvator 19. *Maji* 1520.

Cap. II. *Pervenit*. (18) *Summa ut supr.*

Cap. III. *Si vir*. (19) Maritus retinens adulteram conjugem non peracta pœnitentia, particeps est delicti: secus, si egit pœnitentiam, & debet eam sed non sæpe recipere.

☞ *Hoc Gonz. dicit esse de consilio.*

Cap. IV. *Maritis*. (20) Maritus propter suspicionem potest accusare uxorem de adulterio, & in accusando præfertur cæteris.

Cap. V. *Significasti*. (21) Ad solam mulieris confessionem asserentis se commisisse adulterium cum Sacerdote, non debet hic puniri, sed sic infamato potest indici purgatio: quam si præstiterit, absolvitur: deficiens vero suspenditur ab officio.

Cap. VI. *Intelleximus*. (22) Conjux conjugem de adulterio impetere non potest; si & ipse adulterium commisisse convincatur.

Cap. VII. *Tua*. (23) Non debet separari matrimonium quoad torum propter adulterium utriusque conjugis.

DE RAPTORIBUS, INCENDIARIIS, ET VIOLATORIBUS ECCLESIARUM.

TITULUS XVII. *continens VII. Capitula.*

Cap. I. *De illis*. (24) Ratione rapinæ sortitur quis forum non sui Judicis, & ab eo poterit puniri, proprio Judice suffragante.

Cap. II. *Super eo*. (25) Manifestus raptor, vel Ecclesiæ violator, si restituit, vel de restituendo cavet in vita, in morte; ad pœnitentiam, & ad sepulturam admittitur: si vero noluit cavere, cum posset, & in morte non potest, Clerici ejus sepulturæ interesse non debent: & si intersint, vel injungunt pœnitentiam contra hanc dispositionem, deponuntur ab officio, & beneficio.

☞ *Contra raptores, & usurpatores bonorum Ecclesiæ vide Bullam Cœnæ cap. 7.*

Cap. III.

(1) *Idem Prior. & Frat. Cartus.*
(2) *Idem Episc. Selesvic.*
(3) *Honor. III. Episc. Ebroic.*
(4) *Idem Episc. & Capit. Veneten.*
(5) *Idem Deleg. Presb. Serotino.*
(6) *Greg. IX.*
(7) *Innoc. IV. in Conc. Lugdun.*
(8) *Bonif. VIII.*
(9) *Idem.*
(10) *Clem. V. in Concil. Vien.*
(11) *Ex Conc. Later. sub Alexand. III.*
(12) *Alex. III. Ambian. Episc.*
(13) *Joann. XXII.*
(14) *Alexand. III.*
(15) *Cælest. III.* vel Clem. III.

(16) *Innoc. III. in Conc. Lateran.*
(17) In *Exod. cap.* 22.
(18) *D. Greg. Fal. Episc. Sipont.* apud Gonzal. hoc cap. incipit: Expectabamus.
(19) *Ex Conc. Arelaten.*
(20) *Alexand. III. Parisien. Episc.*
(21) *Alexand. III. Cartonen. Episc.*
(22) *Idem Turonen. Archiepisc.*
(23) *Idem Ambianen. Episc.*
(24) *Ex Concil. Melden.*
(25) *Eugen. III. Univer. Cler.*

Cap. III. *Excommunicationi*. (1) Excommunicari debent qui capiunt, vel spoliant fideles ex justa causa navigantes. Excommunicati sunt spoliantes naufragium patientes, nisi ablata restituant.

☞ *Ex cap. 4. Bullæ cœnæ excommunicatio est ipso facto Papæ reservata.*

Cap. IV. *In Archiepiscopatu*. (2) Ex Principis delegatione possunt Prælati de raptu & aliis criminibus Judicare; pœnam tamen sanguinis infligere non possunt.

☞ *In textu habetur, quod possunt etiam flagellis afficere moderatione adhibita, sed ista verberatio abiit in desuetudinem juxta notata supra cap.* Cum fortius 1. *de calumniator.*

Cap. V. *In litteris*. (3) Incendiarius Ecclesiæ in morte pœnitens, & absolutus in cœmeterio sepelietur, & hæredes compelluntur ad satisfaciendum juxta facultates defuncti.

Cap. VI. *Cum causa*. (4) Raptus non dicitur ubi volens pro matrimonio abducitur: raptor tamen cum rapta matrimonium contrahere potest; & post consummationem matrimonii alter sine consensu alterius Religionem ingredi non potest.

Cap. VII. *Accedens*. (5) Rapta potest matrimonium contrahere cum raptore, ubi datur libera facultas in contrahendo.

☞ *Vide correctionem Elencho II. num. CLXIV. etiam quoad cap. præced.*

DE FURTIS.

TITULUS XVIII. *continens V. Capitula.*

Cap. I. *Qui furatur*. (6) Qui furatur hominem, & vendiderit eum, convictus noxæ morte moriatur.

Cap. II. *Fures*. (7) Furibus, & latronibus in peccato obeuntibus Sacramenta deneganda sunt: secus si in morte eos pœnituit.

Cap. III. *Si quis*. (8) Committens furtum ex necessitate non multum urgente peccat; unde imponenda est ei levis pœnitentia.

☞ *Concordat decretum Innoc. XI. quo proscripta est propositio 36. asserens permissum esse furari etiam in gravi necessitate.*

Cap. IV. *Qui cum fure*. (9) Non indicans propter lucrum, quod ab eo consequitur, reus peccati est.

Cap. V. *Ex litteris*. (10) Fur occultus potest post restitutionem, & pœnitentiam ad sacros Ordines promoveri.

IN EXTRAVAGANTIBUS. *Lib. V. sub eodem Titulo & ibi tit. V.*

Cap. unic. *Infidelis*. (11) Publicatur excommunicatio lata in eos, qui furati fuerant thesaurum Ecclesiæ asservatum in sacrario monasterii S. Fridiani Lucanæ civitatis.

☞ *Hic habetur modus publicandæ excommunicationis.*

DE USURIS.

TITULUS XIX. *continens XIX. Capitula.*

Cap. I. *Plures*. (12) Usura est lucri facere fructus rei pignoratæ. Fallit quando aliter res Ecclesiæ usurpata redimi nequit.

Cap II. *Quoniam*. (13) *Summa ut supr.*

Cap. III. *Quia*. (14) Manifesti usurarii ad communionem altaris, sepulturam, & oblationem offerendam admitti nequeunt, & Clerici contrafacientes puniuntur.

☞ *Pœna suspensionis ab officio, de qua in textu juxta veriorem sententiam incurritur tantum per admissionem ad sepulturam, & dictas oblationes, duratura arbitrio Episcopi. Sed oblatio pro missa celebranda, vel eleemosyna facienda non est prohibita, si usurarius habeat aliunde ad integraliter restituendas usuras. Thes. verb.* Usura *cap. 1. & 3.*

☞ *Vide ampliationem Elencho I. n. LXIII.*

Cap. IV. *Super eo*. (15) Non licet inducere quemquam ad exercendum usuras, etiam proprio opere.

Cap. V. *Cum tu*. (16) Usurarii, qui sunt solvendo, coguntur per pœnas Conc. Later. (cap. *Quia*. 3. supr.) usuras restituere; etiam quas ante d. Conc. receperunt; & facultatibus non extantibus debent possessiones emptæ ex usuris vendi, & restitui pretium iis, quibus usuræ sunt extortæ.

Cap. VI. *In civitate*. (17) Vendens rem plus quam valet, quia solutionem differt, peccat, nisi dubium sit, an tempore solutionis erit valor rei variatus, & venditor non erat venditurus tempore, quo vendidit.

☞ *Quoad 1. partem concordat proscriptio contrariæ sententiæ facta ab Innoc. XI. Proposit. 41.*

Cap. VII. *Præterea*. (18) Clericus usurarius monitus non desistens, ab officio, & beneficio suspenditur; laicus excommunicatur.

Cap. VIII. *Conquestus*. (19) Fructus rei pignoratæ computari debent in sortem: secus quando res usurpata aliter redimi nequit.

Cap. IX. *Tua nos*. (20) Hæres usurarii, filius, vel extraneus usuras extortas a defuncto restituere compellitur.

Cap. X. *Consuluit*. (21) Mutuans ea mente, ut ultra sortem aliquid recipiat; tenetur in foro animæ restituere, si aliquid consequutus est. Idem in eo, qui non aliter promittit se daturum, nisi aliquid inde recipiat. Et idem in vendente rem plus quam valeat, quia differt solutionem.

☞ *Vide notata supr. cap. 6.*

Cap. XI. *Quam perniciosum*. (22) Manifestus usurarius appellans ad subterfugiendum restitutionem, audiendus non est.

Cap. XII. *Post miserabilem*. (23) Per subtractionem communionis Christianorum, & per Principes sæculares cogendi sunt Judæi ad usuras restituendas.

Cap. XIII. *Tuas*. (24) Non obstante juramento de non repetendis usuris per debitorem præstito, potest Judex ex officio usurarius ad eas restituendas compellere.

Cap. XIV. *Quia*. (25) Non auditur usurarius repetens usuras, nisi prius restituat extortas.

Cap. XV. *Cum in Diœcesi*. (26) Convictus de usura per famam, & alia argumenta, potest manifestari usurarius, & tanquam manifeste talis compesci juxta cap. *Quia* 3. supra.

Cap. XVI. *Salubriter*. (27) Maritus recipiens pignus pro dote promissa, non tenetur fructus in sortem computare.

Cap. XVII. *Michael*. (28) *Summa ut cap. 14. supr.*

Cap. XVIII. *Quanta*. (29) Etiam Judæi compellendi sunt ad restituendas usuras extortas a Christianis, & ad solvendas decimas, vel oblationes de eorum possessionibus sub pœna privationis commercii cum Christianis, qui compelli possunt per censuram, ne in hoc casu cum iis communicent.

☞ *Quo ad possessionem bonorum immobilium vide notata in cap.* Multorum *2. de Judæis.*

Cap. XIX *Naviganti*. (30) Usurarius est, qui a debitore recipit aliquid ultra sortem, etiamsi suscipiat in se periculum. Non est usurarius emptor rei minus justo pretio, si tunc verisimiliter dubitetur, an tempore solutionis plus, vel minus fit res valitura. Propter dubium excusatur is, qui ex eo, quod differt solutionem pretii, vendit rem plus, quam valeat, si non erat eam alias venditurus.

IN SEXTO. *Lib. V. sub eodem Titulo, & ibi tit. V. continente II. Capitula.*

Cap. I. *Usurarum*. (31) Innovat, & observari præcipit cap. *Quia* 3. supr. in Greg. contra usurarios. Præcipit omnibus Dominis, & Universitatibus terrarum, ne permittant alienigenas in terris suis conducere domos ad exercendum fœnus, vel conductas habere, & quod aliquis eis ad hoc domos non locet. Imponit pœnam Clericis, & laicis contrafacientibus.

Cap. II. *Quamquam*. (32) Manifestis usurariis, licet mandaverint usuras restitui, Ecclesiastica sepultura negabitur, nisi primo satisfiat, vel secundum formam hujus decreti idonee caveatur. Sepelientes eos contra hanc constitutionem, Lateranen Concil. (cap. *Quia* 3. supr.) pœnam incurrunt. Testamenta ipsorum aliter facta non valent, nec debet eis aliquis interesse, vel eos absolvere, vel ad confessionem admittere.

IN

(1) *Ex Conc. Lateran. sub Alex. III.*
(2) *Alex. III. Panormit. Archiep.*
(3) *Idem Claromont. Episc.*
(4) *Luc. III. Neuberg. Episc.*
(5) *Innoc. III. Cracov. Episc.*
(6) *In Exod. cap. 21.*
(7) *Ex Conc. Triburien.*
(8) *Ex Pœniten. Theod. Archiep. Cantuar.*
(9) *Hieron. super Parab. cap. 29.*
(10) *Alex. III. Cremon. Episc.* (11) *Joan. XXII.*
(12) *Alexand. III. in Conc. Turon.*
(13) *Idem Cantuarien. Archiepisc. & Suffrag.*
(14) *Conc. Lateran. sub Alex. III.*
(15) *Alex. III. Panorm. Archiepisc.*
(16) *Idem Salernit. Archiepisc.*
(17) *Idem Januen. Archiepisc.*
(18) *Idem.*
(19) *Idem Abb. & Fratr. S. Laurent.*
(20) *Idem Episc. Placent.*
(21) *Urban. III. Brixien. Presb.*
(22) *Innoc. III. Archiepisc. & Prælat. Franc.*
(23) *Idem Narbon. Archiepisc. & Suffrag. &c.*
(24) *Idem Mutinen. Episc.*
(25) *Idem.*
(26) *Idem Altissiod. Episc.*
(27) *Idem Elect. V. de Octonen.*
(28) *Idem Episc. Bonon.*
(29) *Idem in Conc. Lateran.*
(30) *Greg. IX.*
(31) *Greg. X. in Conc. Lugdun.* (32) *Idem.*

IN CLEMENTINIS. *Lib. V. sub eodem Titulo, & ibi tit. V.*

Cap. unic. *Ex gravi*. (1) Officiales Communitatum facientes, dictantes, vel scribentes statuta super usuris solvendis, non repetendis, vel non restituendis, vel judicantes secundum illa, vel non delentes illa (si possunt) intra tres menses de libris Communitatum, vel illa servantes excommunicati sunt.

Foeneratores in causis usurarum edere coguntur libros rationum suarum.

Pertinaciter asserens, exercere usuras non esse peccatum, hæreticus est,

DE CRIMINE FALSI.

TITULUS XX. *continens IX. Capitula.*

Cap. I. *Falsidicus*. (2) Falsus est non solum qui mendacium dicit, sed qui veritatem occultat, quando rogatus & accitus est eam manifestare.

Cap. II. *Super eo*. (3) Sententia lata per falsas litteras non debet exequutioni mandari.

Cap. III. *Ad audientiam*. (4) Clericus falsans sigillum Principis, deponitur. Item ei character imprimitur & in exilium mittitur.

☞ *Idest* Littera F., *qua est prima nominis* Falsarii, *quod pœna genus apud veteres valde usitatum erat.*

Cap. IV. *Dum*. (5) Existens in Curia litteras Apostolicas non recipiat, nisi de manibus Papæ, & Officialium ab ipso deputatorum; personæ tamen solemnes per nuncios recipere poterunt, de manibus tamen prædictorum. Contrafaciens, si laicus est, excommunicationi subjacet, si Clericus, ab officio, & beneficio deponitur.

☞ *Hæc prohibitio, & pœna hodie abiit in desuetudinem Thes. de Pœn. Verb.* Falsum *cap. 6.*

Per excommunicationis pœnam Papæ reservatam providet contra non resignantes, nec destruentes litteras falsas intra XX. dies, & contra factum non tenet.

Cap. V. *Licet*. (6) Ponit novem modos falsandi litteras Papales.

Cap. VI. *Quam gravi*. (7) Falsæ sunt litteræ Papales, in quibus Episcopus vocatur filius, vel inferior frater, vel uni scribitur in plurali.

Cap. VII. *Ad falsariorum*. (8) Qui per se, vel per alios litteras Papæ falsant, excommunicati sunt, cum suis fautoribus, & Clerici officiis, & beneficiis privati sunt, & degradandi, & tradendi curiæ sæculari, per quam laicus legitime punitur. Qui vero falsis litteris utitur, si Clericus est, officio, & beneficio privatur, si laicus excommunicatus est.

☞ *Hodie excommunicatio est Papæ reservata quoad falsantes, non quoad cooperantes, & utentes ex Bulla* Cœnæ §. *6.*

☞ *Ex Const. Innoc.* X. In supremo 8. *April.* 1653. *statuitur* 1. *ut super hoc crimine procedatur sicut super atrocissimis.* 2. *Ut dicti criminis rei incurrant etiam ipso facto confiscationem omnium bonorum, devolutionem jurisdictionalium, feudalium, emphyteuticorum, & privationem omnium officiorum etiam titulo oneroso collatorum.* 3 *Ut comprehendantur rei omnes cujuscumque gradus etiam speciali nota digni.* 4. *Ut hæ pœnæ procedant ne dum contra falsantes dictas litteras sub plumbo, vel forma Brevis sub annulo piscatoris, sed & contra falsarios supplicationum, cedularum, motus proprii, ac mandatorum de expediendo manu Papæ, vel per concessum ab officialibus signatorum, licet de iis litteræ nullæ in forma Brevis, vel plumbi expediantur, neque consueverint expediri.* 5. *Ut procedant contra falsantes quascumque concessiones subscriptas a Papa, vel officialibus, super quibus litteræ expediri solent in forma Brevis, vel sub plumbo.* 6. *Item falsantes datas appositas ab officialibus in dictis concessionibus.* 7. *Falsantes registra dictarum concessionum, & litterarum originalia.* 8. *Tandem falsificationem mandantes, complices, mediatores, auxiliatores, & fautores.*

Cap. VIII. *Accedens*. (9) Non præsumitur quis falsare litteras de simplici justitia, nec punitur, si hoc comperto, destiterit illis uti.

Cap. IX. *Ex conscientia*. (10) Propter paucarum litterarum rasuram in loco non suspecto rescriptum non probatur falsum.

IN EXTRAVAGANTIBUS JOAN. XXII. *Lib. V. sub eod. Titulo, & ibi tit. X.*

Cap. unic. *Prodiens*. (11) Falsificantes monetam Regis Franciæ, & aliorum locorum circumvicinorum aliquo de quatuor modis in textu declaratis, ipso facto excommunicationem Papæ reservatam incurrunt.

☞ *Vide cap* Ad audientiam 3. *supr.*

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS. *Lib. V. sub eod Titulo, & ibi tit. VI.*

Cap. unic. *Spondent*. (12) Alchimiæ prohibentur, & puniuntur facientes, & fieri procurantes, & infames fiunt. Et si sint Clerici, beneficiis privantur, & ad habenda inhabiles efficiuntur.

☞ *Vide cap.* Prodiens *supra.*

DE SORTILEGIIS.

TITULUS XXI. *continens III. Capitula.*

Cap. I. *In tabulis*. (13) Sortilegia pro furtis inveniendis, vel divinationibus faciendis prohibentur: & contrafaciens pœniteat quadraginta dies.

Cap. II. *Ex tuarum*. (14) Presbyter, qui per inspectionem astrolabii furta requirit, ad tempus suspenditur ab altaris ministerio.

Cap. III. *Ecclesia*. (15) Electio Ecclesiastica per sortes fieri non debet; nec electiones compromissariorum.

DE COLLUSIONE DETEGENDA.

TITULUS XXII. *continens IV. Capitula.*

Cap. I. *Scripta*. (16) Accusatore desistente ab accusatione, potest Judex ex officio inquirere super crimine illato.

Cap. II. *Crimina*. (17) Desistente accusatore, & accusato, Judex prosequitur.

Cap. III. *Audivimus*. (18) Colludens in causa beneficiali, privari debet beneficio.

Cap. IV. *In tantum*. (19) Absolutio de criminibus illatis per collusionem facta non impedit facultatem iterum accusandi, & inquirendi de illis criminibus.

DE DELICTIS PUERORUM.

TITULUS XXIII. *continens II. Capitula.*

Cap. I. *Pueris*. (20) Impuberes præter vitium carnis delinquere possunt: puniuntur tamen mitius quam adulti.

Cap. II. *Referente*. (21) Puer non debet ita severe puniri sicut major: nec pater ex delicto filii impuberis tenetur.

DE CLERICO VENATORE.

TITULUS XXIV. *continens II. Capitula.*

Cap. I. *Episcopum*. (22) Clerico prohibetur venatio: & pœna imponitur.

☞ *In textu prohibitio extenditur tantum ad Episcopos, Presbyteros, & Diaconos, sed ex cap. seq. & Trid. sess.* 24. *cap.* 12. *verbo* Vestitu *de ref. extenditur ad omnes Clericos. Cum autem duo sint genera venationum, una clamorosa, altera quieta, communior sententia est, ut clamorosa tantum sit interdicta, quamvis contraria sit juri conformior. Sub qua vero pœna, relinquendum videtur arbitrio Episcopi ex deductis a Bened. XIV. de Synod. Diœc. edit. an.* 1755. *lib.* 11. *cap.* 10. *n.* 8. *&* 9.

Cap. II. *Omnibus*. (23) *Summa ut supr.*

DE CLERICO PERCUSSORE.

TITULUS XXV. *continens IV. Capitula.*

Cap. I. *Si quis*. (24) Si constitutus in sacro Ordine percussor extiterit, & monitus non se emendaverit, deponendus est.

Cap. II. *Præterea*. (25) Duobus mensibus a Missarum administratione suspenditur Episcopus, qui crudeliter aliquem fustigari facit.

☞ *Fustigatio abiit in desuetudinem.*

Cap. III.

(1) *Clem. V. in Conc. Vien* (2) *Ex D. Isid.*
(3) *Luc. III. Vigorien. Episc.*
(4) *Urban. III.* (5) *Innoc. III. VVido Rhemen. Archiepisc. S. Sabinæ Card. & Suffrag.*
(6) *Innoc. III. N. Archidiac. N. Archiepisc. & Can. Mediol.*
(7) *Idem Antibar. Episc.*
(8) *Idem.* (9) *Idem.*
(10) *Idem Episc. Roffen. &c.*

(11) *Joan. XXII.* (12) *Idem.*
(13) *Ex Pœnit. Theod.*
(14) *Alex. III. Graden. Patriar.*
(15) *Honor. III. Capit. Lucanen.*
(16) *D. Gregor. univer. Ep. Corith.* Hoc cap. apud Gonzal. incipit Desiderii.
(17) *Idem.* (18) *Alex. III. Noric. Ep.*
(19) *Gregor. IX. Baren. Archiep. & Fratri Joseph Monac. Florent.*
(20) *D. Greg. August. Angl. Episc.*
(21) *Alex. III. Hermon. Episc.*
(22) *Ex Conc. Melden.* vel VVormac.
(23) *Ex Syn. Francica,* seu Germanica *temp. Zachariæ I. & Caroli Magni, an. 742. Can. 2.*
(24) *Ex Concil. Agathen.* ut in I. Collect. sed in nullo Conc. Agathen. reperiatur.
(25) *D. Greg. Andr. Episc. Favent.* Hoc cap. apud Gonzal. incipit Tribunal.

Cap. III. *Præsentium*. (1) Non punitur Clericus, ut homicida, si fuit ipse in conflictu pro parte violentiam repellentium; licet ibi aliqui mortui sint, & ipse lapides projecit, sed nullum percussit.

Cap. IV. *Continentia*. (2) Clericus, qui fuit in conflictu, ubi aliqui fuerunt occisi sine ejus facto, vel consilio, de jure communi promoveri potest.

DE MALEDICIS.

TITULUS XXVI. *continens II. Capitula.*

Cap. I. *Innotuit*. (3) Maledicens Papæ puniendus est.

☞ *Ex Constit. Sixti V. Romani libellos famosos retinentes, facientes, dictantes in statu Ecclesiæ gravibus pœnis sunt puniendi, & bonorum confiscatione, & aliquando ultimo supplicio.*

☞ *Ex Constit. Adriani IV.* Ex alto *dictos libellos edentes, retinentes, vel publicantes contra Ordines Prædicatorum, & Minorum incurrunt ipso facto excommunicationem Papæ reservatam, item impugnantes Institutum, & Constitutionem Societatis Jesu ex Constit. Gregor. XIII.* Ascendente.

Cap. II. *Statuimus*. (4) Hic ponitur pœna blasphemantis Deum, vel aliquem sanctum, & maxime B. Virginem.

☞ *Hæc pœna præter multam erat, ut septem diebus Dominicis staret præ foribus Ecclesiæ sine pallio, & calceamentis, cum fune circa collum, & septem sextis feriis jejunaret. Huic accessit Constit. Leonis X. in Conc. Later.* Supernæ, *ac Julii III.* In multis, *& tandem S. Pii V. Constit.* Cum primum *1. Apr. 1566. innovantis dictam Leonis Const. & decernentis* §. Ad absolvendum *blasphemantem nomen Jesu, vel Virginis prima vice (intellige punitionis) condemnandum esse pœna viginti quinque ducatorum; secunda quinquaginta; tertia centum, & exilio. Si solvere non possit, prima vice constituendum per diem integrum ante fores Ecclesiæ manibus post tergum ligatis, secunda flagellandum per urbem, tertia linguam ei perforandam, & ad triremes mittendum. Si blasphemus est Clericus beneficiatus, prima vice privandum esse fructibus unius anni omnium beneficiorum, secunda ipsis beneficiis, tertia omnibus etiam dignitatibus exutum deponendum, & in exilium mittendum. Si nullum habet beneficium, prima vice mulctandum esse pœna pecuniaria, vel corporali, secunda carcerandum, tertia verbaliter degradandum, & ad triremes mittendum. Blasphemantes sanctos pro qualitate blasphemiæ, & personarum, arbitrio Judicis puniendos esse.)*

☞ *Ad his pœnis non excusat minor ætas, dummodo blasphemans sit doli capax; & Ursay Instit. criminal. lib. III. tit. I. n. XXIV. refert edictum Innoc. XI. 29. Maji 1680. statuens ad hunc effectum haberi pro majori, qui annum vigesimum excedit.*

☞ *De jure civili erat pœna ultimi supplicii* §. Quoniam Auth. ut non luxurientur, *sed hodie recessit ab aula. Ursaya loc. cit. n. 22.*

DE CLERICO EXCOMMUNICATO, DEPOSITO, VEL INTERDICTO MINISTRANTE.

TITULUS XXVII. *continens X. Capitula.*

Cap. I. *Si quis*. (5) Clericus depositus celebrans, excommunicatur.

Cap. II. *Si quis*. (6) Degradatus, vel suspensus celebrans, & monitus non desistens, excommunicatur: etsi nec sic desistat, per sæcularem potestatem ad requisitionem Ecclesiæ exilio damnatur.

Cap. III. *Clerici*. (7) Interdictus, & excommunicatus celebrans, monitus non desistens, deponitur.

☞ *Olim hæc pœna erat latæ sententiæ, sed hodie est ferendæ Sayro lib. 2. cap. 15. n. 7.*

Cap. IV. *Latores*. (8) Excommunicati, vel interdicti celebrantes deponi debent, & fiunt irregulares.

Cap. V. *Illud*. (9) Celebrans post notitiam excommunicationis per solam famam debet de rigore deponi: licet cum eo possit dispensari.

Cap. VI. *Fraternitati*. (10) *Summa ut cap. 1. supr.*

Cap. VII. *Postulasti*. (11) Collatio beneficii excommunicato facta non tenet: & scienter talibus conferens a beneficiorum collatione suspenditur.

Celebrans in loco interdicto, si est Clericus sæcularis, beneficiis privatur, si monachus, in arctius monasterium detruditur.

Cap. VIII. *Proposuit*. (12) Valet collatio beneficii facta absoluto ab excommunicatione tempore collationis.

Cap. IX. *Apostolicæ*. (13) Suspensus, vel excommunicatus ignoranter celebrando irregularitatem non incurrunt: secus si ignorantia fuit crassa, vel supina.

Cap. *Si celebrat*. (14) Excommunicatus minori celebrans, non est irregularis, sed peccat, & potest eligere, ac ea, quæ sunt jurisdictionis, exercere; non autem eligi: etsi confert sacramenta, licet peccet, collatio est valida.

DE CLERICO NON ORDINATO MINISTRANTE.

TITULUS XXVIII. *continens II. Capitula.*

Cap. I. *Si quis*. (15) Clericus exercens Ordinem, quem non habet, deponendus est; & amplius non ordinandus.

☞ *Si sacramentaliter absolvat ex Constit. Gregor. XIII.* Officii *potest in eum procedi ut suspectum de hæresi: & si crimen est notorium de jure, vel de facto, ex Constit. Clement. VIII.* Etsi alias *est degradandus, & tradendus Curiæ sæculari, etiamsi sit minor. XXV. annis, major tamen XX. ex Constit. Urban. VIII.* Apostolatus *Thes. verb.* Absolutio *cap. 1.*

Cap. II. *Ex litteris*. (16) Diaconus Missam celebrans, ad Sacerdotium non promovetur, & a Diaconatu suspenditur ad tempus, sed in beneficio poterit ad tempus dispensari.

☞ *Vide Addit. meas lib. 5. tit. 28. post n. 4.*

DE CLERICO PER SALTUM PROMOTO.

TITULUS XXIX.

Cap. unic. *Tua*. (17) Qui ignoranter per saltum de Subdiacono fit Presbyter, post pœnitentiam in Diaconum ordinatur, & potest pro Sacerdotio dispensari ab Episcopo.

☞ *Etiam si scienter promotus fuerit, & casus sit publicus, ut sentit Thes. verbo* Ordo *cap. 13. si tamen ministraverit, solus Papa dispensare potest propter irregularitatem. Vide Trid. sess. 23. cap. 14. de ref.*

DE EO, QUI FURTIVE ORDINEM SUSCEPIT.

TITULUS XXX. *continens III. Capitula.*

Cap. I. *Veniens*. (18) Qui furtive (*idest sine scientia, & examine sui Episcopi*) recepit Ordinem, si contra hoc facientes lata erat excommunicatio, sine dispensatione Papæ in sic suscepto ministrare, vel ad superiorem ascendere non potest: sed si excommunicatio lata non erat, Episcopus, & Abbas poterunt dispensare.

☞ *Hodie ex Pontificali Rom. reformato a Clem. VIII. excommunicatio concepta est verbis ferendæ sententiæ; ideoque secundum magis communem dispensare potest Episcopus: Vide Addit. lib. 1. tit. 12.*

Cap. II. *Cum H.* (19) *Summa ut supr.*

Cap. III. *Innotuit*. (20) *Summa ut supr.*

DE EXCESSIBUS PRÆLATORUM ET SUBDITORUM.

TITULUS XXXI. *continens XVIII. Capitula.*

Cap. I *Pervenit*. (21) Monet Prælatos abstinere a gravaminibus subditorum, & aliqua enumerat, & geminatam pœnam imponit contrafacientibus.

Cap. II *Ad hæc*. (22) Non potest Episcopus sine causa Ecclesiam alteri subjectam ab illius subjectione, & obsequio liberare.

Cap. III. *Ad aures*. (23) Habens collationem beneficii, illud non potest sibi conferre.

Cap. IV. *Clerici*. (24) Clerici contra naturam incontinentes deponuntur, & in monasterio detruduntur; laici excommunicantur.

☞ *Ex Constit. S. Pii V.* Horrendum *Sacerdotes, & alii Clerici, tam sæculares, quam Regulares hoc scelus exercentes ipso facto privati sunt omni privilegio clericali, omni-*

(1) *Alex. III. Lucen. Episc.*
(2) *Cælest. III.* (3) *Clem. III.*
(4) *Gregor. IX.*
(5) *Ex Can. 28. Apostol.*
(6) *Ex Conc. Antioch.* sub Julio I. an. 340.
(7) *Alex. III. London. Episc.*
(8) *Idem Tolet. Archiepisc.*
(9) *Idem Capit. Herbipol.*
(10) *Idem Bisunt. Archiepisc.*
(11) *Idem majori Decano, & Pictori Colon.*
(12) *Idem Decan. & Subdecan. Pictav. & Magist. P. Delongovado Canon. Pictagoric.*
(13) *Greg. IX. J. & J. Canon. Prag.*
(14) *Idem.* (15) *Hormisd. Papa.*
(16) *Idem Urb. III. Legion. Episc.*
(17) *Innoc. III. Bonon. Episc.* vel Colon. juxta Gloss.
(18) *Alex. III. Lingon. Episc.*
(19) *Cælest. III.* (20) *Idem.*
(21) *Alex. III.*
(22) *Idem Cantuar. Archiepisc.*
(19) *Idem Exonen. Episc.*
(24) *Idem in Conc. Lateranen.*

omnique officio, *dignitate*, *& beneficio Ecclesiastico*, *& degradati a Judice Ecclesiastico tradendi sunt puniendi Curia sæculari*. Et *licet*. Li exercentes *importet consuetudinem*, *propter unum tamen actum potest*, *& debet deveniri ad dictas degradationem*, *& traditionem juxta hoc cap. Thes. de Pœnit. verb.* Sodomia.

Cap. V. *Sane*. (1) Subditus non tenetur parere superiori aliquid exigenti, vel præcipienti contra tenorem sui privilegii.

Cap. VI. *Illud*. (2) Vicarius Ecclesiæ usurpans sibi ipsius Ecclesiæ personatum contra præstitum juramentum, ad officii sui exequutionem admitti non debet.

Cap. VII. *Cum ad quorumdam*. (3) Excommunicatio lata contra subditum, quia non paret contra privilegium sibi a superiore concessum, non tenet.

Cap. VIII *Sicut*. (4) Prælatus inferior citra Episcopum, non potest suam Ecclesiam, vel sibi subjectam alteri unire sine Episcopi consensu, etiam cum Metropolitani auctoritate.

☞ *Vide Elencho VI. n. LII.*

Cap. IX. *Quam sit*. (5) Suspendi debet Clericus, qui de suo crimine publice gloriatur.

Cap. X. *Ex litteris*. (6) Clericus auctoritatem, vel consilium directe, vel indirecte homicidio præstans fit irregularis.

Cap. XI. *Inter dilectos*. (7) Collatio beneficii facta indigno, occulta cassari debet, & conferens secundo ante cassationem primæ collationis privari debet ea vice potestate conferendi.

Cap. XII. *Accedentibus*. (8) Cognoscere de causa matrimoniali, item pœnitentias publicas, & indulgentias concedere, spectat ad dignitatem Episcopalem, non ad inferiores Prælatos, nisi eis competat de jure speciali.

☞ *Concordat Trid. sess. 24. c. 20. ve ref. Sed vide correctionem Elencho II. n. CLXV.*

Cap. XIII. *Dilectus*. (9) Ad revelandum peccatorem, sive peccatum in pœnitentia confessum, Sacerdos compelli potest.

Cap. XIV. *Dilecta*. (10) Privati homines regulariter nequeunt constituere Collegium, & habere signa Collegii, nisi eis aliter concedatur.

Cap. XV *Gravem*. (11) Qui contra juramentum negat Prælatum dominum suum vel coram Judice sæculari de ipso conqueritur, vel ipsum invadit, deponi debet.

Cap. XVI. *Nimis*. (12) Ponit XV. gravamina illata Religiosis, a quibus præcipit Prælatos abstinere.

☞ *In hoc*, *& seq. cap. Regulares eximuntur a jurisdictione Episcoporum circa enumerata in utroque. In quibus autem hodie subsint eorumdem jurisdictioni vide Auctorem*, *& Add. meas lib. III. tit. 31. post n. 36.*

Cap. XVII. *Nimis*. (13) Ponit XII. gravamina Prædicatorum, & Minorum, a quibus præcipit Prælatos abstinere.

☞ *Et habet locum in aliis quoque Regularibus*, *nam prædicti sunt nominati per modum tantum exempli*, *ut in textu*.

☞ *Nota*, *quod licet hic non eximantur Regulares irreprocessionaliter cum Episcopo ex magna causa etiam extra Civitatem*, *sicut. neque ex Trid. sess. 25. cap. 13. de Regul. non obstantibus privilegiis ante Conc. concessis*, *sublatis ead. sess. cap. 22. tamen Greg. XIII. excepit eos Regulares*, *quorum monasteria distant a Civitate ultra medium miliare teste Fagn. hoc eod. cap. n. 12.*

☞ *Vide correctionem Elencho I. n. LXIV.*

Cap. XVIII. *Tanta est*. (14) Non servans interdictum, suspensus est ab officio, & beneficio, & omni jurisdictione.

IN SEXTO. *Lib. V. sub eodem Titulo*, *& ibi tit. VI.*

Cap. unic. *Cum ex eo*. (15) Mendicantes non possunt acquirere nova loca ad habitandum, vel antiqua alienare, vel mutare, absque speciali licentia Papæ, quæ de hac prohibitione faciat mentionem. In acquirentibus tamen loca pro eremitica vita ducenda cessat prohibitio.

☞ *Vide notata infra tit.* De Pœnis *cap.* Cupientes 3. *in Clementin. & moderationem Elencho II. n. CLXVI.*

IN CLEMENTINIS, *Lib. V. sub eodem Titulo*, *& ibi tit. VI.*

Cap. unic. *Frequens*. (16) Providerat Greg. contra XXVII. gravamina, quæ Prælati Religiosis inferebant relata cap. 16. & 17. supr. Hic vero clemens V. providet contra XXX. a quibus Prælatos cessare præcipit, & per suos subditos cessare facere jubens ipsorum privilegia, & jura servari.

DE NOVI OPERIS NUNCIATIONE.

TITULUS XXXII. *continens IV. Capitula.*

Cap. I. *Intelleximus*. (17) Etiam Ecclesia ædificata post nunciationem novi operis, destruenda est expensis construentis.

Cap. II. *Cum ex injuncto*. (18) *Summa ut supr.*

Cap. III. *Significantibus*. (19) In optione est nunciantis novum opus, an intra tres menses de præjudicio suo debeat ostendere, & interim cessetur ab opere; an vero recepta cautione de opere demoliendo, statim ædificare permittat.

Cap. IV. *Is cui*. (20) *Summa ut supr.*

DE PRIVILEGIIS, ET EXCESSIBUS PRIVILEGIATORUM.

TITULUS XXXIII. *continens XXXIII. Capitula.*

Cap. I. *Episcopalia*. (21) Episcopalis dignitas non debet tribui, nisi locis insignibus, & populosis.

Cap. II. *Sicut*. (22) Non obstante privilegio fori, potest laicus malefactor Ecclesiæ per eam puniri.

Cap. III. *Cum & plantare*. (23) Religiosi, etiam exempti Ecclesias, & decimas non debent a laicis recipere sine consensu Diœcesanorum. Excommunicati, & interdicti non debent admitti ad divina, etiam per Religiosos exemptos. Religiosi etiam exempti in Ecclesiis non pertinentibus ad eos pleno jure non instituunt, nec destituunt, inconsultis Episcopis; sed rationem exigunt in temporalibus ab institutis. Hospitalarii, & Templarii semel in anno celebrant in Ecclesia sita in loco interdicto: ibi tamen non sepeliuntur corpora mortuorum Confratres exemptorum, seu ipsorum oblati, qui in totum non se transtulerunt, judicari possunt ab Ordinariis locorum.

Cap. IV. *Dilecti*. (24) Suis privilegiis est privandus, qui aliens derogat.

Cap. V. *Ad hæc*. (25) Etiam privilegiati non possunt admittere excommunicatos ad sepulturam; etsi sepultos non ejecerint, supplebit Episcopus.

Cap. VI. *Si de terra*. (26) Contra privilegium Ecclesiæ præscribitur spatio XXX. annor.

☞ *Hoc cap. juxta summarium videtur correctum a cap.* Accedentibus 15. *infra*, *statuente non præscribi minori spatio XL. annorum: verum Gonzalez ea conciliat*, *dicendo*, *hic agi de præscriptione privilegii favore Ecclesiæ parochialis*, *cui de jure communi debebantur decimæ*; *ibi vero de præscriptione privilegii favore Ecclesiæ*, *quæ de jure tantum speciali decimas exigebat*: *unde cum qualibet res facilius redeat ad pristinum statum argum. L.* Si unus 27. §. Pactus ne peteret *ff. de Pact. ideo diutius tempus in ea præscriptione desiderabatur*, *quam in præsenti*.

Cap. VII. *Porro*. (27) De privilegiis non est judicandum, nisi eorum tenore inspecto; & secundum continentiam eorum ab omnibus subditis sunt servanda.

Cap. VIII. *Recepimus*. (28) Per solutionem census, quæ fit Rom. Ecclesiæ, non probatur exemptio a jurisdictione Episcoporum.

Cap. IX. *Sane*. (29) Privilegium uni concessum, non potest ad alium extendi propter identitatem rationis.

Cap. X. *Petentibus*. (30) In Oratoriis privatis campanæ publice teneri non possunt etiam per Religiosos.

Cap. XI. *Tuarum*. (31) Agit 1. de quæstoribus eleemosynarum. 2. Ab officio, & beneficio suspenduntur celebrantes in Ecclesia polluta. 3. Suspensi ab Episcopis per exemptos absolvi non possunt. 4. Fratres privilegiatorum, qui ad eos se omnino non transferunt, privilegiati non sunt.

☞ *Vide Elencho II. n. CLXVII.*

Cap. XII. *Cum olim*. (32) Contenta in instrumento perdito probari possunt per testes, qui illud perlegerunt, si deponunt de tenore, & quod erat sine vitio.

Cap. XIII.

(1) *Idem Ab. & Ep. Univ.*
(2) *Idem Noric. Ep.* (3) *Clem. III.*
(4) *Cælest. III. Favent. Episc.*
(5) *Innoc. III. Archip. S. And. de Pollian.*
(6) *Idem Viperien. Ep. & Ab. de Tileto Visit. Romb.*
(7) *Idem Archiepisc. &c. Turonen.*
(8) *Idem in Conc. Lateran.*
(9) *Honor. III. Petro tit. S. Pudent. Presb. Card. Vicar. Urbis.*
(10) *Idem Præp. R. & J. Archid. Suession.*
(11) *Idem Abb. & S. Auberti &c. Camerac.*
(12) *Greg. IX. Univ. Prælat.*
(13) *Idem iisdem.*
(14) *Idem Archiepisc. Braccar.*
(15) *Bonif. VIII.* (16) *Clem. V. in Conc. Vien.*
(17) *Luc. III. Paduan. Episc.*
(18) *Innoc. III. Cantuar. Archiepisc.*
(19) *Honor. III. Decan. &c. Ambian.*
(20) *Greg. IX.* (21) *D. Leo.*
(22) *D. Greg. Petro Subd. Campan.*
(23) *In Conc. Lateran. sub Alex. III.*
(24) *Alex. III.* (25) *Idem Cantuar. Archiep.*
(26) *Idem Ab. & Monach. S. Andr.*
(27) *Idem Ambian. Episc.*
(28) *Idem J. Apost. Sed. Leg.*
(29) *Idem.* (30) *Cælest. III. Abulen. Episc.*
(31) *Innoc. III. Lunden. Archiep.*
(32) *Idem R. Ab. & Conv. S. Petri Eugub.*

Cap. XIII. *Ex parte.* (1) Innovatio privilegiorum novum jus non tribuit, sed antiquum conservat.
Cap. XIV. *Cum olim.* (2) Ecclesia utens duplici privilegio exemptionis licet succumbat ex uno, potest tamen ex alio se juvare, & obtinere: nec tenetur exemptus promittere obedientiam Diæcesano, vigore tamen exemptionis non potest sine ipsius licentia Ecclesiam construere in loco non exempto; etsi construit, cedit juri Episcopi.
☞ *Vide correctionem Elencho I. n. LXV.*
Cap. XV. *Accedentibus.* (3) Contra privilegia Ecclesiæ minori spatio XL. annorum non præscribitur.
☞ *Vide cap.* Si de terra 6. *supr.*
Cap. XVI. *Cum Capella.* (4) Exemptus ratione certæ rei, vel certi loci non censetur exemptus respectu alterius rei, vel loci.
☞ *Vide innovationem Elencho IV. n. XXV.*
Cap. XVII. *Ex ore.* (5) Per exemptionem concessam monasterio Ecclesiæ parochiales illi subjectæ non censentur exemptæ.
☞ *Quæ tamen, nisi probentur exemptæ lege diœcesana, subjectæ sunt Episcopo, licet sint monasteriorum membra, de quibus loquitur textus. Statuitur etiam, ut Abbates accedere teneantur ad Synodum diœcesanam, & concordat Trid. sess. 24. cap. 2. de ref.*
Cap. XVIII. *Ex parte.* (6) Receptus sub protectione Papæ, per hoc non censetur exemptus.
☞ *Circa exemptionem ab Ordinariorum jurisdictione quo ad Referendarios utriusque, vel alterius Signaturæ, & familiares Summi Pontificis hodie attendenda est Constit. Sixti V.* Quemadmodum *22. Sept. 1586.*
Cap. XIX. *Pastoralis.* (7) Religiosi, quibus a Papa concessum est, ut Ecclesias ei subjectas possint in proprios usus convertere a Diœcesano loci possessionem illarum recipere debent, nisi in privilegio aliud exprimatur.
Cap. XX. *Petiistis.* (8) Licet is, ob cujus delictum positum est interdictum, illud non servet, alii tamen servare tenentur: secus si ille non servat, in cujus favorem latum fuit.
Cap. XXI. *Quoniam.* (9) Privilegium concessum monasterio, ut ejus monachi excommunicari non possint, intelligitur de monachis existentibus in monasterio, vel in Ecclesiis sibi subjectis utroque jure.
Cap. XXII. *Quia.* (10) Episcopus remittens alicui Ecclesiæ decimas Episcopales indefinite, remisisse videtur tam præteritas, quam futuras.
Cap. XXIII. *Antiqua.* (11) Ponitur ordo quatuor Patriarchalium Sedium, idest Ecclesiæ Romanæ, Constantinopolitanæ, Antiochenæ, & Hierosolymitanæ. Privilegia Patriarcharum sunt 1. Datio Pallii 2. Delatio Crucis ante se, præterquam Romæ, & ubicumque Pontifex existit, aut ejus Legatus utens insigniis Apostol. dignitatis. 3. Appellatio ad ipsos.
Cap. XXIV. *Ut privilegia.* (12) Privilegium Religosis concessum, ut possint sepelire confratres suos tempore interdicti, intelligitur de illis, qui licet maneant in sæculo, obtulerunt se tamen Ordini, mutato habitu sæculari; vel de illis, qui bona sua eis dederunt, usufructu retento. Privilegium Religiosis concessum, quo eis venientibus ad locum interdictum semel in anno aperiantur Ecclesiæ, ut celebrentur divina, intelligitur, quod una tantum sola Ecclesia ibi aperiatur.
☞ *Circa Oblatos, de quibus hic, vide Gonz. cap. 3. & præsenti hoc eod. tit. & Elencho VI. n. LXVIII.*
Cap. XXV. *Quod nonnullis.* (13) Tempore generalis interdicti Episcopi non prohibiti, si non fuerunt culpabiles interdicti, clam celebrare possunt.
☞ *Hodie hoc non est privilegium Episcoporum, sed jus commune, ut in cap.* Alma *24. de sent. excom. in 6.*
Cap. XXVI. *Quanto.* (14) Privilegia non sunt violanda, etiam indirecte.
☞ *Hic disponitur Regulares exemptos gaudere privilegio, ut nequeant excommunicari ab Episcopis. Sed circa clausuram monialium etiam illis subjectarum eis non suffragatur hoc privilegium tam ex Trid. sess. 25. cap. 5. de Regul. quam ex Constitut. Greg. XV.* Inscrutabili *1622. Vide cap.* Periculoso *infra de statu Regul. in 6.*
Cap. XXVII. *Ex parte.* (15) Clerici tonsura, & habitu dimisso, comprehensi in delictis per reassumptionem tonsuræ post delicta commissa se pro Clericis non defendunt.
Cap. XXVIII. *Super specula.* (16) Parisiis, & in locis vicinis Jus civile legi non debet *Vide causam in Gonzal.*
Cap. XXIX. *Quia.* (17) *Summa ut cap.* Ex parte 13. *supr.*
Cap. XXX. *In his.* (18) Habentes privilegium, ut ubique possint cum Altari viatico celebrare, hoc possunt sine licentia Prælatorum.
☞ *Vide correctionem Elenc. II. n. CLXVIII. & Additiones meas lib. III. tit. 41. n. 2.*
Cap. XXXI. *Dudum.* (19) Privilegium de decimis novalium non solvendis non comprehendit decimas tempore privilegii impetrati possessas ab aliis, nisi de possessione alterius in privilegio fiat mentio.
☞ *Vide declarationem in cap.* Statuto *2. de dec. in 6.*
Cap. XXXII. *Quidam.* (20) Confratres privilegiatorum, nisi se ad eos in totum transtulerint, ad Episcopalia jura tenentur.
☞ *Vide notata in cap.* Ut privilegia *24. supr.*
Cap. XXXIII. *Consultationi.* (21) Quo ad privilegium retentionis decimæ, semel novale, semper est novale.
IN SEXTO. *Lib. V. sub eodem Titulo, & ibi tit. VII. continente XII. Capitula.*
Cap. I. *Volentes.* (22) Exempti, vel privilegiati non tenentur, nisi sub certo Judice respondere ratione delicti, contractus, aut rei: si hæc sint inita, vel sita in loco non exempto, conveniuntur coram Ordinario, sed ratione domicilii non.
☞ *Licet ex hac Decretali exempti conveniri possint coram Ordinario ratione delicti, vel contractus, vel rei sitæ in loco Diœcesis ejusdem, ex Constit. tamen Pauli V.* Religiosorum *24. Aug. 1607. declaratur id procedere de exemptis tantum ratione loci, non autem de Regularibus, qui sunt exempti etiam ratione personæ cum totali exemptione.*
☞ *Et Vide ampliationem Elencho III. n. XLIX. & innovationem Elencho IV. n. XXVI. Vide etiam Matthæucci Official. Cur. c. ult. n. 24. & seqq.*
Monasterio privilegiato, ut ejus monachi a quocumque interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, cessat in illis Ordinariorum jurisdictio quo ad illa: secus si illi mitterentur ad prioratus subjectos Ordinariis, donec ibi manerent.
☞ *Vide notata supr. cap.* Quanto *26.*
Cap. II. *Cum de diversis.* (23) Curia Romana habet studium generale, & sua privilegia.
Cap. III. *Abbates.* (24) Dicit quomodo intelligatur privilegium quorumdam Abbatum de populo benedicendo, & quibus hi possint conferre tonsuram.
☞ *Vide correctionem Elench. II. n. CLXIX.*
Cap. IV. *Auctoritate.* (25) Exempti in locis non exemptis Oratoria, vel Capellas sine Diœcesanorum licentia construere nequeunt; nec in exemptis sine licentia Papæ. Nec possunt assumere causas proprias suorum liberorum hominum in se, etiam si illi sint sui censuales.
Cap. V. *Ne aliqui.* (26) Privilegium Papæ, quod quis excommunicari, suspendi, vel interdici nequeat, non extenditur ad sententias Ordinariorum, nisi concessum sit Regibus, Reginis, vel ipsorum filiis, vel religioso loco, vel Ordini.
Cap. VI. *Ut Apostolicæ.* (27) Inferiores Prælati, quibus ex privilegio conceditur usus mitræ, si sunt exempti, in provincialibus, & Episcopalibus Conciliis uti possunt mitris aurifrigiatis non habentibus laminas, aut gemmas: si non sunt exempti, albis, & planis utantur: in aliis locis utantur juxta indulta.
Cap. VII. *Cum personæ.* (28) Allegans privilegium exemptionis ab Ordinario, tenetur infra terminum ab eo præfixum illud ostendere, sive integrum, sive partem, de qua est controversia exemptionis. Si autem exemptionem allegat ex præscriptione, cum hæc odiosa sit, potest Episcopus exercere in eum jurisdictionem, donec de illa constiterit. Si allegat utrumque, debet ut ante exhibere privilegium. Quod si non plene probet intentionem suam, sed saltem præbeat causam præscribendi, tunc non debet deturbari a sua possessione, & interim probare debet præscripsisse spatio quadraginta annorum.

Cap. VIII.

(1) *Idem Catalaun. Elect. & Ab. Trium Font.*
(2) *Idem Colubrien. Episc.* (3) *Idem Ep. & Mag. G. Lemovic.*
(4) *Idem Ep. Lingon.* (5) *Idem Ab. & Fratr. Evasin Canob.*
(6) *Idem Ausonen. Episc.*
(7) *Idem Hellen. Ep.*
(8) *Idem Ep. & Cap. Tripolit.*
(9) *Idem.* (10) *Idem Archiep. Londin. Ap. Sed. Leg.*
(11) *Idem in Conc. Lat.*
(12) *Idem ibidem.*
(13) *Idem ibidem.*
(14) *Honor. III.*
(15) *Idem B. Reginæ Anglor.*
(16) *Idem Cap. Paris.*
(17) *Idem Ep. Bajoc.*
(18) *Idem Episc. Paris.*
(19) *Gregor. IX. Major. Eccles. &c. Lincon.*
(20) *Idem.* (21) *Idem Arelaten. Capit.*
(22) *Innoc. IV. in Conc. Lugdun.*
(23) *Idem.*
(24) *Alex. IV.*
(25) *Idem.*
(26) *Clem. IV.*
(27) *Idem.*
(28) *Bonif. VIII.*

Cap. VIII. *Episcoporum.* (1) Interdictus est ingressus Ecclesiæ Regularibus, vel sæcularibus etiam exemptis scienter celebrantibus, vel celebrari facientibus Divina in Civitatibus, vel locis interdictis, nisi secundum permissionem juris; ac excommunicatos, vel interdictos publice ad divina, Sacramenta, vel sepulturam admittentibus.

☞ *Vide Clementin.* Ex frequentibus 1. *de sent. excomm.*

Cap. IX. *Per exemptionem.* (2) Ecclesia concessa, hæc, & ipsius monachi, vel canonici, clerici etiam & conversi, ac perpetuo oblati, non vero ejusdem parochus, nec parochiani intelliguntur exempti. Verum si canonici alicujus Ecclesiæ eximantur, ipsi soli, non autem Ecclesiæ, vel alii ejus clerici sunt exempti. Si autem clerici cujusvis Ecclesiæ eximantur, tum tam canonici, quam alii clerici eximuntur, non tamen Ecclesia, nisi aliud in exemptionis privilegio exprimatur.

Cap. X. *Si Papa.* (3) Ponit formas privilegiorum, quorum quædam exemptionem conferunt, quædam non.

☞ *Vide declarationem in cap. unic.* Litteris *de Probat. in Clement.*

Cap. XI. *Licet.* (4) Celebrantes divina ex privilegio tempore interdicti clausis Ecclesiis, extraneos admittere nequeunt. Singularis persona super hoc privilegiata familiares suos admittit; secus in familia conventus taliter privilegiati. Hoc privilegio non gaudet ille, cujus culpa ponitur interdictum.

☞ *Vide c.* Alma mater 24. *de sent. excom. in 6.*

Cap. XII. *Quoniam.* (5) Episcopi cum altari viatico celebrare possunt, & sibi facere celebrari; ita tamen, quod non violent interdictum.

☞ *Vide Addit. meas lib. III. tit. XLI. n. 1.*

IN CLEMENTINIS. *Lib. V. sub eodem Titulo, & ibi tit. VII. continente II. Capitula.*

Cap. I. *Religiosi.* (6) Excommunicantur Religiosi excommunicatione Papæ reservata, & denunciandi ut tales a locorum Ordinariis, non obstantibus exemptionibus, & privilegiis, præsumentes. 1. administrare sine licentia parochi extremam unctionem, & Eucharistiam (*in Paschate*). 2. solemnizare matrimonia. 3. absolvere excommunicatos a sententiis statutorum provincialium, aut synodalium, & a canone, præter quam in casibus a jure, vel ex privilegio iisdem concessis. 4. quemquam absolvere a pœna, & culpa. Possunt tamen ministrare sacramenta suis familiaribus domesticis, aut pauperibus in eorum hospitalibus degentibus.

Interdicitur iisdem. 1. Ecclesiarum Prælatis in suis sermonibus detrahere. 2. Retrahere laicos a parochialis Ecclesiæ frequentia, vel accessu. 3. Indiscretas Indulgentias promulgare. 4. Retrahere testatores a restitutionibus debitis, vel legatis favore matricis Ecclesiæ. 5. Procurare, ne in præjudicium tertii solvantur legata, vel debita, aut male ablata restituantur, & sibi, vel suis, aut conventibus erogentur. 6. Absolvere a casibus Sedi Apost. vel Ordinariis reservatis. 7. Ausu temerario indebite vexare, suam justitiam prosequendo, Ecclesiasticos præsertim coram Judicibus a Sede Apost. delegatis, eosque convenire ad loca plura, & multum remota. Contrafacientes vero circa prædicta omnia mulctandos esse per duos menses pœnis imponi solitis ab eorum Constitutionibus pro delictis gravibus. Superiores autem incurrere suspensionem ab officio (*ut hic putat Gloss.*) si post mensem non exhibuerint satisfactionem damnificatis ut supra; quæ durare debeat quousque satisfactum fuerit. Ponit moderationem circa duos primos casus.

☞ *Vide moderationem Elench. II. n. CLXX.*

Cap. II. *Archiepiscopo.* (7) Archiepiscopi per loca exempta Provinciæ suæ Crucem ante se deferunt: ipsi etiam, & Diœcesani ibi benedicunt; audiunt divina, & illa celebrant, & faciunt celebrari: per hoc tamen exemptis, vel privilegiatis in aliis nullum fit præjudicium.

IN EXTRAVAGANTIBUS JOANN. XXII. *Lib. V. sub eod. Tit. & ibi tit. XI.*

Cap. unic. *Ad nostri.* (8) Annullantur quædam asserta privilegia circa bannitorum receptionem.

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS. *Lib. V. sub eod. Tit. & ibi tit. VII. continente IV. Capitula.*

Cap. I. *Inter cunctas.* (9) Dat Prædicatoribus, & Minoribus privilegia plurima circa Prædicationes, Confessionum auditiones, & sepulturas.

☞ *Vide Clement. 2. de Sepult. & cap.* Vices 2. *in Extr. com.*

☞ *Vide etiam correctionem Elench. I. n. LXVI. & LXVII. ac Elenc. II. n. CLXXI. & CLXXII.*

☞ *Hic, sicuti & in cap.* Super cathedram *& cap.* Dudum *de sepult. Bened. XI. Bonif. VIII. & Clem. V. excipiunt horam, in qua prohibetur Regularibus prædicare in suis Ecclesiis, & in communibus plateis, quando ipsemet Episcopus prædicat, vel coram se solemniter prædicare facit. Sed hæc secunda prohibitionis pars ex Decretis Cong. Conc. in Brundusina* 10. *Mart.* 1645. & 12. *Julii* 1687. *relatis a Bened. XIV. lib. IX. de synod. Diœc. cap.* 17. *n.* 7. *intelligenda est solum, quando Episcopus* - Ex causa publica, convocatis Clero, Magistratibus, & populo coram se prædicare faciat, non vero cum intersit concionibus intra annum fieri consuetis.

Cap. II. *Meruit.* (10) Rex Franciæ, & Regnicolæ per Extravagantem, *Unam sanctam. supra de major. & obed.* non amplius subjiciuntur Ecclesiæ Romanæ, quam prius erant.

Cap. III. *Divina.* (11) Ordinarii nequeunt ferre censuras in suos subditos pro suis negotiis Romam euntes, ibi manentes aut ab ea recedentes; nec illos privare beneficiis: quod si fecerint, irritum est. Et si beneficia illorum aliis sint collata, tam dantes, quam recipientes ipso facto sunt excommunicati, & a solo Papa absolvendi.

☞ *Quas limitationes hæc Decretal. recipiunt, vide Fagn. cap.* Licet 20. *de for. comp. n.* 44. *& seqq. & vide correctionem Elencho II. n. CLXXIII.*

Cap. IV. *Exhibita.* (12) Dicit, quod Hospitalarii S. Joannis ex statuto, consuetudine, vel privilegio habentes annalia beneficiorum vacantium, percipere debeat portionem, quam haberent beneficia obtinentes, si in illis essent residentes.

DE PURGATIONE CANONICA.

TITULUS XXXIV. *continens XVI. Capitula.*

Cap. I. *Nobilis.* (13) Infamatus fide dignus, per juramentum se purgat; alias secus: & enormiter peccans ad juramentum non admittitur.

Cap. II. *Si quis.* (14) Infamatus tertio monitus se non corrigens, usque ad purgationem ab officio suspenditur.

Cap. III. *Moniales.* (15) Etiam Regulares purgant se de delicto secundum regulam canonicam.

Cap. IV. *Si quis.* (16) Si delictum est probabile, non indicitur purgatio, alias secus.

Cap. V. *Quoties.* (17) Infamatus, contra quem crimen probari non potest, debet se purgare juramento, de veritate: compurgatores vero de credulitate.

Cap. VI. *Nos inter.* (18) Episcopus præcianum suum infamatum compellit ad se purgandum; nisi ab eo legitime appellaverit.

Cap. VII. *Cum P.* (19) Compurgatores debent esse honesti, & notum habere eum, quem purgant; nec debent a Judice, vel alio impediri, & deficiens in purgatione, punitur ut convictus.

Cap. VIII. *Ex tuarum.* (20) Absolutio facta secundum purgationem vulgarem non tenet, qua non obstante, potest indici de novo purgatio, & admitti accusatio.

Cap. IX. *Constitutus.* (21) Sufficit, quod compurgator sit toleratus ab Ecclesia bonæ famæ; nec de crimine suspectus condemnatur.

Cap. X. *Inter.* (22) Propter magnitudinem criminis infamatus suspendi potest nedum ab officio, sed etiam a beneficio, donec se purgaverit; & augetur propter hoc numerus compurgatorum. Ex causa interdum post purgationem præstitam suspenditur quis ad tempus. Et deficiens in purgatione punitur ut convictus.

Cap. XI. *Cum dilectus.* (23) Ad purgationem admittuntur personæ vicinæ, & honestæ.

Cap. XII. *Cum in juventute.* (24) Si infamia ortum non habet ex probabilibus conjecturis, non est de necessitate indicenda purgatio; potest tamen indici ad instantiam purgandi.

Cap. XIII. *De testibus.* (25) Compurgator jurat de credulitate.

Cap. XIV. *Accedens.* (26) Infamatus super defectu natalium non debet promoveri, nisi prius se purget.

Cap. XV. *Cum dilectis.* (27) Super notorio crimine non est indicenda purgatio: & pendente causa super criminibus coram Papæ Delegato, purgatio ab Ordinario super eis recepta non tenet.

Cap. XVI.

(1) Idem. (2) Idem. (3) Idem.
(4) Idem. (5) Idem. (6) Clem. V. in Conc. Vien.
(7) Idem. (8) Jo. XXII (9) Bened. XI.

(10) Clem. V. (11) Eug. IV.
(12) Jo. XXII. Mag. & Fratr. Hosp. S. Jo. Hierosf.
(13) Ex Conc. Tribur. (14) Ex Conc. Agathen.
(15) Ex Conc. Melden. (16) Ex eodem.
(17) Innoc. II. Aquilejen. Patriar. & Ep. Mantuan.
(18) Alex. III. Eurien. Episc.
(19) Idem Calac. Elect. (20) Luc. III.
(21) Idem VVinton. Episc.
(22) Innoc. III. Senon. Archiep. (23) Idem Ab. S. Dion. & Prior. S. Mart. de Campis, & Mag. Schol. Aurel. (24) Idem.
(25) Idem Tyren. Archiepisc.
(26) Idem Florent. Ep.
(27) Idem Ab. Argent. &c.

Cap. XVI. *Accepimus*. (1) Non sufficit Prælato de criminibus infamato jurare, cum se purgat, quod ab illis sit immunis; sed jurare debet, quod post suam promotionem dicta crimina non commisit.

DE PURGATIONE VULGARI.

TITULUS XXXV. *continens III. Capitula*.

Cap. I. *Cura*. (2) Duella, & aliæ purgationes vulgares prohibitæ sunt, quia per eas multoties condemnatur absolvendus; & Deus tentari videtur.

Cap. II. *Significantibus*. (3) *Summa ut supr.*

Cap. III. *Dilecti*. (4) *Summa ut cap.* 1.

DE INJURIIS, ET DAMNO DATO.

TITULUS XXXVI. *continens IX. Capitula*.

Cap. I. *Si rixati*. (5) Percutiens aliquem, si percussus jacuerit in lecto, percutiens operas ejus, & expensas in medicos restituet.

Cap. II. *Si quis*. (6) Aperiens cisternam, & eam non operiens, reddet pretium jumentorum, quæ in eam ceciderint, & quod mortuum fuerit ipsius erit.

Cap. III. *Si Bos*. (7) Si bos cornupeta fuerit ab heri, & nudius tertius, dominus qui eum non custodivit, reddet bovem pro bove, & cadaver integrum accipiet.

Cap. IV. *Si læserit*. (8) Ledens agrum, vel vineam vel per se, vel per sua animalia, pro damno æstimationem restituet.

Cap. V. *Si egressus*. (9) Si ignis combusserit segetes, reddet damnum, qui ignem succenderit.

Cap. VI. *Si quis*. (10) Qui domum, vel aream incenderit voluntarie, incensa omnia restituet, & tres annos pœniteat.

Cap. VII. *Olim*. (11) Sæcularis potestas Clericum banniens, condemnari debet a Judice Ecclesiastico secundum æstimationem injuriæ in expensis, & damnis.

☞ *Vide pœnam additam a Clementina I. de Pœnis.*

Cap. VIII. *In nostra*. (12) Qui jurat statutum de non repetendis damnis, hoc non obstante, expensas repetere poterit. *Vel sic*. Statutum de damnis non repetendis, ad expensas non extenditur.

Cap. IX. *Si culpa*. (13) Quisque tenetur ad injuriam, quam vel per se, vel aliis opem dando irrogavit; sicuti & ad damnum, quod culpa sua dedit, vel intulit per propria animalia.

IN SEXTO. *Lib. V. sub eodem Titulo, & ibi tit. VIII.*

Cap. unic. *Et si*. (14) Repræsaliæ concedi, vel concessæ extendi non debent contra Ecclesiasticos; & contrafacientes, nisi revocent intra mensem, singulares sunt excommunicati; Universitates interdictæ.

D E P OE N I S.

TITULUS XXVII. *continens XIII. Capitula*.

Cap. I. *Ex qua*. (15) Toties puniendus est criminosus, quoties delictum iterat.

Cap. II. *Presbyteri*. (16) Interficiens Presbyterum puniendus est, & pœnæ pars Ecclesiæ, cui præfuit, alia pars pro ejus anima distribuitur.

☞ *Hæc pœna lata fuit a Conc. Triburiensi juxta morem Germaniæ, ubi tunc temporis homicidium non multabatur ultimo supplicio, sed certa soluta pecunia, quod dicebatur compositio. Hodie tamen attendendæ sunt pœnæ contra homicidas.*

Cap. III. Licet. (17) Non debent Prælati pro criminosis sustinendis pecuniam exigere, nec etiam correctionis causa ex cupiditate pœnam pecuniariam imponere.

☞ *Textus loquitur de criminosis Clericis, & laicis. Circa laicos non subditos puniendos intellige pro causis, vel de jure, vel de consuetudine ad forum Ecclesiasticum pertinentibus.*

Circa pœnam pecuniariam imponendam ex cupiditate concordat Trid. sess. 21. cap. 1. de reform.

Verum circa facultatem in textu tributam Archidiacono cognoscendi hujusmodi causas vide correctionem Elencho II. num. CLXXIV.

Cap. IV. *Calumniam*. (18) Victus condemnatur victori præsenti in expensis, etiam in causis pecuniariis, nisi sententia pro absenti feratur.

Cap. V. *Quod in dubiis*. (19) Clericus causam, seu operam præbens bello, deponendus est.

Cap. VI. *Tua*. (20) Clericus pro magno scelere deponi debet, & in monasterio detrudi.

☞ *Hodie hæc pœna non est amplius in usu, sed commutata est vel in ergastulum, vel ad carceres etiam perpetuos, vel, ut communiter in praxi est, ad triremes.*

Cap. VII. *Constitutus*. (21) Si uterque contrahentium venit contra contractum, uterque potest exigere pœnam ad invicem promissam.

Cap. VIII. *Super*. (22) Si testis propter vacillationem incarceretur, infamiam non incurrit.

Cap. IX. *Suam*. (23) Obligatus ad certam quantitatem certa die sub pœna solvendam, si partem intra terminum solvit, ad pœnam integram non tenetur.

Cap. X. *Ad aures*. (24) Occidentes Prælatum, privantur beneficiis, & feudis receptis ab Ecclesia, cui præerat Prælatus ille, nec eis, vel hæredibus restituentur, nec alia de novo concedi debent.

☞ *Hodie in occidente, capiente, vel banniente Episcopum aucta sunt similes pœnæ, de quibus in Clementin.* Si quis *suadente hoc eod. tit. Imo incurritur excommunicatio Papæ reservata in Bulla* Cœnæ *cap.* 11. *& vide notata infra cap.* Felicis 5. *in* 6.

Cap. XI. *Dilectus*. (25) Prorumpens contra Judicem, arbitrio Superioris punitur.

Cap XII. *In quibusdam*. (26) Patroni, Advocati, vel Vicedomini vindicantes sibi in Ecclesiis plusquam jura permittant, per censuram Ecclesiasticam compescuntur; & si occidunt Prælatum, vel Clericum Ecclesiæ per se, vel per alios, perdunt quod habent ab Ecclesia, & eorum posteri usque ad quartam generationem non admittuntur ad Clerum, nec in Religionibus præficiuntur.

☞ *Hæc pœna juxta magis communem receptam sententiam ex decreto Cong. Concil. 2. Aug. 1628. relato a Benedicto XIV. lib. XIII. de Synod. cap. 24. n. 21. non afficiuntur filii ante patratum homicidium progeniti.*

Cap. XIII. *Gravem*. (27) Domino excommunicato manente, subditi fidelitatem non debent, & si longo tempore in ea perstiterit, ac monitus non paruerit, ab ejus debito absolvuntur.

IN SEXTO. *Lib. V. sub eodem Titulo, & ibi tit. IX. continente V. Capitula.*

Cap. I. *Romana*. (28) De veteri jure poterit Archiepiscopus, cum in Provincia sua jurisdictionem suam exequitur, punire notorios injuriantes sibi, nunciis, & familiæ suæ, si per id sua jurisdictio impeditur; alias non, nisi consuetudo plus tribuat: sed hodie tales injurias tunc punit, etiamsi jurisdictionem non impediant.

Cap. II. *Degradatio*. (29) Docet, quibus assistentibus, & quomodo fieri debeat degradatio.

☞ *Vide moderationem Elencho II. n. CLXXV.*

Cap. III. *Quamvis*. (30) Quis potest puniri pœna carceris perpetuo, & ad tempus.

Cap. IV. *Ubicumque*. (31) Pœna alicui imposita, & ejus posteris, non extenditur ad posteros lineæ femineæ; nisi aliud in jure, vel sententia sit expressum.

Cap. V. *Felicis*. (32) 1. Punit insequentes, percutientes, aut capientes Cardinales, & ejus criminis socios. 2. Eorum filios, & nepotes. 3. Ipsis insectatoribus pœnam addit. 4. Quam satisfactionem, cum absolventur, facere debeant: & quid per absolutionem consequantur. 5. De nudis consiliariis, vel simpliciter faventibus huic crimini. 6. Ad collaterales permittit pœnas extendi. 7. Ponit pœnam de insequentibus Clericos, vel Religiosos, familiares Papæ, vel Cardinalium. 8. Ac pœnam de occidentibus Cardinales. 9. Dicit potestates sæculares nihilominus pœnis legalibus contra tales uti debere, & hanc Constitutionem etiam facere observari; & contra facientibus pœnam imponit.

☞ *Ex Constit. Leonis X.* Temerariorum: *omnes pœnæ hic contentæ extensæ sunt ad invadentes manu armata, & hostiliter diripientes domum alicujus Cardinalis, tam tempore conclavis, etiam si in Papam fuerit electus, quam quocumque alio tempore, ibique existentem quempiam vulnerantes, ac ad eorum socios, mandantes, ratum habentes, faventes, & defendentes. Et ex Constit. S. Pii V.* Infelicis: *extenduntur etiam ad non revelantes aliquid ex prædictis actibus. Vide Bullam Cœnæ cap. 11.*

IN

(1) *Idem Ep. Ling. & Ab. Morismundi Cisterc. Ord. Ling. Diœc.*
(2) *Cel. III.* (3) *In. III. Prior. S. Pet. Spolet.* (4) *Hon. III.*
(5) *In Exod. cap. 21.* (6) *In eod.*
(7) *Ex eod.* (8) *Ex eod. c. 22.*
(9) *Ex eod.* (10) *Ex Pœnitential. Roman.*
(11) *Honor. III. Ep. Florent.* (12) *Greg. IX.*
(13) *Idem.* (14) *Greg. IX. in Conc. Lugdun.*
(15) *Ex Conc. Tolet.*
(16) *Ex Conc. Tribur.*
(17) *Alex. III. Cantuar. Archiep.* (18) *Idem.*

(19) *Innoc. III. Nidros. Archiep.*
(20) *Idem Lond. Episc.* (21) *Idem Ab. & Fratr. Cryp. ferr.*
(22) *Idem Prior. S. Fridian. & Magist. B. Can. Pisan.*
(23) *Idem Spolet. Ep.* (24) *Idem Vicentin. Ep.*
(25) *Idem.* (26) *Ex Conc. Later.*
(27) *Honor. III. Trap. Archid. & H. de Parisiis, Can. Suession.*
(28) *Innoc. IV.*
(29) *Bonif. VIII. Biter. Episc.*
(30) *Idem.* (31) *Idem.*
(32) *Idem.*

IN CLEMENTINIS. *Lib. V. ſub eod. Titulo & ibi tit. VIII. continente III. Capitula.*

Cap. I. *Si quis.* (1) Percutiens Epiſcopum, capiens, & banniens, vel hoc mandans, vel ratificans, ſocius, conſiliarius, fautor, & defenſator cum ſuis poſteris, civitas in hoc delinquens, & ejus officiales, pœnis variis hic puniuntur.

☞ *Concordat cap. 11. Bullæ Cœn. excepto, quod hic excommunicantur bannientes Epiſcopum de quocumque territorio, ibi vero illum bannientes tantum de terra, in qua juriſdictionem, vel aliquod jus habet. Hic excommunicantur etiam ratum habentes bannimentum, non autem ibi. Item ibi excommunicantur hoſtiliter eum inſequentes, hic vero non.*

Repetit jus antiquum de abſolutis in mortis articulo, qui ſanati reincidunt, ſi non ſatisfaciant.

Cap. II. *Multorum.* (2) Procurantes capi Eccleſiaſticos, ut renuncient beneficiis, vel ut citati non vadant ad Curiam, præter excommunicationem per Canones antiquos latam, Prælati a perceptione fructuum per triennium ſunt ſuſpenſi; Inferiores vero beneficiis ſunt privati. Eamdem pœnam incurrunt ipſi citati, qui ſe capi procurant. Reſignatio ſic facta non tenet, etiamſi per Prælatos recepta fuerit, vel ratificata.

Cap. III. *Cupientes.* (3) Excommunicat Religioſos mendicantes tranſgreſſores Conſtit. Bonif. VIII. (cap. *Cum ex eo* de exceſ. Prælat. in 6.) Item omnes Religioſos, qui in ſermonibus, vel alibi retrahunt a ſolutione decimarum: quarum ſolutionem certis diebus, & in confeſſionibus ſuadere tenentur ſub certis pœnis, quas incurrunt: niſi ſint tales, quorum monaſteriis, vel Eccleſiis competat percipere decimas.

☞ *Circa retrahentes a ſolutione decimarum concordat Trid. ſeſſ. 25. cap. 12. de ref. Et vide correctionem Elencho I. n. LXIV. & moderationem Elencho II. n. CLXXVI.*

Excommunicat violatores cap. *Animarum* 1. *de ſepult. in* 6. & abſolutionem Papæ reſervat.

IN EXTRAVAGANTIBUS JOANN. XXII. *Lib. V. ſub eod. Titulo & ibi tit. XII.*

Cap. unic. *Dierum.* (4) Enumerat XVI. modos offenſarum hominum Marchiæ, & totidem pœnas imponit contra eas in poſterum facientes.

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS. *Lib. V. ſub eod. Tit. & ibi tit. VIII.*

Cap. unic. *Divinis.* (5) Agit de delictis Epiſcopi Caturcenſis, & pœnis ipſi inflictis.

DE POENITENTIIS, ET REMISSIONIBUS.

TITULUS XXXVIII. *continens XVI. Capitula.*

Cap. I. *Manifeſta.* (6) Pro manifeſto peccato pœnitentia publica imponi debet.

☞ *Vide moderationem Elencho II. n. CLXXVIII.*

Cap. II. *Qui Presbyterum.* (7) Ponit pœnitentiam occidentis Presbyterum.

☞ *Vide correctionem Elencho I. n. XXI. & LXVIII.*

Cap. III. *Significavit.* (8) Conſideratis circumſtantiis, arbitraria pœnitentia indicenda eſt ei, qui modum exceſſit ſe defendendo.

Cap. IV. *Quod autem.* (9) Indulgentiæ conceſſæ per Prælatos non ſubditis, non proſunt.

Cap. V. *Quod quidam.* (10) Non eſt vere pœnitens, qui peccandi animum non deponit; ſalutaribus tamen, & crebris monitis eſt adjuvandus.

Cap. VI. *Licet.* (11) Debens ex pœnitentia certa die in pane, & aqua jejunare, poteſt deficiente pane, aliis cibis uti.

Cap. VII. *Quæſitum.* (12) Sacerdos græcus procurans, vel negligens oppreſſionem filiorum in lectis, debet abſtinere ab Altaris officio; nec ei imponitur pœnitentia publica: ſecus ſi delictum ſit publicum.

Cap. VIII. *Deus.* (13) Sacerdos pœnitentiam injungere debet ſecundum quantitatem exceſſus pœnitentis, contritionem, & alias circumſtantias.

Cap. IX. *Officii.* (14) Non deneganda eſt abſolutio mulieri, quæ ſibi partum alienum ſuppoſuit, vel proprium ex adulterio ſuſcepit; ſi eum nolit marito detegere.

Cap. X. *Nova.* (15) Abbatiſſa Moniales benedicere, confeſſiones audire, & publice prædicare non poteſt.

Cap. XI. *Quod in te.* (16) Tempore generalis interdicti conceditur pœnitentia Cruceſignatis, & peregrinis, & morientibus etiam Viaticum. Clerici, qui ſervarunt interdictum, poſſunt cum ſilentio in cœmeterio ſepeliri. Et in conventualibus Eccleſiis bini, vel trini horas ſubmiſſa voce dicere.

☞ *Vide limitationem Elencho I. n. LXIX.*

Cap. XII. *Omnis.* (17) Quilibet doli capax tenetur ſaltem ſemel in anno confiteri proprio Sacerdoti, vel de ejus licentia alteri, & Euchariſtiæ Sacramentum ad minus in Paſcha recipere.

☞ *Circa confeſſionem vide correctionem Elencho II. num. CLXXIX. & innovationem Elencho IV. n. XXVII.*

Sacerdos revelans confeſſionem, deponendus eſt, & detrudendus in monaſterium ad perpetuam pœnitentiam.

☞ *Circa hanc detruſionem vide notata in cap.* Tuæ 6. *de pœnis.*

Cap. XIII. *Cum infirmitas.* (18) Medici debent infirmos ante omnia inducere ad confeſſionem ſub pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ ferendæ ſententiæ, duraturæ quouſque ſatisfecerint.

☞ *Ex Conſt. S. Pii V.* Super Gregem *præter dictam pœnam, aliaſque arbitrio Epiſcopi infligendas, ſi poſt tertiam viſitationem eis non conſtiterit, infirmum confeſſionem peregiſſe, iterum eum viſitantes incurrunt ipſo facto juris infamiam, & privationem gradus medicinæ. Collegium autem medicorum admittens aliquem ad doctoratum medicinæ abſque prævio juramento de obſervanda hac Conſtit. ipſo facto pariter incurrit privationem facultatis doctorandi. Ex Conc. Rom. ſub Bened. XIII. tit. 32. c. 1. in Append. §. 28. num. 4. Medici contrafacientes incurrunt excommunicationem latæ ſententiæ Epiſcopo reſervatam.*

Cap. XIV. *Cum ex eo.* (19) Dicit. 1. Quomodo ſe gerere debeant eleemoſynarum Quæſtores. 2. In dedicatione Baſilicæ ultra annum, & in anniverſario dedicationis, & in litteris indulgentiarum conceſſis ab alio, quam a Papa, ultra XL. dies remiſſio excedere non debet.

☞ *Vide correctionem Elench. II. n. CLXXX.*

Cap. XV. *Noſtro.* (20) Archiepiſcopus intra Provinciam ſuam poteſt concedere indulgentias juxta cap. *Cum ex eo 14. ſupr.*

Cap. XVI. *Ne pro dilatione.* (21) Epiſcopus, & alii ſuperiores, ac minores Prælati exempti poſſunt ſine licentia Superioris ſibi eligere confeſſorem.

IN SEXTO. *Lib. V. ſub eodem Titulo, & ibi tit. X. continente III. Capitula.*

Cap. I. *Romana.* (22) Agit 1. de eleemoſynarum Quæſtoribus. 2. dicit idem quod *cap. Noſtro 15. ſupr.*

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CLXXXI.*

Cap. II. *Si Epiſcopus.* (23) Conceſſio generalis confeſſoris non tangit ſpecialiter reſervata Epiſcopo: nec obtentu conſuetudinis poteſt quis ſibi eligere confeſſorem.

Cap. III. *Indulgentiæ.* (24) Epiſcopi in concedendis indulgentiis ſervare debent diſpoſita in cap. *Cum ex eo 14. hoc eod. tit. ſupr.*

IN CLEMENTINIS. *Lib. V. ſub eodem Titulo, & ibi tit. IX. continente II. Capitula.*

Cap. I. *Cum ſecundum.* (25) Damnatis ad mortem petentibus pœnitentiam, concedi debet; nec valet contraria conſuetudo.

Cap. II. *Abuſionibus.* (26) Agit de eleemoſynarum Quæſtoribus.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CLXXXII.*

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS. *Lib. V. ſub eodem Titulo, & ibi tit. IX. continente IV. Capitula.*

Cap. I. *Antiquorum.* (27) Centeſimo quoque anno viſitantibus Baſilicas Petri, & Pauli Apoſt. pleniſſima peccatorum venia conceditur.

Cap. II. *Unigenitus.* (28) Annus Jubilæus reducitur ad L. annum.

Cap. III. *Et ſi.* (29) A caſibus Papæ reſervatis nemo poteſt abſolvere ſine ejuſdem ſpeciali licentia.

Cap. IV. *Quemadmodum.* (30) Annus Jubilæi reducitur ad XXV. quemlibet annum, & illo durante aliæ indulgentiæ ubique ceſſant.

☞ *Quæ præſerventur, vide Additiones meas hoc eod. tit. poſt num. 10.*

Cap. V. *Et ſi.* (31) Multæ gratiæ a Sixto IV. conceſſæ revocantur.

DE

(1) *Clem. V. in Conc. Vien.* (2) *Idem.*
(3) *Idem.* (4) *Joan. XXII.*
(5) *Idem.* (6) *D. Greg.*
(7) *Ex Conc. Mogunt.* (8) *Alex. III. Mediol. Archiep.*
(9) *Idem Cantuar. Archiep.*
(10) *Idem Belvacen. Epiſc.*
(11) *Idem Tribur. Archiepiſc.*
(12) *Clem. III.* (13) *Innoc. III. Livon. Epiſc.*
(14) *Idem E. Tit. S. Laur. &c. Apoſt. Sed. Leg.*
(15) *Idem Paletin. & Burgan. Epiſcop. & Abb. de Moribundo Ciſterc. Ord.*

(16) *Idem.* (17) *Innoc. III. in Conc. Lat.*
(18) *Idem ibid.* (19) *Idem ibid.*
(20) *Honor. III. Ab. & Conv. S. Petri de Praxellis Lexov. Diœc.*
(21) *Greg. IX.* (22) *Innoc. IV. in Conc. Lugd.*
(23) *Bonif. VIII.*
(24) *Idem.* (25) *Clem. V. in Conc. Vien.* (26) *Idem.*
(27) *Bonif. VIII.* (28) *Clem. VI. Archiep. Tarrac. & Suffrag.*
(29) *Paul. II. Venet.* (30) *Sixt. IV.* (31) *Idem.*

DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS,

TITULUS XXXIX. *continens LX. Capitula*,

Cap. I. *Super*. (1) Impubes Clericum percutiens, ab Episcopo absolvi potest; & qui joco, vel causa disciplinæ percutit Clericum, etiamsi sit major, excommunicatus non est; secus qui ex odio, & per Papam absolvitur.

Cap. II. *Monachi*. (2) Monachos se ad invicem percutientes absolvit Abbas. Idem in Canonicis regularibus; & Abbatis discretione deficiente, recurritur ad Episcopum.

Cap. III. *Si vero*. (3) Ostiarius, qui Clericum percussit non graviter, ab Episcopo absolvi potest. Officialis deliberate injiciens manum in Clericum, per Papam absolvitur. Qui repellendo vim vi, Clericum percutit, excommunicatus non est. Qui percutit Clericum turpiter inventum cum uxore, matre, sorore, vel filia excommunicatus non est: secus cum consanguinea remota.

Cap. IV. *Si vero*. (4) Qui percutit Clericum ignorans probabiliter eum Clericum, excommunicatus non est: ignorantiam tamen probare debet per juramentum, & si hoc præstare recusat, pro excommunicato haberi debet.

Cap. V. *Non dubium*. (5) Percutiens Clericum, vel religiosum, excommunicatus est, nec ab alio, quam a Papa absolvitur, præterquam in mortis articulo.

☞ *Si percussio est levis, dic ut cap.* Si vero 3. *supr.*

Cap. VI. *Mulieres*. (6) Mulieres, quæ inciderunt in Canonem, *si quis suadente*, absolvuntur ab Episcopo. Item personæ, quæ non sunt sui juris, vel sunt delicatæ, de quibus dubitatur, quod non possent commode accedere ad Curiam.

Mandans Clericum percuti, excommunicatus est, sicut percutiens.

Cap. VII. *Porro*. (7) Excommunicatus per injectionem manuum in Clericum, licet occultus, absolvitur per solum Papam.

☞ *Vide in Auctore lib. V. hoc eod. tit. n.* 24.

Cap. VIII. *Nulli*. (8) Etiam privilegiati tenentur vitare excommunicatum: & per injectionem manuum in Clericum excommunicati sunt.

Cap. IX. *Parochianos*. (9) Percutiens monachum, vel conversum religiosum, debet denunciari excommunicatus, & vitari, donec fuerit per Papam absolutus.

Cap. X. *Ex tenore*. (10) Ponitur forma præcepti, quod cum juramento fieri debet illi, qui pro violenta manuum injectione in Clericum excommunicatus absolvitur.

Cap. XI. *De cetero*. (11) Excommunicatum pro percussione Clerici absolvit Episcopus, si sine periculo Papam adire nequit: debet tamen illi mandare, quod adeat Papam, impedimento cessante.

Cap. XII. *Ad hæc*. (12) Cum Papa absolutionem excommunicati delegat, mandat recipi cautionem de parendo mandatis Ecclesiæ.

Cap. XIII. *Ea noscitur*. (13) Excommunicatus per Canonem, *si quis suadente*, sive dives, vel pauper, per Papam absolvendus est, vel ejus Legatum. Fallit in muliere, sene, infirmo, vel mutilato, qui per Episcopum absolvi possunt.

Cap. XIV. *Cum non*. (14) Ante denunciationem vitandus est excommunicatus pro violenta manuum injectione in Clericos, nisi sit occultus. Interficiens Clericum, qui, contempto Clericali habitu se enormitatibus immiscuit, excommunicatus non est.

☞ *Vide restrictionem Elencho I. n. LXXI.*

Cap. XV. *Cum desideres*. (15) Ante absolutionem communicandum non est excommunicato, licet juraverit parere mandatis Ecclesiæ, vel composuerit cum offenso. Infamato de excommunicatione communicandum non est, nisi se purget, vel ad cautelam absolvatur.

☞ *Vide restrictionem Elencho I. n. LXXII.*

Cap. XVI. *Veniens*. (16) Sacerdos ejiciens regularem de Ecclesia officia divina turbantem, excommunicatus non est.

Cap. XVII. *Pervenit*. (17) *Summa ut I. pars cap.* Si vero 3. *supr.*

Cap. XVIII. *Significavit*. (18) Clericus, qui scienter, & sponte participat excommunicato in divinis, excommunicatus est excommunicatione majori, & tantum absolvendus per Papam.

☞ *Intellige, si communicat cum excommunicato non a jure, sed ut denunciato a Papa, vel ab homine ut vitando. Thes. verb.* Censura *cap.* 6.

Cap. XIX. *Tua*. (19) Excommunicatus pro injectione manuum in Clericum, vel incendiarius, post publicationem a solo Papa absolvitur.

☞ *Etiamsi declaratus fuerit excommunicatus a solo Ordinario. Glos. hic verb.* Publicati.

Cap. XX. *Ad eminentiam*. (20) *Summa ut* 1. *pars cap.* Ea noscitur 13. *supr.*

Cap. XXI. *A nobis*. (21) Generalis excommunicatio solum ligat subditos proferentis.

Cap. XXII. *Conquesti*. (22) Qui cum effractione spoliant Ecclesias, excommunicati sunt, & per Papam tantum post denunciationem absolvuntur.

☞ *Intellige ut supr. cap.* Tua 19.

Cap. XXIII. *Perpendimus*. (23) *Summa ut* 2. *pars cap.* Cum non 14. *supr.*

Cap. XXIV. *Universitatis*. (24) Judex Ecclesiasticus faciens percuti Clericum per laicum, etiam causa disciplinæ, excommunicatus est una cum verberante, & absolvi debent a Papa.

Cap. XXV. *In audientia*. (25) Clericus, ut laicus incedens tertio monitus, non resipiscens, perdit privilegium Clericale.

Cap. XXVI. *Quod de his*. (26) *Summa ut cap.* De cetero 11. *supr.*

Cap. XXVII. *Cum pro causa*. (27) Ligatus pluribus excommunicationibus, licet ex eodem facto, obtinens absolutionem, expressa una causa, seu una excommunicatione, non habetur pro absoluto quoad aliam.

Cap. XXVIII. *A nobis*. (28) Decedenti in excommunicatione, licet contritus decesserit, non est communicandum ante absolutionem, nec pro eo orandum, licet sit quoad Deum absolutus: sed si constat de contritione præcedenti, absolvetur etiam post mortem ab eo, a quo vivus fuerat absolvendus: & hæredes ejus compelluntur per Ecclesiam ad satisfaciendum pro eo.

☞ *Circa onus impositum hæredibus vide cap.* Parochiano 14. *de sepul.*

Cap. XXIX. *Nuper*. (29) Detinens Clericum in custodia, vel vinculis sine læsione, excommunicatus est. Communicans excommunicato scienter in crimine, excommunicatus est; & nisi difficultas impediat, absolvi debet ab excommunicatore cum juramento. Communicans vero extra crimen reconciliari potest per simplicem Sacerdotem sine juramento.

☞ *De communicante cum excommunicato in crimine, intellige, si hic sit nominatim denunciatus; nec sufficit si sit notorius percussor Clerici Thes. verb.* Censura *cap.* 5.

Cap. XXX. *Quod in dubiis*. (30) Juramentum excommunicati de stando mandatis Ecclesiæ non habet vim absolutionis. Excommunicato nullus communicare tenetur præter personas exceptas, alias incurrit minorem, & est excommunicandus majori, nisi ille esset excommunicatus cum participibus suis, quia tunc esset excommunicatus majori.

☞ *Vide correctionem Elencho I. n. LXXIII.*

Cap. XXXI. *Inter*. (31) Excommunicato communicare tenentur, qui prius erant ei obligati ad obsequium familiare: secus alii, nisi urgeat necessitas.

Cap. XXXII. *Cum illorum*. (32) Excommunicatus pro manuum injectione scienter recipiens Ordines, Clericus sæcularis deponendus est; Regularis ab exequutione Ordinis est suspensus. Qui ignorans jus, vel factum, sic excommunicatus recipit Ordines, si est Clericus sæcularis, dispensat cum eo solus Papa, si regularis, dispensat Abbas, si ignorantia est probabilis, & factum non est grave.

Cap. XXXIII. *De Monialibus*. (33) Monialis percutiens monialem, Religiosum, aut Clericum ab Episcopo absolvitur.

Cap. XXXIV. *Si vero*. (34) Contractus etiam, qui sine communione expediri non potest, non dissolvitur per excommunicationem supervenientem in eum, qui tenetur aliquid præstare non excommunicato.

Cap. XXXV. *Ut famæ*. (35) Prælatus potest, & debet Clericum subjectum incorrigibilem incarcerare, & laici citra metum excommunicationis de Prælatorum licentia capere possunt Clericos, & ad judicium ducere.

Cap. XXXVI. *Contingit*. (36) Excommunicatus est, qui

(1) *Alex. III. Senon. Archiep.* (2) *Idem.*
(3) *Idem.* (4) *Idem.* (5) *Idem Ab. & Prior. & aliis Eborac. Deæc.* (6) *Idem.* (7) *Idem.* (8) *Idem.*
(9) *Idem Episc. & Prælat. Gall.*
(10) *Idem Januen. Episc.*
(11) *Idem Cenon. Ep.*
(12) *Urb. III. eidem.*
(13) *Clem. III.* (14) *Idem.*
(15) *Idem.* (16) *Idem.*
(17) *Idem.* (18) *Idem.*
(19) *Idem.* (20) *Idem.* (21) *Idem.*
(22) *Idem.* (23) *Idem.* (24) *Idem.*
(25) *Idem.* (26) *Idem.* (27) *Idem Archiep. &c. Lugdun.*
(28) *Innoc. III. Ab. S. Andr.* (29) *Idem Uratisl. Ep.*
(30) *Idem Strigon. Archiep.* (31) *Idem Doctor Decret. Bonon.*
(32) *Idem.* (33) *Idem Ep. Pistor.*
(34) *Idem univ. Cruce sig.*
(35) *Idem Lund. Ep.* (36) *Idem Bracbar. Archiep.*

qui in clericum etiam volentem manus injecerit violentas, etiam si hoc faciat in satisfactionem præcedentis injuriæ.

Cap. XXXVII. *Relatum*. (1) Servus excommunicatus pro injectione manuum in clericum, tenetur pro absolutione ire ad Sed. Apost. sed si ex hoc dominus, qui non fuit in culpa, grave damnum patiatur, vel servus hoc facit in ejus fraudem, absolvi potest ab Episcopo, si læsio non fuit enormis.

Cap. XXXVIII. *Sacris*. (2) Excommunicatus ob participationem cum excommunicato, licet eum postea impugnet, ex hoc solo pro absoluto non est habendus.

Cap. XXXIX. *Sicut*. (3) Semel excommunicatus debet vitari semper, nisi legitime probet se fuisse absolutum.

Cap. XL. *Per tuas*. (4) Si excommunicatus ab Episcopo ad Metropolitanum appellat, ab eo absolvi potest: Metropolitanus tamen volens suo Suffraganeo deferre, potest eum illi remittere absolvendum; & tenetur etiam remittere, quando propter manifestum excessum fuit excommunicatus: & ante absolutionem non auditur volens probare se injuste excommunicatum: secus, si probare vult sententiam esse nullam.

Cap. XLI. *Si aliquando*. (5) Papa suis litteris excommunicatum salutans, non ideo eum absolvit.

Cap. XLII. *Officii*. (6) Excommunicatus a pluribus Prælatis ob plures causas, non est in communi restituendus, licet de una causa velit satisfacere; & impetrata absolutio, tacitis aliis causis, non valet.

Cap. XLIII. *Responso*. (7) Excommunicatis, & interdictis prædicari potest licite verbum Dei. Tempore generalis interdicti concedi potest baptismus, & chrismatio in fronte, & pœnitentia morientium.

☞ *Vide limitationem Elench. I. n. LXXIV.*

Cap. XLIV. *Inquisitioni*. (8) Si conjux scit pro certo impedimentum matrimonii, non debet reddere debitum; sed potius excommunicationem pati: si autem hoc credat ex causa probabili, & discreta, potest reddere, sed non exigere; & si ex levi, & temeraria causa, deposita conscientia, potest reddere, & exigere.

Cap. XLV. *Contingit*. (9) Per dimissionem habitus, & tonsuræ non perdit Clericus ante trinam monitionem privilegium Clericale.

☞ *Vide correctionem Elench. II. n. CCXXXIII.*

Cap. XLVI. *In præsentia*. (10) Ab excommunicati denunciatione repellitur, qui eum non præmonuit, & eidem communicavit.

Cap. XLVII. *Quanta*. (11) Excommunicatus est dolose permittens Clericum percuti, ex quo poterat prohibere, & non prohibuit.

Cap. XLVIII. *Sacro*. (12) Prælatus excommunicare non debet subditum, nisi competenti monitione præmissa, & ex causa manifesta, & rationabili; & contrafacienti imponitur pœna hic expressa. Item punitur subditus, qui falso conqueritur se excommunicatum injuste: & subjicit quid juris, si Prælatus dicens, se errasse, vult excommunicatum absolvere, & adversarius appellat, ne absolvatur.

☞ *Vide moderationem Elencho II. n. CLXXXIV.*

Cap. XLIX. *Noverit*. (13) Excommunicat hæreticos, & quoscumque violatores Ecclesiasticæ libertatis.

☞ *Vide ampliationem Elencho III. n. L.*

Cap. L. *Canonici*. (14) Fratres Hospitalis Hierosolymitani excommunicati pro injectione manuum in Clericum, seu Confratrum, absolvi possunt per eorum Priorem, nisi excessus fuerit difficilis, & enormis.

Cap. LI. *Super*. (15) Excommunicatus, vel suspensus absolvi non debet, nisi prius juramento præstito: si tamen sine scandalo hoc haberi nequit, poterit fieri absolutio per manualem promissionem.

Cap. LII. *Venerabili*. (16) Cum de viribus sententiæ dubitatur, potest quis absolvi ad cautelam, juramento præstito.

Cap. LIII. *Gravem*. (17) Excommunicantur Officiales locorum, in quibus sunt statuta contra Ecclesiasticam libertatem, nisi ea deleri fecerint; & statutarii feudis Ecclesiæ sunt privati.

Cap. LIV. *Cum voluntate*. (18) Alloquens excommunicatum in tendentibus ad salutem animæ, licet alia verba interponat, excommunicatus non est.

Prædicatores, præsertim qui alias sustentari non possunt, ab excommunicatis, & detinentibus bona aliena eleemosynam recipere possunt.

Percutiens leviter Clericum ratione officii ad correctionem excommunicatus non est.

Cap. LV. *Si concubinæ*. (19) Communicans excommunicato in eodem crimine damnabili, incidit in excommunicationem majorem.

Cap. LVI. *Duobus*. (20) Excommunicatus minori, potest ab excommunicatione aliquem absolvere.

Cap. LVII. *Permittimus*. (21) Permittitur Ministris Ecclesiarum semel in hebdomada celebrare tempore interdicti; concurrentibus his, quæ exprimuntur in textu.

☞ *Vide circa hoc disposita a Bonif. VIII. in cap.* Alma *24. hoc eod. tit. infra & limitationem Elencho I. numero LXXV.*

Cap. LVIII. *Quamvis*. (22) Satisfaciens Clerico, quem verberavit, non potest propter hoc ab Episcopo absolvi, nisi in casibus expressis in Capp. *Non dubium 5. De cetero 11. Quod de his 26. supra hoc eodem tit.*

Cap. LIX. *Si quem*. (23) Excommunicatio simpliciter lata, intelligitur de majori.

Cap. LX. *Pueris*. (24) Beneficium indultum ratione minoris ætatis, postquam cœpit habere locum, non extinguitur, licet minor pervenerit ad majorem ætatem.

IN SEXTO. *Lib. V. sub eodem Titulo & ibi tit. XI. continente XXIV. Capitula.*

Cap. I *Cum medicinalis*. (25) Judex, qui excommunicat, suspendit, vel interdicit, in scriptis hoc faciat, causam conscribat; & requisitus exemplum sententiæ tradat intra mensem. Qui contrafecerit per mensem ab ingressu Ecclesiæ, & Divinis est suspensus: & relaxabitur illa sententia per superiorem: condemnabitur lator in expensis, & alias pœna condigna. Si sic suspensi celebrant, ut prius sunt irregulares, & absolvuntur a solo Papa.

☞ *Quam caute deveniendum sit ad fulminationem censurarum, vide Trid. sess. 25. c. 3. de reform. & correctionem hujus decretal. Elencho I. n. LXXVI.*

Cap. II. *Solet*. (26) Qui petit absolvi ad cautelam, docens excommunicationis sententiam in se latam esse nullam, absolvetur, cujuscumque contradictione non obstante, nisi dicatur, & probetur intra octo dies excommunicatus pro manifesta offensa. Qui probat se excommunicatum post appellationem, probatione pendente, in judiciis evitabitur, secus extra.

Cap. III. *Statuimus*. (27) Non tenet excommunicatio lata in participantes excommunicatis in locutione, & similibus, canonica monitione non præmissa.

☞ *Vide cap.* Constitutionem *9. infra hoc eod. lib. & tit. & ampliationem Elencho I. n. LXXVII.*

Cap. IV. *Quia periculosum* (28) Episcopi nullam interdicti, vel suspensionis incurrunt sententiam, nisi in sententia sint expressi.

Cap. V. *Romana*. (29) Archiepiscopus sententias latas a subditis suorum Suffraganeorum, nisi hoc habeat de consuetudine, non relaxat. Generalis sententia Archiepiscopi ligat tantum subditos. Pro præteritis, vel præsentibus culpis, monitione non præmissa, ab eis lata sententia est injusta. Pro futuris culpis, vel jam commissis, scilicet nisi satisfaciant, excommunicare non debet, nisi mora, culpa, vel offensa, vel alia justa causa subsit. In Universitatem, vel Collegium non fertur excommunicatio, sed in culpabiles.

Cap. VI. *Dilecto*. (30) Prælatus contra Potentiam temporalem etiam Ecclesiastica censura se tueri potest.

Cap. VII. *Venerabilibus*. (31) Excommunicatos a subditis Suffraganeorum Archiepiscopi non possunt absolvere: sed excommunicatos a Suffraganeis, vel Officialibus bene, si ad eos appellatum fuerit.

Archiepiscopus in casibus, in quibus jurisdictionem habet, ante cognitionem causæ absolvit excommunicatum ad petitionem partis, vel ex officio; nisi dicatur excommunicatus pro manifesta offensa, vel contumacia.

☞ *Contumacia autem præsumpta est, quando quis citatus non comparuit intra præfixum terminum. Manifesta vero est, cum quis in judicio prædixerit se nolle comparere, ut ex textu.*

Excommunicatio lata per appellationem interpositam ex causa probabili, non statim pronunciatur nulla, sed fieri potest relaxatio ad cautelam, etiam antequam incipiat de veritate causæ cognosci. Idem si dicatur lata per intolerabilem errorem, & in contrarium error ille probabiliter defendatur.

Si

(1) *Idem Lond. Ep.* (2) *Idem Strig. Archiep.*
(3) *Idem Assisien. Ep.* (4) *Idem Senonen. Archiep.*
(5) *Idem Univ. Christif. Lombard.* (6) *Idem C. S. Laur. in Luci. Presb. Card. Ap. Sed. Leg.* (7) *Idem Ferrar. Ep.*
(8) *Idem.* (9) *Morin Ep.* (10) *Idem.*
(11) *Idem Spiren. Argentin. & VVormac. Ep.* (12) *Idem in Conc. Lat.*
(13) *Honor. III. Bononien. Ep.*
(14) *Idem Mag. & Fratr. Hospit. Hierosol.* (15) *Idem II. Tit. S. Prax. Presb. & Card. Ap. Sed. Leg.*
(16) *Idem Bituric. & Carnot. Decan. & Subdecan. Aurel.*
(17) *Idem Episc. Senen.* (18) *Greg. IX.*

(19) *Idem Astoric. Ep.* (20) *Idem.* (21) *Idem.*
(22) *Idem.* (23) *Idem.* (24) *Idem.*
(25) *Innoc. IV. in Conc. Lugdun.* (26) *Idem ibid.*
(27) *Idem ibid.* (28) *Idem ibid.*
(29) *Idem ibid.* (30) *Idem ibid.* (31) *Idem ibid.*

Si certum est excommunicationem esse justam, fit remissio; si certum est eam injustam, non fit: si est dubium, fieri potest relaxatio: sed honestius est remittere: tenet tamen relaxatio, ubi Archiepiscopus est Judex, licet non fiat remissio.

Archiepiscopus in casibus, in quibus excommunicare potest, si adsit consuetudo, emendas pecuniarias exigere potest.

Cap. VIII. *Decernimus*. (1) Judex Ecclesiasticus compellit Judicem laicum repellere excommunicatos ab actibus judiciariis sibi prohibitis.

Cap. IX. *Constitutionem*. (2) Non valet excommunicatio lata in participantes, nisi fuerint moniti nominatim. Et canonica monitio dicitur, quæ habet dierum intervalla; nisi necessitas facti aliud suadeat.

☞ *Vide ampliationem Elencho I. num. LXXVIII. & correctionem Elencho II. n. CLXXXV.*

Cap. X. *Præsenti*. (3) Relaxatio ad cautelam in generali interdicto non habet locum.

Cap. XI. *Quicumque*. (4) Excommunicat certis limitationibus dantes licentiam offerendi in personis, vel rebus suis, vel suorum exercentes contra aliquos Ecclesiasticam censuram, vel exerceri facientes, vel illam servantes. Pœnam prorogat ad utentem tali licentia, vel motu proprio id agentem, & pœnam aggravat.

☞ *Hæc excommunicatio, posita obsordescentia duorum mensium, est reservata Papæ. Ante duos menses, vi textus non est reservata, sed est reservata ex Bulla Cœnæ.*

Cap. XII. *Si Judex*. (5) Si malefactor captus a Judice laico dicit se Clericum, cognitio ad Judicem Ecclesiasticum spectat. Etsi notorie, vel publica fama, vel communi æstimatione habetur pro Clerico, statim fit remissio. Idem si prius se gerebat pro Clerico, & modo deprehensus fuit in habitu clericali. Si autem prius se gerebat pro laico, licet modo in clericali habitu deprehensus fuerit, non fiet remissio, donec fuerit de clericatu probatum; sed interim contra eum Judex in nullo procedet.

Cap. XIII. *Statutum*. (6) Non tenet suspensio, vel interdictum latum in participantes, non præmissa monitione canonica.

☞ *Textus loquitur de his duabus censuris latis nedum ab Ordinariis, sed etiam a Judicibus delegatis, qui juxta DD. censuras ferre possunt, licet in litteris delegationis id non exprimatur.*

Cap. XIV. *Licet*. (7) Per negligentiam non prosequentis debito tempore appellationem, excommunicatio post eam lata non convalescit: sed poterit tunc denunciari, & debebit vitari, donec de sententiæ nullitate docuerit.

Cap. XV. *Si clericos*. (8) Prælatus capi faciens, & includens, etiam per laicos Clericum non dum incorrigibilem, excommunicatus non est, nec etiam ipsi capientes. Si talis dat fidejussores de parendo juri, detineri non debet, nisi justa causa id suadeat.

☞ *Ex Const. S. Pii V.* Licet: *si indicia delicti sint ad torturam, non habilitatur etiam cum cautione de tenendo domum, aut civitatem pro carcere.*

Cap. XVI. *Si sententia*. (9) Interdicto Clero, non est interdictus populus; nec e converso. Interdicta civitate propter delictum Domini, cives non interdicti extra ipsam audiunt Divina. Interdicto populo, singulares de populo intelliguntur interdicti.

Cap. XVII. *Si civitas*. (10) Interdicta Civitate, suburbia, & continentia ædificia dicuntur interdicta. Interdicta Ecclesia, capella contigua, & cœmeterium contiguum dicitur interdictum.

Cap. XVIII. *Is qui*. (11) Celebrans scienter in Ecclesia polluta, vel præsente excommunicato majori excommunicatione, irregularitatem non contrahit.

Scienter celebrans in loco interdicto in casibus non permissis irregularis, & ineligibilis est.

Cap. XIX. *Quoniam*. (12) Tempore interdicti chrismadie Cœnæ Domini confici potest.

Cap. XX. *Is cui*. (13) Suspensus ab ingressu Ecclesiæ, in ea divina celebrans est irregularis; & moriens impœnitens, suspensione illa durante, caret Ecclesiastica sepultura. Et suspensio ab ingressu Ecclesiæ, vel officio per appellationem sequentem non suspenditur.

Cap. XXI. *Religioso*. (14) Religiosum Clericum verberantem absolvit Episcopus, eo casu, quo absolveret Clericum.

Verberans novitium Religionis, excommunicationem incurrit.

Cap. XXII. *Eos, qui*. (15) Absolutus propter mortis periculum, vel aliud impedimentum ab eo, a quo alias non poterat, si cessante impedimento, se non præsentat, cum commode potest, ei, a quo alias absolvi debebat, recidit in eamdem sententiam. Idem in absoluto, qui se debet alicujus conspectui præsentare, si hoc non faciat.

Cap. XXIII. *Cum quis*. (16) Si percussionem in Clericum sine meo mandato, tamen nomine meo factam ratam habeam, excommunicatus sum; secus si meo nomine non sit facta.

Cap. XXIV. *Alma mater*. (17) Tempore interdicti etiam sani ad pœnitentiam admittuntur; nisi sint excommunicati, qui non nisi in mortis articulo admittentur, vel nisi causam dederint interdicto, qui non admittentur, nisi satisfaciant, vel caveant, prout possunt. Item illo tempore Missæ, & alia divina officia sub pœna distributionum sicut prius in Ecclesiis celebrantur janius clausis, plane sine excommunicatis, & interdictis, & sonitu campanarum: & quater in anno alte cum campanis, & januis apertis celebrari possunt, & exclusis excommunicatis, interdicti admitti; ita tamen quod hi, propter quorum excessum latum est, non appropinquent altari. In cæteris servandum est interdictum. Et revocata sunt privilegia ultra id, quibuscumque concessa.

☞ *Vide cap.* Licet 11. *supra de Privil. hoc eod. lib.*

IN CLEMENTINIS. *Lib. V. sub eod. Tit. & ibi Tit. X. continente IV. Capitula.*

Cap. I. *Ex frequentibus*. (18) Religiosi etiam exempti, violantes interdictum positum per Sedem Apostolicam, vel Ordinarium loci, vel generalem cessationem divinorum facta per provinciale Concilium, vel per eum, qui hoc possit, servatam per cathedralem, vel matricem Ecclesiam loci, excommunicati sunt ipso facto, quibuscumque non obstantibus.

☞ *Vide cap.* Episcoporum 8. *supra de priv. in 6.*

Cap. II. *Gravis*. (19) Domini temporales, qui cogunt aliquos in loco interdicto celebrare divina; vel qui per præcones faciunt tunc ad illa audienda populum evocari, vel prohibent, ne publice excommunicati, vel interdicti super hoc, per illos, qui Missas celebrant, moniti ab Ecclesia exeant, & ipsi nominatim moniti, qui non exeunt, excommunicati sunt, & per Papam absolvendi.

Cap. III. *Cum ex eo*. (20) Fratres minores, si tempore interdicti recipiunt in suis Ecclesiis ad Divina Fratres, & sorores tertii Ordinis, excommunicati sunt, nec privilegia juvant.

Cap. IV. *Si summus*. (21) Si Papa etiam scienter excommunicato participat, illum non ideo absolvit; nisi hoc exprimat, nec si scienter sub titulo dignitatis aliquem nominet, illum in dignitate approbat.

IN EXTRAVAGANTIBUS JOAN. XXII. *Lib. V. sub eod. Titulo, & ibi tit. XIII.*

Cap. unic. *Cum ad sacrosancta*. (22) Taxatio gratiarum Sedis Apostol. impetratarum tam cum clausulis consuetis, quam non consuetis hic continetur. Et quot litteras, quotquot dictiones linea complecti debeat, declaratur: ad paupertatem respectus habetur. Contra transgressores pœna suspensionis ab officio usque ad sex menses, & quandoque privationis imponitur, & ultra illam abbreviatoribus sententiam excommunicationis Papa comminatur.

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS. *Lib. V. sub eodem Titulo & ibi tit. X. continente IV. Capitula.*

Cap. I. *Excommunicamus*. (23) Excommunicati sunt, qui pactis, aut promissionibus justitiam, vel gratiam a Sede Apostolica obtinent, & qui tales non revelant.

☞ *Onus hoc revelandi sublatum est ab Alexandro VII. Constit.* Inter gravissimas, *qua hæc decretalis confirmatur, declaratur, & ampliatur una cum Constitutionibus Gregorii XIII.* Ab ipso *Clementis VIII.* Pro commissa, *S. Pii V.* Etsi Romani. *Quas Constitutiones omnes confirmavit, innovavit, & ampliavit Innocentius XII. Const.* Sacerdotalem. 30. *Januar.* 1700.

Cap. II. *Provide*. (24) Propter dominum debita non solventem, ejus terra, vel civitas sine speciali Papæ licentia non est interdicenda.

☞ *Idem sancivit Clem. VII. & Leo X. in concordat. Galliæ.*

Cap. III. *Ad certitudinem*. (25) Andronicum Paleologum se Imperatorem Græcorum nominantem, & horum hæresis fautorem excommunicatum denunciat &c.

Cap. IV. *Quia*. (26) Excommunicati sunt impugnantes litteras Papæ ante ejus coronationem concessas.

☞ Ex-

(1) *Alex. IV.* (2) *Greg. X. in Conc. Lugd.*
(3) *Idem ibid.* (4) *Idem ibid.*
(5) *Bonif. VIII.* (6) *Idem.*
(7) *Idem.* (8) *Idem.* (9) *Idem.*
(10) *Idem.* (11) *Idem.*
(12) *Idem.* (13) *Idem.*
(14) *Idem.*
(15) *Idem.*

(16) *Idem.* (17) *Idem.*
(18) *Clem. V. in Conc. Vien.*
(19) *Idem.* (20) *Idem.*
(21) *Idem.* (22) *Joann. XXII. Aven.*
(23) *Bonif. VIII.* (24) *Idem.*
(25) *Clem. V.* (26) *Idem.*

☞ *Excommunicatio hic non eſt reſervata, ſed reſervata eſt ex cap. 13. Bullæ Cœnæ; & Conſtit. Leonis X. Supremi per impugnationem impediatur exequutio dictarum litterarum.*

DE VERBORUM SIGNIFICATIONE.

TITULUS XL. *continens XXXIII. Capitula.*

Cap. I. *Innovate*. (1) Novale eſt terra noviter ad culturam redacta.

Cap. II. *Nam, & Rex*. (2) Appellatione patris veniunt in lata ſignificatione omnes aſcendentes.

Cap. III. *Nam & ego*. (3) Quaſi non dicitur natus, qui ſtatim deceſſit.

Cap. IV. *Quod dicitur*. (4) Dictio *antequam* non ſemper implicat.

Cap. V. *Joſeph*. (5) Primogenitus dicitur, qui primo naſcitur, etiam ſi nullus ſequatur eum.

Cap. VI. *Intelligentia*. (6) Verba ſunt intelligenda non ſecundum quod ſonant, ſed ſecundum mentem proferentis.

Cap. VII. *Nihil*. (7) Non vitiatur factum vario modo narratum, ubi idem in ſubſtantia narratur.

Cap. VIII. *Propterea*. (8) *Summa ut c. 6. ſupr.*

Cap. IX. *Quamvis*. (9) Non omnis, qui præeſt, rite dicitur Præpoſitus, ſed ex uſu, qui ſuper alios quamdam prioratus curam gerit.

Cap. X. *Forus*. (10) Explicat. 1. Quid ſit forus. 2. Quid cauſa. 3. Quid judicium. 4. Quid negotium. 5. Quid jurgium. 6. Quid lis. 7. Quid argumentum. 8. Quid probatio. 9. Quid Judex. 10. Quid accuſator. 11. Quid reus. 12. Quid teſtes, eorumque qualitates.

Cap. XI. *Pactum*. (11) Pactum dicitur inter Partes ex pace conveniens a ſcriptura, legibus, ac moribus comprobata, dictum pactum quaſi ex pace factum.

Cap. XII. *Jus*. (12) Hic ponit etymologiam Juris, ut habetur in re, non ut eſt generale nomen.

Cap. XIII. *Cauſa*. (13) Quicquid Fidelis offert Eccleſiæ, oblationis nomine continetur, & a ſæcularibus poſſideri non debet.

Cap. XIV. *Quæſivit*. (14) Solus Sacerdos eſt miniſter extremæ unctionis.

In anno biſſextili ſervari debet loci conſuetudo circa diem Sancti Matthiæ celebrandum, dum tamen vigilia continuetur feſto.

Cap. XV. *In iis*. (15) Per verbum *ſtatuo*, *& præcipio*, definitiva ſententia ferri poteſt.

Cap. XVI. *Olim*. (16) Beneficium Principis latiſſime interpretari debet.

☞ *Vide correctionem Elencho II. num. CLXXXVI.*

Cap. XVII. *Cum in partibus*. (17) Generale dicitur interdictum, quod fertur nedum in provinciam, ſed in villam, vel caſtrum.

Cap. XVIII. *Cum tibi*. (18) Privilegium contra conſuetudinem juri communi obviantem large eſt interpretandum.

Cap. XIX. *Cum Clerici*. (19) Jurans obedire Prælato, & Eccleſiæ, non Clero diœceſano, ſed Capitulo Eccleſiæ Cathedralis obedire tenetur.

Cap. XX. *Quærenti*. (20) Appellatione Eccleſiaſticæ cenſuræ comprehenditur excommunicatio, ſuſpenſio, & interdictum.

Cap. XXI. *Quid*. (21) In privilegiis de decimis novalium non ſolvendis, illud appellatur novale, de cujus cultura non eſt memoria, & quod prius modicum, vel nullum fructum afferebat.

Cap. XXII. *Venerabili*. (22) Si Eccleſia ſubjecta Epiſcopo unitur alteri, vel gubernanda committitur, ſalvo jure matricis Eccleſiæ, per matricem Eccleſiam intelligitur cathedralis, & non Romana.

Cap. XXIII. *Ex parte*. (23) Excommunicatus, vel interdictus pro contumacia, vel offenſa dubia, abſolvitur cautione præſtita de ſtando juri. Si verò fuit excommunicatus, vel interdictus pro manifeſta offenſa, tunc prius debet ſatisfacere, antequam abſolvatur. Et dicitur manifeſta, de qua conſtat per confeſſionem, vel probationem legitimam, vel rei evidentiam.

Cap. XXIV. *Cum olim*. (24) *Summa ut ſupra.*

Cap. XXV. *Abbate*. (25) Verba privilegiorum debent intelligi, ut aliquid aſſerant, & non remaneat ambiguitas; & ideo verba *ſecundum*, *& juxta* videntur appoſita cauſative, non conditionaliter.

Cap. XXVI. *Super*. (26) Dicit, qui dicuntur hæretici manifeſti: quæ ſint pedagia, guidagia, & ſalinaria interdicta. Quomodo intelligitur præceptum factum laico, quod de ſe conquerentibus in Eccleſiaſtico foro reſpondeat.

Cap. XXVII. *Novimus*. (27) Clericus traditur curiæ ſæculari, quia degradatur ſæculari poteſtate præſente, cui denunciatur, ut ſuum forum illum recipiat.

☞ *Qualiter facienda ſit degradatio vide Trid. ſeſſ. 13. cap. 4. de reform.*

Cap. XXVIII. *Dilecto*. (28) Si Papa indulget reo, qui propter abſentiam actoris poſſeſſionem recuperare non poteſt, quod ei lapſus anni non noceat, intelligitur hæc indulgentia ſecundum jus commune.

Cap. XXIX. *Cum inter*. (29) Oblationis nomine intelligitur quicquid offertur Eccleſiæ, quocumque modo in Miſſa, vel extra, & in Eccleſia, vel extra.

Cap. XXX. *Ex parte*. (30) Lis dicitur mota, cum fuerit conteſtata.

Cap. XXXI. *Ex parte*. (31) Conſtitutio legati de ſolvenda tertia mortuariorum Epiſcopo, intelligi debet de mortuariis, in quibus de jure communi debetur.

Cap. XXXII. *Tua nobis*. (32) In privilegio de percipiendis fructibus beneficiorum, appellatio beneficiorum etiam majora beneficia comprehendit, quando privilegium eſt conceſſum Epiſcopo pro honeſta, & favorabili cauſa.

Cap. XXXIII. *Tranſmiſſæ*. (33) Verbum moderationis diminutionem continet, non augmentum.

IN SEXTO. *Lib. V. ſub eodem Titulo, & ibi tit. XII. continente V. Capitula.*

Cap. I. *Veniens*. (34) Declarat quid ſignificet verbum privilegii: *recipimus vos in proprios filios Eccleſiæ Romanæ*: & quis locus dicatur eſſe deſertus.

Cap. II. *Conſtitutionem*. (35) Declarat manifeſtum, & evidens eſſe ſynonima, & idem ſignificare, quo ad caſum cap. *Si forte 11. de elect. in 6.*

Declarat eſſe conſpiratores, & conjuratores, qui juraverunt, & ſtatuerunt de non recipiendo aliquem in canonicum ad mandatum Papæ, donec poſſent reſiſtere.

Statutum de non recipiendo aliquem ad Papæ mandatum, multis ex cauſis eſt deteſtabile, & illicitum.

Cap. III. *Exiit*. (36) Declarat pene cunctas hæſitationes, quæ circa D. Franciſci regulam contingere poſſunt, præſertim, an Fratres minores, quos Chordigeros vocant, illius regulæ profeſſores ſint ad omnia Evangelii conſilia obligati: & utrum aliquid proprium habere, & pecuniam recipere, legataque ſibi relicta agnoſcere valeant, cum multis aliis ambiguitatibus reſolutis.

☞ *Vide moderationem Elencho I. n. LXXIX. & cap. Ad conditorem 3. infra.*

☞ *Hæc decretalis eſt Nicol. III. non IV. ut habetur in pleriſque antiquis Codicibus, cum data ſit Soriani, ubi circa finem anni 1280. obiit idem Nicolaus III. Nicolaus vero IV. numquam fuit Soriani.*

Cap. IV. *Privilegium*. (37) Declarat, quod ſi eximantur a juriſdictione Epiſcopi capellæ alicujus monaſterii, pro his intelligenda tantum ſint loca ſecreta, & ſolitaria ſpecialiter deputata monachis ad contemplandum, ubi illi morantes, & non alii exempti ſunt.

Cap. V. *Sicut*. (38) Appellatione clericorum ſuorum, quibus privilegiatus aliquis conferre poſſit beneficia, declaratur eos venire, qui vere, & non ficte ſunt ejuſdem privilegiati familiares, & commenſales viventes illius expenſis, etiamſi ad aliquod tempus pro ipſius agendis negotiis abſuerint.

IN CLEMENTINIS. *Lib. V. ſub eodem Titulo, & ibi tit. XI. continente II. Capitula.*

Cap. I. *Exivi*. (39) Declarat cap. *Exiit 3. ſupra.*

Cap. II.

(1) *Ex cap. 10. Oſeæ.*
(2) *Ex Hieron. in cap. 1. Daniel.*
(3) *Ex eod. in cap. 4. Proverb.* (4) *Ex eod. in cap. 1. Matth.*
(5) *Hieron. in cap. 1. Matth.*
(6) *S. Hilar. Ep. Pictav.*
(7) *Auguſt. ſuper Matth.*
(8) *D. Greg.* Hoc cap. apud Gonz. incip. Ad explendum.
(9) *D. Iſidor.*
(10) *Idem.* (11) *Idem.*
(12) *Idem.*
(13) *Paſchal. II. Canon. S. Martini.*
(14) *Alex. III.* (15) *Clement. III.*
(16) *Idem Patriar. Graden.*
(17) *Idem Colubrien. & aliis Ep. Portugal.*
(18) *Idem Altiſſiod. Ep.*
(19) *Idem Capit. & Præp. Placen.*
(20) *Idem Ab. Priori S. Frid. Lucan.*
(21) *Idem Cæſarauguſt. Epiſc.*
(22) *Idem de Alcobatia, & F. & P. Monach. Alcobatiæ.*
(23) *Idem Ab. S. Genovefæ Decan. & Cancell. Pariſ.*
(24) *Idem Comitiſſæ Bleſenſi.*
(25) *Idem Epiſc. & Cantor. Atreb.*
(26) *Idem Com. Toloſ.*
(27) *Idem Epiſc. Pariſien.*
(28) *Honor. III. Tyren. Areb.*
(29) *Idem Prior. & Cleric. SS. Jo. & Paul. Tudertin.*
(30) *Idem Abbatib. & Convent. S. Floræ Aretin.*
(31) *Idem Prælat. & Capit. Univerſitat. Conſtantinop.*
(32) *Idem Ep. Tullen.* (33) *Greg. IX. Decan. & Sacriſt. Engolimen.*
(34) *Innoc. IV.* (35) *Nicol. III.* (36) *Idem.*
(37) *Bonif. VIII.* (38) *Idem.*
(39) *Clem. V. in Conc. Vien.*

Cap. II. *Sæpe contingit*. (1) Declarans quid significet clausula apposita in judicialibus commissionibus, quæ fiunt a Principe, vel a jure - *procedatur simpliciter, & de plano, & sine strepitu, & figura judicii* - Determinat de substantia judicii summarii requiri 1. Querelam per accusationem, denunciationem, aut inquisitionem propositam. 2. Citationem rei. 3. Probationem causæ, aut delicti, quæ incumbit cuicumque querelanti. 4. Defensionem rei. 5. Prolationem sententiæ in scriptis latæ. 6. Juramentum de calumnia, vel malitia, sive de veritate dicenda. 7. Insertionem in actis petitionis actoris, seu querelæ accusantis scripto, aut verbo propositæ.

IN EXTRAVAGANTIBUS JOANN. XXII. *Lib. V. sub eodem Titulo, & ibi Tit. XIV. continente V. Capitula.*

Cap. I. *Quorumdam*. (2) Declarat relinquendum esse judicio superiorum de qua vilitate debeant esse indumenta Fratrum minorum, præcipiens sub pœna excommunicationis illis obedire, & reprehendens Fratres, qui pro arbitrio suo habitus breves, strictos, & novitatis plenos portabant: qui transgressores regulæ non dicentur, si in hoc Superioribus obsequuntur: Superiores arbitrari posse, an habenda sint granaria, & cellaria pro necessariis ad victum colligendis.

☞ *Concordat cap.* Exiit & Exivi *supra*.

Cap. I. *Quia*. (3) Præmisso qualiter glossantes d. cap. *Exiit*, excommunicationem ipso facto, non obstantibus quibuscumque privilegiis, incurrunt, illam usque ad Sedis Apost. beneplacitum suspendit.

(1) *Idem*.
(2) *Joan. XXII. Aven.*
(3) *Idem*.

Cap. III. *Ad conditorem*. (4) Dominium rerum, quæ perveniebant ad Fratres Minores retentum ab Ecclesia Romana simplici usu facti Fratribus ipsis reservato, in Constit. *Exiit supra* 3. Pontifex refutat; probans eos non posse habere in re aliqua simplicem usum facti. Et statuit, quod de cetero nullum jus, nullumque dominium habeat Ecclesia Romana in rebus usu consumptibilibus, quæ imposterum conferentur, vel offerentur ipsis Fratribus.

Cap. IV. *Cum inter*. (5) Opinio, quæ asserit Christum, & ejus discipulos nihil habuisse, & in his, quæ habuerunt nullum jus eis fuisse, erronea est, & hæretica.

Cap. V. *Quia*. (6) Reprobatur opinio præsumentium impugnare Constitutiones ejusdem Joann. XXII. *Ad conditorem 3. & Cum inter 4. supra*. Et declarantur tanquam hæretici, & Romanæ Ecclesiæ rebelles, ab omnibus evitandi, si deinceps scienter verbo, vel scripto defendere, vel approbare contra illas præsumpserint.

☞ *In hac Constit. agitur de materia clavium.*

DE REGULIS JURIS.

TITULUS XLI. *continens XI. Regulas.*

Quas, & alias LXXXVIII. contentas in Sexto hoc deo. libro, & titulo vide in Auctore una cum earumdem explicatione in fine secundæ partis.

(4) *Idem*.
(5) *Idem*.
(6) *Idem*.

ELEN-

ELENCHUS I.

Decretalium expresse, vel tacite correctarum a posterioribus Decretalibus, partim abrogatione, partim derogatione, partim moderatione.

Servato Ordine Titulorum, ac Capitulorum in unoquoque Libro.

Lib. I. Tit. III. de Rescriptis.

I. DEcretali Alex. III. relatæ *in cap. Ex parte* 2. præcipientis falsificantem litteras apostolicas a solo Papa esse judicandum, & ideo ad eum ab Ordinariis esse mittendum vinctum, tacite derogatum est ab Innoc. III. statuente *cap. Ad falsariorum* 7. *de crim. fals.* puniendum esse a suo Ordinario, dummodo non sit ab hoc carceratus de mandato Papæ. *Vide Fagn. in cit. c.* 7. *n.* 65.

II. Decretalis Innocen. III. relata *in cap. Nonnulli* 28. decernentis, ne per litteras apostolicas, quibus causæ judicandæ committuntur, quisquam trahatur ultra duas dietas extra suam diœcesim, nisi vel constet has litteras de partium consensu fuisse impetratas, vel huic Decretali expresse in iisdem litteris fuisse derogatum, restricta est a Bonifac. VIII. *cap. Statutum* 11. §§. *Cum vero, & Cum autem, & cap. Hac Constitutione* 15. §. *Conservatores de Offic. & Potest. Jud. deleg. in* 6. statuente, ne committantur ultra unam dietam a finibus diœcesi computandam, & a finibus diœcesi. rei, si sit diversæ diœc. ab illa actoris. Pro dieta intellige non legalem, idest continentem viginti milliaria, sed vulgarem secundum consuetudinem regionis. *Fagnan. in cit. cap. Nonnulli n.* 16. *Vide Elencho VI. n. XXII.*

Tit. IV. De Electione.

III. Decretali Alex. III. relatæ *in cap. Cum in cunctis* 7. decernentis 1. §. *Inferiora* ne ulli conferatur Ecclesia parochialis, nisi xxv. annum attigerit, prohibendo tantum, non irritando collationem. 2. ut si absque legitimo impedimento, elapso anno post illius possessionem non fuerit ordinatus sacerdos, prius monendus sit, quatenus infra annum ordinetur; & si post monitionem fuerit contumax, privandus sit per sententiam, expresse derogatum est a Greg. X. *cap. Licet canon* 14. *hoc eod. tit. in* 6. irritante hujusmodi collationem, & declarante, sic provisum non monendum, sed esse ipso jure privatum.

IV. Decretalis ejusdem relata *in cap. Nosti* 9. simpliciter prohibentis Electo administrationem ante confirmationem, ampliata est a Greg. X. ut n. seq.

V. Decretalis Innoc. III. relata *in cap. Qualiter* 17. statuentis Electum se immiscentem in administrationem prælaturæ ante confirmationem esse privandum per sententiam jure sibi ex electione quæsito, tacite ampliata est a Greg. X. *cap. Avaritiæ* 5. *hoc eod. tit. in* 6. declarante esse ipso jure privatum, sive administret per se, sive per alium.

Eod. tit. in 6.

VI. Decretali Greg. X. relatæ *in cap. Licet canon* 14. statuentis ut assumpti ad Ecclesiam parochialem infra annum ad Sacerdotium promoveantur, & per se resideant sub pœna, si infra id tempus non promoti fuerint, privationis ipso facto parochiæ absque ulla monitione, tacite derogatum est a Bonifac. VIII. *cap. Cum ex eo* 34. *hoc eod. tit.* tribuente Episcopis, aliisque superioribus facultatem dispensandi cum iisdem, ne usque ad septennium litterarum studio insistentes promoveri teneantur ad sacerdotium, promoveri tamen debent intra annum ad subdiaconatum, sub eadem pœna a Gregorio statuta: sicuti etiam eamdem pœnam incurrunt, si elapso septennio ad Diaconatum, & Presbyteratum se non fecerint promoveri. Verum post Concil. Trident. Episcopi hac facultate uti nequeunt ex decretis Congreg. Conc. a me relatis in Addition. *lib. III. tit. IV. post n.* 16.

Eidem Decretali statuenti promotum ad Ecclesiam parochialem ea ipso jure privatum esse, nulla etiam præmissa monitione, nisi infra annum se fecerit ad sacerdotium promoveri, expresse addita est exceptio ab eodem Bonif. *cap. Statutum* 22. *hoc eod. tit.* quo ad parochum Ecclesiæ collegiatæ, declarante hujusmodi pænam ad hunc non extendi, sed privandum esse per sententiam juxta *cit. cap. Cum in cunctis* 7. §. *Inferiora.*

VII. Decretalis Bonif. VIII. relata *in cap. Si Religiosus* 27. statuentis superiorem posse concedere suo Religioso licentiam consentiendi electioni de se factæ ad prælaturam extra proprium monasterium, abrogata est a Clem. V. decernente cap. *Cum rationi* 1. *hoc eod. tit. in Clementin.* hanc electionem nullius esse firmitatis, ut n. seq.

VIII. Decretali ejusdem Bonif. relatæ *in cap. Nullus* 28. statuentis posse Religiosum professum eligi in superiorem alterius Ordinis, derogatum est ab eodem Clem. V. *ut supra.*

Tit. XI. De temporibus Ordination.

IX. Decretali Alex. III. relatæ *in cap. Ex tenore* 4. permittentis Clerico post pœnitentiam ministrare in Ordine suscepto, & ad superiorem promoveri posse, non obstante quocumque delicto occulto, quod si alias esset publicum, ad alios Ordines promoveri nequiret, & degradationem mereretur, tacite derogatum est, seu potius declarata a Greg. IX. *cap. Quæsitum* 17. *hoc eod. tit.* excipiente occultum crimen homicidii, ob quod & a susceptis, & a suscipiendis prohibetur. *Vide Elencho II. n. XXIII.*

X. Decretali Urbani III. relatæ *in cap. Cum quidam* 8. statuentis ordinatum extra tempora a jure statuta tandiu suspensum esse, donec a Sede Apostol. dispensationem obtineat, derogatum est a Greg. IX. *cap. Consultationi* 16. *hoc eod. tit.* declarante dispensari posse ab Episcopo, pœnitentia peracta ut in susceptis ministret. Et quamvis ex Constit. Pii II. *Cum ex sacrorum*, hæc suspensio sit latæ sententiæ, non tamen est reservata, & afficit solum promotos extra tempora ad sacros Ordines, non obstante Constit. Sixti V. *Sanctum* contra Clericos male promotos, qua papæ reservabatur, cum abrogata fuerit a Clem. VIII. Constit. *Romanum decet:* & redacta ad terminos juris communis, & cit. Constitut. Pii II.

Tit. XIV. De ætate, & qualitate Præficiendorum.

XI. Decretali Alex. III. relatæ *in cap. Præterea* 5. decernentis obtineri non posse beneficium curatum absque dispensatione, nisi ab eo qui sit subdiaconus, & intra breve tempus ordinari possit sacerdos, an derogatum sit a Bonif. VIII. *cap. Si pro Clericis* 8. *tit. de Præb. in* 6. clare statuente non oportere promotum esse ad Ordines sacros, sed sufficere in tali esse ætate, ut proxime statutis a jure temporibus promoveri queat *Gloss. in cit. cap. Si pro Clericis* 8. verbo *Promovere* movet dubitationem: sed Fagnan. *in cit. cap. Præterea n.* 5. *& seq.* tenet ex decreto Cong. Conc. a Clem. VIII. approbato in praxi conferri posse parochialem etiam

iam Clericis primæ tonsuræ, dummodo intra annum ad sacros Ordines promoveantur.

Tit. XXIX. De Offic. Judic. delegat.

XII. Decretalis Lucii III. relata *in cap. Relatum* 19. statuentis jurisdictionem delegatam perpetuari litis contestatione juxta Panormit. Decium, Felinum, & alios hic, ampliata est ab Urbano III. *cap. Gratum* 20. *hoc eod. tit.* declarante perpetuari ipso citationis mandato, aut illius insinuatione. Ceterum Gonzalez sentit idem statui ab Urb. ac a Lucio III., cum ostendat *in cap. Gratum* non agi de simplici citatione, sed de citatione per edictum peremptorium, & trinam citationem, quæ inducit litis contestationem.

Tit. XXX. De Officio Legati in 6.

XIII. Decretali Innoc. IV. relatæ *in cap. Officii* 1. tribuentis Legatis Cardinalibus generalem potestatem conferendi quæcumque beneficia in suis Provinciis, derogatum est a Bonif. VIII. *cap. Deliberatione* 4. *hoc eod. tit.* illis prohibente sub pœna nullitatis, ne conferant, aut sibi reservent cathedrales, aut collegiatas Ecclesias, vel ipsarum cathedralium dignitates electivas majores post pontificalem. Quæ tamen prohibitio locum non habet, si aliter in fundatione alicujus Ecclesiæ statutum fuerit. *Fagnan. in cap. Nullus* 1. *de Elect. n.* 15.

Lib. II. Tit. II. De Foro competenti.

XIV. Decretali Conc. Chalcedonensis relatæ *in cap. Si quis* 1. indulgentis Clerico prorogationem jurisdictionis in alios judices indistincte, accedente Episcopi, & Partium consensu, derogatum est ab Innoc. III. *cap. Si diligenti* 12. & a Greg. IX. *cap. Significasti* 18. præcipientibus prorogationem fieri debere ad judicem ecclesiasticum, etiam accedente Episcopi, & Partium consensu. Ceterum cum in cit. Decretal. legatur *non deserat proprium Episcopum, sed prius apud ipsum actio ventiletur, vel consilio ejusdem apud alios*, & congrue intelligi possit apud alios Episcopos relate ad proprium, dicendum est, quod potius declarata fuerit.

XV. Decretalis Honorii III. relata *in c. Ex parte* 15. permittentis litteras apostolicas committi posse judicibus ultra unam dietam, restricta est, ut supra num. II.

XVI. Decretali Greg. IX. relatæ *in cap. Conquestus.* 16. ex qua infertur cognitionem causæ delegari posse a Sede apostolica, ejusque Legatis cuicumque personæ ecclesiasticæ, derogatum est a Bonif. VIII. *cap. Statutum* 11. *de Rescript. in* 6. præcipiente, ne ulli committantur, nisi dignitate prædito, aut personatum obtinenti, seu cathedralium canonico. *Vide Elencho III. num. I.*

Eod. cit. *cap. Statutum*, *& c.* 10. Trid. *sess.* 25. *de ref.* derogatum pariter est Constitut. Innoc. IV. in Conc. Lugdun. editæ - *Præsenti Decreto* - statuentis committi posse etiam Canonicis aliarum collegiatarum honorabilium. *Vide Fagn. cap. Cum olim* 14. *de Priv. num.* 8. *&* 12.

Tit. VII. De Juram. Calumn.

XVII. Decretali Honorii II. relatæ *in cap. Litteras* 2. interdicentis juramentum calumniæ in causis ecclesiasticis, derogatum est a Bonif. VIII. *cap. Si de calumnia* 1. §. *Quamvis hoc eod. tit. in* 6. decernente præstandum esse simul cum juramento de veritate dicenda.

Tit. XVII. De Sequest. possess.

XVIII. Decretali Honorii III. relatæ *in cap. Dilectus* 2. statuentis post appellationem contra possessorem beneficii sequestrandos esse tantum fructus, ne dissipentur, non vero ipsum beneficium, derogatum est a Clem. V. *cap. unic. Ad compescendas hoc eod. tit. in Clementin.* præcipiente post appellationem a possessione beneficii interpositam, sequestrandum esse beneficium, nulla facta mentione dissipationis fructuum.

XIX. Decretali Greg. IX. relatæ *in cap. Ab eo* 3. idem statuentis, derogatum est, ut supra.

Tit. XIX. De Probationibus.

XX. Decretali Clem. III. relatæ *in cap. Juravit* 6. admittentis ex quinto consanguinitatis gradu oriri impedimentum dirimens matrimonium, derogatum est ab Innoc. III. *cap. Non debet* 8. *de consang. & affin.* illud restringente ad quartum tantum gradum.

Tit. XXIII. De Præsumptionibus.

XXI. Decretali Alex. III. relata *in cap. Litteris* 12. in fine recensentis crimen incestus inter septem impedimenta impedientia matrimonium contrahendum cum quacumque persona, quæ enumerantur a *Glos. cap. Qui Presbyterum* 2. *de pœnit. & remis. verb. Absque spe* his versibus.

1. *Incestus*. 2. *Raptus sponsatæ*. 3. *Mors mulieris*, 4. *Susceptus propriæ prolis*. 5. *Mors presbyteralis*. 6. *Vel si pœniteat solemniter*. 7. *Aut monialem recipiat, prohibent hæc conjugium sociandum*, abrogata est a contraria consuetudine.

Abrogata pariter est Decretalis Concilii VVermeriensis relata *in cap. Si quis* 1. *De eo qui cognovit &c.* idem statuentis.

Item abrogatum est ab eadem contraria consuetudine impedimentum raptus sponsæ alterius inductum a Conc. Tolet., seu juxta Correctores Romanos a Conc. Remen. Troslejano *can. Statutum* 34. *caus.* 27. *q.* 2.

Item impedimentum homicidii uxoris inductum a Stephano V. *can. Admonere* 8. *caus.* 33. *q.* 2.

Item impedimentum susceptionis propriæ prolis in baptismo, eo fine, ut maritus separetur a sua uxore inductum *a Concil. Moguntin. can. De eo*, 5. *caus.* 30. *q.* 1. qui mortua uxore transire nequit ad secunda vota.

Item impedimentum presbytericidii inductum *ab eod. Concil. Mogunt. cap. Qui Presbyterum* 2. *de pœnit. & remis.*

Item impedimentum publicæ, & solemnis pœnitentiæ inductum a Syriaco Papa *can. De his vero* 22. *caus.* 33. *q.* 2.

Item impedimentum ex matrimonio scienter contracto cum moniali inductum a Conc. Triburien. *can. Hi ergo qui* 13. *caus.* 27. *q.* 1.

De quorum omnium impedimentorum abrogatione a contraria consuetudine inducta *vide Cabasut. Jur. can. Theor. lib.* 3. *cap.* 21. *n.* 9.

Erat etiam impedimentum ortum ex Catechismo inductum a Clem. V. *cap. Contracto* 5. *de Cognat. Spirit. sed vide abrogationem Elencho II. n. CXLVIII.* Unde quatuor tantum hodie remanent impedimenta impedientia, nempe votum simplex castitatis, sponsalia, Ecclesiæ vetitum, & tempus feriarum.

XXII. Nota tamen quod scienter ducens in uxorem propinquam sanguinis, præter nullitatem matrimonii redditur inhabilis, donec vixerit ad contrahendum cum quacumque *can. Qui propinquam* 4. *caus.* 35. *q.* 2. & 3. & contrahere volens indigeret dispensatione ex Decretis Cong. Conc. relatis *in Lucæorien. nullit. matrim.* 7. *Sept.* 1720. cui accedit stylus Datariæ, quæ in dispensationibus matrimonialibus pro incestuosis consanguineis apponit semper clausulam, *quod alter alteri supervivens perpetuo absque spe conjugii remaneat. Corrad. in prax. dispensat. lib.* 8. *c.* 3. *n.* 60.

Lib. III. Tit. III. De Cleric. conjug.

XXIII. Decretalis Innoc. III. relata *in cap. Joannes* 7. statuens Clericum conjugatum, licet deferentem habitum, & tonsuram, non gaudere privilegio clericali, limitata est a Bonif. VIII. *cap. unic. Clerici hoc eod. tit. in* 6. decernente, si non sit bigamus, gaudere privilegio canonis *Si quis suadente* 29. *caus.* 17. *q.* 4. & fori in criminalibus. *Vide Elencho III. n. XV. & Elencho IV. n. X.*

Tit. IV. De Clericis non residentibus.

XXIV. Decretali Conc. Later. III. relatæ *in cap.*

Quia

Quia nonnulli 3. statuentis recipientem duas dignitates, vel duas parochiales eo ipso privatum esse secunda, saltem juxta plurium DD. opinionem relatam *a Fagn. hoc eod. cap. n.* 8. derogatum est ab Innoc. III. *cap. de multa* 28. *de Praben.* decernente nec esse privatum ipso jure, nec privandum secunda, sed ipso jure privatum esse prima: & si hanc retinere contenderit, privatum esse utraque. *Vide Elencho II. num. LXXIII.*

Tit. V. De Præbendis.

XXV. Decretali Alex. III. relatæ *in cap. Referente* 7. permittentis habenti plures Ecclesias electionem alterutrius, derogatum est ab Innoc. III. *cit. cap. De multa*, auferente hanc optionem in beneficiis curatis, & decernente eo ipso privatum esse primo.

XXVI. Decretali ejusdem relatæ *in cap. Præterea* 14. idem statuentis, derogatum est, ut supra.

XXVII. Decretalis Innoc. III. relata *in cap. De multa* 28. decernentis ut supra n. XXIV. declarata est a Jo. XXII. *cap. unic. Execrabilis hoc eod. tit.* statuente recipientem secundum beneficium curatum, vel secundam dignitatem, nisi statim adepta pacifica hujus possessione, verbo, & facto in manibus Ordinarii dimiserit primum, privatum esse utroque, & inhabilem esse ad sacros Ordines, ac ad beneficia obtinenda, & beneficium ultimo receptum non posse conferri per alium, quam per Papam.

Eodem Tit. in 6.

XXVIII. Decretalis Clem. III. relata *in cap. Licet* 2. prohibentis sub pœna nullitatis collationem dignitatum, & beneficiorum vacantium in Curia romana factam ab alio, quam a Papa, moderata est a Greg. X. *cap. Statutum* 3. *hoc eod. tit. in 6.* decernente conferri posse ab his, ad quos collatio pertineret, si infra mensem a die vacationis a Papa collata non fuerint: quam Clemen. Decretalem d. Bonif. *cap. Præsenti* 34. *hoc eod. tit. in 6.* declaravit, in quibus beneficiis locum habeat, & quousque Curia Rom. se extendat.

XXIX. Eadem Decretalis moderata est ab eodem Bonif. *cap. Si Apostolica* 35. *hoc eod. tit.* decernente conferri posse ab eis, ad quos pertinent, beneficia parochialia vacantia in Curia tempore Sedis Apostol. vacantis; & etiam ibidem vacata, vivente Pontifice, sed ab eo non collata ante suum obitum.

XXX. Decretalis Bonif. VIII. relata *in cap. Eum qui* 18. decernentis habentem beneficium curatum, & vi occupantem, seu se scienter intrudentem in alio simili, esse ipso jure privatum primo; ampliata est a Jo. XXII. *cap. unic. Execrabilis hoc eod. tit.* extendente hanc pœnam ne dum ad occupantem vi dicta duo beneficia, sed etiam ad ea quocumque modo obtinentem. Ac insuper in obtinentes duo simul quæcumque alia beneficia, licet non curata: & si statim in manibus Episcoporum non dimiserint, declarantur ipso jure privati secundo, & inhabiles ne dum ad suscipiendos Ordines sacros, sed etiam ad quæcumque beneficia obtinenda.

Tit. VIII. de Concess. præbendæ.

XXXI. Decretalis Alex. III. relata *in cap. Accedens* 14. decernentis adimplendam esse promissionem factam a Prælato de conferendo beneficio cum poterit, expresse abrogata est a Bonif. VIII. *cap. Detestanda* 2. *hoc eod. tit. n.* 6. hanc reprobante, & aliam quamcumque, qua directe, vel indirecte aperitur via ad beneficia vacatura. Has easdem promissiones reprobaverat Conc. Lateran. sub eod. Alex. cap. 8. de beneficiis tamen primo vacaturis *cap. Relatum* 3. *& cap. Cum dilecta* 16. relat. *in cap. Nulla* 2. *hoc eod. tit.* non vero de providendo, cum quis poterit: quod quidem diversum est, ut idem Alex. docet *cit. cap. Accedens*. Papa tamen potest jus tribuere in beneficiis vacaturis, ut *d. cap. Detestanda*. Circa mandata de providendo *vide Elencho II. n. IV.*

Tit. XXVIII. De Sepulturis.

XXXII. Decretalis Leonis relata *in cap. Relatum* 2. statuentis deberi propriæ parochiæ medietatem bonorum, de quibus sive in morte, sive in vita monasterium ingressurus disposuerit pro salute animæ suæ, præter contrariam consuetudinem, abrogata est etiam ab Alex. III. *cap. De his* 4. *hoc eod. tit.* declarante ad id cogi non posse.

XXXIII. Decretali Innoc. III. relatæ *in cap. Fraternitatem* 3. improbantis electionem sepulturæ in loco minus religioso, idest in alia Ecclesia, relicto sepulchro majorum, (patris videlicet, avi, proavi, aliorumque ascendentium in linea recta, cum omnes veniant nomine majorum *l. jurisconsult.* 10. *ff. de gradibus*) derogatum est a Bonif. VIII. *cap. Cum quis* 2. *hoc eod. tit. in 6.* decernente §. *Si quis* talem electionem non esse impugnandam.

Eod. Tit. in 6.

XXXIV. Decretalis Bonif. VIII. relata *in cap. Animarum* 1. prohibentis sub pœna excommunicationis ferendæ, præter ceteras, Regularibus, & sæcularibus Clericis inducere aliquem ad eligendam sepulturam in propriis Ecclesiis, vel electam non immutandam medio voto, juramento, vel pacto, ampliata est a Clem. V. *cap. Cupientes* 3. addente §. *Sane* excommunicationem ipso facto Papæ reservatam.

Eod. Tit. in Extravag. Comm.

XXXV. Decretali Bonif. VIII. relatæ *in cap. Super cathedram* 2. coercentis certis limitibus exemptiones, & privilegia Fratrum Ordinum Prædicatorum, & Minorum, quoad prædicationem verbi Dei, confessiones audiendas, sepulturas, & quartam funeralem, derogatum est a Benedict. XI. *cap. Inter cunctas* 1. *in Extrav. Commun. de Privil.* eosdem limites auferente; quamvis postea hæc Bened. Decretal. abrogata fuit a Clem. V. ut infr. n. LXVI.

Tit. XXX. De Decimis.

XXXVI. Decretali Paschalis II. relatæ *in cap. Novum* 2. statuentis bona primæ erectionis exempta esse a solutione decimarum, derogatum fuit ab Innoc. III. *cap. Nuper* 34. *hoc eod. tit.* decernente indistincte decimarum oneri subjecta esse etiam bona primæ erectionis, ut animadvertit Rota in Hispalen. decimar. 15. *Maii* 1733. *coram Aldrovand.*

XXXVII. Decretalis Cælestin. III. relata *in cap. Ex parte* 21. declarantis Cistercienses, Templarios, & Hospitalarios ante Conc. Later. IV. celebratum sub Innoc. III. an. 1215. ex privilegio non teneri decimas solvere de fructibus possessionum, quas propriis manibus, vel sumptibus excolebant, moderata est ab eod. Innoc. III. *cap. Nuper* 34. *hoc eod. tit.* statuente, ut tam dicti privilegiati, quam alii Regulares quomodolibet privilegiati teneantur solvere decimas de fructibus possessionum, quas post dictum Concilium quocumque titulo acquirerent, licet illas propriis manibus, ac sumptibus excolerent, si de iisdem antea decimæ solvebantur. *Vide Fagnan. in cit. cap. Nuper num.* 2.

Tit. XXXV. De Statu Monachor.

XXXVIII. Decretali Alex. III. relatæ *in cap. Recolentes* 3. declarantis domum Religiosam posse ex toto ordinaria auctoritate se transferre ad Religionem arctiorem alterius Ordinis, (ut Cisterciensium, de quo in hoc textu) derogatum est a Greg. IX. *cap. unic. Religionum de Relig. Dom. in 6.* §. *Ad hæc* id prohibente sine speciali Sedis apostol. licentia.

Tit. XXXVIII. De Jure patronat.

XXXIX. Decretali Conc. Mediolan. (*vel, ut alii Mediomatricen.*) relatæ *in cap. Perlatum* 1. statuentis (juxta summarium hic) cessandum esse a divinis, tollendas

lendas reliquias, & claudenda ostia Ecclesiæ carentis administratore propter discordiam Patronorum in eo nominando, derogatum est a Concil. Later. sub Alex. III. *cap. Quoniam* 3. *hoc eod. tit.* præcipiente, ut in tali casu Episcopus interim provideat absque cessatione a divinis, ad cujus tramitem hodie procedendum esse ait *Glos. in cit. cap. Prælatum* verb. *Celebrentur*. Id ipsum Episcopus faciet, si intra quatuor menses non fuerit definita quæstio orta super competentia juris patronatus.

XL. Decretali Conc. Triburien. relatæ *in cap. Quæcumque* 2. idem statuentis, derogatum est, ut supra.

Tit. XXXIX. De Censibus in 6.

XLI. Decretali Innoc. IV. relatæ *in cap. Romana* 1. prohibentis. §. *Procurationes* Visitatoribus accipere victualia in pecunia, tacite derogatum est a Bonif. VIII. *cap. Felicis* 3. *hoc eod. tit.* id permittente, si visitati eam solvere velint.

XLII. Eadem decretalis prohibens *cit.* §. *Procurationes*, ne Episcopus, vel inferior Prælatus visitans, & quisquam eorum familiarium præsumat accipere quodcumque munus, qualitercumque oblatum occasione visitationis, sub pœna maledictionis, donec duplum restituat, confirmata, & ampliata est a Greg. X. *seq. c. Exigit* interdicente, exactionem procurationis in pecunia, licet sponte oblata, ac etiam receptionem munerum, vel procurationem in casu non impensi visitationis officii, etiam in victualibus, aut aliquid aliud: sub pœna in Episcopos, & his majores interdicti ipso facto ab ingressu Ecclesiæ; & in inferiores Episcopis suspensionis ab officio, & beneficio, quousque duplum restituerint, nulla dantium remissione valitura. Pro pœna maledictionis, quæ sæpe in jure reperitur inflicta, DD. communiter intelligunt pœnam æternam debitam pro læthali culpa; atque ideo significare dicunt præceptum obligare sub mortali.

XLIII. Decretali Greg. X. relatæ *in cap. Exigit* 2. vetantis, ut supra etiamsi visitati solvere velint victualia in pecunia, expresse derogatum est ab eodem Bonif. *cit. cap. Felicis* id permittente.

XLIV. Eadem Decretalis infligens pœnas, ut supr. n. XLII. nisi intra unum mensem duplum restituatur, moderata est a Bened. XII. *cap. unic. Vas electionis in Extr. Comm.* hoc tempus extendente ad duos menses; quamvis huic Bened. decretali derogatum sit a Trid. ut infra *Elencho II. n. CXXXII.*

XLV. Decretalis Bonif. VIII. relata *in cap. Quamquam* 4. specialiter excommunicantis quascumque particulares personas, & interdicentis Universitates exigentes, extorquentes, vel compellentes Ecclesias, aut Ecclesiasticos per se, vel per alium nomine proprio, sive alieno ad pedagia, & guidagia pro ipsis personis, aut rebus, quas ad proprium usum, non negotiationis causa deferunt, nec absolvendos, nisi plenarie percepta restituerint, & de hujusmodi transgressione competenter satisfecerint, ampliata est a Clement. V. *cap. Præsenti* 3. *hoc eod. tit. in Clement.* præcipiente publicandos esse ut tales a diœcesanis, donec satisfecerint, ut supra. Quam Bonifacii decretalem docet *Thes. cap.* 4. *n.* 3. verb. *Immunitas* procedere in omni gabella, tam ratione transitus eorumdem ecclesiasticorum, quam contractus, vel illationis, aut extractionis rerum: & hodie hæc censura reservata est Papæ in Bulla Cœnæ *cap.* 18.

Tit. XLIX. De Immunit. Ecclesiast.

XLVI. Decretalis Conc. Later. sub Alex. III. relata *in cap. Non minus* 4. infligentis excommunicationem non reservatam in Consules, Rectores, aliosque laicos potestatem habentes, eorumque fautores, si commoniti non destiterint imponere quæcumque onera Ecclesiis, & Ecclesiasticis absque judicio, & consensu Episcopi, ac Cleri judicantium conferenda esse laicis subsidia ab iisdem ecclesiasticis, si solæ eorumdem laicorum facultates pro sublevandis communibus necessitatibus non sufficiant, limitata est ab Innoc. III. *cap. Adversus* 7. *hoc eod. tit.* id præstari prohibente, nisi prius consulto Romano Pontifice. Simul ampliata est, 1. extendendo dictam decretalem, & censuram etiam contra successores eorumdem laicorum in regimine onera imponentium, si intra unum mensem a die successionis, non satisfecerint Ecclesiæ. 2. declarando eam censuram durare, etiam officio deposito. 3. sententias, & statuta circa dicta onera imponenda irritando.

XLVII. Decretalis Innoc. III. relata *in cap. Inter alia* 6. excipientis duos tantum casus, in quibus confugiens ad Ecclesiam non gaudet immunitate ecclesiastica, publicus scilicet latro, & nocturnus depopulator agrorum, dum itinera frequentata, & publicas vias obsidet aggressionis insidiis, ampliata est a Decretali relata *in cap. Immunitatem* 10. *hoc eod. tit.* extendente hanc pœnam etiam ad eum, qui sub spe immunitatis homicidium, vel mutilationem membrorum committit in ecclesiis, aut cœmeteriis, & ab Inn. IV. *cap. Pro humani* 1. *hoc eod. tit. in 6.* eamdem pœnam pariter extendente ad assassinos. *Vide Additiones meas lib.* 3. *hoc eod. tit.*

XLVIII. Decretalis Innoc. III. relata *in cap. Adversus* 7. restringentis facultatem Episcopi circa concessionem subsidii, & collectarum, ut supra n. XLVI. ampliata est a Bonif. VIII. *cap. Clericis* 3. *hoc eod. tit. in 6.* declarante. 1. excommunicationem latam in laicos collectantes ecclesiasticos ut *in cit. n. XLVI.* esse Papæ reservatam, etiamsi imposita onera a sponte dantibus recipiant absque licentia Sedis apostolicæ. 2. eadem pœna ligari quoscumque ecclesiasticos, etiam Prælatos, dicta onera sine Papæ licentia sponte solventes, donantes, se soluturos promittentes, aut impositioni consentientes. 3. ferente interdictum Papæ pariter reservatum contra Universitates in præmissis culpabiles. 4. derogante omnibus privilegiis sub quacumque verborum forma cuicumque concessis.

Eodem Tit. in 6.

XLIX. Decretalis Bonif. VIII. relata *in cit. cap. Clericis* 3. statuentis, ut supra, moderata est a Bened. XI. *cap. Quod olim* 1. *hoc eod. tit. in Extravag. Comm.* restringente censuram in Ecclesiasticos onera sponte solventes latam in solos laicos ea imponentes, & recipientes, quamvis ecclesiastici peccent eadem sponte solventes sine licentia Papæ.

Eidem decretali derogatum est a Clem. V. *cap. unic. Quoniam hoc eodem tit. in Clemen.* eam reducente ad terminos dispositionis *cit. cap. Non minus* 4. & *Adversus* 7.

Eod. Tit. in Extravag. Commun.

L. Decretali Bened. XI. relatæ *in cit. cap. Quod olim* 1. disponentis ut supra, derogatum est prout *in cit. cap. Quoniam.*

Ceterum a Conc. Later. sub Leone X. *sess.* 9. §. *Cum a jure* mox cit. decretalis Bonif. VIII. innovata fuit, addendo, quod prædicta omnia facere præsumentes sint ipso jure intestabiles, & inhabiles ad omnes actus legitimos; unde etiam erunt irregulares. Hodie vero attendenda est Bulla Cœnæ, qua cap. 18. fertur excommunicatio Papæ reservata contra talia onera imponentes, exigentes, & recipientes, etiam a sponte dantibus: & contra directe, aut indirecte exequentes, procurantes, auxilium, consilium, vel favorem præstantes. Unde contra ecclesiasticos solventes, seu consentientes nulla censura est latæ sententiæ *Thes. de Pœn.* verbo *Immunitas c.* 4. *n.* 2. Sequestrantes vero fructus pertinentes ad Ecclesias, & Ecclesiasticos *ex cap.* 17. *ejusdem Bullæ Cœnæ* incurrunt excommunicationem Papæ reservatam sicut & sequestrantes, vel occupantes eorumdem, vel aliorum locorum piorum deposita *ex Trid. sess.* 25. *cap.* 20. *de ref.* & clerici consentientes præter dictam censuram incurrunt eo ipso privationem suorum beneficiorum, ac inhabilitatem ad eadem, & Patroni Ecclesiarum, si talia fecerint, privantur eo ipso jurepatronatus.

Tit. L. Ne Clerici, vel Monach.

LI. Decretalis Alex. III. relata *in cap. Non magnopere* 3. infligentis pœnam excommunicationis (quæ secundum multorum opinionem non erat latæ sententiæ) in Religiosum professum exeuntem a claustro ad legen-

legendas medicinam, & legem civilem, si intra duos menses ad claustrum non redierit, ampliata est ab Honor. III. *cap. Super specula* 10. *hoc eod. tit.* declarante li *ad legendas* intelligi *ad audiendas*; & a transgressore incurri ipso facto excommunicationem: præcipiente insuper denunciandum esse publicum excommunicatum a diœcesanis, & capitulis loci domicilii ejusdem transgressoris, ac loci studiorum. Extensa est pariter ad alios, ut etiam infra n. LIII.

LII. Decretalis Innoc. III. relata *in cap. Sicut te* 8. jubentis constitutos in sacris compellendos esse per subtractionem beneficiorum, ut desistant a Tabellionis exercitio, moderata est a Clem. IV. *cap. Ut officium* 11. *de Hæret. in* 6. eis permittente §. *Ad conscribendas* hujusmodi officium in causa hæresis exercere: ac etiam a Bonif. VIII. *cap. Debent* 1. *de Off. Ord. in Extrav. Comm.* permittente adhiberi posse Clericum, in visitatione Capituli cathedralis juxta Fagnan. *lib.* 1. *in cap. Cum quis tit. de Elect.* quamvis textus Bonifacii loquatur de visitatione Monasterii.

LIII. Decretalis Honorii III. relata *in cap. Super specula* 10. prohibentis Decanis, Archidiaconis, Præpositis, Plebanis, Cantoribus, aliisque personatum obtinentibus, nec non Presbyteris sub certis pœnis studere legi civili, & medicinæ, moderata est a Bonifacio VIII. *cap. Statutum* 1. *hoc eod. tit. in* 6. declarante hujusmodi prohibitionem non extendi ad Clericos simplices curam animarum habentes, nisi eorum Ecclesiæ habeant sub se capellas, ideſt Ecclesias, in quibus instituantur Clerici perpetui; cum in hoc casu similes Parochi reputentur tamquam dignitates, ut animadvertit hic *Glos.* 2. ex quorumdam sententia.

Lib. IV. Tit. I. De Sponsalibus.

LIV. Decretali Alex. III. relatæ *in cap. Non est* 11. prohibentis tempore generalis interdicti celebrationem divinorum officiorum, & Sacramentorum administrationem, exceptis baptismo parvulorum, & pœnitentia pro morientibus, derogatum est a Bonif. VIII. *cap. Quoniam* 19. *de sent. excom. in* 6. permittente baptismum, & confirmationem administrari posse etiam adultis: & permittente alia quamplurima *cap. Alma mater ut infra n. LXIX.*

Tit. XIII. De eo, qui cognovit &c.

LV. Decretalis relata *in c. Si quis* 1. recensens inter impedimenta impedientia matrimonium cum quacumque persona contrahendum, crimen incestus commissi cum propriis consanguineis, vel conjugis, abrogata est a contraria consuetudine, de qua vide notata supra n. XXI. & XXII.

LVI. Decretalis Alex. III. relata *in cap. Veniens* 2. statuentis, eum qui post matrimonium contractum cognovit consanguineam uxoris suæ, impediri, ea mortua, ad contrahendum cum quacumque alia, sicut & si incestuosus fuerit ante matrimonium, abrogata est ut supra n. XXII.

LVII. Decretalis Cœlest. III. relata *in cap. Transmissæ* 4. idem statuentis, abrogata est ut supra.

Lib. V. Tit. III. de Simonia.

LVIII. Decretali Alex. III. relatæ *in cap. Insinuatum* 13. statuentis, simoniacum manifestum amovendum esse a beneficio, tacite derogatum est, seu ampliata a Paulo II. *cap. Cum detestabile* 2. *hoc eod. tit. in Extrav. Comm.* declarante simoniacum tam manifestum, quam occultum cujuscumque conditionis sit, etiam Cardinalatus honore fulgentem, ipso facto privatum beneficio simoniace acquisito; & teneri ad illius dimissionem, & fructuum restitutionem ante omnem declarationem; sicuti & ex Constit. S. Pii V. *Cum primum* §. 8.

LIX. Decretalis Alex. III. relata *in cap. Veniens* 19. statuens, superiores regulares simoniace accipientes aliquem ad habitum suspendendos esse ab officio, & sic receptum ingredi debere aliud monasterium, ampliata est ab Innoc. III. *cap. Dilectus* 30. *& cap. Quoniam* 40. *hoc eod. tit.* extendente hanc prohibitionem ad Regulares utriusque sexus; pœnam vero egressus e monasterio, in quo recepti, vel receptæ sunt, in locum arctioris regulæ ad agendam perpetuam pœnitentiam, tam ad recipientes, quam ad receptos, seu receptas, ut *in cit. cap. Quoniam.*

LX. Eadem Decretalis ampliata est ab Urb. V. *cap. Sane* 1. *hoc eod. tit. in Extravag. comm.* addente excommunicationem ipso facto tam in dantes, quam in recipientes Regulares pariter utriusque sexus: suspensionem vero, si capitulum, & conventus fuerit, ipso jure, quas pœnas Papæ reservat. Hanc tamen suspensionem *Thes. de Pœn.* verb. *Simonia cap.* 10. *n.* 1. sentit intelligendam esse non ab officio, & beneficio, sed ab officio tantum capitulari, seu administratione.

Tit. V. de Magistris.

LXI. Decretalis Honorii IV. relata *in c. Super specula* 5. indulgentis beneficiatis tam docentibus theologiam, quam huic studentibus integram perceptionem fructuum suorum beneficiorum, & præbendarum per quinquennium ob hanc causam non residentibus; ampliata est a Bonif. VIII. *cap. Cum ex eo* 34. *de elect. in* 6. impertientis hujusmodi gratiam etiam beneficiatis curam animarum habentibus cum Episcoporum, seu suorum superiorum dispensatione per septennium. *Vide notata supra n. VI.*

Tit. VI. De Judæis.

LXII. Decretalis Conc. Later. relata *in cap. Ita quorumdam* 6. excommunicantis Christianos deferentes arma, & alia facientia ad belli apparatum ad Saracenos; aut gubernationem exercentes in eorum piraticis navibus, ampliata est ab Innoc. III. *cap. Ad liberandam* 17. *eod. tit.* addente pœnam satisfactionis tempore absolutionis faciendæ in favorem terræ sanctæ. Verum hæc censura, & pœna non est in usu, cum hodie Terra sancta ab Infidelibus detineatur.

Tit. XIX. De Usuris.

LXIII. Decretalis Alex. III. relata *in cap. Quia* 3. statuentis usurarium manifestum decedentem in hoc peccato privandum esse Ecclesiastica sepultura, ex quo infertur ea non esse privandum, si pœnitens decedat, mandando, ut restituantur usuræ, prout notat *Glos. in cap. Quamquam* 2. *hoc eod. tit. in* 6. verb. *Mandaverint*, ampliata est a Greg. X. *cit. cap. Quamquam hoc eod. tit. in* 6. præscribente non esse sepeliendum, licet restitutionem mandaverit, nisi prius vel facta sit restitutio, vel præstita idonea cautio de restituendo pro viribus hæreditatis.

Tit. XXXI. De Exces. Prælatorum.

LXIV. Decretali Greg. IX. relatæ *in cap. Nimis* 17. permittentis Ordinibus Prædicatorum, & Minorum novorum conventuum erectionem de licentia tantum Ordinariorum, derogatum est a Bonif. VIII. *cap. unic. Cum ex eo hoc eod. tit. in* 6. præcipiente hos erigi non posse neque ab ipsis, neque ab aliis Ordinibus mendicantibus absque speciali sedis apostol. facultate.

Quibus aliis Regularium Ordinibus id hodie prohibeatur *vide Elencho VI. n. LXXXV.*

Tit. XXXIII. De Privileg.

LXV. Decretali Innoc. III. relatæ *in cap. Cum olim* 14. statuentis cognitionem causarum committi posse a Sede Apostol. etiam simplici monacho, derogatum est ut supra *n. XVI.*

Eod. Tit. in Extrav. Comm.

LXVI. Decretali Bened. XI. relatæ *in cap. Inter cunctas* 1. qua concedebantur plura privilegia Ordinibus Prædicatorum, & Minorum circa prædicationem Verbi Dei, confessionum auditionem, & sepulturas, derogatum est a Clem. V. *cap. Dudum* 2. *de Sepult.* præscribente, quomodo, & quando his privilegiis uti possint.

LXVII. Per citat. Decretal. *Inter cunctas* derogatum fuerat

fuerat Decretali Bonif. VIII. *Super Cathedram* 2. *de Sepult. in Extravag. Comm.*

Tit. XXXVIII. De Pœnit. & Remis.

LXVIII. Decretalis relata *in cap. Qui Presbyterum* 2. recensens inter impedimenta matrimonii impedientia Presbytericidium, abrogata est per contrariam consuetudinem, ut supra n. XXI.

LXIX. Decretalis Innoc. IV. relata *in cap. Quod in te* 11. statuentis, ut tempore generalis interdicti sive a Jure, sive ab homine nulla publice divina celebrentur officia, vel ecclesiastica Sacramenta ministrentur, excepta pœnitentia, & viatico pro morientibus, ac pœnitentia pro cruce signatis, & peregrinis, limitata est a Bonif. VIII. *cap. Alma mater* 24. *de sent. excom. in* 6. *& ibi Glos.* permittente. 1. ut quilibet fidelis etiam corpore sanus admitti possit ad Sacramentum pœnitentiæ, modo non sit excommunicatus. 2. ut in Ecclesiis, & monasteriis in loco interdicto sitis specialiter non interdictis, dumodo nullam causam interdicto dederint, celebrari possint missæ, aliaque divina officia sicut prius; submissa tamen voce, Januis clausis, non pulsatis campanis, & interdictis exclusis. 3. ut acquiri, vel amitti possint ex clericorum præsentia, vel absentia distributiones quotidianæ. 4. ut in festivitatibus Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis Beatæ Virg. pulsari queant campanæ, admissis etiam interdictis, dummodo qui sua culpa causam interdicto dederunt, Altari non appropinquent.

A Martino V. Constit. -*Ineffabili*- addita est festivitas Corporis Christi cum octava: & a Clem. VIII. Constit. -*Sacra*- 17. Octob. 1595. respectu fratrum Minorum S. Francisci, festivitates ejusdem S. Francisci, Bonaventuræ, Antonii de Padua, Ludovici, Bernardini, Claræ, Elisabeth, ac Martyrum ejusdem Ordinis, Didaci, & Portiunculæ.

LXX. Decretali Innoc. III. relatæ *in cap. Omnis utriusque* 12. præcipientis ab omnibus semel in anno peccatorum suorum confessionem faciendam esse cum proprio sacerdote, idest parocho; vel cum alio sacerdote de ipsius parochi licentia, ac proinde, ut clare deducitur *ex cap. Ne dilatione* 16. *hoc eod. tit.* ab omnibus parochianis tam laicis, quam Sacerdotibus, & Clericis faciendam cum proprio parocho, a parochis cum proprio Episcopo, ab Episcopis cum proprio Archiepiscopo; ab Archiepiscopis cum proprio Patriarcha, a Patriarchis, & aliis Prælatis exemptis immediate Papæ subjectis, seu non habentibus supra se alium superiorem, ut Cardinales, cum Papa, aut cum majori ejus Pœnitentiario, derogatum est quo ad Episcopos, aliosque superiores, & minores Prælatos exemptos a Greg. IX. *cit. cap. Ne pro dilatione*, iis tribuente facultatem sibi eligendi discretum confessarium sine licentia propriorum respective sacerdotum.

Quo ad reliquos vero respectu confessariorum sæcularium tacite derogatum est a Concilio Trident. *sess.* 14. *c.* 7. *de reform.* tribuente facultatem absolvendi cuicumque Sacerdoti a proprio Episcopo approbato, qui est primarius omnium suorum subditorum sacerdos.

Respectu tandem confessariorum Regularium, præter Trident. derogatum pariter est a Clem. V. *cap. Dudum* 2. *in Clemen.* §. *Statuimus*, & a Jo. XXII. *cap. Vas electionis* 2. *de hæret. in Extr. Comm.* tribuentibus facultatem iisdem audiendi sæcularium confessiones; etiam cum declaratione quod per hujusmodi confessiones satisfiat Ecclesiæ præcepto, de quo *in cit. cap. Omnis*.

Intellige tamen, si dicti Regulares approbati fuerint ab Episcopo diœcesano juxta Constit. Clem. X. *Superna.*

Tit. XXXIX. De Senten. Excomm.

LXXI. Decretalis Clem. III. relata *in cap. Cum non ab homine* 14. decernentis vitandum esse percussorem Clerici licet occultum, restricta est a Martino V. Constit. -*Ad evitanda*- 11. *Kalen. Febr.* 1435. per extensum relata a Covarruvias *par.* 1. *de sent. excom.* statuente esse tantum vitandos notorium percussorem clerici, ac eos, qui publice, & nominatim denunciati sunt ut evitandi.

LXXII. Decretalis ejusdem relata *in cap. Cum desideres* 15. decernentis vitandum esse diffamatum de excommunicatione, restricta est, ut supra.

LXXIII. Decretalis Innoc. III. relatæ *in cap. Quod in dubiis* 30. *juncto cap. Excellentissimus* 11. *q.* 3. ex quibus infertur ferri posse a quocumque ecclesiastico judice excommunicationem, excommunicando etiam eodem contextu v. g. Titium cum participibus suis, derogatum est ab Innocentio IV. *cap. Statuimus* 3. & a Greg. X. *cap. Constitutionem* 9. *hoc eod. tit. in* 6. inhibentibus inferiori judici a Papa ferre excommunicationem generalem contra participantes cum excommunicato a se; ac præcipientibus ferri posse solum specialem, unica canonica monitione præmissa, vel unica pro tribus, contra nominatim expressos, v. g. monendo Cajum, & Sejum, ne cum Titio communicent.

LXXIV. Decretalis ejusdem relata *in cap. Responso* 43. statuentis, ne tempore generalis interdicti ulla divina officia celebrentur, nec administrentur sacramenta, exceptis baptismo parvulorum, confirmatione, & pœnitentia pro morientibus, limitata est ut supra nu. LXIX.

LXXV. Decretalis Greg. IX. relata *in cap. Permittimus* 57. indulgentis tempore generalis interdicti semel tantum in hebdomada celebrari posse missam, januis clausis, & sine campanarum sono ad conficiendum Corpus Christi pro morientibus, limitata est ut supra n. LXIX.

Eodem Tit. in 6.

LXXVI. Decretali Innoc. IV. relatæ *in cap. Cum medicinalis* 1. declarantis ipso facto interdictos per unum mensem ab ingressu Ecclesiæ, & a divinis officiis suspensos quoscumque Ecclesiarum Prælatos, & Judices ferre præsumentes excommunicationis, interdicti, & suspensionis censuras in aliquem sine scriptura, & expressione causæ earumdem respective censurarum, & absque exemplari dictæ scripturæ reo tradendo intra mensem, eo requirente, derogatum est, seu verius adjecta est declaratio ab eodem Pontifice *cap. Quia periculosum* 4. *hoc eod. tit.* quo ad Episcopos, eorumque Superiores, idest Archiepiscopos, Patriarchas, & Primates, hos scilicet (licet & ipsi veniant, sub nomine Prælatorum) non servantes hujusmodi formam non incurrere sententiam interdicti, & suspensionis, nisi de iisdem in quacumque constitutione, sententia, vel mandato dictas censuras infligentibus expressa mentio habeatur.

An vero incurrant etiam excommunicationem, si non exprimantur, alii affirmant, alii negant propter Glossæ contradictionem *in hoc eod. cap. Quia periculosum*, tam in casu, quam in verbo *Suspensionis*.

LXXVII. Decretalis ejusdem relata *in cap. Statuimus* 3. decernentis participantem cum excommunicatis excommunicatione majori in ea parte, quæ solum inducit excommunicationem minorem, ligari non posse eadem majori excommunicatione, non præmissa monitione canonica, ampliata est, seu potius declarata a Greg. X. *cap. Constitutiones* 9. *hoc eod. tit.* statuente ligari non posse, adhuc hac monitione præmissa, nisi in ea nominatim exprimatur participans.

LXXVIII. Decretalis Greg. X. relata *in cit. cap. Constitutionem* 9. decernentis ut supra, ampliata est a Bonif. VIII. *cap. Statutum* 13. *hoc eod. tit.* extendente dictam Gregorii declarationem etiam ad sententias suspensionis, & interdicti, si suspendendi, & interdicendi in ipsis nominatim non exprimantur.

Tit. XL. De Verbor. significat. in 6.

LXXIX. Decretalis Nicol. III. relata *in cap. Exiit qui seminat* 3. fulminantis §. *Itaque* excommunicationem ipso facto incurrendam Papæ reservatam, aliasque pœnas contra Glossantes hanc eamdem decretalem, moderata est a Joan. XXII. *cap. Quia nonnunquam hoc eod. tit.* dictas pœnas suspendente usque ad Sedis Apostolicæ beneplacitum.

ELEN-

ELENCHUS II.

Decretalium correctarum a Sacro Concilio Tridentino partim abrogatione, partim derogatione, partim moderatione.

Servato Ordine Titulorum, ac Capitulorum in unoquoque Libro.

Lib. I. Tit. II. De Constitut.

I. DEcretalis Innoc. III. relata *in cap. cum omnes* 6. admittentis valere consuetudinem non residendi, & percipiendi fructus in absentia, abrogata est *sess.* 24. *cap.* 12. *de refor.* §. *Praeterea* statuente sub certis pœnis, ne obtinentibus in cathedralibus, & collegiatis Ecclesiis, etiam non insignibus, canonicatus, præbendas, aut portiones liceat vigore cujuscumque statuti, aut consuetudinis ultra tres menses quolibet anno ab eisdem Ecclesiis abesse, etiamsi per substitutos inservirent; salvis tamen earum Ecclesiarum consuetudinibus, quæ longius servitii tempus requirant. Excipitur casus absentiæ pro cura animarum, ut *sess.* 22. *cap.* 3. §. *Quod si*. Et sic excusabitur Archipresbyter pro eo tempore, quo curam exercet, cui generaliter hujusmodi cura incumbit, cujus consuetudinis non residendi abrogationem probat *Fagn. hoc eod. cap.* etiam locum habere ex Decret. Cong. Conc. respectu canonicorum, & curatorum, quamvis nullos redditus habeant.

II. Ex Decret. Cong. Conc. relat. *a cit. Fagnan. hoc eodem cap. num.* 31. approbato a Gregor. XIII. excipiuntur etiam canonici Collegiatarum non insignium, si consuetudo non residendi sit immemorabilis.

III. Decretalis Honorii III. relata *in cap. Ex parte* 12. statuentis juxta communem intellectum posse canonicos auctoritate Episcopi præbendas supprimere, easque ad minorem numerum reducere, si Ecclesiæ redditus diminuti sint, moderata est *sess.* 24. *c.* 15. *de ref.* permittente, ut in Ecclesiis cathedralibus, & collegiatis insignibus tantum (de qua restrictione non cavetur in hac Decretali) ubi frequentes, adeoque tenues sunt præbendæ simul cum distributionibus quotidianis, ut non satis sint pro sustinendo decenti canonicorum gradu juxta loci, & personarum qualitatem, possit Episcopus cum consensu Capituli aliquot simplicia beneficia, non tamen regularia, his unire; vel si hoc modo provideri nequeat, aliquas ex iisdem præbendis supprimere, suppressarumque fructus reliquarum distributionibus applicare.

Nota hic ex decretis Cong. Conc. relat. *a Fagn. in cap. Exposuisti* 33. *de Praeb.* vigore *cit. cap.* 15. *Trident.* non posse Episcopum etiam cum consensu Capituli unire præbendis canonicalibus portiones ejusdem Ecclesiæ; neque beneficia simplicia fabricæ, vel sacristiæ Ecclesiæ cathedralis, vel mensæ capitulari ob earum respective redditiuum tenuitatem, prout etiam statuitur *in Clementin. Si una* 2. *de reb. Eccles. non alien.*

Tit. III. de Rescriptis.

IV. Decretalis Alex. III. relata *in cap. Eam te* 7. admittentis expectativas, & mandata apostolica de providendo beneficio, abrogata est *sess.* 24. *cap.* 19. *de reform.* prohibente, ut dictæ expectativæ, & quæcumque eas redolentia nemini amplius, etiam collegiis, universitatibus, senatibus, & aliis singularibus personis, etiam sub nomine indulti, aut ad certam summam, vel alio quovis colore concedantur, nec hactenus concessis cuique uti liceat: sicuti nec reservationes mentales, nec aliæ, quæcumque gratiæ ad vacatura, nec indulsa ad alienas Ecclesias, vel monasteria alicui, etiam S. R. E. Cardinalibus: & hactenus concessa abrogata esse censeantur. Prohibente insuper *sess.* 25. *cap.* 7. omnes regressus, accessus, & ingressus per cessum, & decessum; quos etiam prohibuit S. Pius V. Constit. *Romani*.

Circa coadjutorias in beneficiis distinctis ab episcopatu, & præposituris regularibus *cit. cap.* 7. prohibitas *vide Fagnan. lib.* 3. *tit. de conces. praeb. cap. Nullam* 2. *n.* 69. *& seqq.* ac Joan. Solier. in notis ad Instit. Canon. Lancellot *tit.* 16. *de Coadiut.* §. 1. *& l. XIII. Bened. XIV. de Synod. diœc. c.* 10. *n.* 26. *& seqq.*

V. Decretalis Honorii III. relata *in cap. Dilectus* 29. permittentis pluralitatem beneficiorum, abrogata est *sess.* 24. *cap.* 17. *de refor.* præcipiente, ut unum tantum conferatur, etiam si agatur de Cardinalibus S. R. E. permittente tamen, si unum non sit sufficiens ad vitæ sustentationem, conferri posse aliud simplex, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat.

VI. Decretalis ejusdem relata *in cap. Capitulum* 30. admittentis expectativas, & mandata de providendo beneficia, abrogata est ut supra n. IV. una cum sequentibus usque ad n. XIII. idem admittentibus.

VII. Decretal. Greg. IX. relata *in cap. In nostra* 32.

VIII. Decretal. ejusd. relata *in c. Mandatum* 38.

IX. Decretal. ejusd. relata *in c. Litteris* 39.

X. Decretal. ejusd. relata *in c. Abbatem* 40.

Eod. tit. in 6.

XI. Decretal. Bonif. VIII. relata *in cap. Tibi* 12. *& cap. Si pro te* 13.

XII. Decretal. ejusd. relata *in c. Duobus* 14.

Item abrogatum est *c. Litteras* 5. *in Clementin. eod. tit.* idem admittens.

Tit. IV. De Consuetud. in 6.

XIII. Decretal. ejusd. relata *in c. Cum in tua* 4.

Tit. VI. De Electione.

XIV. Decretalis Alex. III. relata *in cap. Cum in cunctis* 7. statuentis, §. *Inferiora* ad dignitates etiam non curatas requiri annum XXV. inchoatum, moderata est *sess.* 24. *cap.* 12. *de reform.* §. *Ad ceteras* decernente sufficere annum XXII. completum quo ad dignitates, & personatus Cathedralium, quibus cura animarum nulla subest, Archidiaconatu excepto, qui exposcit XXV. ætatis annum.

XV. Decretali Innoc. III. relatæ *in cap. Quia propter* 42. præscribentis electionem fieri debere vel per scrutinium, vel per compromissum, vel per inspirationem, derogatum est, quoad electionem Regularium utriusque sexus *sess.* 25. *cap.* 6. *de Regul.* præcipiente fieri per secreta suffragia sub pœna nullitatis.

XVI. Decretalis Gregor. IX. relata *cap. Dudum* 54. statuentis §. *Cum nullus* posse retineri duo beneficia curata, unum scilicet in titulum, alterum in commendam, abrogata est *sess.* 7. *cap.* 4. *de refor.* prohibente retentionem duorum curatorum beneficiorum, vel alias incompatibilium, sive per viam unionis ad vitam, sive commendæ perpetuæ contra dispositionem *cap. De multa de Praeben.* Prohibente insuper *eadem sess. cap.* 2. retentionem cum iisdem titulis plurium Metropolitanarum, seu Ecclesiarum cathedralium.

Eadem decretalis tribuens §. *Sed cum* facultatem Archidiacono visitandi Ecclesias sibi subjectas, moderata est ut infra n. XXXIII.

Eod. Tit. in 6.

XVII. Decretalis Bonif. VIII. relata *in cap. Indemnitatibus* 43. statuentis. 1. monialem non posse eligere abbatissam, nisi peregerit XII. ætatis annum, ac nisi

nisi tacite, vel expresse fuerit professa. 2. Non posse eligi in abbatissam nisi quæ XXX. annum compleverit. Quo ad primum abrogata est *sess.* 25. *cap.* 15. *de Regul.* nullam declarante professionem factam ante XVI. annum completum. Quo ad secundum ampliata est *ead. sess.* 25. *cap.* 7. præcipiente, quod si eligi nequeat ex eodem, vel altero monasterio ejusdem Ordinis non minor XL. annis, eligatur ex eodem monasterio, quæ præter XXX. annum completum, quinque saltem annis post professionem recte vixerit. Circa egressum monialium *Vide Elencho VI. n. LXXXVIII.*

Eidem Decretali admittenti professionem tacitam, derogatum est in sensu, ut infra n. XCVII.

Eod. tit. in Extravag. Joan. XXII.

XVIII. Decretalis Joan. XXII. relata *in cap. Suscepti* 2. statuentis, ut certa ratione fructus beneficii vacantis dividantur inter successorem, & habentem jus annatæ sub pœna in aliter percipientem, si intra mensem integre non restituat, suspensionis, seu interdicti quo ad Episcopos, vel his majores, a pontificalibus, & ab ingressu Ecclesiæ; interdicti quo ad Capitula vel Collegia; & excommunicationis reservatæ quo ad singulares personas, donec restituant, abrogata est *sess.* 24. *cap.* 14. *de reform.* inhibente sub pœnis in simoniacos latis deductiones ex fructibus, promissiones, compositiones, aut alias conditiones, seu turnorum lucra pro provisione, electione, confirmatione, collatione, institutione, aut admissione in possessionem cathedralis, sive canonicatus, sive beneficii, sive præbendæ, sive distributionum, quacumque etiam immemorabili contraria consuetudine non obstante: exceptis erogationibus applicari consuetis in usus pios; laudabili tamen consuetudine, seu constitutione ab Episcopo approbatis. Quod tamen hodie sine Papæ auctoritate fieri nequit. Hoc Trident. decretum confirmatum est a S. Pio V. *ut Elencho VI. n. LXXII.*

Tit. VIII. De auctorit. & usu Pallii.

XIX. Decretali Honorii III. relatæ *in cap. Quia nos* 7. decernentis posse Archiepiscopum sine pallio, & sandalis celebrare in aliena diœcesi (intellige publice) derogatum est *sess.* 6. *cap.* 5. *de refor.* prohibente id fieri sine Ordinarii loci expressa licentia; etiam juxta Glos. prim. hic. Licet tamen Episcopis exercere pontificalia in locis exemptis sitis intra suam diœcesim, & procedere in actu visitationis per censuras, aliasque pœnas ecclesiasticas contra exemptos ex decret. Cong. Episc. & Regul. confirmato a Clem. VIII. 10. Jun. 1603. *in hoc eod. c. relat. a Fagnan.*

Tit. IX. de Renunciatione.

XX. Decretalis Alex. III. relata *in c. Ex transmissa* 3. decernentis per assumptionem habitus regularis factam a beneficiato induci tacitam renunciationem beneficii, abrogata est *sess.* 25. *c.* 16. *de Regul.* declarante nullam renunciationem valere factam intra annum probationis, nisi fiat cum licentia Ordinarii intra duos menses proximos ante professionem, effectum habitura eadem professione sequuta. Idem statuit Sanctus Pius V. Constit. *Quanta* 1568. prohibuitque Episcopis beneficia sic resignata conferre ante sequutam professionem.

Eodem Tit. in 6.

XXI. Decretalis Bonif. VIII. relata *in cap. Si te* 2. admittentis expectativas ad vacatura beneficia, abrogata est, ut supra n. IV.

Tit. XI. De Temporib. Ordination.

XXII. Decretalis Alex. III. relata *in cap. De eo* 3. permittentis omnes quatuor minores Ordines absolute conferri posse eodem die, moderata est *sess.* 23. *cap.* 11. 13. & 14. *de reform.* statuente, ut conferantur per temporum interstitia, nisi Episcopus omnes simul conferendos expedire judicaverit ex causa, quæ a Conc. restringitur ad necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ.

XXIII. Decretali ejusdem relatæ *in cap. Ex tenore* 4. statuentis criminosum occultum, peracta pœnitentia in totum, vel in partem, etiamsi crimen esset degradatione dignum, si alias esset publicum, posse in susceptis Ordinibus ministrare, & non prohiberi, ne promoveatur, derogatum est *sess.* 14. *cap.* 1. *de refor.* tribuente facultatem Episcopo interdicendi subdito ex quacumque causa, etiam occulta, & extrajudicialiter, ne ascendat ad sacros Ordines. Quo ad ministrationem vero in susceptis etiam derogatum est ex sententia Cong. Conc. teste Fagnan. in hoc eodem *cap. n.* 16. & 17. *ob cap.* 3. *ejusdem sess.* 14. quo Episcopo tribuitur facultas suspendendi ab exequtione Ordinum quoscumque Clericos præsertim in sacris constitutos, quos minus idoneos repererit; eo pari modo, quo superiores regulares prohibere possunt suis subditis jam promotis, ne ad altiores Ordines ascendant in vim *cap. Ad aures* 5. *hoc eod. tit.* quod dicta Cong. Conc. censuit extensum esse ad Clericos sæculares.

XXIV. Decretali Greg. IX. relatæ *in cap. Quæsitum* 17. eadem statuentis, excepto crimine homicidii voluntarii etiam occulti, derogatum est ut supra, quo ad utramque partem.

Eod. Tit. in 6.

XXV. Decretalis Bonif. VIII. relata *in cap. Cum nullus* 3. tribuentis §. *Episcopo autem* potestatem Capitulo sede vacante concedendi dimissorias promovendis ad Ordines, moderata est *sess.* 7. *cap.* 10. *de refor.* quo ad hanc potestatem indiscriminatim, statuente, ne eas concedat intra annum a sedis vacatione numerandum, nisi arctato ad aliquem Ordinem recipiendum occasione recepti, vel recipiendi beneficii, sub pœna interdicti respectu Capituli, & respectu promoti ad minores Ordines privationis privilegii ecclesiastici, præsertim in criminalibus: respectu vero promoti ad majores, suspensionis ipso jure ab exequutione Ordinum, duraturæ arbitrio futuri Episcopi. Potest tamen easdem dimissorias concedere cuicumque dicto anno elapso, nondum sede repleta. Quæ pœna *sess.* 23. *c.* 10. *de ref.* extenditur etiam ad illos, qui easdem dimissorias non a Capitulo, sed ab aliis quibusvis succedentibus in jurisdictione Episcopi loco Capituli, sede vacante obtinerent; non extenditur autem pœna interdicti Capitulo imposita.

Tit. XIV. De Ætate, & Qualitate Præficiendorum.

XXVI. Decretalis Alex. III. relata *in cap. indecorum* 3. præscribentis personatum cujuslibet Ecclesiæ conferri posse cuicumque excedenti annum decimum quartum, abrogata est *sess.* 24. *cap.* 12. *de refor.* prohibente ne ad dignitates quascumque, quibus animarum cura subest, aliquis promoveatur nisi saltem vigesimum quintum suæ ætatis annum attigerit. Ad ceteras vero dignitates cathedralium, (Archidiaconatu excepto, qui exposcit ætatem XXV. annorum) vel personatus, quibus nulla animarum cura incumbit, nemo adsciscì possit, qui minor sit annis viginti duobus, quos completos esse debere declaravit Cong. Conc. ut refert *Fagnan. in cap. Cum in cunctis n.* 37.

XXVII. Decretalis Innoc. III. relata *in Cap. Accepimus* 13. admittentis §. *Mandamus* mandata de providendo beneficio, abrogata est, ut supra n. IV.

Eodem Tit. in 6.

XXVIII. Decretalis Bonif. VIII. relata *in cap. unic. Permittimus* tribuentis Episcopo facultatem dispensandi cum minore viginti duobus annis pro obtinendis dignitatibus, & personatibus, abrogata est, ut supra XXVI.

Eod. Tit. in Clementin.

XXIX. Decretalis Clem. V. relata *in Cap. Generalem* 3. statuentis promoveri posse ad subdiaconatum constitutum in anno decimo octavo, & ad diaconatum in vigesimo, abrogata est *sess.* 24. *cap.* 12. *de refor.* præscribente annum vigesimum secundum pro subdiaconatu, & vigesimum tertium pro diaconatu.

Tit. XVIII.

Tit. XVII. De Filiis Presbyteror. Ordinan. vel non.

XXX. Decretali Alex. III. relatæ *in cap. Veniens* 5. statuentis non amovendum ab Ecclesia paterna filium presbyteri ab Episcopo illi scienter collata, si agatur de filio nato post sacerdotium, & sic illegitimo, juxta quem intellectum accipiendam esse hanc decretalem declaravit Congreg. Conc. 22. Martii 1576. teste Fagnan. *hoc eod. cap. num.* 19. *& seqq.* derogatum est *sess.* 25. *cap.* 15. *de reform.* id filiis illegitimis prohibente.

XXXI. Decretalis ejusdem relata *in cap. Ad extirpandas* 11. statuentis e contrario sensu filium tam legitimum, quam illegitimum posse retinere beneficium in Ecclesia, in qua pater ministravit, si media intercesserit persona, abrogata est *cit. sess.* 25. *cap.* 15. & clarius, imo expresse a Clem. VII. Constit. *Ad Canonum Conditorem tertio Non. Jun.* 1533. extendente hanc prohibitionem ad quorumcumque Clericorum etiam regularium filios illegitimos, & ad beneficium simile, sive dissimile: ac etiam ad pensiones beneficiorum, quæ pater obtinet, vel obtinuit ad tempus, sive in perpetuum; & demum ad quamcumque administrationem in eadem Ecclesia.

XXXII. Decretali Clem. III. relatæ *in cap. Ad hæc* 12. permittentis filium legitimum Episcopi obtinere posse beneficium in Ecclesia, in qua pater præest, vel præfuit, non facta restrictione, an idem, vel diversum obtinere possit, nulla media intercedente persona, derogatum est *sess.* 25. *cap.* 7. id prohibente, si immediate succedat in eodem, ad tollendam imaginem hæreditariæ successionis.

Tit. XXIII. de Officio Archidiaconi.

XXXIII. Decretali relatæ *in cap. Ut Archidiaconus* 1. tribuenti Archidiacono facultatem visitandi diœcesim quolibet triennio, impedito Episcopo, derogatum est, ne dum a contraria consuetudine, sed etiam *sess.* 24. *cap.* 3. *de refor.* præscribente, visitationem singulis annis faciendam esse per Episcopum, aut eo impedito, per suum generalem Vicarium, vel Visitatorem, intra annum, vel saltem, si diœcesis ampla sit, intra biennium complendam. Præservatur tamen in citat. cap. facultas Archidiacono visitandi per se ipsum tantum eas Ecclesias, quas legitime consueverit visitare; sed cum notario assumpto de consensu Episcopi, & cum onere exhibendi eidem Episcopo intra mensem integra visitationis acta, non obstantibus exemptionibus, privilegiis, & contraria consuetudine etiam immemorabili.

XXXIV. Decretalis Alex. III. relata *in cap. Mandamus* 6. tribuentis Archidiacono absolutam facultatem visitandi Ecclesias suo archidiaconatui subjectas, moderata est cum limitatione ut supra.

XXXV. Decretali Innoc. III. relatæ *in cap. Ad hæc* 7. tribuentis Archidiacono. 1. facultatem cognoscendi causas ecclesiasticas. 2. examinandi promovendos ad sacros Ordines, & beneficia; quod spectat ad cognitionem causarum derogatum est *sess.* 24. *cap.* 20. *de refor.* quo ad causas matrimoniales, & criminales, statuente Episcopi tantum examini, & jurisdictioni has esse relinquendas, licet Archidiaconus de iis cognoscere vellet in actu visitationis suarum Ecclesiarum, de quibus supra. Ex quo Concilii textu etiam causæ beneficiales, & aliæ altioris indaginis videntur esse supra illius jurisdictionem. Quod vero spectat ad examen promovendorum ad sacros Ordines, videtur hoc relictum arbitrio Episcopi *sess.* 23. *cap.*7. *de refor.* statuente, ut illud peragat coram adscitis sibi prudentibus, & doctis viris, nulla facta mentione de Archidiacono; qui hodie ex mero ritu, & cæremonia interrogatur tantum ab Episcopo inter missarum solemnia ante ordinationem; an sciat ordinandum esse dignum, juxta decretalem Innoc. III. *cap. unic. de Scrutin. in Ord. facien.* Respectu promovendorum ad beneficia curata derogatum est *sess.* 24. *cap.* 18. *de refor.* præcipiente examinandos esse ab examinatoribus electis in synodo; nec Archidiaconus examinare potest simul cum his, si non sit ex deputatis in ead. synodo ex decreto Cong. Conc. relato a Fagnan. *in hoc eod. cap. num.* 25.

XXXVI. Decretalis Honor. III. relata *in cap. Dilecto* 10. tribuentis Archidiacono facultatem visitandi Ecclesias sibi subjectas, moderata est ut *supra numer. XXXIII.*

Tit. XXIX. De Offic. & Potest. Judicis Delegat.

XXXVII. Decretalis Alex. III. relata *in cap. Ex parte* 12. admittentis expectativas super beneficiis, abrogata est ut supr. n. IV.

XXXVIII. Decretalis ejusdem relata *in cap. Quoniam* 14. disponentis delegationem factam dignitati non expresso nomine, transire ad successorem, abrogata est *sess.* 25. *cap.* 10. *de reform.* statuente causas ecclesiasticas, ac spirituales, & ad forum ecclesiasticum pertinentes delegandas in partibus committi debere præter Ordinarios, Judicibus a synodo designatis.

Eodem tit. in 6.

XXXIX. Decretali Alex. IV. relatæ *in cap. Quia Pontificali* 2. potestatem tribuentis Judicibus, & Conservatoribus a Sede apostolica deputatis procedendi contra Episcopos, derogatum est *sess.* 24. *cap.* 5. *de ref.* quo ad graviores causas criminales etiam hæresis, depositione, aut privatione dignas, præcipiente has a solo Romano Pontifice esse cognoscendas, & terminandas.

Tit. XXV. De Offic. Legati.

XL. Decretalis Alex. III. relata *in cap. Cum non ignorantis* 1. dantis potestatem appellandi ad Legatum Papæ etiam per simplicem querelam, moderata est *sess.* 24. *cap.* 20. *de refor.* præcipiente, ne Legati, & Nuncii apostolici procedant in causis subditorum, nisi prius requisito Episcopo, ad quem statuit causas omnes spectare in prima instantia, sub pœna nullitatis actorum, satisfactionisque damni partibus illati. Excipiuntur tamen causæ possessionis beneficiorum reservatorum, seu a Pontifice concessorum, ut dicetur *Elencho VI. num. LXXX.*

Eodem Tit. in 6.

XLI. Decretalis Bonif. VIII. relata *in cap. Præsenti* 3. admittentis reservationes ad vacatura beneficia, abrogata est ut supra *n. IV.*

Tit. XXXI. De Offic. Judic. Ordinarii.

XLII. Decretalis Alexand. III. relatæ *in cap. Cum vos* 4. statuentis ad patronum ecclesiasticum pertinere custodiam Ecclesiæ, quousque ejus ordinatio ex justa causa differatur, derogatum est *sess.* 25. *cap.* 9. *de reform.* præcipiente, ne patroni, sive laici, sive ecclesiastici se ingerant in perceptione fructuum, proventuum, & obventionum quorumcumque beneficiorum, licet vere essent de jure patronatus ipsorum ex fundatione, & donatione; sed ut illos libere dimittant rectori, seu beneficiato, non obstante quacumque contraria consuetudine. Præcipiente insuper *sess.* 24. *cap.* 18. constituendum esse ab Episcopo statim post notitiam vacationis Ecclesiæ parochialis æconomum, seu vicarium, qui ejusdem Ecclesiæ onera interim substineat, ejusque custodiam, & administrationem habeat, sive hæc sit liberæ collationis, sive juris patronatus tam ecclesiastici, quam laicalis: sive etiam vacet per obitum, & resignationem in Curia, seu aliter generaliter, vel specialiter reservata, vel affecta sit etiam S. R. E. Cardinalibus, seu Abbatibus, vel Capitulis. Hoc idem præstandum est a Vicario capitulari, sede vacante. Item ab Episcopo viciniori, si sola collatio parochialis vacantis competat Abbatibus. Hac conciliari sanctione derogatum est etiam opinioni *Glos. penult. in hoc eod. cap. ver. Æconomus*, quam sequitur Joan. And. hic n. 16. sententis deputationem æconomi Ecclesiæ parochialis non indistincte pertinere ad Episcopum, sed ad eum, ad quem pertinet institutio. Quæ quidem facultas tunc solum competit inferiori Prælato ex decreto Cong. Conc. relat. a Fagn. *in cap.*

in cap. Cum contingat 13. *de for. compet. numer.* 31. *&* 38. quando habet omnimodam jurisdictionem episcopalem, nec alicui subditur, & est immediate subjectus Sedi apostolicæ, & nullius diœcesis, & habet populum, ac territorium, & jus congregandi synodum, & legitime constet eam congregasse.

XLIII. Decretalis Innoc. III. relata *in cap. Irrefragabili* 13. concedentis §. *Excessus* facultatem Episcopo corrigendi excessus Canonicorum in illis cathedralibus, ubi consueverunt corrigi per Capitulum, solum post præmissam monitionem, & elapsum terminum eidem Capitulo ab eo præfixum, & non antea, correcta est, seu ampliata *sess.* 6. *cap.* 4. *de reform.* tribuente hanc facultatem Episcopis intra visitationem, ut aut per se solos, aut adjunctis aliis sibi benevisis, dictos excessus corrigant, etiam non præmissa monitione, & non præfixo termino, nec data negligentia Capituli in corrigendo, non obstante quacumque contraria consuetudine, aut exemptione. Extra visitationem vero *ex sess.* 25. *cap.* 6. Episcopus, vel ipsius Vicarius procedere potest contra eosdem Canonicos usque ad finem causæ inclusive, cum consilio tamen, & assensu duorum capitularium initio cujuslibet anni a Capitulo eligendorum, juxta formam ibi præscriptam: sed si agatur de criminibus incontinentiæ, aliisque depositionem, vel degradationem requirentibus, ubi de fuga timetur, potest solus Episcopus *ex cit. cap.* 6. ad summariam informationem, & necessariam detentionem procedere, servata in reliquis forma præscripta. Huic tamen decreto de capitularibus adjunctis non esse locum, nisi cum agitur de Capitulo ab Episcopi jurisdictione exempto, semper censuit Cong. Conc. ut colligitur ex variis ejusdem responsionibus ad postulata Episcoporum relatis a Bened. XIV. de synodo diœcesana *lib.* 13. *cap.* 9. *num.* 7. *& seqq.* Et nota quod Episcopus potest intra visitationem per se solum corrigere excessus Canonicorum in vim *cit. cap.* 4. nullis capitularibus sibi adjunctis, ut etiam declaravit Greg. XIII. approbando sententiam Cong. Conc. circa hanc quæstionem teste Fagnan. *in cap. Ut juxta hoc eod. tit. num.* 39. Nota etiam pro conciliatione *cit. cap.* 4. *sess.* 6. cum *cap.* 3. *sess.* 24. quod Episcopus volens visitare seorsim capitulum exemptum in vim *d. cap.* 4. id exequi debeat per se ipsum: visitare vero volens totam diœcesim, aut partem ejus, in vim *cit. cap.* 3. *sess.* 24. possit, si legitime impeditus fuerit, hanc visitationem explere per suum generalem Vicarium, aut Visitatorem, ut perpendit Cong. Concil. *in causa Hispalen.* 12. *Martii* 1503. *lib.* 7. *Decret.pag.* 94. *relat. in cit. lib.* 13. *de Synod. c.* 9. *n.* 6.

XLIV. Decretali Greg. IX. relatæ *in cap. Gravegerimus* 19. declarantis nullam competere Episcopo jurisdictionem in exemptos, derogatum est *seqq. sess. & capp.* eidem tribuentibus etiam tamquam delegato Sedis apostolicæ jurisdictionem in exemptos tam quoad Ecclesias, quam quoad personas, sive sæculares, sive regulares etiam nullius diœcesis in quampluribus casibus, ut *sess.* 4. *cap.* 9. *sess.* 6. *cap.* 3. *&* 4. *sess.* 7. *cap.* 5. 8. *&* 14. *sess.* 21. *cap.* 8. *sess.* 23. *cap.* 10. *sess.* 25. *cap.* 6. *de ref. & c.* 8. *&* 11. *de Regul.* Quos casus *vide in Auctore*, *& Additionibus meis l.* 3. *tit.* 31. *de Regul.* §. 3. *n.* 36. *& in Fagn. hoc eod. cap.* per totum, ubi enumerat quadraginta septem, in quibus exempti subsunt visitationi, & jurisdictioni Episcopi.

XLV. Decretali ejusdem relatæ *in cap. His quibus* 20. statuentis eos, quibus competit facultas absolvendi ab excommunicatione, posse hanc alteri demandare, derogatum est *sess.* 24. *c.* 6. *de refor.* quoad excommunicationem incursam propter hæresim, etiam occultam, præcipiente hanc absolutionem dari posse in foro conscientiæ ab Episcopo per se ipsum tantum. Sed an hodie facere possit, *vide Elencho VI. n. LXIV.*

Tit. XXXIII. De Majorit. & Obed.

XLVI. Decretali ejusdem relatæ *in cap. Cum olim* 14. statuentis capitulum cathedralis, sede vacante posse per se ipsum jurisdictionem ad se devolutam exercere, derogatum est *sess.* 24. *cap.* 16. *de reform.* præcipiente ut intra octiduum a morte Episcopi, & Metropolitani eligatur Vicarius; alioquin hujusmodi electio devolvatur ad Metropolitanum, & si Ecclesia fuerit Metropolitana, devolvatur ad antiquiorem Suffraganeum: si vero fuerit exempta, ad propinquiorem Episcopum. Ex Decretis Congr. Conc. relatis a Fagn. *in cap. His, quæ* 11. *hoc eod. tit. nu.* 68. *& seqq.* eligi debet unus Vicarius, & non plures (nisi quoad electionem plurium vigeret immemorabilis consuetudo) non ad tempus duraturus, sed pro toto tempore vacationis, cum jurisdictione non cumulativa, sed privativa; nec removendus, nisi causa cognita ab eadem Cong. & in casu absentiæ ipse, non Capitulum alium loco sui deputare potest. *Vide in Auctore lib.* 1. *tit.* 28. *n.* 8.

Tit. XXXVIII. De Procuratorib.

XLVII. Decretali Clem. III. relatæ *in cap. Ex insinuatione* 3. permittentis pluralitatem beneficiorum, derogatum est, ut supra *n. XVI.*

Lib. II. Tit. I. de Judiciis.

XLVIII. Decretali Honorii III. relatæ *in cap. Venerabilis* 20. statuentis instantiam judicii non perire per lapsum triennii, derogatum fuit *sess.* 24. *c.* 20. *de ref.* præcipiente causas omnes tam civiles, quam criminales ad forum ecclesiasticum pertinentes terminandas esse infra biennium ad instar juris civilis, quod in causis criminalibus præfixit biennium, licet in civilibus triennium indulserit *L. Properandum in princip. C. de Judic.* Circa celebrem causarum expeditionem *vide Elencho VI. n. LXXXI.*

Tit. IX. De Feriis.

XLIX. Decretalis Clem. III. relata *in cap. Capellanus* 4. prohibentis nuptiarum solemnitates a prima dominica Adventus usque ad Epiphaniam, a septuagesima usque ad octavam Paschatis, & a diebus Rogationum usque ad octavam Pentecostes, moderata est *sess.* 24. *cap.* 10. *de refor. matrim.* restringente hujusmodi prohibitionem ab Adventu Domini usque ad totum diem Epiphaniæ, & a feria quarta cinerum usque ad octavam Paschæ inclusive.

Tit. XIX. De Probationibus.

L. Decretalis Innoc. III. relata *in cap. In præsentia* 8. statuentis oblationem, & donationem bonorum maxime juramento firmatam fieri posse, & vim habere post susceptionem habitus regularis, abrogata est *sess.* 25. *cap.* 16. *de Regul.* prohibente sub pœna anathematis (si agatur de dispositione inter vivos, & non in ultima voluntate) ne aliquid ex bonis novitii infra annum probationis monasterio tribuatur, excepto victu, & vestitu: irritante etiam quamcumque obligationem licet juratam, præter eam, quæ facta est cum licentia Ordinarii, & intra duos menses proximos ante professionem.

Tit. XXVI. De Præscriptionibus.

LI. Decretali ejusdem relatæ *in c. Auditis* 15. declarantis Prælatum inferiorem in certis Ecclesiis diœcesanis posse præscribere totum jus episcopale quoad ordinationem, & absolutionem a casibus Episcopo reservatis, abrogata est, ut infra *n. CLXIX.*

Quoad cognitionem vero causarum matrimonialium, de qua expresse in textu, abrogata est. *Sess.* 24. *c.* 20. committente hujusmodi cognitionem Episcopi tantum examini, & jurisdictioni. Circa hanc cognitionem *vide Additiones meas lib. IV. tit.* 19. *post n.* 2.

LII. Decretalis ejusdem relata *in c. Cum olim* 18. declarantis Abbatem in Ecclesiis intra diœcesim præscribere posse jura episcopalia, & inter cætera hic enumerata. 1. Ordinationem Clericorum, abrogata est *sess.* 23. *c.* 10. *de ref.* in sensu, & terminis, ut infra *nu. CLXIX.* 2. Pœnitentiam; idest jus absolvendi a casibus Episcopo reservatis, abrogata est *sess.* 14. *de Sacr. pœnit. c.* 7. *de Casib. reserv.* si agatur de Abbatibus, & inferioribus Prælatis qui non sunt, in statu nullius diœc.

LIII. Decretali ejusdem relatæ *in capit. Veniens* 19. statuentis præscribi posse a Prælato inferiori jus dimit-

dimittendi suos subditos ad quem maluerint catholicum Antistitem, derogatum est ut infra *n. CLXIX.*

Tit. XXVII. De Senten. & Re judicata.

LIV. Decretalis ejusdem relatæ *in cap. Cum inter* 13. decernentis inter alia Abbatem in Ecclesiis sibi pleno jure subjectis posse initiare prima Tonsura nedum monachos sibi subditos, sed etiam sæculares, in quos habet ordinariam, & quasi episcopalem jurisdictionem, derogatum est *sess.* 23. *cap.* 10. in sensu, & terminis, ut infra *n. CLXIX.*

Tit. XXVIII. De Appellationibus.

LV. Decretalis Alex. III. relata *in cap. De appellationibus* 11. permittentis appellationem a qualibet interlocutoria sententia, & quovis gravamine, moderata est *sess.* 13. *cap.* 1. *& sess.* 24. *cap.* 10. *&* 20. *de refor.* prohibente conformiter ad jus civile appellationem ab interlocutoria, nisi habeat vim definitivæ, vel ejus gravamen per appellationem a definitiva reparari nequeat.

LVI. Decretalis ejusdem relata *in cap. Super eo* 12. idem permittentis, moderata est ut supra.

LVII. Decretalis ejusdem relata *in cap. Pervenit* 28. statuentis, ut infra *n. LX.*, moderata est ut ibi.

LVIII. Decretalis Innoc. III. relatæ *in cap. Constitutus* 45. denegantis appellationem ab irrationabili judicio examinatorum synodalium in concursu ad parochiales, derogatum est *sess.* 24. *c.* 18. *de ref.* hanc admittente modo ibi præscripto. *Vide Elencho VI. numer. LXXIX.*

Eod. Tit. in 6.

LIX. Decretalis Innoc. IV. relata *in cap. Cordi* 1. permittentis appellationem, ut supra *n. LV.* moderata est ut ibi.

Lib. III. Tit. IV. De Cleric. non residentib.

LX. Circa Decretalem Alex. III. relatam *in cap. Conquerente 6.* æquiparantis retentionem plurium beneficiorum ad sustentationem sufficientium, & retentionem alterius absque eo quod in illo resideatur (quandoquidem imponit silentium conquestioni beneficiati, si quodcumque istorum sub disjunctione positorum probetur,) huic æquiparationi derogatum est *sess.* 24. *cap.* 17. *de ref.* ubi statuitur, ut possidens beneficium sufficiens, adepta possessione secundi, perdat primum ipso jure; absens vero, seu non residens non est privatus ipso jure, sed per sententiam est privandus.

Eadem Decretalis præcipiens beneficiatum sine cura animarum non residentem privandum esse beneficio, moderata est *sess.* 24. *cap.* 12. *de refor.* statuente ante privationem primo anno privandum esse dimidia parte fructuum, quos ratione præbendæ, & residentiæ suos non fecit: etsi iterum eadem negligentia in residendo usus fuerit, privandum omnibus fructibus, quos itidem ratione præbendæ, & residentiæ eo anno lucratus fuerit; & sic non privandum, nisi post tres annos. *Vide cap. Relatum infra Elencho III. n. XVI.*

LXI. Decretalis Clement. III. relata *in cap. Ex parte* 8. statuente, ut infra *num. LXV.* moderata est ut ibi.

LXII. Decretalis Innoc. III. relata *in cap. Qualiter* 9. statuentis Episcopum non revertentem ad residentiam in præfixo termino privandum esse episcopatu, moderata est *sess.* 6. *cap.* 1. *de refor.* decernente privandum esse post primos sex menses continuos absentiæ quarta parte fructuum unius anni: post alios sex menses alia quarta parte. Quibus elapsis, si crescat contumacia, Metropolitanus Suffraganeum, & Metropolitanum Episcopus antiquior Suffraganeus tenentur intra tres menses sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda Papæ puniendum denunciare. Circa residentiam Episcoporum vide notata *Elencho VI. n. IX.*

LXIII. Eidem Decretali tribuenti facultatem habentibus jus eligendi Episcopum, ut privare possint episcopatu Episcopum non residentem, derogatum est, ut in *cit. sess.* 6. *cap.* 1. ubi hæc facultas Papæ reservatur.

LXIV. Decretalis ejusdem relata *in cap. Inter* 10. statuentis, ut supra *n. LX.* moderata est, ut ibi.

LXV. Decretalis Innoc. III. relata *in cap. Ex tua* 11. statuentis clericum absentem a sua Ecclesia, si nescitur ubi sit, citandum esse tribus edictis in valvis ejusdem suæ Ecclesiæ affigendis, & ea privandum, si post sex menses non revertatur: & ex contrario sensu, si scitur ubi sit, & quomodo citari possit, personaliter citari debere, nec esse ipso jure privatum fructibus intra dictos sex menses, moderata est *sess.* 23. *cap.* 1. præcipiente, ut si agatur de parocho, etiam non latitante, satis sit eum citare uno tantum edicto peremptorio cum competenti termino ad redeundum Ecclesiæ valvis affixo: quo termino elapso, si contumax fuerit, liberum sit Ordinario per censuras, sequestrationem, & subtractionem fructuum, aliaque juris remedia, etiam usque ad privationem inclusive eumdem compellere ad redeundum. Declarante insuper hoc eod. cap. quod nedum fructus suos non faciat pro rata temporis absentiæ, sed etiam, si abfuerit ultra sex menses, incidat ipso jure in pœnam privationis quartæ partis fructuum unius anni jam impositam Episcopis *sess.* 6. *cap.* 1. & innovatam *cit. sess.* 23. *cap.* 1. *vers. si quis autem* vide Fagnan. *in cit. cap. Ex tua num.* 29.

LXVI. Decretalis Greg. IX. relata *in cap. Clericos* 17. statuentis, ut supra *n. LX.* moderata est, ut ibi.

Tit. V. De Præbendis.

LXVII. Decretalis Alex. III. relata *in cap. Episcopus* 4. disponentis posse Episcopum promovere ad ordines sacros clericum ad titulum paternæ hæreditatis ob defectum beneficii, abrogata est *sess.* 21. *cap.* 2. *de ref.* præcipiente Clericum sæcularem promoveri non posse ad dictos ordines, nisi ad titulum beneficii ecclesiastici, vel etiam patrimonii, & pensionis, si tamen quo ad patrimonium, & pensionem ipse Episcopus judicaverit promovendum pro necessitate, vel commoditate Ecclesiæ.

LXVIII. Decretalis ejusdem relata *in cap. Referente* 7. permittentis habenti plures Ecclesias optionem dimittendi unam, & retinendi alteram, quam maluerit, abrogata est *sess.* 7. *cap.* 4. *de refor.* hanc optionem prohibente, & extendente pœnam *cap. De multa* 28. *hoc eod. tit.* ad obtinentes beneficia ex quovis capite incompatibilia. Imo *sess.* 24. *cap.* 17. *de ref.* declaratur esse incompatibilia duo beneficia, etiam simplicia, quando primum est sufficiens ad honestam Clerici sustentationem, vel quando utrumque personalem residentiam requirit.

LXIX. Decretalis ejusdem relata *in cap. Præterea* 14. permittentis optionem, ut supra *n. LXVIII.* abrogata est ut ibi.

LXX. Decretalis Innoc. III. relata *in cap. Dilectus* 19. admittentis expectativas in beneficiis, abrogata est, ut supra *n. IV.* una cum duabus sequentibus idem admittentibus.

LXXI. Decretalis ejusdem relata *in capit. Dilecto* 25.

LXXII. Decretalis ejusdem relata *in capit. Dilectus* 27.

LXXIII. Decretalis ejusdem relata *in cap. De multa* 28. decernentis habentem dignitatem, personatum, vel beneficium curatum, & recipientem secundum simile post pacificam possessionem secundi, ipso jure privatum esse primo, & etiam privandum secundo, si prætendat utrumque retinere: & ex contrario sensu non esse privatum primo ipso jure, si secundum non sit curatum; vel e converso si primum non sit curatum, & recipiat secundum curatum, extensa est *sess.* 7. *cap.* 4. *de reform.* hoc generaliter prohibente de quibuscumque beneficiis incompatibilibus, & etiam simplicibus ex *sess.* 24. *cap.* 17. in casu de quo supra *numer. LXVII.* Imo juxta Fagnan. *in hoc eod. cap. num.* 8. privatus esset utroque ipso jure, nedum in vim *cit. cap.* 4. sed etiam in vim Extravag. *Execrabilis* 1. *hoc eod. tit.*

Eidem decretali prohibenti pluralitatem parochialium, dignitatum, & personatuum, & ex contrario sensu

sensu eam tacite permittenti in aliis beneficiis, derogatum est ut supra *n. XVI. LX. LXVIII.*

LXXIV. Decretalis ejusdem relatæ *in cap. Extirpandæ* 30. statuentis Rectorem Ecclesiæ, non obstante consuetudine favore Episcopi, vel patroni, debere sufficientem habere portionem; & ex contrario sensu valere consuetudinem legitime præscriptam favore ejusdem Episcopi, vel patroni aliquid sibi vindicandi de fructibus Ecclesiæ ultra sufficientem Rectoris portionem, derogatum est *sess.* 25. *cap.* 9. *de reform.* interdicente, ne patroni tam ecclesiastici (quibus de jure communi id licebat) quam laici se quoquo modo ingerant in perceptione fructuum quorumcumque beneficiorum; sed illos libere Rectori, seu beneficiato distribuendos dimittant, non obstante quacumque contraria consuetudine sub pœnis excommunicationis, & interdicti, si secus fecerint, & privationis ipso facto juris patronatus.

Hæc eadem Decretalis declarans §. *Qui vero* Parochum non residentem privatum esse ipso jure parochia, moderata est *sess.* 23. *cap.* 1. *de reform.* statuente privandum esse per sententiam, præcedente citatione, monitione, & coercitione per censuras, sequestrationes, & subtractionem fructuum, ac alia juris remedia.

LXXV. Decretalis ejusdem Innoc. relata *in c. Exposuisti* 33. permittentis ob paupertatem præbendarum Ecclesiarum cathedralium posse Episcopum iis adnectere capellas, idest parochiales Ecclesias, abrogata est *sess.* 24. *cap.* 13. & 15. *de ref.* statuente ne in unionibus, sive ob redditum tenuitatem, sive ob alias causas faciendis, parochiales uniantur.

Eod. Tit. in 6.

Decretales Bonif. VIII. relatæ in seqq. capitulis admittentis mandata de providendo beneficium primo vacaturum, abrogatæ sunt, ut supra *n. IV.* una cum aliis usque ad *n. XCIV.* idem admittentibus.

LXXVI. *Si Clericus* 11.
LXXVII. *Hi, qui* 12.
LXXVIII. *Dudum* 14.
LXXIX. *Cum in illis* 16.
LXXX. *Si Apostolicæ* 22.
LXXXI. *Cum in Ecclesia* 28.
LXXXII. *Ei, cui* 29.
LXXXIII. *Quodam* 40.
LXXXIV. *Mandatum* 41.

Eodem Tit. in Clementinis.

LXXXV. Decretalis Clem. V. relata *in cap. Si dignitatem* 1.

Tit. VIII. De Concess. Præbendæ.

LXXXVI. Decretalis Innocen. III. relata *in cap. Accedens* 14.

Eodem Tit. in 6.

LXXXVII. Decretalis Innoc. IV. relata *in c. Quia cunctis* 1.
Decretales Bonif. VIII. relatæ in seqq. capitulis.
LXXXVIII. *Ne captandæ* 3.
LXXXIX. *Exequutor* 4.
XC. *Si capitulo* 5.
XCI. *Si soli* 6.
XCII. *Auctoritate* 7.
XCIII. *Quoniam* 8.

Eod. Tit. in Clementin.

XCIV. Decretalis Clemen. V. relata *in cap. unic. Cum ei.*

Tit. XIII. De Reb. Eccl. non alienan. in Clementinis.

XCV. Decretalis ejusdem relata *in cap. Si una* 2. disponentis posse Episcopum unam Ecclesiam alteri unire, vel loco religioso donare, moderata est *sess.* 24. *cap.* 13. *de ref.* prohibente hujusmodi unionem, si agatur de parochiali.

Tit. XIX. De Rer. permutat. in 6.

XCVI. Decretalis Bonif. VIII. relata *in cap. unic. Licet in tua* admittentis expectativas in beneficiis, abrogata est, ut supra *n. IV.*

Tit. XXVI. De Testamen.

XCVII. Decretalis Greg. IX. relata *in cap. Quia ingredientibus* 2. admittentis tacitam professionem regularem etiam absque habitus susceptione, abrogata est *sess.* 25. *cap.* 15. *de Regul.* statuente habitus susceptionem pro Regularibus utriusque sexus esse de substantia novitiatus per integrum annum duraturi, incipiendi ab ejusdem habitus susceptione; ita ut hoc tempore non servato, sicuti & si professio fiat ante decimum sextum annum completum, exclusa sit etiam tacita, nullamque inducat obligationem. Verum hic notandum cum Fagnan. *in cap. Ad nostram* 8. *de Regul. n.* 8. & 30. ex decretis Cong. Conc. hanc tacitam professionem non fuisse a Trident. sublatam, si præcesserit annus probationis cum susceptione habitus in conventu pro ea designato, quæ inducitur per annum computandum a decimo sexto completo usque ad decimum septimum pariter completum ætatis illius, qui monasterium ingressus est.

Tit. XXXI. De Regularibus.

XCLVIII. Decretalis Concil. Moguntini relata *in cap. Nullus* 1. statuentis, neminem admitti posse ad professionem regularem, nisi sit idoneus ætate, cum præsupponat attendendam esse ætatem statutam de jure communi, quæ est ut *in cap. Significatum* 11. *infra n. CIV.* abrogata est, ut supra.

XCIX. Decretalis ejusdem Concil. relata *in cap. Si quis* 2. concedentis unum tantum annum ad reclamandum contra professionem regularem, moderata est *sess.* 25. *cap.* 19. *de Regul.* extendente hoc tempus, ex quocumque capite prætensa nullitas professionis oriatur, usque ad quinquennium a die ipsius professionis, non tamen completum.

C. Decretalis Conc. Arelaten. relata *in cap. Vidua* 4. statuentis induci professionem regularem in novitio se sponte ingerente in actibus professorum, etiam ante annum probationis non completum, abrogata est ut supra *n. XCVII.*

CI. Decretalis ex Regesto Gregorii relata *in cap. Quia* 6. prohibens admitti posse ad professionem ante decimum octavum annum, moderata est ut supra *n. XCVIII.*

CII. Decretali Alex. III. relatæ *in cap. Non est* 7. statuentis ex contrario sensu posse Abbatem cisterciensem impertiri monacho licentiam profitendi in alio ordine regulari indistincte, sive alius ordo sit strictioris, æqualis, aut laxioris observantiæ, derogatum est *sess.* 25. *cap.* 19. *de regul.* prohibente transitum ad laxiorem vigore cujuscumque facultatis. Ceterum hæc decretalis penitus abrogata est respectu quorumcumque regularium, cum hodie hujusmodi transitus iis interdictus sit, ut notavi in *Elencho VI. n. XXV.*

CIII. Decretalis ejusdem relata *in cap. Ad nostram* 8. validam admittentis professionem factam post decimum quartum annum per susceptionem habitus professorum & post perseverantiam tridui, abrogata est, in sensu, ut supra *n. XCVII.*

CIV. Decretalis ejusdem relata *in cap. Significatum* 11. disponentis professionem factam completo anno decimoquarto validam esse quoad viros, si profitens post dictum annum eam ratam habuerit, abrogata est ut supra *n. XCVIII.*

CV. Decretalis Clem. III. relata *in cap. Cum virum* 12. statuentis professionem factam a muliere post annum decimum secundum completum validam esse, abrogata est, ut supra *n. XCVIII.*

CVI. Decretalis ejusdem relata *in c. Porrectum* 13. statuentis valere professionem factam sine susceptione habi-

habitus regularis, abrogata est in sensu, ut supra *nu. XCVII. Vide Fagn. in hoc eod. cap. a numer. XL. ad XLIV.*

CVII. Decretalis Innoc. III. relata *in cap. Ad apostolicam* 16. statuentis professionem factam intra annum novitiatus validam esse, abrogata est, ut supra *num. XCVII.* Invalida etiam declaratur *cap. Non solum* 2. *hoc eod. tit. in* 6. quo ad Fratres Prædicatores, & Minores, sed a Bonifacio VIII. *cap. Constitutionem* 3. *eod. lib.* 6. declaratum est locum habere in omnibus Mendicantibus, & a Clemente VIII. Constitut. *Cum ad regularem* 19. *Martii* 1603. in omnibus Ordinibus regularibus.

CVIII. Decretalis ejusdem relata *in cap. Sicut* 17. admittentis professionem factam per receptionem habitus validam esse, licet professus numquam manserit in monasterio, abrogata est, ut supra *n. XCVII.*

CIX. Decretalis ejusdem relata *in cap. Consulti* 20. declarantis validam professionem tacite, vel expresse factam intra annum probationis, abrogata est, ut supra *numer. XCVII.* Nec attendenda est Glossa hic verbo *Distinguendum*, dicens hanc decretalem fuisse correctam *a cap. Statuimus* 23. *hoc eod. tit.* ibi enim idem statuitur.

CX. Eadem Decretalis statuens exeuntem a religione intra annum probationis teneri ad laxiorem transire, si absolute proposuerit vitam mutare, abrogata est *cit. sess.* 25. *cap.* 15. hanc obligationem excludente, si agatur de simplici proposito, non de voto vitam absolute mutandi.

CXI. Decretalis Greg. IX. relata *in cit. cap. Statuimus* 23. idem declarantis, abrogata est, ut supra *n. XCVII.*

Eod. Tit. in 6.

CXII. Decretalis Innoc. IV. relata *in cap. Is qui* 1. declarantis validam professionem factam intra annum decimum quintum, vel per receptionem habitus professorum, vel per ratificationem professionis factæ ante annum decimum quintum: item siquis per totum annum decimum quintum gestaverit habitum communem professis, & non professis: ac etiam si major quatuordecim annis ingressus fuerit religionem, & per annum gestaverit habitum quomodocumque indistinctum, abrogata est, ut supra *n. XCVII.*

CXIII. Decretalis Alex. IV. (& ut alii volunt Innocentii) relata *in cap. Non solum* 2. admittentis validam professionem tacite, vel expresse factam a majore quatuordecim annis, abrogata est in sensu, ut supra *n. XCVII.*

CXIV. Decretalis Bonif. VIII. relata *in c. Constitutionem* 3. idem admittentis, abrogata est, ut supra *n. XCVII.*

CXV. Decretalis ejusdem relata *in cap. Beneficium* 4. statuentis beneficium ingredientis religionem alteri conferri posse, si constet eum absolute vitam mutare voluisse; aut si intra annum probationis professionem emiserit; aut si scienter receperit habitum professorum, abrogata est *sess.* 25. *c.* 15. *&* 16. *de Regul. ut supra n. XXII.-XCVII.*

Eod. Tit. in Clementinis.

CXVI. Decretalis Clem. V. relata *in cap. Eos, qui* 2. statuentis constitutum in ætate quatuordecim annorum intelligi professum; si per annum detulerit habitum novitiorum non patenter distinctum ab habitu professorum, abrogata est, ut supra *n. XCVIII.*

Tit. XXXIV. De Voto, & Voti Redempt. in 6.

CXVII. Decretalis Bonif. VIII. relata *in cap. unic. Quod votum* admittentis tacitam professionem, abrogata est in sensu explicato, ut supra *n. XCVII.*

Eod. Tit. in Extrav. Joan. XXII.

CXVIII. Decretalis Jo. XXII. relata *in cap. unic. Antiquæ* idem admittentis, abrogata est in sensu, ut supra *n. XCVII.*

Tit. XXXV. De Statu Monac. in 6.

CXIX. Decretalis Bonif. VIII. relata *in cap. unic. Periculoso* statuentis §. *Sane* sub pœna nullitatis receptionis, ut in monasteriis mulierum Ordinum Mendicantium recipiantur tantum quot de ipsorum monasteriorum proventibus sine penuria substentari possint, moderata est *sess.* 25. *cap.* 3. *de Regul.* præscribente novam formam taxationis numeri recipiendorum in monasteriis utriusque sexus, etiam Mendicantium, sine dicta pœna nullitatis receptionis.

Circa hanc numeri taxationem præter decreta Clement. VIII. adest Constit. Pauli V. *Sanctissimus* 4. *Dec.* 1605.

Non desunt Canonistæ asserentes hanc nullitatis pœnam etiam abrogatam esse a contraria consuetudine.

Eadem Decretalis admittens tacitam professionem regularem, abrogata est in sensu, ut supra *n. XCVII.*

Tit. XXXVI. De Religios. domibus.

CXX. Decretali Innoc. III. relatæ *in cap. Ne nimia* 9. prohibentis Regularibus pluralitatem beneficiorum regularium; & ex contrario sensu eam permittentis Clericis sæcularibus, derogatum est, ut supra *num. LX. & LXVIII.*

Tit. XXXVII. De Capellis Monac.

CXXI. Decretali Urbani III. relatæ *in cap. In Ecclesiis* 1. præcipientis curam sæcularium incumbentem monasterio non exercendam esse per monachum, sed per Clericum sæcularem, derogatum est saltem tacite *sess.* 25. *cap.* 11. *de Regul.* statuente, ut tam sæculares, quam regulares hujusmodi curam exercentes subsint in concernentibus eamdem curam diœcesano Episcopo. Ex hoc decreto, & communi observantia patet exerceri posse etiam per regulares.

Eod. Tit. in 6.

CXXII. Decret. Bonif. VIII. relatæ *in c. unic. Presbyteris* idem præcipientis, derogatum est, ut supra.

Tit. XXXVIII. De Jure patronatus.

CXXIII. Decretali Alex. III. relatæ *in cap. Consultationibus* 19. declarantis solam possessionem conferre potestatem præsentandi ad beneficium, derogatum est *sess.* 25. *cap.* 9. *de refor.* statuente hanc non sufficere, sed probandum esse titulum modo ibidem præscripto.

CXXIV. Decretalis Innoc. III. relata *in cap. Cum dilectus* 28. admittentis mandata de providendo beneficio primo vacaturo, abrogata est, ut supra *n. VI.*

Tit. XXXIX. De Censibus.

CXXV. Decretalis Lucii III. relata *in cap. Sopitæ* 14. statuentis Archiepiscopum visitare posse indiscriminatim Ecclesias tam sæculares, quam regulares suorum Suffraganeorum; & a Regularibus visitatis procurationes esse solvendas; quo ad primam partem moderata est ut infra *num. CXXVIII.* quo ad secundam vero, tam respectu visitationis, quam procurationis exigendæ, nedum ab Archiepiscopis, sed & ab Episcopis attendenda sunt decreta *Trident. sess.* 25. *cap.* 20. *de Regul.* & alia a me relata *in Addition. lib. III. tit.* 39.

CXXVI. Decretalis Innoc. III. relata *in cap. Cum Venerabilis* 21. statuentis indiscriminatim semper dandam esse procurationem Episcopo visitanti, moderata est ut *num. seq.* & *vide notata in summariis hoc eod. tit. post c. Cum venerabilis* 21. *& Additiones meas in hoc opere d. tit. post n.* 13.

CXXVII. Decretalis Honorii III. relata *in cap. Venerabili* 24. præcipientis dandam esse procurationem Episcopo visitanti Ecclesias civitatis, ubi residet, etiamsi nunquam illam recipere consueverit, abrogata est quo ad secundam partem disertis verbis *sess.* 24. *cap.* 3. *de reform.* præcipiente, ut in iis locis, sive Pro-

Provinciis, ubi consuetudo est nec victualia, nec pecuniam, nec quidquam aliud a Visitatoribus recipi, omnia gratis fiant. Primæ vero parti, cum cesset ratio procurationis dandæ visitanti Ecclesias civitatis, quia nullæ nempe expensæ fieri debeant pro victualibus, tacite saltem derogatum est *a cit. c.* 3. ut declaravit Cong. Conc. *teste Fagn. in hoc eod. c. n.* 15.

Eodem Tit. in 6.

CXXVIII. Decretalis Innoc. IV. relata *in cap. Romana* 1. tribuentis §. *Procurationes* Metropolitanis, Patriarchis, & Primatibus facultatem visitandi suorum Suffraganeorum Ecclesias, moderata est *seß.* 24. *cap.* 3. *de refor.* hanc restringente ad causas tantum in provinciali synodo approbatas.

CXXIX. Decretalis Greg. X. relata *in c. Exigit* 2. idem statuentis, moderata est ut supra.

CXXX. Decretal. Bonif. VIII. relata *in c. Felicis* 3. idem statuentis, moderata est ut supra.

CXXXI. Decretal. ejusdem relata *in c. Perpetuo* 5. idem statuentis, moderata est ut supra.

Eod. Tit. in Extravag. Comm.

CXXXII. Decretali Bened. XII. relata *in cap. unic. Vas electionis* extendentis tempus unius mensis ad duos pro restitutione dupli facienda a Visitatoribus de iis, quæ indebite occasione visitationis acceperunt, ut supra in *Elencho I. n. XLII. & XLIV.* derogatum est *seß.* 24. *cap.* 3. *de reform.* statuente faciendam esse intra unum mensem juxta Decretalem Greg. X. *Exigit* 2. *hoc eod. tit.* quam speciatim innovat, ut infra *Elencho IV. n. XXII.*

Tit. XLV. De Reliquiis, & Venerat. Sanctor.

CXXXIII. Decretal. Innoc. III. relata *in cap. Cum ex eo* 2. vetantis venerari sanctorum reliquias de novo inventas, nisi fuerint approbatæ a Romano Pontifice, moderata est *seß.* 25. *de Invoc. Vener. & Reliq. Sanctor.* requirente approbationem Episcopi tantum.

Lib. IV. Tit. I. De Sponsalibus, & Matrimoniis.

CXXXIV. Decretalis Conc. Triburien. relata *in c. De Francia* 1. statuentis matrimonium solo consensu contrahi, abrogata est *seß.* 24. *cap.* 1. *de refor. matrim.* §. *Qui aliter* nullum illud declarante, si aliter, quam præsente Parocho, vel alio Sacerdore de ipsius, aut Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus testibus contrahatur.

CXXXV. Decretalis Alexand. III. relata *in cap. Ad audientiam* 4. extendentis impedimentum publicæ honestatis ortum ex sponsalibus contractis cum consanguinea usque ad quartum gradum, moderata est *cit. seß.* 24. *cap.* 3. illud extendente ad primum tantum, si sponsalia valida sint: declarante insuper nullum oriri impedimentum, si quacumque ratione nulla sint. Ortum vero ex matrimonio tantum rato extenditur usque ad quartum ex Constit. S. Pii V. *Ad Romanum an.* 1568.

CXXXVI. Decretalis ejusdem relata *in c. Sponsam* 8. idem impedimentum statuentis, moderata est ut supra.

CXXXVII. Decretalis ejusdem relata *in c. Veniens* 15. statuentis sponsalia de futuro transire in matrimonium per carnalem copulam subsequutam, abrogata est ut supra *n. CXXXIV.*

CXXXVIII. Decretalis Greg. IX. relata *in c. Is qui* 30. idem statuentis, abrogata est ut supra.

CXXXIX. Decretalis ejusdem relata *in cap. Adolescens* 32. statuentis invalidum matrimonium ex copula intentata, & non sequuta, ac ex contrario sensu validum, si sequuta sit, abrogata est ut supra.

Eod. Tit. in 6.

CXL. Decretalis Bonif. VIII. relata *in cap. unic. Ex sponsalibus* statuentis ex sponsalibus de futuro etiam nullis (dummodo non fuerint nulla ex defectu consensus) oriri impedimentum publicæ honestatis, & matrimonium dirimere usque ad quartum gradum inclusive, abrogata est ut supra *n. CXXXV.*

Tit. III. De Clandestin. Desponsat.

CXLI. Decretalis Conc. Arelaten. relata *in cap. Si quis* 1. validum decernentis matrimonium clandestinum, dummodo probari possit fuisse contractum, abrogata est ut supra *n. CXXXIV.*

CXLII. Decretalis Alex. III. relata *in c. Quod nobis* 2. idem decernentis, abrogata est ut supra.

Tit. VI. Qui Clerici, vel vovent. matrim. contrahere possunt.

CXLIII. Decretalis ejusdem relata *in cap. Consuluit* 4. statuentis susceptionem habitus professorum extra claustra recepti a non habente potestatem incorporandi religioni dirimere in dubio matrimonium contrahendum, sed non contractum; & fortius ex contrario sensu, si suscipiatur ab habente potestatem itidem extra claustra, abrogata est ut supra *num. XCVII. vide Elencho VI. n. C.*

Tit. IX. De Conjugio servorum.

CXLIV. Decretali Innoc. III. relatæ *in cap. Ad nostram* 4. tribuentis facultatem Legato de latere cognoscendi in sua Provincia, & definiendi causas matrimoniales, & separandi matrimonium in casibus a jure permissis, derogatum est *seß.* 24. *cap.* 20. *de refor.* ipsis hoc prohibente §. *Legati quoque.*

Tit. XI. De Cognatione spirituali.

CXLV. Decretalis Alex. III. relata *in cap. Utrum* 1. statuentis filios duorum compatrum natos sive ante, sive post compaternitatem contractam non posse ad invicem copulari, ubi hæc viget consuetudo in vim *can.* 5. *Post susceptum* 30. *q.* 3. abrogata est *seß.* 24. *cap.* 2. *de reform. matrimonii* restringente cognationem spiritualem ortam tam ex baptismo, quam ex confirmatione, tantum inter patrinum, & ipsum baptizatum, aut confirmatum, & baptizati, aut confirmati patrem, & matrem: item inter baptizantem, aut confirmantem, & baptizatum, aut confirmatum, baptizatique, aut confirmati parentes.

CXLVI. Decretalis ejusdem relata *in cap. Super eo* 3. idem statuentis, tam respectu matrimonii contrahendi, quam contracti, abrogata est ut supra.

CXLVII. Decretalis Clem. III. relata *in cap. Martinus* 4. statuentis inter patrem baptizati, & uxorem patrini prius ab eo cognitam contrahi compaternitatem efficacem ad matrimonium dirimendum, abrogata est ut supra. *Vide declarationem S. Pii V. Elencho VI. n. LIV.*

CXLVIII. Decretalis ejusdem relata *in cap. Contracto* 5. statuentis compaternitatem contrahi per cathechismum in baptismo, & impedire matrimonium contrahendum, abrogata est ut supra.

CXLIX. Decretalis Innoc. III. relata *in cap. Tua nos* 7. statuentis filios duorum compatrum ortos ante compaternitatem contractam inter compatres, vel commatres parentum suorum, contrahere cognationem spiritualem dirimentem inter ipsos matrimonium tam contractum, quam contrahendum, & scientem hujusmodi impedimentum teneri illud Ecclesiæ denunciare, abrogata est ut supra.

CL. Decretalis Greg. X. relata *in cap. Ex litteris* 8. statuentis inter baptizatum, & filium baptizantis oriri cognationem spiritualem impedientem, & dirimentem matrimonium inter ipsos contrahendum, abrogata est ut supra.

Eod. Tit. in 6.

CLI. Decretalis Bonif. VIII. relata *in cap. Ne dum* 1. statuentis cognationem spiritualem propter susceptionem infantis in baptismo, & confirmatione contrahi etiam inter baptizatum, & filios, ac uxorem suscipientis, abrogata est ut supra.

CLII. De-

CLII. Decretalis ejusdem relata *in cap. Per catechismum* 2. statuentis ut supra *num. CXLVIII.* abrogata est ut ibi.

CLIII. Decretali ejusdem relatæ *in cap. Quamvis* 3. statuentis per unum tantum patrinum suscipi posse infantem in baptismo, & confirmatione; & si plures suscipiant, omnes contrahere cognationem, derogatum est *sess.* 24. *cap.* 2. *de reform. matrim.* declarante per duos ad summum suscipi posse, quorum unus sit vir, & alter fœmina: & si plures suscipiant, præter designatos nullam contrahere cognationem.

Tit. XIII. De eo, qui cognovit &c.

Circa *cap. Si quis* 1. hujus tit. *vide notata Elencho I. n. XXII. & Elencho VI. n. LVI.*

Tit. XVII. Qui Filii sint legitimi.

CLIV. Decretalis Innoc. III. relata *in cap. Per tuas* 12. statuentis filium natum ex sponsa de futuro esse legitimum, licet matrimonium in facie Ecclesiæ nunquam sit publicatum, abrogata est ut supra *numer. CXXXIV.*

Lib. V. tit. I. de Accusationibus &c.

CLV. Decretalis ejusdem relata *in cap. Sicut olim* 25. præcipientis Concilium provinciale, & synodum diœcesanam fieri debere singulis annis, moderata est *sess.* 24. *c.* 3. *de refor.* quo ad Concilium provinciale, statuente hoc faciendum esse singulis trienniis.

Tit. III. De Simonia.

CLVI. Decretali Alex. III. relatæ *in cap. Etsi* 18. declarantis ordinationem non esse simoniacam, si aliquid donatum fuerit non ex pacto, derogatum est *sess.* 21. *cap.* 1. *de reform.* prohibente, ne pro collatione quorumcumque ordinum, & etiam clericalis tonsuræ aliquid accipiatur, licet sponte oblatum. Prohibente insuper *sess.* 24. *c.* 18. Examinatoribus synodalibus sub vitio simoniæ quidquam recipere etiam sponte oblatum, sive ante, sive post, occasione examinis. Nota, quod quamvis Trident. hic loquatur de solo examine præficiendorum Ecclesiis parochialibus, intelligi tamen debet etiam de examine ordinandorum, confessariorum, ceterorumque præficiendorum præbendis Theologiæ, & Pœnitentiariæ: & Romæ ab Examinatoribus apostolicis præstatur juramentum coram Eminentissimo Vicario statim ac ad hoc munus deputantur ab eodem Vicario, facto tamen prius verbo cum Pontifice de eorum deputatione, nedum de fideliter hujusmodi munere exercendo respectu quorumcumque examinandorum, sed etiam de nihil omnino recipiendo, licet minimum, tam ante, quam post examen.

CLVII. Decretali Innoc. III. relatæ *in cap. Ad apostolicam* 42. permittentis aliquid accipi posse pro Sacramentorum collatione juxta pias consuetudines, quas præcipit observari, derogatum est, quo ad collationem Ordinis, ut supra *n. CLVI.*

Tit. V. De Magistris.

CLVIII. Decretalis Innoc. III. relata *in cap. Quia nonnullis* 4. decernentis inter cetera magistrum grammatices in cathedrali, vel collegiata Ecclesia eligendum esse ab Episcopo de consensu Capituli, moderata est *sess.* 5. *cap.* 1. *de reform.* statuente eligendum esse de consilio tantum.

CLIX. Eidem Decretali statuenti magistro theologiæ eligendo in Ecclesiis metropolitanis assignandos esse proventus unius præbendæ, ita tamen ut non efficiatur canonicus, sed tamdiu eos percipiat, quamdiu perstiterit in docendo, videtur derogatum esse *cit. cap.* 1. *vers. In Ecclesiis* præcipiente, ut ubi nulla præbenda, aut præstimonium, seu stipendium deputatum reperitur, præbenda quomodocumque primo vacatura, non tamen per resignationem, ad usum lectoris theologiæ ipso facto perpetuo constituta, & deputata intelligatur: & ita canonicus efficitur *vide Elencho VI. n. III.*

CLX. Eadem Decretalis præcipiens constituendos esse duos magistros in Ecclesia metropolitana, unum theologiæ, alterum grammatices, moderata est *loc. cit.* mandante in qualibet Ecclesia, seu metropolitana, seu cathedrali, seu collegiata, etiam nullius diœcesis, si sint loca insignia, vel populosa, solum constitui theologum cum assignatione præbendæ primo vacaturæ. Et si earumdem Ecclesiarum proventus fuerint tenues, vel multitudo cleri, & populi sit tam exigua, ut theologi electio commode fieri nequeat, tunc mandatur, ut saltem sit magister grammatices: & sic in defectum theologi tantum.

CLXI. Decretalis Honorii III. relata *in cap. Super specula* 5. statuentis docentes theologiam, eique studentes in publicis scholis posse in absentia per quinquennium percipere integros fructus suarum præbendarum, & beneficiorum, moderata est *sess.* 21. *cap.* 3. *de refor.* quando redditus omnes consistunt in distributionibus, cum tunc ex pluribus decretis Cong. Conc. relatis a Fagnan. *cit. cap. Licet numer.* 97. *& seqq.* tam dicti lectores, & studentes, sive legant theologiam, sive jus canonicum, & respective studeant, quam absentes pro servitio Episcopi, vel Ecclesiæ percipere debent duas tertias earumdem distributionum partes, utpote subrogatas in locum fructuum præbendæ, si isti aut nulli sint, aut admodum tenues, omissa tertia inservientibus accrescenda; ut in hujusmodi Indultis semper servat eadem Congreg. juxta generale decretum Innocentii XII. promulgatum in ejus Bullario. Hujusmodi Indulto ex pluribus pariter ejusdem Congreg. decretis relatis a Fagn. *cit. cap. Super specula* frui possunt etiam publici Lectores, si legant in civitate, in cujus cathedrali sitæ sunt illorum præbendæ.

Tit. VII. De Hæreticis in 6. & ibi Tit. II.

CLXII. Decretalis Greg. IX. relata *in c. Quoniam* 1. decernentis deveniri posse ad degradationem præsentibus etiam laicis, ampliata est *sess.* 23. *c.* 4. *de ref.* ut infra *n. CLXXV.*

CLXIII. Decretali Clem. IV. relatæ *in cap. Ut officium* 11. admittentis §. *Compescendi* Prædicatores quæstuarios, derogatum est ut infra *n. CLXVII.*

Tit. XVII. De Raptoribus.

CLXIV. Decretali Innoc. III. relatæ *in cap. Accedens* 7. declarantis validum matrimonium contractum cum raptore, si adsit consensus raptæ, derogatum est *sess.* 24. *cap.* 6. *de reformat. matrim.* illud nullum decernente, quamdiu rapta manserit in potestate raptoris.

Tit. XXXI. De Excessibus Prælat.

CLXV. Decretali ejusdem relatæ *in cap. Accedentibus* 12. statuentis jus cognoscendi causas matrimoniales acquiri posse nedum ex speciali privilegio, sed etiam ex alia legitima causa, idest ex consuetudine, vel præscriptione, ut exponit *Gloss. final. & Innoc. hic*, derogatum est *sess.* 24. *cap.* 20. *de reform.* hanc consuetudinem abrogante. Quæ tamen teneret si esset immemorabilis, ut declaravit *Cong. Conc. teste Fagnan. hoc eod. c. n.* 6.

Eodem tit. in 6.

CLXVI. Decretalis Bonifacii VIII. relata *in cap. unic. Cum ex eo* statuentis ut infra *n. CLXXVI.* moderata est, ut ibi.

Tit. XXXIII. De Privilegiis.

CLXVII. Decretali Innoc. III. relatæ *in cap. Tuarum* 11. permittentis quæstores eleemosynarum cum prædicationis officio, derogatum est *sess.* 21. *cap.* 9. *de reformat.* præcipiente eorumdem nomen, & usum ubique abolendum *vide Elencho VI. numer. VIII.* Nequeunt tamen regulares mendicantes prohiberi ab Episcopo, ut cum licentia suorum superiorum eidem osten-

ostendenda per se ipsos eleemosynas quærant intra diœcesim, ubi eorum monasteria sita sunt. Extra diœcesim vero requiritur etiam consensus Diœcesani.

CLXVIII. Decretalis Honorii III. relata *in cap. in his* 30. statuentis privilegiatos posse ubique celebrare in altari viatico, etiam sine licentia Prælatorum, abrogata est *sess.* 22. *in decr. de obser. & vitan. in celeb. miss.* Quo Trid. decreto sublata est etiam Episcopis facultas, quam habebant ex dispositione *can. Missarum* 12. *de consecrat. dist.* 1. indulgendi, ut missæ sacrificium celebrari possit in privatis domibus. De hac facultate, & altari viatico *vide Additiones meas lib. III. tit. XLI. n.* 2.

Eodem Tit. in 6.

CLXIX. Decretali Alex. IV. relatæ *in cap. Abbates* 3. *juncta Glos.* verb. *Tonsuram* facultatem dantis Abbatibus conferendi tonsuram, & ordines minores, ac dimissorias concedendi sæcularibus, in quos habent ecclesiasticam, & quasi episcopalem jurisdictionem, vel ex Sedis apostolicæ indulto, derogatum est *sess.* 23. *c.* 10. *de refor.* statuente, ne Abbatibus, aut aliis quibuscumque quantumvis exemptis liceat imposterum intra finem alicujus diœc. existentibus (etiamsi nullius diœc., vel exempti esse dicantur) quibuscumque qui regulares subditi sibi non sint, tonsuram, vel minores ordines conferre: nec iidem Abbates, aliique exempti, aut collegia, vel capitula quæcumque etiam cathedralium, litteras dimissorias aliquibus Clericis sæcularibus, ut ab aliis ordinentur concedant: sed hæc omnia ad Episcopos intra quorum diœcesis fines iidem existunt, pertineant; non obstante quocumque privilegio, præscriptione, aut consuetudine etiam immemorabili.

Vi hujus decreti nequeunt Abbates cujuscumque sint generis, habentes plenam jurisdictionem episcopalem, in clerum, & populum cum territorio separato, ac nullius etiam diœcesis existentes, concedere dictas dimissorias, secluso privilegio apostolico post Tridentinum specialiter obtento, juxta constantem Cong.Conc. sententiam, ut ex pluribus ejusdem resolutionibus relatis a Fagn. *in cap. Significasti de offic. Archid. nu.* 12. *& seqq.* ac in Thesaur. Resolut. in Nullius, seu Brictinorien. 21. Januarii 1719. & novissime a Benedict. XIV. *de Synodo diœces. edit. an.* 1755. *lib. II. c. II. n.* 15. *& seqq.*

Neque itidem initiare possunt prima tonsura, minoribusque Ordinibus sibi non subditos tam sæculares cum specialibus dimissorialibus suorum Episcoporum, quam Regulares alieni Ordinis, ad illos expresse missos ab eorumdem ordinandorum Superioribus de consensu Episcopi diœcesani, ut olim fieri posse censuit Cong.Conc. 11. Julii 1572. prout ex *lib.* 1. *litterarum ejusdem Cong. pag.* 450. *& mense Augusti* 1586. *lib.* 4. *decret. pag.* 171. juxta posteriorem ipsius resolutionem 13. Novemb. 1641. approbatam ab Urb. VIII. ad tramites decisionis Rotæ 995. coram Seraphino, a qua jussu Clem. VIII. 27. April. 1592. hæc quæstio ad trutinam revocata fuerat, ut videre est in synodo diœc. *loc. cit. n.* 12.

Concedere tamen possunt, & debent litteras testimoniales, sive commendatitias; quæ quidem diversæ sunt a litteris dimissoriis. Regulares vero eas tantum cencedere possunt suis subditis itidem regularibus soli Episcopo diœcesano dirigendas, ut *ex cit. sess.* 23. *c.* 8. nisi in casu, de quo in nostro Auctore *lib.* 1. *tit.* 11. *n.* 12. *vide Fagn. cit. c. Significasti.*

Eod. Tit. in Clementin.

CLXX. Decretalis Clem. V. relata *in cap. Religiosi* 1. infligentis pœnam excommunicationis ipso facto Papæ reservatæ in Religiosos præsumentes matrimonia solemnizare sine parochi licentia, moderata est *sess.* 24. *cap.* 1. *de reform. matrim.* infligente pœnam tantum suspensionis ipso facto pariter incurrendæ, duraturæ arbitrio Ordinarii illius parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat. *Thesaur. de pœn.* verb. *Matrimonium c.* 1. *etiam ex Responso Cong. Conc.*

Eod. Tit. in Extravag. Commun.

CLXXI. Decretalis Benedicti XI. relata *in cap. Inter cunctas* 1. concedentis §. *Ideoque* Fratribus Prædicatorum & Minorum facultatem ubique prædicandi verbum Dei absque Ordinariorum petita licentia, abrogata est *sess.* 5. *cap.* 2. *& sess.* 24. *cap.* 4. *de refor.* præcipiente, ne ullus regularis prædicare præsumat etiam in Ecclesia sui Ordinis contradicente Episcopo. *Vide Elencho VI. n. VII.*

CLXXII. Eadem Decretalis concedens §. *Sed quia* facultatem iisdem Regularibus audiendi sæcularium confessiones sine Ordinariorum approbatione, abrogata est pariter *sess.* 23. *cap.* 15. *de ref.* statuente, ne ullus presbyter etiam regularis eas andire possit, etiam si agatur de audienda sacerdotum confessione sine eorumdem Ordinariorum approbatione, qui possunt, si velint, illum examinare.

CLXXIII. Decretalis Eug. IV. relatæ *in cap. Divina* 3. eximentis ab Ordinariorum jurisdictione Clericos curiales beneficiatos, infligentisque pœnas ipso facto incurrendas Papæ reservatas excommunicationis, suspensionis, & interdicti contra eosdem Ordinarios privantes beneficio dictos Clericos, aut se immiscentes in causis beneficiorum eorumdem, derogatum est *sess.* 24. *c.* 11. *de reform.* decernente privilegia, quæ competere solent residentibus in Curia Romana in vim hujus Eugenianæ constitutionis non habere locum in obtinentibus beneficia ecclesiastica, quin ipsorum Ordinariorum jurisdictioni subjecti remaneant; nec insuper habere locum in parochis non residentibus *sess.* 23. *c.* 1. *de ref.*

Tit. XXXVII. De Pœnis.

CLXXIV. Decretalis Alex. III. relata *in cap. Licet* 3. tribuentis facultatem Archidiacono procedendi in causis criminalibus tam contra Clericos, quam contra laicos, abrogata est, ut supra *n. XXXV.*

Eod. Tit. in 6.

CLXXV. Decretalis Bonif. VIII. relata *in cap. Degradatio* 2. præscribentis verbalem degradationem sacerdotis fieri debere coram proprio, & sex aliis Episcopis: Diaconi vero, vel Subdiaconi coram tribus Episcopis, & proprio, & degradationem constitutorum in minoribus coram solo Episcopo, moderata est *sess.* 13. *cap.* 4. *de ref.* restringente numerum Episcoporum in degradatione actuali, & solemni ad solum proprium Episcopum coram sex Abbatibus usum mitræ, & baculi ex apostolico privilegio habentibus, si commode interesse possint: sin minus coram aliis in ecclesiastica dignitate constitutis. In degradatione vero verbali etiam coram ejus Vicario.

Eod. Tit. in Clementinis.

CLXXVI. Decretalis Clem. V. relata *in cap. Capientes* 3. statuentis, ut Regulares juxta *cap. unic. Cum ex eo de excess. Prælat. in* 6. sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ nequeant nova loca recipere sine speciali Sedis apostol. licentia, moderata est *sess.* 25. *cap.* 3. *de Regul.* decernente, ne hujusmodi loca erigantur sine licentia Episcopi diœcesani.

CLXXVII. Idem statuitur a Gregor. X. *cap. Religionum* §. *Confirmatos de Relig. domib. in* 6. *sed vide notata Elencho I. n. LXIV. & Elencho VI. num. LXXXV.*

Tit. XXXVIII. de Pœnit. & Remis.

CLXXVIII. Decretalis relata *in cap. Manifesta* 1. præcipiens dandam esse publicam pœnitentiam pro peccato manifesto, moderata est *sess.* 24. *cap.* 8. *de reformat.* remittente arbitrio Episcopi eam commutandi in secretam, si ita magis judicaverit expedire. An autem tam simplices confessarii, quam principales Episcoporum pœnitentiarii possint hanc pœnitentiam injungere Cong. Conc. 22. Martii 1614. fuit potius pro

nega-

negativa sententia: quamvis tutius censuerit abstinere ab hujus dubii resolutione.

CLXXIX. Decretalis Innocen. III. relata *in c. Omnis utriusque sexus* 12. statuentis, ut sacerdos alienus audire possit confessiones de licentia proprii sacerdotis, si agatur de licentia data a proprio parocho, abrogata est, ut supra *n. CLXXII.*

CLXXX. Decretali ejusdem relatæ *in Cap. cum ex eo* 14. admittentis quæstores eleemosynarum, ut supra num. CLXVII. derogatum est, ut ibi.

Eodem Tit. in 6.

CLXXXI. Decretalis Innoc. IV. relata *in cap. Romana* 1. idem admittentis, abrogata est, ut supra.

Eod. Tit. in Clementinis.

CLXXXII. Decretalis Clemen. V. relata *in c. Abusionibus* 2. idem admittentis, abrogata est, ut supra.

Tit. XXXIX. De Sent. Excomm.

CLXXXIII. Decretali Innoc. III. relatæ *in cap. Contingit* 45. statuentis, Clericum non reassumentem habitum, & tonsuram post tertiam monitionem amittere privilegium Clericale, partim derogatum est, & partim ampliata *sess.* 23. *cap.* 6. *de reform.* declarante Clericos in minoribus non beneficiatos non gaudere privilegio fori, si præter habitum, & tonsuram non inserviant alicui Ecclesiæ. Nec ad hoc requiritur trina monitio ex decreto Congr. Conc. relato a Fagnan. *in cap. Si quis* 1. *de foro compet. n. XXI.*

CLXXXIV. Decretalis ejusdem relata *in cap. Sacro* 48. statuentis excommunicationem ferri debere, præmissa trina monitione, vel una pro omnibus cum aliquot dierum intervallis ex manifesta, & rationabili causa, nulla facta distinctione causarum, moderata est *sess.* 25. *cap.* 3. *de ref.* præcipiente. 1. ne in causis civilibus feratur, nisi quando adest contra Judicem contumacia. 2. neque in criminalibus, nisi præter contumaciam, delicti qualitas id postulet. 3. ut in utrisque feratur tantum in subsidium, quando scilicet exequutio personalis, vel realis facile haberi nequeat. 4. ut sufficiat bina monitio, etiam per solum edictum sine personali citatione. Ceterum excommunicatio lata, hac forma non servata, ex sententia Cong. Conc. teste Fagnan. *hoc eod. cap. n.* 26. valida esset.

Eod. Tit. in 6.

CLXXXV. Decretali Greg. X. relatæ *in c. Constitutionem* 9. idem generaliter statuentis, derogatum est, ut supra.

Tit. XL. De Verbor. Significatione.

CLXXXVI. Decretali Innoc. III. relatæ *in c. Olim* 16. statuentis Canonicis gaudentibus privilegio percipiendi fructus in absentia deberi sine diminutione distributiones quotidianas quando redditus omnes præbendarum consistunt in dictis distributionibus, derogatum est, ut supra *n. CLXI.*

ELENCHUS III.

Decretalium ampliatarum a Sac. Concilio Tridentino.

Lib. I. Tit. III. de Rescriptis in 6.

I. Decretalis Bonif. VIII. relata *in cap. Statutum* 11. præcipientis §. 1. causas committendas a sancta Sede, vel ejus legato committi debere obtinentibus dignitatem, vel Canonicatum in Ecclesia cathedrali, ampliata est *sess.* 25. *cap.* 10. *de reform.* mandante ulterius hos designandos esse a synodo provinciali, vel diœcesana numero saltem quatuor, ex quibus uno mortuo, aut alias deficiente, alius subrogetur vel in proxima synodo, vel ab Episcopo cum consilio capituli; ita ut delegationes quæcumque aliis factæ subreptitiæ censeantur.

Eod. Tit. in Clementinis.

II. Decretalis Clem. V. relata *in cap. Et si* 2. statuentis causarum commissiones, de quibus supra, committi posse Vicario generali Episcopi, vel etiam regulari habenti conventualem prioratum, ampliata est, ut supra.

Tit. IV. De Consuetudine.

III. Decretalis Innoc. III. relata *in cap. Quanto* 4. statuentis consuetudinem non posse operari, ut Clericus non Episcopus possit exercere, quæ sunt ordini Episcopali reservata, ampliata est *sess.* 7. *can.* 3. *de confirmat.* infligente ulterius excommunicationem latæ sententiæ in contrarium asserentes.

Tit. XI. De Tempor. Ordinat. in 6.

IV. Decretalis Greg. X. relata *in cap. Eos, qui* 2. infligentis pœnam suspensionis per annum a collatione Ordinum in præsumentem scienter, seu affectata ignorantia, vel quocumque alio quæsito figmento ordinare Clericos alienæ diœcesis sine dimissorialibus, aut licentia suorum Ordinariorum & statuentis sic ordinatos ligari pœnis a jure statutis, ampliata est *sess.* 6. *c.* 5. & *sess.* 23. *cap.* 8. *de reform.* declarante ordinantem dictam pœnam ipso facto incurrere, etiam citra præsumptionem; & sic ordinatos tam in minoribus, quam in sacris ipso facto incurrere suspensionem ab exequutione Ordinum susceptorum arbitrio proprii Ordinarii duraturam.

V. Circa simoniace Ordinantes, & Ordinatos *vide notata Elencho VI. n. XXVII.*

VI. Decretalis Bonif. VIII. relata *in cap. Nullus* 4. prohibentis infantem initiari prima tonsura, nisi religionem intret, ampliata est *sess.* 23. *cap.* 4. *de reform.* præcipiente ulterius neminem ea initiandum, nisi præter alia requisita confirmationis sacramentum susceperit. Nulla tamen ibi infligitur censura, si secus fiat.

Tit. XVII. De Filiis Presbyteror.

VII. Decretalis Alex. III. relata *in cap. Ad præsentiam* 2. prohibentis filio sacerdotis illegitimo retentionem beneficii in eadem Ecclesia, in qua pater ministravit, ampliata est *sess.* 25. *cap.* 15. *de reform.* hanc prohibitionem extendente ad filium illegitimum cujuscumque Clerici: prohibente insuper, ne in eadem Ecclesia quoquo modo ministret, & pensiones obtineat super beneficio, quod pater habet, vel obtinuit.

Tit. XXXI. De Offic. Judic. Ordinar. in 6.

VIII. Decretalis Greg. X. relata *in cap. Ordinarii* 3. statuentis, ne plura incompatibilia beneficia in primo genere a legitimis collatoribus tamquam vacantia conferantur, nisi ea obtinentes ostendant Ordinariis dispensationem Apostolicam pro eorum retentione intra tempus ab iisdem Ordinariis assignandum, ampliata est *sess.* 7. *cap.* 5. *de reform.* idem decernente quoad beneficia incompatibilia in secundo genere.

Lib. III. Tit. I. De Vita, & Honest. Clericor. in Clementin.

IX. Decretalis Clem. V. relata *in cap. Quoniam* 2. statuentis sequentes pœnas latæ sententiæ in Clericos, & beneficiatos deferentes habitum ordini Ecclesiastico incongruentem videlicet. 1. in beneficiatos suspensionis per sex menses a perceptione fructuum suorum beneficiorum. 2. in non beneficiatos constitutos in sacris citra sacerdotium inhabilitatis per sex menses ad obtinenda beneficia. 3. in obtinentes dignitatem, personatum, aut beneficium curatum suspensionis per annum a perceptione fructuum. 4. in sacerdotes, & religiosos inhabilitatis per annum ad beneficia obtinenda; ampliata est *sess.* 14. *cap.* 6. *de reform.* decernente, ut si postquam dicti omnes moniti fuerint etiam per solum publicum edictum talem habitum non deposuerint, coerceri possunt per suspensionem ab Ordinibus, & beneficio, ac fructibus beneficiorum: & si semel correcti iterum deliquerint, etiam per privationem officiorum, & beneficiorum. *Vide ampliationem cit. cap. 6. Trident. ex Constit. Benedict. XIII. Elencho VI. num. XXIII.*

Tit. II. De Cohabit. Clericor. & Mulierum.

X. Decretalis relata *in c. Si quisquam* 2. infligens Clerico in sacris suspecto de crimine fornicationis cum quacumque fæmina pœnam excommunicationis latæ sententiæ post tertiam monitionem, ampliata est, & respective moderata *sess.* 25. *cap.* 14. *de reform.* decernente, ut quicumque Clericus beneficiatus, aut pensionarius concubinarius, vel suspectus de mala conversatione cum quacumque fæmina, sit ipso facto privatus tertia parte fructuum, obventionum, proventuum, & pensionum cujuscumque sui beneficii, si primo monitus ab ea non abstinuerit. Si vero cum eadem, vel alia fæmina perseverans secundo monitus non paruerit, præter amissionem ipso facto incurrendam integrorum fructuum &c. suspendendus sit ab ipsius beneficii administratione quousque Ordinario videbitur. Si ita suspensus fæminam non expellat, perpetuo privetur beneficio, & pensione, inhabilisque reddatur ad honores, dignitates, beneficia, & officia obtinenda, donec post manifestam emendationem superior, cum ei visum fuerit, ex causa dispensaverit. Si tandem intermissum consortium cum ea, vel altera repetat, præter dictas pœnas excommunicetur, appellatione remota. Simplex vero Clericus concubinarius, vel fornicarius puniatur pœna carceris, suspensionis ab Ordine, ac inhabilitatis ad beneficia obtinenda juxta delicti qualitatem, & perseverantiam in eo.

XI. Decretalis Alex. III. relata *in cap. Clericos* 3. statuentis Clericos in sacris publice retinentes concubinas suspendendos, & interdicendos, si eas a se non removerint, & etiam perpetuo excommunicandos, si ad easdem redire, vel recipere præsumpserint, ampliata est, ut supra.

XII. Decretalis ejusdem relata *in cap. Sicut* 4. idem statuentis, ampliata est, ut supra.

XIII. Decretalis ejusdem relata *in cap. Si autem* 6. statuentis in quoscumque Clericos beneficiatos fornicarios pœnam privationis beneficiorum, ampliata est, ut supra.

XIV. Decretalis Greg. IX. relata *in cap. Quæsitum* 10. infligentis Clerico notorie concubinario notorietate facti, vel juris pœnam totalis suspensionis latæ sententiæ, ampliata, & moderata est, ut supra.

Tit. III. De Cleric. conjugatis in 6.

XV. Decretalis Bonif. VIII. relata *in cap. unic. Clerici* statuentis Clericum conjugatum ferentem habitum, & tonsuram gaudere privilegio clericali, ampliata est; ut supra *Elencho II. num. CLXXXIII.*

Tit. IV. De Clericis non residentibus.

XVI. Decretal. Alex. III. relata *in cap. Relatum* 4. infligentis pœnam privationis beneficii curati ferendæ sententiæ non residenti sine licentia sui Prælati, ampliata est *sess.* 23. *cap.* 1. *& sess.* 24. *cap.* 12. *de ref.* declarante præter mortalis peccati reatum, tuta conscientia non facere fructus suos pro rata temporis absentiæ, absque alia declaratione, interdicta quacumque conventione, vel compositione pro eorumdem fructuum remissione. Extendente insuper *cit. cap.* 12. has easdem pœnas, nedum ad obtinentes in cathedralibus, & collegiatis canonicatus, præbendas, aut pensiones, sed etiam ad quoscumque Antistites quibuscumque Ecclesiis præfectos, etiam S.R.E. Cardinales, si ultra tres menses continuos, aut interpolatos quotannis absque justa causa, vel licentia non resideant; addito etiam, ut primo anno absentiæ unusquisque privetur dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ, & residentiæ fecit suos. Quod si iterum eadem fuerit usus negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus erit. Crescente vero contumacia privandus sit beneficio juxta *cap. Clericos* 17. *hoc eodem tit. ut supra Elencho II. num. LXV.*, *& LXVI. & infra num. XX.*

XVII. Decretalis Cœlest. III. relata *in cap. Ex parte* 8. disponentis Prælatos, & Clericos non residentes privandos esse beneficio, si citati non revertantur ad suas Ecclesias infra terminum eis præfixum, ampliata est, ut supra.

XVIII. Decretalis Innoc. III. relata *in cap. Qualiter* 9. idem disponentis, ampliata est, ut supra.

XIX. Decretalis ejusdem relata *in cap. Inter quatuor* 10. idem disponentis, ampliata est, ut supra.

XX. Decretalis Gregor. IX. relata *in cap. Clericos* 17. idem disponentis, ampliata est, ut supra.

Eodem Tit. in 6.

XXI. Decretalis Bonif. VIII. relata *in cap. un. Consuetudinem* prohibentis recipi posse ab absentibus distributiones, & etiam eas, quæ dantur pro anniversariis defunctorum, ampliata est *sess.* 24. *cap.* 12. *de reformat.* inhibente quamcumque collusionem, aut remissionem circa harum receptionem; ne scilicet a præsentibus eis condonentur, neque paciscantur, ut postquam sibi traditæ fuerint, illis restituantur.

Hodie ab hac Bonif. prohibitione excipiuntur. 1. Promovendi ad sacros Ordines, qui ex Conc. Romano celebrato sub Bened. XIII. *an.* 1725. *tit.* 30. *c.* 2. tenentur per sex menses continuos ante ordinationem commorari in Seminario, vel in Episcopiis apud Episcopos, quo tempore lucrari debent dictas distributiones, non secus ac si Ecclesiæ inservirent; dummodo præcise ibi morentur ad satisfaciendum dicti Concilii præcepto, & non ob correctionem, aut ut se instructiores reddant ex declaratione Cong. Conc. *in Setina* 1. *Decemb.* 1731. *In Thes. Resolut.* 2. Ex Decreto Clem. XI. an. 1710. relato in ejus Bullar. pag. 547. excipiuntur vacantes exercitiis spiritualibus per decem dies ad pie excolendum animum. *Vide lib. III. hoc eod. tit.* alios exemptos.

XXII. Decretalis relata *in cap. Non liceat* 2. statuens ordinantem ad sacros Ordines aliquem sine titulo teneri necessaria ei ministrare ad vitæ sustentationem, donec titulum habuerit, ampliata est *sess.* 21. *c.* 2. *de reform.* prohibente insuper, ne quisquam ad dictos Ordines promoveatur sine sufficienti beneficio, vel patrimonio, aut pensione, si tamen necessitas, aut commoditas Ecclesiæ aliquem cum his duobus titulis expedierit ordinari: & respectu ordinati sine sufficienti titulo, si ipse solus fuit in culpa, quia finxit titulum per falsa instrumenta ex stylo Curiæ & sacræ Pœnitentiariæ incurrit pœnam suspensionis latæ sententiæ ab exequutione Ordinum sic susceptorum inflictam *a can. Sanctorum* 70. *dist.* quæ pœna *in cit. c.* 2. Trid. innovatur. *Vide extensionem hujus pœnæ Elencho VI. num. XXVIII.*

Tit. V. De Præbendis.

XXIII. Decretalis Innoc. III. relata *in cap. De multa* 28. §. *Præsenti* statuentis obtinenti personatum, vel beneficium curatum, & successive aliud simile, ipso jure privatum esse primo; & contendentem retinere etiam secundum, privandum esse & hoc per sententiam, ampliata est *sess.* 7. *cap.* 4. *de reform.* statuente ipso jure privatum esse utroque, si ea simul retinere præ-

sum-

sumpserit; seu potius declaratum est, ut contra *Thes. de Pœnit. cap.* 7. sentit *Fagn. lib.* 3. *ad dictum cap. De multa num.* 8. probans per hanc eamdem decretalem ipso jure utroque privatum esse. Hæc eadem ampliatio, seu declaratio habetur in Extravag. *Execrabilis* §. *Si vero*, & §. *Quæ omnia*. Ampliata est etiam in hoc, quod pœnam inflictam a dicto *cap.* extendit ad obtinentes plura beneficia ex quovis capite incompatibilia. Et *sess.* 24. *c.* 17. voluit incompatibilia esse duo beneficia simplicia, quando primum est sufficiens ad honestam Clerici sustentationem, vel quando utrumque personalem residentiam requirit.

XXIV. Decretalis Honorii III. relata *in cap. Licet* 32. disponentis quotidianas distributiones deberi tantum interessentibus horis Canonicis, ampliata est *sess.* 24. *cap.* 12. *de reform.* præcipiente ne dum materialem præsentiam, sed etiam formalem, hymnis nempe, & canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudando.

Tit. VI. De Clerico ægrotante &c.

XXV. Decretalis Lucii III. relata *in cap. De rectoribus* 3. statuentis dandum esse coadjutorem Parocho ita lepra infecto, ut altari servire nequeat, ampliata est *sess.* 21. *cap.* 6. *de reform.* præscribente dandum etiam esse cum suspenditur ab exercitio parochiæ propter inscitiam, vel ad aliquod tempus ob scandalum ortum ex ipsius vitæ turpitudine.

Titulus VII. De Institutionibus.

XXVI. Decretalis Conc. Arelat. relata *in cap. Non amplius* 1. decernentis in monasteriis non mendicantium utriusque sexus instituendum esse numerum recipiendorum juxta vires facultatum eorumdem monasteriorum, ampliata est *sess.* 25. *cap.* 3. *de Regul.* idem statuente etiam in monasteriis mendicantium, ut recipiendi tantum sint quot ali possint ex consuetis eleemosynis.

Tit. VIII. de Concessione Prabend.

XXVII. Decretalis Innoc. III. relata *in cap. Litteras* 9. statuentis habentem præbendam in eadem Ecclesia, & recipientem dignitatem cum præbenda, vel aliam præbendam, privatum esse prima, ampliata est, ut supra *num. XXIII.*

Tit. XXX. De Decimis in Clement.

XXVIII. Decretal. Clem. V. relata *in cap. Religiosi* 1. suspendentis Religiosos usurpantes, & impedientes decimas Ecclesiis debitas ab officiis, administrationibus, & beneficiis, si intra duos menses dictis Ecclesiis non satisfecerint, ampliata est *sess.* 22. *cap.* 11. *de reform.* declarante eos, & quoscumque alios id facere præsumentes excommunicatos, & non absolvendos nisi a Papa post integram restitutionem; privante insuper eo ipso patronos Ecclesiæ hujus delicti reos jure patronatus præter excommunicationem: Clericos vero consentientes tali delicto declarante ultra dictas pœnas eo ipso privatos beneficiis, & inhabiles ad eadem, ac suspendendos per Ordinarios ab exequutione suorum Ordinum.

Hæc eadem excommunicatio lata est in Bulla Cœnæ *cap.* 17.

Tit. XXXI. De Regularibus in 6.

XXIX. Decretalis Alex. (*vel ut alii volunt Innoc. IV.*) relata *in cap. Non solum* 2. statuentis professionem religiosam inter Fratres Ordinum Prædicatorum, & Minorum factam intra annum novitiatus esse nullam, ampliata, & extensa est ad omnes Ordines regulares *sess.* 25. *cap.* 15. *de Regul.*

Tit. XXXII. De Convers. Conjugat.

XXX. Decretalis Alex. III. relata *in cap. Verum* 2. statuentis matrimonium non consummatum dissolvi per professionem religiosam alterius ex conjugibus, ampliata est *sess.* 24. *can.* 6. *de matrim.* anathematizante contrarium asserentem.

Tit. XXXV. De Statu Monach.

XXXI. Decretalis Innoc. III. relata *in cap. in singulis* 7. statuentis formam instituendi regiminis in monasteriis Cistercensium, & Canonicorum regularium immediate subjectis Sedi apostolicæ non habentibus regulares visitatores ordinarios, ampliata est *sess.* 25. *cap.* 8. *de regul.* illam extendente ad quoscumque Ordines regulares dictos visitatores non habentes: tribuente insuper facultatem Metropolitano, in cujus provincia eadem monasteria sita sunt, convocandi Capitulum quolibet triennio juxta præscripta in hac decretali, si religiosi in his negligentes fuerint, eosque subdendo diœcesanis Episcopis, si Metropolitano instante, adhuc ea exequi non curaverint.

Eod. Tit. in 6.

XXXII. Decretalis Bonif. VIII. relata *in cap. unic. Periculoso* statuentis §. *Primo*, ne quis ingrediatur monialium monasterium sine causa, & superioris licentia, ampliata est *sess.* 25. *cap.* 5. *de regul.* id prohibente sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, si fiat sine superioris licentia; non tamen reservatæ. *Sed vide notata Elench. VI. n. LXXXIX.*

XXXIII. Eadem decretalis prohibens §. *Sane*, ne in monasteriis monialium non mendicantium augeatur numerus ultra vires proventuum ad ipsarum sustentationem, ampliata est, ut supra n. XXVI. excepta pœna nullitatis, de qua *in Elencho II. n. CXIX.*

Eod. Tit. in Clementin.

XXXIV. Decretalis Clem. V. relata *in cap. Ne in agro* 1. præcipientis §. *Sane*, ut monachi singulis mensibus confiteantur, & sacram Eucharistiam sumant, ampliata est *sess.* 25. *cap.* 10. *de regul.* id extendente etiam ad moniales.

XXXV. Decretalis ejusdem relata *in cap. Attendentes* 2. statuentis monasteria monialium Episcopis subjectarum ab iisdem quotannis visitanda esse; subjectarum vero regularibus a suis Prælatis regularibus, ampliata est *sess.* 25. *cap.* 5. *de regul.* decernente visitari & hæc posse ab Episcopis in casu tantum clausuræ restituendæ. *Vide notata Elench. VI. n. XC.*

Tit. XXXVI. De Religiosis Domib. in Clementin.

XXXVI. Decretalis ejusdem relata *in c. Quia contingit* 2. prohibentis §. *Ut autem* nullum hospitale concedendum esse in beneficium Clericis sæcularibus, nisi in casu, quo aliter in illius fundatione constitutum fuerit, vel nisi per electionem fit de Rectore eidem providendum, ampliata est *sess.* 25. *cap.* 8. *de reform.* mandante, ut si hospitale ad certum peregrinorum, aut infirmorum, aut aliarum personarum genus suscipiendum fuerit institutum, nec similes personæ, aut perpaucæ reperiantur, illius fructus in alium pium usum ejusdem hospitalis institutioni proximiorem, ac pro loco, & tempore utiliorem convertantur, prout Ordinario cum duobus de capitulo peritioribus per ipsum deligendis magis expedire visum fuerit; nisi aliter etiam in hunc eventum in dicti hospitalis fundatione, aut institutione fuerit expressum.

Tit. XXXVIII. De Jure patronat.

XXXVII. Decretalis Alex. III. relata *in cap. Quia* 6. statuentis ementem jus patronatus, ut possit præsentare filium, vel nepotem, sive quemcumque voluerit, eo expoliandum esse per sententiam, ampliata est *sess.* 25. *cap.* 9. *de reform.* declarante hoc facere præsumentem privatum esse ipso jure, subjiciendumque pœnis excommunicationis, & interdicti.

Tit. XXXIX. De Censibus in 6.

XXXVIII. Decretalis Greg. IX. relata *in cap. Exigit* 2. infligentis pœnas contra Visitatores ut supra Elen-

Elencho I. n. XLIII. ampliata est *sess.* 24. *cap.* 4. *de reform.* addente alias, quibus absque spe veniæ mulctentur in synodo provinciali ipsius arbitrio.

Tit. XLVIII. De Ecclesiis ædificand.

XXXIX. Decretalis Alex. III. relata *in cap. Ad audientiam* 3. statuentis novam parochiam construi debere intra limites antiquæ, si parochiani ob nimiam distantiam ad eam accedere nequeant sine magno incommodo ad recipienda Sacramenta, & divina officia audienda, assignata portione novo parocho arbitrio Episcopi ex fructibus dictæ antiquæ parochiæ, invito etiam ipsius rectore, ampliata est *sess.* 21. *cap.* 4. *de reform.* præcipiente ulterius, ab Episcopo tamquam delegato Sedis Apost. compelli posse populum, si opus fuerit, ad subministranda novo parocho, quæ pro ipsius sustentatione sufficiant. An autem Episcopus in hujus novæ parochiæ erectione teneatur adhibere consilium, vel consensum Capituli Fagn. *hoc eod. cap. num.* 50. *& seqq.* est in sensu teneri, si agatur de parochia non exempta: secus si de exempta; puta de parochia subjecta Regularibus exemptis.

Lib. IV. tit. III. De Clandestina Desponsatione.

XL. Decretalis Innoc. III. relata *in cap. Cum inhibitio* 3. præcipientis §. 1. faciendas esse publicationes ad detegendum, an aliquod impedimentum obstet matrimonio contrahendo, ampliata est *sess.* 24. *c.* 1. *de reform. matrim.* præcipiente has ter faciendas tribus continuis diebus festis. Moderata est autem quo ad earumdem dispensationem, quæ relinquitur prudentiæ, & judicio Ordinariorum.

XLI. Eadem Decretalis infligens §. *Sane* triennalem pœnam suspensionis ab officio ferendæ sententiæ parocho contemnenti impedire matrimonia interdicta, & cuilibet sacerdoti etiam Regulari præsumenti eisdem interesse, pariter moderata est, cum hæc pœna relinquatur arbitrio Episcopi.

Tit. XIV. De Consanguinitate, & Affinitate in Clementinis.

XLII. Decretalis Clem. V. relata *in cap. unic. Eos qui* infligentis pœnam excommunicationis ipso facto in præsumentes scienter contrahere matrimonium in gradu prohibito consanguinitatis, & affinitatis, ampliata est *sess.* 24. *cap.* 5. *de reform. matrim.* addente ita præsumentem contrahere, & multo magis consummare, separari debere, & carere spe dispensationis: sicuti & illum, qui ignoranter in dicto gradu prohibito contraxerit, sed requisitas solemnitates neglexerit.

Lib. V. tit. IV. ne Prælat. vic. &c.

XLIII. Decretalis Alex. III. relata *in cap. Præterea* 1. prohibentis sub certis pœnis pecuniam dari ad exercendam Episcopalem, seu aliam spiritualem jurisdictionem, ampliata est *sess.* 25. *cap.* 11. *de reform.* ita statuente *Non liceat etiam jurisdictiones Ecclesiasticas, seu facultates nominandi, aut deputandi vicarios in spiritualibus locare; nec conductoribus per se, aut alios ea exercere: aliterque concessiones etiam a Sede Apostolica factæ subreptitiæ censeantur.*

XLIV. Decretalis ejusdem relata *in cap. Quoniam* 2. idem prohibentis, ampliata est, ut supra.

Tit. V. De Magistris.

XLV. Decretalis Innoc. III. relata *in c. Quia nonnullis* 4. decernentis magistrum in Theologia esse eligendum in Metropolitana dumtaxat, ampliata est *sess.* 5. *cap.* 1. *de reform.* præcipiente eligi debere etiam in cathedralibus, si civitas sit insignis, & populosa, ac in collegiatis existentibus in aliquo insigni oppido, etiam nullius diœcesis.

Eadem Decretalis restringens onus docendi gratis magistro grammatices impositum ad Clericos illius Ecclesiæ, in qua est constitutus magister, ampliata est cit. loc. id indistincte extendente ad omnes Clericos, aliosque scholares pauperes.

Tit. VII. De Hæreticis.

XLVI. Decretalis Alexand. III. in Concil. Lateran. relata *in cap. Sicut ait* 6. infligentis excommunicationem ipso facto non reservatam contra hæreticos, eorumque receptatores, fautores, eisque credentes, ampliata est *sess.* 24. *cap.* 6. *de reform.* eam reservante solis Episcopis in casibus tantum occultis absolvendam per se, & non eorum Vicarios. Hodie ex Bulla Cœnæ §. 1. reservatur soli Pontifici etiam in casibus occultis, ut infra *Elench. VI. num. LXIV.*

XLVII. Decretalis Innoc. III. relata *in cap. Excommunicamus* 13. infligentis §. *Credentes* eamdem censuram, ampliata est, ut supra.

Tit. XIV. De Clericis pugnantibus in duello.

XLVIII. Decretalis Alex. III. relata *in cap. Porro* 1. statuentis Clericum sponte duellum offerentem, vel oblatum suscipientem, sive victor, sive victus fuerit, esse deponendum, vel suspendendum, relicta Episcopo facultate eum super hac pœna dispensandi, si in duello non fuerit subsequuta mors, vel membrorum mutilatio, ampliata est *sess.* 25. *cap.* 19. *de reform.* novas pœnas infligente nedum in Clericos, sed etiam in alios, ut ibi. *Vide Additiones meas hoc eod. tit.*

Tit. XXXIII. De Privilegiis in 6.

XLIX. Decretalis Innoc. IV. relata *in cap. Volentes* 1. statuentis exemptos conveniri posse coram locorum Ordinariis ratione delicti, sive contractus, sive rei, si contractus sit initus, & res sita in loco non exempto; non vero ratione domicilii, cum tunc non teneantur respondere, nisi coram certo Judice: item monachos privilegiatos interdici, suspendi, & excommunicari posse ab iisdem Ordinariis, si mittantur ad prioratus illis subjectos, ampliata est *sess.* 7. *cap.* 14. *de reformat.* decernente insuper, ut licet dicti exempti, & regulares extra claustra degentes certum Judicem a S. Sede deputatum habeant, conveniri, & cogi etiam possint ad solvendum debitum in causis mercedum, & miserabilium personarum; sicut & in aliis causis, si Judicem non habuerint.

Tit. XXXIX. De Sent. Excommunicat.

L. Decretalis Honorii III. relata *in cap. Noverit* 49. infligentis excommunicationem, ut supra num. XLVI. ampliata est, ut ibidem.

ELEN-

ELENCHUS IV.

Decretalium a Sac. Concilio Tridentino speciatim innovatarum.

Lib. I. Tit. III. De Rescriptis in 6.

I. Decretalis Bonif. VIII. relata *in cap. Statutum* 11. præcipientis ut supra *Elencho III. n. I.* innovata est, cum ampliatione, ut ibi.

Tit. VI. De Electione, & Electi Potestate.

II. Decretalis Alex. III. relata *in cap. Cum in cunctis* 7. statuentis non assumendos ad Episcopatum, nisi natos ex legitimo matrimonio, & dignos scientia, moribus, ac ætate triginta annorum completorum, innovata est *sess.* 7. *c.* 1. *& sess.* 24. *cap.* 12. *de ref.*

Eodem Tit. in 6.

III. Decretalis Greg. X. relata *in cap. Licet can.* 14. præcipientis parochialem Ecclesiam conferendam esse personæ idoneæ scientia, moribus, & ætate annorum XXV. inceptorum, & quoad hanc sub pœna nullitatis collationis, qui teneatur per se ipsum residere, & infra annum fieri sacerdos, alias eo elapso, hujusmodi Ecclesia privatus sit ipso jure, innovata est *sess.* 7. *c.* 3. *de reform.*

Tit. XIV. De Ætat. Qualit. & Ordine præficiendor. in Clementin.

IV. Decretalis Clem. V. relata *in cap. Ut ii, qui* 2. privantis voce in Capitulis cathedralis, & collegiatæ non promotum ad Subdiaconatum, sicuti & habentem beneficium, cui annexus est Ordo sacer, si cessante impedimento, post annum non fuerit ordinatus, in quo casu privatur etiam medietate distributionum, innovata est *sess.* 22. *cap.* 4. *de reform.* addente etiam, ut per Ordinarios sub iisdem, & aliis pœnis eorumdem arbitrio imponendis, cogatur quisque statutis diebus per se ipsum Ordinem exercere.

Tit. XXXI. De Officio Judicis Ordinarii.

V. Decretalis Innoc. III. relata *in cap. Inter cetera* 15. præcipientis Episcopis prædicationem Verbi Dei per se ipsos, & iis impeditis, per alios, quos ideo in cathedralibus, & collegiatis ad hoc munus institui mandat, innovata est *sess.* 5. *cap.* 2. *de reform.*

Eod. Tit. in 6.

VI. Decretalis Greg. X. relata *in cap. Ordinarii* 3. mandantis Ordinariis compellere obtinentes plura curata, aut alia incompatibilia beneficia ad exhibendam dispensationem pro eorumdem retentione, in illosque procedere, ac si nullam dispensationem haberent, si eam non ostenderint intra tempus ab ipsis constitutum, innovata est *sess.* 7. *cap.* 5. *de reform.* addente, ut interim iidem Ordinarii provideant Ecclesiæ de Vicario cum congrua assignatione fructuum ejusdem Ecclesiæ.

Lib. II. Tit. I. De Judiciis.

VII. Decretalis Innoc. III. relata *in cap. Qualiter* 17. præcipientis Ecclesiæ Prælatis, ut justitiam administrent laicis conquerentibus de Clericis, appellatione remota; simulque prohibentis, ne propter eorumdem Prælatorum negligentiam Clerici trahantur ad forum sæculare, innovata est *sess.* 24. *cap.* 5. *de reform.*

Tit. XXVIII. De Appellat. in 6.

VIII. Decretalis Innoc. IV. relata *in cap. Romana* 3. præscribentis formam servandam, tam in admittendis appellationibus interpositis ad Legatos, Nuncios Apostolicos, Patriarchas, Primates, & Metropolitanos, quam in concedendis inhibitionibus post appellationem, innovata est *sess.* 22. *cap.* 7. *de reform.* sub pœna nullitatis actorum, si secus fiat.

Lib. III. tit. I. de Vita, & Honestate Clericor. in Clementin.

IX. Decretalis Clem. V. relata *in cap. Quoniam* 2. infligentis pœnam in Ecclesiasticos habitum deferentes Clericali statui incongruentem, innovata est *sess.* 14. *cap.* 6. *de reform.* cum ampliatione, ut supra *Elencho III. num. IX.*

Tit. III. De Clericis conjugat. in 6.

X. Decretalis Bonif. VIII. relata *in cap. unic. Clerici* statuentis, ut supra *Elencho III. num. XV.* innovata est cum ampliatione, ut ibi.

Tit. IV. De Clericis non residentibus.

XI. Decretalis Alex. III. relata *in cap. Quia Nonnulli* 3. præcipientis Ecclesiam parochialem non conferendam nisi dignis, & idoneis, qui in ea residere possint, & per se ipsos curam exercere sub pœna amissionis Ecclesiæ in aliter recipientes, & privationis juris conferendi in conferentes, innovata est *sess.* 7. *cap.* 3. *de reform.*

Eod. Tit. in 6.

XII. Decretalis Bonif. VIII. relata *in c. unic. Consuetudinem* statuentis, ut supra *Elencho III. n. XX.* innovata est cum ampliatione, ut ibi.

Tit. V. De Præbendis.

XIII. Decretalis relata *in cap. Non liceat* 2. statuens ut supra *Elencho III. num. XXII.* innovata est *sess.* 21. *cap.* 2. *de reform.* cum ampliatione, ut ibidem.

XIV. Decretalis Alex. III. relata *in cap. Episcopus* 4. statuentis, ut *in citato Elencho III. n. XXII.* innovata est cum ampliatione, ut ibi.

XV. Decretalis Innoc. III. relata *in cap. Cum secundum* 16. statuentis, ut *in cit. Elencho III. n. XX.* innovata est cum ampliatione, ut ibi.

XVI. Decretalis ejusdem relata *in cap. De multa* 28. statuentis, ut supra *Elencho III. n. XXIII.* innovata est cum ampliatione, seu potius explicatione, ut ibi.

XVII. Decretalis ejusdem relata *in cap. Grave nimis* 29. statuentis suspensionem a beneficiorum collatione post secundam monitionem contra ea conferentem indignis infligendam a Concilio provinciali, & Papæ, vel Patriarchæ reservatam, innovata est *sess.* 7. *cap.* 3. *de reform.*

Eod. Tit. in 6.

XVIII. Decretalis Bonif. VIII. relata *in cap. Si Episcopus* 37. statuentis ut *Elencho III. num. XXII.* innovata est cum ampliatione, ut ibi.

Tit. XXXV. De Statu Monachorum.

XIX. Decretalis ejusdem relata *in cap. In singulis* 7. statuentis, ut supra *Elencho III. num. XXXI.* innovata est, cum ampliatione, ut ibi.

Eod. Tit. in 6.

XX. Decretalis Bonif. VIII. relata *in cap. unic. Periculoso* mandantis accurate servari monialium clausuram tam quoad earumdem egressum, quam quoad exterorum ingressum sine justa causa, & de Superioris licentia, innovata est *sess.* 25. *cap.* 5. *de regul.*

Tit. XXXVI.

Tit. XXXVI. De Religiosis domibus in Clementinis,

XXI. Decretalis Clem. V. relata *in cap. Quia contingit* 2. injungentis locorum Ordinariis, ut hospitalia quæcumque etiam exempta fideliter a suis administratoribus gubernentur, hospitalitatemque ex fructibus ad id deputatis exerceant, innovata est *sess.* 7. *cap.* 15. & *sess.* 25. *cap.* 8. *de reform.* cum ampliatione, ut supra *in Elencho III. num. XXXVI.*

Tit. XXXIX. De Censibus in 6.

XXII. Decretalis Greg. X. relata *in cap. Exigit* 2. prohibentis sub certis pœnis quidquam recipi ultra statutas exactiones pro visitatione, innovata est *sess.* 24. *cap.* 3. *de ref.* cum ampliatione, ut supra *in Elencho III. num. XXXVIII.*

Tit. XLV. De Reliquiis, & venerat. Sanctor. in Extrav. Commun.

XXIII. Decretalis Sixti IV. relata *in cap. Grave nimis* 2. excommunicationem latæ sententiæ Papæ reservatam infligentis in præsumentes asserere tam in concionibus, quam alio quocumque modo hæreticos esse, aut mortaliter peccare credentes Beatam Virginem Mariam in sua Conceptione fuisse præservatam a peccato originali, sive ejus Conceptionis officium celebrantes: pariter hæreticos esse, aut mortaliter peccare tenentes contrariam opinionem, fuisse nempe conceptam cum originali peccato, innovata est *sess.* 5. *in decretal. de peccato originali* §. *Declarat.*

Hæc eadem decretalis confirmata est a Sixto V. Paulo V. & Gregorio XV. in suis decretis relatis a Barbosa in hac eadem Decretali, ac insuper a S. Pio V. Constit. - *Super Speculam* - cum additione aliarum pœnarum, & præcipue suspensionis a divinis ipso facto incurrendæ Papæ reservatæ. Et licet in hac Constitut. non comprehendantur Episcopi quo ad dictam pœnam suspensionis, utpote specialiter non nominati in vim *cap. Periculosum* 4. *de sent. excommun. in* 6. comprehenduntur tamen ex Constit. Paul. V. - *Regis*. Thes. Verb. *Conceptio cap.* 1.

Tit. XLVIII. De Ecclesiis ædificandis.

XXIV. Decretalis Alex. III. relata *in cap. Ad audientiam* 3. præcipientis ut supra *Elencho III. numero XXXIX.* innovata est *sess.* 21. *cap.* 4. *de reformat.* cum ampliatione, ut *in cit. num. XXXIX.*

Lib. V. Tit. XXXIII. De Privilegiis.

XXV. Decretalis Innoc. III. relata *in cap. Cum capella* 16. statuentis nihil detrahendum Ordinariorum jurisdictioni in concernentibus Ecclesias parochiales, ac cetera eorumdem Ordinariorum jura, etiam quoad capellanos regios, innovata est *sess.* 24. *cap.* 11. *de ref.*

Eodem Tit. in 6.

XXVI. Decretalis Innocen. IV. relata *in cap. Volentes* 1. statuentis, ut supra *in Elencho III. num. XLIX.* innovata est, *sess.* 7. *cap.* 14. *de reform.* cum ampliatione, ut in *cit. num. XLIX.*

Tit. XXXVIII. De Pœnitentiis, & Remissionibus.

XXVII. Decretalis ejusdem relatæ *in cap. Omnis utriusque* 12. præcipientis omnes doli capaces teneri semel saltem in anno confiteri, & Eucharistiæ sacramentum ad minus in Pascha recipere, innovata est *sess.* 13. *de Sacram. Eucharist. can.* 9. & *sess.* 14. *cap.* 5. *ac can.* 8. *de Pœnit.*

ELENCHUS V.

Privilegiorum a Sac. Conc. Tridentino abrogatorum.

I. Abrogatum est privilegium prædicandi a quocumque verbum Dei sine licentia Ordinarii: & si Prædicatores regulares sunt, sine licentia suorum superiorum, & benedictione Ordinarii in Ecclesiis proprii Ordinis; in alienis vero sine dicta Superiorum licentia, & Ordinarii. Abrogatum est insuper privilegium, quo minus Ordinarius procedat in prædicantes errores, & hæreses, aut scandala disseminantes; sicuti & quæstores eleemosynarum prædicare præsumentes, aut per se, aut per alios *sess.* 5. *cap.* 2. *sess.* 24. *cap.* 4.

II. Privilegium de perpetuo non residendo, aut fructus in absentia percipiendo *sess.* 6. *cap.* 2. *de reform.*

III. Privilegium, quo minus Clericus sæcularis exemptus, vel regularis extra monasterium degens ab Ordinario loci visitari, puniri, aut corrigi valeat. *Sess.* 6. *cap.* 3. *sess.* 14. *cap.* 4. & 5. *sess.* 25. *c.* 6. *de reform.*

IV. Privilegium, quo minus Capitula cathedralium, aliarumque majorum Ecclesiarum, ac illorum personæ visitentur a suis Episcopis, & aliis majoribus Prælatis corrigantur, & emendentur *sess.* 6. *cap.* 4. *de reform.*

V. Privilegium exercendi Pontificalia, & ad Ordines quemcumque promovendi in aliena diœcesi sine licentia Episcopi diœcesani, & litteris dimissoriis sui Prælati *sess.* 6. *cap.* 5. & *sess.* 14. *cap.* 2. *de reform.*

VI. Privilegium, quo minus ab Ordinariis locorum annis singulis visitetur Vicarius perpetuus, aut ad nutum amovibilis, constitutus cum assignatione congruæ portionis etiam super re certa in Ecclesiis curatis unitis cathedralibus, aliisque quibuscumque locis piis *sess.* 7. *cap.* 7. *de reform.*

VII. Privilegium exemptionis ab Ordinario circa visitationem, reparationem, & obsequia præstanda curæ animarum, atque Ecclesiarum ad regulares spectantium *sess.* 7. *cap.* 8.

VIII. Privilegium dimissorias dandi a Capitulo primo anno Sedis vacantis non arctatis *d. sess. cap.* 10.

IX. Privilegium, quin exempti tam sæculares, quam regulares extra monasterium degentes conveniri possint coram Ordinario in civilibus causis mercedum, & miserabilium personarum juxta distinctionem in *hoc eod. cap.* expressam ultra disposita *in c. Volentes* 1. *de priv. in* 6. *sess.* 7. *cap.* 14. *de reform.*

X. Privilegium, quo quis ad sacros Ordines promoveri possit, non obstante denegatione facta ab Ordinario etiam extrajudicialiter, & ob crimen occultum *sess.* 14. *cap.* 1. *de reform.*

XI. Privilegium puniendi alienos subditos sine interventu proprii Ordinarii *d. sess. cap.* 8.

XII. Privilegium transferendi Regularem ad alium Ordinem, si perpetuo non maneat sub obedientia superioris Ordinis, ad quem transfertur *d. sess. cap.* 11.

XIII. Privilegium præsentandi ad beneficium juris patronat. alteri quam Ordinario *d. sess. cap.* 13.

XIV. Privilegium, quo minus ab Ordinariis visitentur commendata monasteria, etiam Abbatiæ, Prioratus, & Præposituræ, ac beneficia tam curata quam non curata sæcularia, & regularia, ubi non viget regularis observantia, qualitercumque commendata, cæteraque præstentur ad curam animarum spectantia, & alia debita obsequia *sess.* 21. *cap.* 8. *de reform.*

XV. Privilegium quæstuationes faciendi *d. sess. c.* 9.

XVI. Privilegium, quo minus Ordinarii locorum circa missæ celebrationem prohibeant. 1. conditiones, ac pacta cujusvis generis mercedum, & quidquid pro missis novis celebrandis datur, nec non importunas, atque illiberales eleemosynarum exactiones. 2. ne interdicant cuicumque vago, & peregrino sacerdoti missam celebrare. 3. ne missa celebretur etiam a regularibus in priva-

privatis domibus, & in locis ad divinum cultum non destinatis. 4. ne vetent exerceri in eadem Ecclesia quascumque actiones sæculares, vana, ac profana colloquia, deambulationes, strepitus, & clamores. 5. quo minus edicto, & pœnis prohibere possint, ne sacerdotes aliis quam debitis horis celebrent, neve ritus alios, aut alias cæremonias, & preces in missarum celebratione adhibeant præter approbatas ab Ecclesia, ac frequenti, & laudabili usu receptas *sess.* 22. *de obser. & vitan. in cel. M.*

XVII. Privilegium non suscipiendi intra annum Ordinem beneficio annexum *sess.* 22. *c.* 4. *de ref.*

XVIII. Privilegium non reddendi quotannis Ordinario rationes piorum locorum cum distinctione in hoc eodem cap. expressa *sess.* 22. *cap.* 9. *de reform.*

XIX. Privilegium non restituendi fructus a beneficiatis illicite absentibus *sess.* 23. *cap.* 1. *de reform.*

XX. Privilegium gaudendi privilegio fori a non gerentibus habitum, & tonsuram Clericalem, carentibusque aliis requisitis in hoc eodem cap. præscriptis *dict. sess. cap.* 6.

XXI. Privilegium adeundi alienum Episcopum absque commendatitiis proprii pro Ordinibus suscipiendis *d. sess.* 23. *cap.* 8.

XXII. Privilegium conferendi ab Abbatibus, aliisque quibuscumque exemptis primam tonsuram, & minores Ordines iis, qui Regulares subditi non sint, & concedendi ab eisdem Abbatibus, collegiis, & capitulis etiam Ecclesiarum cathedralium litteras dimissorias aliquibus Clericis sæcularibus, ut ab aliis, quam a proprio Episcopo ordinentur. *d. sess.* 23. *c.* 10. *Vide notata Elencho II. n. CLXIX.*

XXIII. Privilegium recipiendi Ordines etiam a Regularibus in minori ætate præscripta hoc eod. cap. aut sine prævio Episcopi examine *d. sess.* 23. *cap.* 12.

XXIV. Privilegium excipiendi sæcularium confessiones etiam sacerdotum, a Presbyteris, sive sæcularibus, sive regularibus sine approbatione Episcopi *d. sess. c.* 15.

XXV. Privilegium contra statuta a Trident. circa decreta quoad erectionem, & gubernationem seminariorum, & quoad deputationem, remotionemque scholasticorum, qui docendi munus per se implere non possunt *d. sess.* 23. *cap.* 18.

XXVI. Privilegium non interessendi synodo diœcesanæ *sess.* 24. *cap.* 2. *de reform.*

XXVII. Privilegium, quo minus Visitatores deputati a Capitulo (ubi ei hoc jus visitandi competit) & ab Episcopo approbati, infra mensem teneantur reddere Episcopo rationem peractæ visitationis, eique testium depositiones, ac integra acta exhibere *d. sess. c.* 3.

XXVIII. Privilegium, quin ii, ad quos spectat fideles instituere in rudimentis fidei per censuras etiam compelli possint ad id præstandum *d. sess.* 24. *cap.* 4.

XXIX. Privilegium, quo minus impleantur constituta a Paulo III. *sess.* 6. *cap.* 4. & *sess.* 7. *cap.* 8. *de reform.* & Pio IV. *sess.* 21. *cap.* 8. *de reform.* circa visitationem beneficiorum etiam exemptorum, nec non Ecclesiarum sæcularium nullius diœcesis faciendam ab Episcopo, cujus cathedralis Ecclesia est proximior, si id constet; alioquin ab eo, qui semel in Concilio provinciali a Prælato loci illius electus fuerit *dict. sess.* 24. *cap.* 9.

XXX. Privilegium, quin Episcopus possit unire beneficia simplicia (non tamen regularia) aut eorum proventus præbendis tenuibus, ut præbendarii una cum distributionibus quotidianis inde habeant unde honeste sustententur *d. sess.* 24. *cap.* 15.

XXXI. Privilegium retinendi simul duas parochiales, aut unam cathedralem, & aliam parochialem *dict. sess. cap.* 17.

XXXII. Privilegium, quo minus servetur forma in hoc eod. cap. præscripta circa concursum, examen, & deputationem Vicarii in quibuscumque parochialibus vacantibus *sess.* 24. *cap.* 18. *de reform.*

XXXIII. Privilegium, quo minus causæ omnes tractentur in prima instantia coram Ordinario, aliaque circa appellationem in hoc eod. cap. statuta serventur *d. sess. cap.* 20.

XXXIV. Privilegium erigendi novas regularium domos sine prævia diœcesani Episcopi licentia *sess.* 25. *cap.* 3. *de regul.*

XXXV. Privilegium respectu regularis se subjiciendi obsequio alicujus Prælati, Principis, universitatis, vel communitatis, alteriusque personæ, vel loci prætextu cujuscumque pii operis sine regularis Superioris licentia; sicuti & recedendi a proprio conventu, etiam prætextu suos Superiores adeundi sine eorumdem Superiorum mandato, aut vocatione. Item degendi extra regulares domos, si studiorum causa ad universitates dimissus fuerit *d. sess. cap.* 4.

XXXVI. Privilegium sanctimonialibus concessum exeundi a monasterio post professionem, & aliis quibusque intrandi intra earumdem septa absque licentia Ordinarii etiam in casibus in hoc eod. cap. expressis *dict. sess. cap.* 5.

XXXVII. Privilegium 1. eligendi superiores regulares non servato suffragiorum secreto. 2. constituendi Provinciales, aut Abbates, Priores, aut alios quoscumque titulares ad effectum electionis faciendæ. 3. supplendi voces & suffragia absentium, quæ privilegia declarantur subreptitia, etiamsi in posterum concedantur *ead. sess.* 25. *cap.* 6.

XXXVIII. Privilegium retinendi sanctissimum Christi Corpus intra chorum, vel septa monasterii monialium *ead. sess. cap.* 10.

XXXIX. Privilegium, quo minus personæ tam regulares, quam sæculares exercentes in monasteriis, vel domibus regularium utriusque sexus curam animarum personarum sæcularium (inter quas non intelliguntur comprehensæ personæ, quæ sunt de eorumdem locorum familia) Ordinarii jurisdictioni, visitationi, & correctioni subsint in pertinentibus ad dictam curam, sacramentorum administrationem, & deputationem Parochi, seu capellani curati etiam amovibilis, sine consensu, & prævio examine ejusdem Ordinarii: exceptis. 1. *Monasterio Cluniacensi cum suis limitibus.* 2. *Monasteriis, seu locis, in quibus Abbates, Generales, aut capita Ordinum sedem ordinariam principalem habent.* 3. *Aliis monasteriis, seu domibus, in quibus Abbates, aut alii regularium Superiores jurisdictionem Episcopalem, & temporalem in Parochos, & Parochianos exercent.* Salvo tamen eorum Episcoporum jure majorem jurisdictionem in dictâ loca habentium *sess.* 25. *cap.* 11. *de Regul.* Circa derogationem hujusmodi privilegiorum, exceptis jam enumeratis *vide Constit. Gregor. XV. Inscrutabili. Nonis Febr.* 1622. & *rescriptum S. Pii V. - Exposuit* 22. *Septemb.* 1571. relatum a Barbos. ad dictum cap. 1. in Conc. Trident. quo neque eximuntur Ecclesiæ Parochiales Ordinis militum S. Joan. Hierosolymitani.

XL. Privilegium, quo minus in Ecclesiis regularium publicentur censuræ, & interdicta tam a S. Sede emanata, quam a locorum Ordinariis promulgata; ipsis Ordinariis mandantibus: sicuti & quominus ad iisdem regularibus serventur dies festi ab Episcopo in sua diœcesi præcepti *sess.* 25. *cap.* 12. *de Regul. vide Constit. S. Pii V.-Cum primum* 1566.

XLI. Privilegium, quin exempti, sive sæculares, sive regulares, etiam monachi, compelli nequeant ad publicas processiones (exceptis Regularibus in strictiori clausura viventibus,) judiciumque Episcopi subeant in controversiis ortis super præcedentia in iisdem processionibus, in tumulandis defunctorum cadaveribus, in deferenda umbella, aliisque similibus publicis actibus *sess.* 25. *cap.* 13. *de Regul.* Vide Constit. S. Pii V. *Divina* 1568. & Gregorii XIII. *Exposcit* 1588. & circa alios regulares exemptos *vide tit.* 33. *de major. & obed. in hoc tom. I.*

XLII. Privilegium, quo minus regularis Episcopo non subditus notorie delinquens extra claustra ab eodem Episcopo puniatur, si intra tempus ab eo præscriptum punitus non fuerit a suo Superiore *sess.* 25. *cap.* 14. *de Regul.* Vide Constitut. Clement. VIII. *Suscepti* 1596.

XLIII. Privilegium profitendi in quocumque regulari Ordine utriusque sexus ante annum XVI. expletum, & sine prævio integro probationis anno *d. sess. cap.* 15.

XLIV. Privilegium transferendi regularem ad laxiorem Ordinem *d. sess. c.* 19.

XLV. Privilegium, ne monasteria commendata visitentur ab Abbatibus, qui sunt capita Ordinum, ceterisque dictorum Ordinum superioribus *d. sess. cap.* 11. & 20. *Vide Elench. VI. n. XCV. XCVI. XCVII.*

XLVI. Privilegium, quo minus omnia, & singula decre-

decreta in hac eadem sess. de reform. Regularium sancita observentur *d. sess.* 25. *cap.* 22.

XLVII. Privilegium, quin capitula exempta visitentur ab Episcopo juxta modum in hoc eodem cap. praescriptum *sess.* 25. *cap.* 6. *de reform.*

XLVIII. Privilegium, quo minus serventur praescripta in hoc eod. cap. circa gubernium, administrationes, & ministros hospitalium *d. sess. cap.* 8.

XLIX. Privilegium contra observantiam decretorum circa probationem juris patronatus, jus patronorum, accessiones beneficiorum liberorum ad Ecclesias juris patronatus; revocationem ipsius juris patronatus non legitime quaesiti; examen, & repulsionem praesentatorum non idoneorum ab Episcopo facienda *dict. sess. cap.* 9.

L. Privilegium non solvendi quartam funeralem cathedrali, aut parochiali Ecclesiae solvi consuetam per annos quadraginta ante Trident. si haec postea concessa fuerit monasteriis, aliisque quibuscumque locis piis *d. sess. cap.* 13. *Vide Elencho VI. n. CXIII.*

ELENCHUS VI.

Apostolicarum Constitutionum, quae accesserunt Decretis Concilii Tridentini, partim moderando, partim ampliando, partim declarando, servato ordine sessionum, & capitulorum ejusdem Concilii.

Sess. IV. Decretum de Editione, & usu sacrorum librorum.

I. Decretum hoc innovans poenam inflictam a Concil. Lateranen. *sess.* 10. sub Leone X. excommunicationis latae sententiae, non tamen reservatae, amissionis librorum publice comburendorum, & centum ducatorum fabricae Sancti Petri applicandorum in imprimentes libros de rebus sacris sine nomine auctoris, aut sine examine, & approbatione Ordinariorum, praeter ampliationem factam a Pio IV. Constit. *Dominici* 24. *Martii* 1564. in regula 10. Indicis librorum prohibitor. in calce Conc. Trident. ampliatum est a Bulla Coenae Domini c. 1. reservatam, si liber est auctoris haeretici, & continet haeresim, vel de religione tractat.

Circa libros prohibitos est etiam decretum Congreg. sacrae Inquisitionis jussu Urbani VIII. editum *Sanctissimus* 18. *Septemb.* 1625. prohibentis, ne degens in statu Sedi Apostol. mediate, vel immediate subjecto libros de quavis materia tractantes a se conscriptos audeat alio deferre, vel mittere imprimendos sine approbatione in scriptis urbis Vicarii, & Magistri Sac. Palatii si Romae, si extra, sine Ordinarii, & Inquisitoris loci illius: decernentis insuper hos aliter impressos ipso facto prohibitos esse absque alia declaratione: nullam tamen infligit censuram, si alias libri impressi essent cum licentia superioris loci, ubi imprimuntur.

Item decretum ejusdem jussu editum in ead. Cong. 22. *Maji* 1625. & 1. *Aug.* 1641. contra imprimentes sine speciali licentia Sedis Apost. retinentes, & legentes libros, & tractatus incidenter tractantes de divinis auxiliis: ac alterum sub 5. *Maji* 1639. circa libros, & laminas granatenses, vel libros de his tractantes, retinentes, imprimentes, vulgantes, aut eos in concionibus, vel responsis allegantes.

Reliqua circa libros prohibitos vide in Auctore *lib. V. tit.* 7. *num.* 8. & *seqq.*

Sess. V. cap. I. De Reform.

II. Decretum statuens §. *Ecclesiae vero* constituendum esse ab Episcopo cum consilio Capituli saltem magistrum grammatices in iis Ecclesiis, quarum redditus sunt tenues, & ubi tam exigua est cleri, & populi multitudo, ut theologiae lectio commode haberi nequeat, qui Clericos, aliosque scholares pauperes grammaticam gratis doceat, ampliatum est a Pio IV. Constitut. *In sacrosancta* 13. *Novemb.* 1564. decernente, ut is teneatur emittere fidei professionem cum juramento fidelitatis, & obedientiae summo Pontifici praestandae juxta formam ibi praescriptam, in manibus Ordinarii, sive ejus Vicarii, sub poena nullitatis promotionis, seu electionis tam in judicio, quam extra respectu magistri aliter promoti: respectu vero promoventium, si Antistites sint, interdicti ab ingressu Ecclesiae, si inferiores excommunicationis latae sententiae, privationum dignitatum, beneficiorum, feudorum Ecclesiasticorum, & inhabilitatis ad illa, & alia hujusmodi.

Ead. Sess. & Cap.

III. Decretum statuens §. *In Ecclesiis*, ut in omnibus cathedralibus peculiaris praebenda constituatur pro theologiae lectore cum onere exponendi Sacram Scripturam, ampliatum est a Benedicto XIII. Constit. *Pastoralis* 19. *Maji* 1725. decernente, ut in cathedralibus quibuscumque Italiae, & Insularum adjacentium nedum talis praebenda, ubi non est, erigatur, sed etiam ut eadem per concursum peragendum *coram Episcopo, & quatuor examinatoribus, etiamsi synodales non sint*, digniori, & aptiori conferatur, eo pari modo, quo conferuntur parochiales Ecclesiae; eique tantum, qui vel consequutus sit magisterium, & lauream in sacra theologia, vel intra annum consequi possit.

Quoad redditus his praebendis assignandos *vide Additionem meam lib. III. tit. V. de Praebend. post n.* 7.

Eadem Sess., & Cap.

IV. Decretum praecipiens §. *In monasteriis*, ut in monasteriis quorumcumque monachorum habeatur lectio sacrae Scripturae, ubi commode fieri queat, ampliatum est a Paulo V. Constitut. *Apostolicae* 31. *Julii* 1610. addente etiam lectionem linguae hebraicae, graecae, & arabicae.

Eadem Sess., & Cap.

V. Decretum perseverans §. *Docentes* residentiae lege obstrictis publice docentibus sacram Scripturam, eique studentibus privilegia omnia de perceptione fructuum, praebendarum, & beneficiorum in absentia a jure communi concessa (*cap. Super specula* 5. *de magistris*) ampliatum est a Pio IV. Constit. *Sanctissimus* 24. *Novemb.* 1564. statuente similia indulta a Sede Apostolica concessa per quinquennium, vel aliud tempus beneficiatis studentibus in publica universitate sacrae Scripturae, theologiae, aut juri canonico eis minime suffragari: *Nisi singulorum Ordinariorum locorum, in quibus singula beneficia hujusmodi consistunt, consensus gratis praestandus ad id accedat. Vide Additionem meam Lib. III. tit. IV. post num.* 16. & *Elencho I. num. VI.*

Sess. V. Cap. 2. de reform.

VI. Decretum statuens §. *Archipresbyteri* dominicis saltem, & aliis festis diebus in singulis parochiis pueros instruendos fidei rudimentis, edocendosque obedientiam erga Deum, & parentes, ampliatum est a Benedicto XIV. Constit. *Et si minime* 7. *Feb.* 1742. mandante §. 14. quod Episcopus in Ecclesiis ruralibus, etiam non parochialibus, longe a parochiali sepositis decernat,

cernat, gravibus etiam statutis pœnis, christianæ doctrinæ summam per Sacerdotes ibi operantes populum edoceri.

Prohibente insuper, ne in dictis Ecclesiis Parochiali proximis missæ Sacrificium celebretur, antequam Parochus celebraverit, ut sic confluens populus illum sermocinantem facilius audire possit.

Eodem modo ex decreto Cong. super disciplina regulari Procuratoribus generalibus Ordinum regularium intra Italiam, & Insulas adjacentes transmisso 13. *Novemb.* 1709. edocendi sunt singulis diebus dominicis per aliquem regularem virum idoneum a Provincialibus in unoquoque conventu deputandum laici professi, præsertim quæstores.

S. Pius V. Const. *Ex debito 6. Octob.* 1571. tribuit Episcopis facultatem erigendi tot societates, seu confraternitates ad doctrinæ christianæ opus exercendum, quot eis opportunæ videbuntur; indulgentiam tam pro confratribus, quam pro instruendis ab ipsis elargiendo.

Eadem Sess. V. cap. 2.

VII. Decretum statuens §. *Regulares*, ut hi prædicare volentes etiam in propriis Ecclesiis, præter examen, & approbationem suorum Superiorum, teneantur petere benedictionem ab Ordinariis, ampliatum est a Gregor. XV. Const. *Inscrutabili 5. Febr.* 1622. decernente contrafacientes puniendos esse ab Episcopis censuris, aliisque pœnis tamquam a delegatis Sedis Apostolicæ etiam extra visitationem; sicuti & si prædicaverint in alienis Ecclesiis sine eorumdem licentia.

Idem decretum declaratum est a Clemente X. Const. *Superna 21. Jun.* 1670. statuente, ut iidem Regulares prædicare possint in propriis Ecclesiis, quamvis petitam benedictionem non obtinuerint; non possunt autem, si Ordinarii nedum illam non concesserint, sed etiam contradixerint; qui tamen sine justa, & rationabili causa contradicere non debent. Et hæc omnia intelligenda sunt, etiam si regulares habere voluerint sermonem in quibusvis oratoriis sui Ordinis coram populo, vel in Ecclesiis, aut ad crates monialium sibi subjectarum, licet januis clausis, & nullus sæcularis intersit. Potest autem Episcopus licentiam concessurus eosdem examinare, si prædicare voluerint in alienis Ecclesiis, licet nominati fuerint ab universitatibus, & magistratibus, ac ab immemorabili tempore Episcopi antecessores concedere consueverint licentiam prædicandi absque examine. Item suspendere potest licentiam semel concessam ob rationabiles causas, etiam occultas prædicationem concernentes. *Vide infra n. LXII.*

Eadem Sess. & cap.

VIII. Decretum, quo cavetur §. *Quæstores*, ne quæstores eleemosynarum vel per se, vel per alios prædicare præsumant sub pœnis arbitrio Episcoporum, & Ordinariorum, ampliatum est a S. Pio V. Constit. *Et si dominici* 8. *Februar.* 1567. & *Quam plenum* 2. *Januar.* 1570. prohibente, ne quocumque prætextu publicentur Indulgentiæ ob quæstum, seu prædicetur, ut ad eas consequendas solvenda sit aliqua eleemosyna alicui personæ, vel loco sub pœna in Episcopos, etiam Cardinales secus facientes, seu attentantes suspensionis ab ingressu Ecclesiæ, & perceptionis fructuum suarum Ecclesiarum, donec prævia satisfactione, a Sede Apostolica absolvantur; & in his inferiores excommunicationis Papæ reservatæ. *Vide n. XXXI.*

Sess. VI. cap. 1. juncto cap. 1. Sess. XXII. de Reform.

IX. Decretum infligens §. *Si quis* certas pœnas in Patriarchas, Primates, Metropolitanos, & Episcopos non residentes in suis Ecclesiis ultra sex mensium continuorum tempus, ampliatum est a Pio IV. Constitut. *In suprema* 25. *Novemb.* 1574. addente pœnam amissionis facultatum testandi, & disponendi, siquæ transgressoribus competant, subjiciendo eorum bona spolio favore Cameræ Apostolicæ; necnon inhabilitatis ad majores dignitates, & Ecclesias: quæ pœnæ comprehendunt etiam Parochos non residentes. *Vide n. XLIV.*

Ampliatum insuper est a Benedicto XIV. Const. *Ad universæ* 3. *Septemb.* 1746. addente privationem ipso facto Indultorum competentium Episcopis assistentibus solio Pontificio. In hac Constitutione referuntur disposita a dicto Pio IV, & Urbano VIII. circa residentiam Episcoporum Constit. *S. Synodus* 12. *Decemb.* 1634. & causæ, propter quas iisdem licet a propria Ecclesia, & diœcesi abesse. Cum autem earum cognitio pertineat ad Congregationem specialiter deputatam in Urbe, cujus præfectus est Cardinalis Vicarius pro tempore, ideo consulto earumdem Constitutionum summa hic omittitur.

Eadem Sess. & cap.

X. Decretum statuens, Regularem cujuscumque Ordinis delinquentem extra claustra corrigi, & puniri posse ab Ordinario, non obstante quocumque privilegio, declaratum est a Benedicto XIV. in epistola ad Episcopum Sancti Pauli in America Lusitana *Pontificia* 27. *Maji* 1746. decernente idem præstari posse contra Regulares se asserentes translatos auctoritate Apostolica, ut extra claustra vivant, vel in habitu Sacerdotis sæcularis, vel ut ad aliam Religionem transire possint, in qua claustralis, & regularis observantia non vigeat, nisi ostenderint hujusmodi indultum; cum facultate etiam cognoscendi de subreptione, & obreptione indulti, eaque cognita, procedendi in eos tamquam in degentes extra claustra sine facultate.

Sess. 7. cap. 7. de Reform.

XI. Decretum statuens visitandas esse singulis annis a locorum Ordinariis Ecclesias Parochiales perpetuo unitas quibuscumque locis piis, & monasteriis etiam exemptis, declaratum est a S. Pio V. Constitut. *Exposcit* 22. *Septembr.* 1751. statuente hanc jurisdictionem extendi etiam ad parochiales militiæ S. Joannis Hierosolymitani.

Eadem Sess. & cap.

XII. Decreto decernenti assignandam esse tertiam partem fructuum, aut majorem, vel minorem arbitrio Ordinariorum Vicariis perpetuis Ecclesiarum parochialium, monasteriis, beneficiis, Ecclesiis, vel locis piis perpetuo unitarum, derogatum est a S. Pio V. Constit. *Ad exequendum* 1. *Novemb.* 1567. auferente hoc arbitrium, ac statuente, ut dicta portio *non major centum, nec minor quinquaginta scutorum annuorum summa, computatis omnibus etiam incertis emolumentis, & aliis obventionibus communiter percipi solitis, eis omnino assignetur, nisi solitum fuisset plus assignari. Vide infra num. CXIII.*

Hæc tamen Pii Constitutio ex declaratione Innocentii XIII. Constit. *Apostolici* 23. *Maji* 1723. §. 12. pertinet dumtaxat ad Vicarios perpetuos illarum Ecclesiarum parochialium, quæ aliis Ecclesiis, monasteriis, collegiis, & beneficiis, & locis piis unitæ sunt. Scuta autem, de quibus supra, intelligenda sunt de scutis argenteis juliorum decem monetæ Romanæ pro quolibet scuto.

Quoad Vicarios autem Ecclesiarum mendicantium redacta est ad terminos juris, & Conc. Trid. a Gregor. XIII. Constit. *In tanta* 1. *Mart.* 1573.

Quoad undecim vero perpetuas vicarias Urbis idem S. Pius Constit. *Et si omnibus* 5. *Novemb.* 1571. unicuique suam respectivam taxam præscripsit, quibus præficiendi sunt tantum ex approbatis ab Eminentissimo Vicario, prævio examine per concursum coram examinatoribus ejusdem Urbis.

Sess. XIII. cap. 7. De Eucharistia.

XIII. Decretum præcipiens Sacerdotem peccati lethalis conscium, cui ex officio incumbit celebrare, debere confiteri quam primum, si deficiente copia confessarii, ac urgente necessitate celebraverit absque prævia confessione, declaratum est ab Alexand. VII. proposit. 38. & 39. inter alias ab eodem proscriptas 18. *Mart.* 1666. statuente hoc Tridentini mandatum esse præceptum, non consilium; & ly *quam primum* non esse intelligendum, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.

Sentiunt autem DD. communiter ly *quam primum* habere moralem latitudinem, ac proinde extendi posse ad unum, vel alterum diem.

Sess. XIII. cap. 1. De refor. junctis cap. 10. sess. XXII. in decreto de observand. & vitand. in celebr. miss. & cap. 1. & 18. Sess. XXIII. cap. 10. 18. & 20. sess. XXIV. de reform. cap. 13. sess. XXV. de regul. & cap. 14. sess. XXV. de reform.

XIV. Decreta relata in his citatis capitulis prohibentia appellationem in casibus ibi enunciatis confirmata sunt, & fusius explicata a Benedicto XIV. ut in Additionibus meis *lib. II. tit. 28. post n. 9. Vide infra n. LXXXII.*

Sess. XIV. cap. 4. de Pœnit.

XV. Decretum definiens §. *Illam vero*, attritionem conceptam vel ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex gehennæ, & pœnarum metu esse verum donum Dei, & Spiritus Sancti impulsum, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, declaratum est ab Innocentio XI. ex contrario sensu propositionis 57. inter alias ab eodem proscriptas 2. *Mart.* 1679. *Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam* & ab Alexandro VIII. ex contrario pariter sensu propositionum 14. & 15. a se proscriptarum 7. *Dec.* 1690.– *Timor gehennæ non est supernaturalis - Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.*

Eadem Sess. XIV. cap. 5. De Pœnit.

XVI. Decretum definiens §. *Ex his* peccatorum confessionem faciendam esse non in genere, sed in specie, & sigillatim per ipsosmet pœnitentes, declaratum fuit a Clemente VIII. Constit. *Sanctissimus* 20. *Jun.* 1602. prohibente fieri per litteras, seu internuncium, absolutionemque in absentem dari.

Eadem Sess. cap. 7.

XVII. Decretum statuens nullius esse momenti absolutionem, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut delegatam non habet jurisdictionem, declaratum est ab Alexandro VII. ut ex contrario sensu propositionis 16. ab eodem proscriptæ 24. *Septembr.* 1665. *Qui beneficium parochiale habent, possunt sibi eligere in confessarium Sacerdotem non approbatum ab Ordinario*. Ampliatum vero est ab Innoc. XI. in decreto de communione quotidiana ejus jussu edito a Congr. Conc. 12. *Febr.* 1679. prohibente confessionem etiam venialium, aut mortalium alias absolutorum fieri simplici Sacerdoti: ideoque corrigendi sunt DD. qui contrarium hucusque censuerunt.

Et hic notandum, quod licet Parochi etiam regulares approbati tempore provisionis parochialium ordinariam habeant jurisdictionem in suos parochianos quoad audiendas eorum confessiones, possunt tamen ab Episcopo iterum examinari tam in visitatione, quam extra, sive ab eo instituti fuerint, sive ab ipsius antecessoribus, superveniente rationabili causa, puta vehementi suspicione de illorum imperitia, etiam judiciali probatione non præmissa, ut ex pluribus decretis Congr. Conc. relatis a Benedicto XIV. *lib. XIII. de Synodo diœc. cap. 9. n. 21.* unde pro hoc novo examine non sufficit sola conscientiæ sedandæ ratio. Experimento autem facto de eorumdem inscitia, poterunt Episcopi etiam tamquam delegati Sedis Apostolicæ juxta decretum Trid. *sess. 21. cap. 6. de refor.* his coadjutores, aut vicarios pro tempore deputare, partemque fructuum iis pro sufficienti victu assignare.

Eadem Sess. & cap.

XVIII. Decretum interdicens §. *Neque dubitandum* quibuscumque confessariis facultatem absolvendi a casibus reservatis extra articulum mortis absque speciali ad id deputatione, ampliatum est a Clemente VIII. ut in Auctore, & Additionibus meis *lib. V. tit. 39. n. 24.*

His accessit decretum Alex. VII. 24. *Septemb.* 1665. quo proscripta est hæc propositio - *Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopo reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate*: ac tandem Constitutio Clem. X. *Superna* 22. *Jun.* 1670. qua sancivit. *Habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, non ideo a casibus Episcopo reservatis posse absolvere* - Ac insuper declaravit - *Posse regularem confessorem in ea diœcesi, in qua est approbatus confluentes ex alia diœcesi a peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem confessor est approbatus, absolvere; nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam diœcesim pro absolutione obtinenda migrasse.*

Ex pluribus decretis Cong. Conc. relatis a Benedicto XIV. *lib. V. de Synod. c. 5. n. 8.* idem vetitum est tam confessario electo a confratribus confraternitatum, & signanter SS. Rosarii arbitrantibus, se virtute privilegiorum in quibusdam anni solemnitatibus confessarium sibi eligere posse, qui eos a casibus Episcopo reservatis absolveret; quam Canonico pœnitentiario vi sui muneris sine speciali Episcopi concessione.

Ead. Sess. XIV. de Pœnit. cap. 7.

XIX. Decretum tribuens §§. *Neque & Extra* quibuscumque Superioribus facultatem reservandi peccata sine ulla limitatione, moderatum est a Clemente VIII. sequentibus decretis ipsius jussu editis a Congr. Episc. & Regul. 9. *Jan.* 1601. & 26. *Novemb.* 1602.

Ne locorum Ordinarii, quibus jus hoc reservandorum casuum competit pluribus quam opus sit, reservationibus subditis, aut confessariis in animarum salute procuranda cooperantibus sint onerosi, monentur omnes, ut paucos, eosque tantum, quos ad christianam disciplinam retinendam, animarumque sibi creditarum salutem, pro cujusvis diœcesis statu, & qualitate necessario reservandos esse judicaverint, reservent -- *Ne locorum Ordinarii, ad quos casuum reservatio spectat, ea in re modum excedant, eadem sacra Congr. illos rursum magnopere admonendos censet, ut non passim, sed cum id videbitur communi bono expedire, atrociorum tantum, & graviorum criminum absolutionem sibi reservent, quorum reservatio ad christianam disciplinam retinendam conferat, & in ædificationem, non autem in destructionem cedat; ne alioquin, Sacramenti pœnitentiæ ministrorum coarctata potestate, sanctæ matris Ecclesiæ piæ mentis contrarius effectus subsequatur. Prohibet etiam, ne sibi superflue reservent casus in Bulla die cœnæ Domini legi consueta, contentos, neque alios Sedi Apostolicæ specialiter reservatos.*

Encyclicam hanc quoque litteram dicta *die 26. Novemb.* eadem S. Cong. ad eosdem Ordinarios misit.

Præcipue vero hæc monenda censet Sacra Cong. ut videant ipsi Ordinarii, ne illos casus promiscue reservent, quibus annexa est excommunicatio major a jure imposita, cujus absolutio nemini reservata sit, nisi forte propter frequens scandalum, aut aliam necessariam causam, aliqui hujusmodi casus nominatim reservandi viderentur; neque casus, in quibus absolutio, nisi cum restitutione, vel exequutione eorum, ad quæ pœnitentes tenentur, non confertur; neque illos, qui & si mortale peccatum inducant, circa res tamen parvi momenti versantur, & frequenter inter idiotas evenire solent, uti damni dati, & similium. In peccatis etiam carnalibus reservandis multa utantur circumspectione, propter periculum scandalorum in iis maxime personis, in quas ob accessum ad confessarios extraordinarios, vel frequentem reditum ad ordinarios, suspicionis aliquid cadere potest. Postremo eam potissimum ineant, & sequantur rationem, quæ consideratis diligenter cujusque provinciæ, ac populorum moribus, natura, ac propensione, magis in Domino expedire videbitur.

Idem decretum moderatum est quoad Superiores regulares (Generales nempe, Provinciales, & Abbates quasi Episcopalem jurisdictionem habentes, non Superiores locales) altero ejusdem Clement. decreto *Sanctissimus 26. Maji* 1593. restringentis hujusmodi facultatem ad undecim tantum casus, (quos lege apud Moralistas) qui tamen non sunt eo ipso reservati, sed reservari possunt: jubentis præterea, quod si aliquod aliud grave peccatum reservandum sit, *id aliter non fiat, quam generalis capituli in toto Ordine, aut provincialis in Provincia matura discussione, & consensu.*

Cujus decreti vigore nequeunt dicti Superiores alicui gravi peccato in eo non expresso censuram annectere, quam sibi reservent, ex declaratione Congr. Episc. & Regul. 7. *Jul.* 1617.

Sess. XIV. cap. 1. de Extrem. Unct.

XX. Decretum referens verba Jacobi Apostoli - *Infirmatur quis in vobis inducat Presbyteros Ecclesiæ, &* orent

orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: quamvis ex dictis verbis videatur plures adhibendos esse sacerdotes ad Sacramentum extremæ unctionis ministrandum, declaratum tamen est a Benedicto XIV. Const. *Et si Pastoralis* 6. *Maji* 1742. §. 5. ibi *Nec refert, utrum eadem extrema Unctio per unum, vel plures Presbyteros fiat, ubi hujusmodi viget consuetudo*, dummodo si plures administrent, idem unus formam proferat unctioni respondentem. In Ecclesia vero latina unus tantum illud administrare debet: sed in græca juxta antiquam ipsius consuetudinem septem, vel tres administrare possunt, si commode haberi queant. *Vide cap. Quæsivit* 14. *de Verb. signif.*

Ead. Sess. & cap.

XXI. Decretum statuens §. *Quibus verbis* materiam hujus Sacramenti esse oleum ab Episcopo benedictum, declaratum est a Clem. VIII. valide conferri posse a Sacerdotibus Italo-Græcis oleo tum a semetipsis benedicto: quod idem confirmatum est a Bened. XIV. mox *cit. Constit.* §. 4.

Sess. XIV. cap. 5. *De reform.*

XXII. Decretum statuens §. *Idcirco* causas criminales, & mixtas ad locorum Ordinarios, & non ad Conservatores pertinere: civiles vero ab his posse cognosci, cum ii, quorum privilegia tuentur, rei sunt, non actores: & declarans §. *Universitates* non comprehendi in hoc decreto universitates generales, collegia doctorum, seu scholarium, & regularia loca, nec hospitalia actu hospitalitatem servantia, nec dictorum omnium locorum personas, ampliatum est prius a Clem. VIII. Constit. *Sanctissimus* 19. *Mart.* 1592. ac postea a Gregorio XV. Constit. *Sanctissimus* 20. *Septemb.* 1621. decernente inhærendo vestigiis ipsius Clementis.

1. Ut dicti conservatores nominandi ad iis, quibus a S. Sede hoc privilegium concessum est, sint in dignitate Ecclesiastica constituti, vel obtinentes personatum, vel Canonicatum in cathedralibus juxta cap. *Statutum* 1. *de Rescript. in* 6.

2. Ut sint nominati in provinciali, vel diœcesana synodo, & deinde ex iis electi in conservatores juxta Trid. *sess. XXV. c.* 10. *de ref. & cit. Const.* Clementis.

3. Ut nominatio aliter facta sit eo ipso nulla; regulares vero audentes aliter nominare, & aliter nominatis uti, ipso facto incurrant privationem vocis activæ, & passivæ Papæ reservatam, ac tam dicti regulares, quam sæculares, alias etiam exempti, aliter ut supra, nominantes, & respective utentes, careant conservatore per annum, quo durante, eorum causæ cognoscendæ sint a locorum Ordinariis.

4. Ut si aliquem ex dictis mori contigerit, substituatur alius ab Ordinario cum consilio capituli usque ad futuram synodum.

5. Ut eligentes conservatorem exhibeant documentum electionis, ut supra factæ apud acta curiæ Ordinarii; alias interim conveniantur coram eodem.

6. Ut conservatores sic electi mutari nequeant intra quinquennium, nisi ex causa cognita vel ab Ordinario, vel a Papa, prout electoribus libuerit.

7. Ut habentes conservatorem conveniri possint, & debeant coram ipso, non autem alios convenire, seu ad illum trahere. In quo Gregorius extendit ad conservatores privilegiatos quod Trid. loc. cit. statuit de conservatoribus secundum jura.

Ex eo autem, quod alios convenire, aut trahere non possint, non ideo conservatoribus sublata est facultas defendendi regulares a manifestis injuriis, & violentiis de facto ipsis illatis dum a suis possessionibus dejiciuntur, propriisque bonis uti, & frui impediuntur: dummodo habeant alia requisita secundum jura, & non trahant reos ultra unam dietam juxta decretalem Innoc. IV. & Bonif. VIII. *cap.* 1. *&* 15. *de Offic. deleg. in* 6. ut ex decreto Cong. Conc. relato in calce cit. Constit. Gregorii.

8. Ut controversia orta de jurisdictione inter conservatores, & Ordinarios definiatur per arbitros in forma juris electos, & interim suspendatur in causa principali juxta Trident.

9. Ut conservator procedere non possit contra quoscumque extra civitatem, seu diœcesim, in quibus deputatus est; & si limites suæ jurisdictionis excesserit, eo ipso incurrat suspensionem ab hoc officio per annum (per quod correctum est cap. *Hac Const.* 15. *de offic. delegat. in* 6. ubi secundum aliquos infligebatur pœna suspensionis etiam a divinis) & pars hoc fieri procurans incurrat excommunicationem, a qua nequeat absolvi, nisi satisfacta parte.

10. Ut omnes supradicti, non obstante hac Constitutione, petere possint in casibus a jure permissis a principibus, sive magistratibus sæcularibus judicem non suspectum; si tamen sint actores tantum, & non agant contra Clericum, vel alios a jurisdictione sæculari exemptos, ac si causa fuerit prophana, non autem Ecclesiastica, & in ea Judex laicus eligendus juxta sacrorum Canonum dispositionem, sit competens.

Ead. Sess. XIV. cap. 6. *de reform.*

XXIII. Decretum statuens Clericos, aut in sacris constitutos, aut obtinentes dignitates, personatus, officia, & quæcumque beneficia Ecclesiastica, quantumcumque exemptos non deferentes habitum suis Ordinibus congruentem juxta Episcopi ordinationem, coerceri posse per suspensionem ab Ordinibus, officio, beneficio, & proventibus ipsorum beneficiorum, ac etiam per privationem eorumdem beneficiorum, & officiorum, si semel correcti denuo in hoc deliquerint, ampliatum est a Sixto V. Constit. *Cum sacrosanctum* 9. *Jan.* 1589. decernente, ut quicumque Clerici, etiam Clericali dumtaxat tonsura insigniti, beneficiati, aut pensionarii, licet conjugati, aut exempti, si habitum Clericalem (idest talarem), aut tonsuram non gestaverint, & si milites sint, habitum suæ militiæ congruentem non detulerint, ipso jure privati sint omnibus beneficiis Ecclesiasticis, & pensionibus, nulla monitione, aut sententia expectata; & habentes beneficia talibus pensionibus gravata non teneantur ulterius eos solvere: beneficia vero sic amissa perpetuo reservata sint collationi S. Sedis.

Excipiuntur tamen ab his pœnis ex altera ipsius Const. *Pastoralis* 31. *Jan.* 1589. obtinentes pensionem non excedentem valorem sexaginta ducatorum auri de camera: si vero excedat, declarantur dictis pœnis non ligari, nisi postquam eam exigere cœperint, vel per ipsos steterit, quominus exigant vel percipiant. Excipiuntur etiam familiares Papæ inferioris familiæ, ut famuli, qui non tenentur vestem Clericalem deferre.

Ampliatum est etiam a Bened. XIII. Const. *Catholica* 2. *Maji* 1725. decernente, ut Ordinarii locorum, ubi sita sunt beneficia Clericorum Clericales vestes non deferentium, debeant contra ipsos procedere per citationes, domi dimissa copia, si domicilium habeant in eorum diœcesibus; sin minus, per citationes ad valvas, & sententiam declaratoriam privationis obtentorum beneficiorum juris ordine servato pronunciare; ita tamen, ut dicta beneficia reservata sint collationi S. Sedis juxta *cit. Constit. Sixti V.* Interim vero sic incedentes fructus, & proventus quoscumque non faciant suos, quamvis nulla præcesserit Ordinariorum citatio, monitio, aut judicialis actus, vel sententia, sed omnes ad commodum fabricæ Ecclesiarum, in quibus erecta sunt beneficia, sub pœna lethalis culpæ restituere teneantur, sublata etiam majori Pœnitentiario facultate eos condonandi.

Quæ sublata est etiam a Bened. XIV. Constit. *Pastor bonus* 13. *April.* 1744. §. 24. in casibus publicis tantum: in occultis vero tributa est pro eorumdem fructuum compositione, ac etiam condonatione cum Gallis, Belgis, Germanis, Polonis, & ulterioribus, injuncta eleemosyna arbitrio ipsius majoris Pœnitentiarii taxanda, sed cum Italis, Hispanis, Lusitanis, & adjacentium Insularum pro condonatione, mediante tamen discreta compositione: cum pauperibus autem pro integra condonatione, injuncta juxta eorumdem vires eleemosyna.

Ead. Sess. XIV. cap. 7. *de reform.*

XXIV. Decretum statuens numquam promovendum esse ad sacros Ordines voluntarium homicidam etiam occultum, ampliatum est a Sixto V. Const. *Effrænatam* 29. *Octob.* 1588. hanc prohibitionem extendente ad procurantes quemcumque abortum: quamvis a Greg. XIV. Constit. *Sedes Apostolica* 31. *Maji* 1591. hujusmodi pœna restricta fuerit ad abortum fœtus animati tantum.

Eadem Sess. cap. 11.

XXV. Decretum statuens, non posse regularem transferri de uno ad alium Ordinem, & ad habitum, ac professionem admitti sub prætextu privilegiorum, nisi in Ordine, ad quem transfertur, perpetuo maneat intra claustra sub sui superioris obedientia, ampliatum est a S. Pio V. Constit. *Quacumque* 14. *Octob.* 1569. cassante quascumque Apostolicas concessiones post Concilium super his obtentas, ac nullam decernente admissionem, receptionem, & retentionem etiam juramento firmatam sub pœna in admittentes, & recipientes privationis omnium dignitatum, administrationum, beneficiorum, officiorum, fructuum, & pensionum Ecclesiasticarum, ac inhabilitatis ad eadem, tributa facultate Ordinariis procedendi tam contra recipientes, quam contra receptos.

Ampliatum est etiam ab Urban. VIII. Const. *Sacra Congregatio* 21. *Sept.* 1624. præcipiente quibuscumque regularibus superioribus, ne religioso sibi subdito facultatem concedant transeundi ad aliam Religionem licet arctiorem, nisi prius eis legitime constet, Religionem, ad quam transferendus est, paratam esse eum recipere, & tunc recta via transferatur, sub pœna in eosdem superiores aliter facere præsumentes privationis vocis activæ, & passivæ, ac inhabilitatis ad talia, cujus dispensatio Papæ reservatur. Decernente insuper irritum, & inane quidquid secus fuerit attentatum.

Ampliatum est insuper a Bened. XIII. Const. *Licet* 13. *Febr.* 1726. hujusmodi transitum interdicente, etiamsi de apostata transferendo ageretur, ad quemlibet militarem, aut hospitalarem Ordinem, vel hospitalarem simul, & militarem, quamvis in eo claustralis observantia vigeret; sublata quibuscumque facultate concedendi transitum ad dictos Ordines etiam S. R. E. Cardinalibus, Legatis, Nunciis, Vicelegato Avenionensi, utrique Congregationi Episcopor. & Regul. ac Conc. Trident. Interpretum, ipsiquemet Cardinali majori Pœnitentiario; ut etiam fusius declaratum est in Constit. Benedict. XIV. *Pastor bonus* 13. *Apr.* 1744. ubi §. 35. interdicitur facultas eidem majori Pœnitentiario concedendi hujusmodi transitum ad Ordines militares, & hospitalarios, ut ad Ordines S. Spiritus in Saxia de Urbe (excepto Ordine S. Joannis de Deo) nec S. Benedicti antiquioris observantiæ, aut ad alias consimiles Congregationes cujuscumque Ordinis. Concedere tamen potest hunc transitum, ut §. 34. nedum a laxiore Ordine ad arctiorem, sed etiam ad æqualem, & laxiorem justis, & gravibus de causis, audito prius superiore Ordinis, a quo, & cum consensu superioris Ordinis, ad quem fit transitus; qui de laxiore ad strictiorem impediri non debet sine causa. Si vero superiores duorum Ordinum dissentiant, devolvitur judicium ad S. Sedem, a qua derogari solet consensui superioris Ordinis laxioris, ut ex altera ejusdem Constit. *Ex quo* 14. *Jan.* 1747. §. *At enim.* Item ex cit. Constit. *Pastor bonus* §. 36. concedere potest transitum ab uno ad aliud monasterium monialibus existentibus tantum ultra montes ob legitimam causam, committendo hujus transitus exequendi facultatem arbitrio Ordinariorum cum clausulis opportunis pro casuum varietate. *Vide infra n. CII.*

Nota hic ex Constit. Urbani VIII. *Honorum* 24. *Februar.* 1643. quod Regulares ejecti, aut translati ad alium Ordinem etiam de licentia Papæ, qui ex Instituto, in quo prius professionem emiserunt, votum habent, seu juramentum annexum de non procuranda, vel acceptanda dignitate, aut prælatura extra eorum Ordinem, remanent adstricti prædictis voto, seu juramento, reservata soli Papæ potestate illud irritandi, seu præceptum faciendi de acceptanda dignitate.

Ead. Sess. XIV. cap. 11.

XXVI. Decretum statuens Regularem aliter, ut supra translatum, etiam si Canonicus regularis sit, incapacem esse beneficii sæcularis etiam curati, ampliatum est a Benedicto XIV. Constit. *Quod inscrutabili* 9. *Jul.* 1745. extendente hujusmodi prohibitionem ad Canonicos regulares Lateranenses, & SS. Salvatoris, licet numquam translatos, quibus interdicitur consequutio nedum beneficii sæcularis, & curati, sed etiam cujuscumque beneficii simplicis, & pensionis absque Indulto Apostolico non obstante decretali Innoc. III. relata in c. *Quod Dei timorem de statu monachorum*, cujus vigore poterant præfici Ecclesiæ parochiali, etiam sæculari de solo superioris consensu; cui per hanc Constitutionem expresse derogatum est. Provisi vero cum tali Indulto de beneficio curato, aut residentiali, ex ead. Constit. non arctantur habitum regularem deferre, nec socium sui Ordinis retinere; neque a superioribus revocari possunt ad claustra, etiamsi coadjutorem acceperint, aut jubilationem obtinuerint; ad quæ solum redire coguntur, si dicta beneficia resignaverint, vel iisdem per sententiam privati fuerint, aut perpetuo suspensi, & inhabilitati. Item ex altera ejusdem Constit. *Quo magis* 18. *Dec.* 1742. neque præfici possunt Presbyteri Congregationis Missionis beneficiis Ecclesiasticis personalem residentiam requirentibus, vel animarum curam annexam habentibus extra dictam Congregationem.

Sess. XXI. cap. 1. de reform.

XXVII. Decretum prohibens sub pœnis a jure statutis aliquid recipi pro collatione ordinum, ampliatum est a S. Pio V. Constit. *Cum primum* 1. *April.* 1566. infligente in convictos simoniam commisisse pro consequendis ordinibus pœnam carceris per annum, & suspensionis ipso facto ab illorum exequutione per decennium, absque spe dispensationis: in collatores vero, licet sint Episcopi, Archiepiscopi, vel his majores, pœnas a jure statutas.

Verum ex Const. Sixti V. *Sanctum* 5. *Jan.* 1588. ordinans incurrit perpetuam suspensionem a collatione Ordinum, etiam primæ tonsuræ, & ab exequutione munerum Pontificalium, ac interdictum ab ingressu Ecclesiæ: ordinatus vero suspensionem ab exequutione Ordinum (etiam non simoniace susceptorum juxta probabiliorem sententiam) Ulterius scienter violantes has censuras per exercitium Ordinum iis vetitum præter irregularitatem ex eadem Const. ordinans incurrit suspensionem ab administratione Ecclesiæ, & a perceptione fructuum omnium suorum beneficiorum; & ordinatus exercendo Ordines etiam minores, privationes officiorum, & beneficiorum, ac inhabilitatem ad talia; & beneficia reservantur Papæ tamquam vacantia in Curia: quod si ordinatus regularis sit, incurrit privationem vocis activæ & passivæ, ac inhabilitatis ad eam.

Et hic peculiariter est notandum ex eadem Constit. quod ab his omnibus censuris, neque in casu occulto possit Episcopus in vim *c.* 6. *Trid. Sess.* 24. *de Reform.* absolvere, cui Sixtus derogavit: & quamvis quoad alia capita dicta Const. redacta fuerit a Clem. VIII. Const. *Romanum* 28. *Febr.* 1595. ad terminos juris communis, nihilominus §. 1. præservavit pœnas ibidem latas contra simoniacos in ordine.

Ex Const. Benedict. XIV. *Pastor bonus* 13. *Aprilis* 1744. §. 19. tribuitur Cardinali majori pœnitentiario facultas absolvendi hujusmodi simoniacos in occultis dumtaxat, & in foro conscientiæ tantum, injuncta gravi pœnitentia.

Ead. Sess. XXI. cap. 2. *de reform.*

XXVIII. Decretum statuens neminem sæcularem promovendum ad sacros ordines sine beneficio Ecclesiastico, quod sibi ad victum honeste sufficiat, quodque pacifice possideat, ampliatum est a S. Pio V. Const. *Romanus* 14. *Octob.* 1568. hoc extendente etiam ad Clericos regulares non professos, sive sæculares more Religiosorum in communi viventes. Excipiuntur tamen Religiosi Societatis Jesu, licet vota tantum simplicia emiserint ex Const. Greg. XIII. *Ascendente* 1584. & Gregorii XIV. Constit. *Ecclesiæ* 1591.

Ampliatum est etiam, & declaratum ab Innoc. XII. Constit. *Speculatores* 4. *Novem.* 1694. hæc decernente §. 3. *Licet vero Clericus ratione cujusvis beneficii in aliena diœcesi obtenti subjici dicatur jurisdictioni illius Episcopi, in cujus diœcesi beneficium hujusmodi situm est, eam tamen de cetero hac in re inconcusse servari volumus regulam, ut nemo ejusmodi subjectionem ad effectum suscipiendi Ordines acquirere censeatur, nisi beneficium prædictum ejus sit redditus, ut ad congruam vitæ sustentationem sive juxta taxam synodalem, sive ea deficiente, juxta morem regionis propromovendis ad sacros Ordines, detractis oneribus, per se sufficiat, illudque ab ordinando pacifice possideatur;*

subla-

sublata quacumque facultate supplendi, quod deficeret fructibus ejusdem beneficii cum adjectione patrimonii etiam pinguis, quod ipse ordinandus in eadem, seu alia quavis diœcesi obtineret. Ac Episcopus sic ordinans tam de prædictis testimonialibus litteris, quam de reddit u beneficii hujusmodi expressam in consueta collatorum Ordinum attestatione mentionem facere debebit.

Ex declaratione Innoc. XIII. Const. *Apostolici* 13. *Maji* 1723. pro Regnis Hispaniæ, & a Bened. XIII. extensa ad totum Orbem Const. *In supremo* 23. *Sept.* 1724. sufficientia beneficii, si hoc continuam, & perpetuam residentiam exposcit, desumenda est a taxa præscripta in diœcesi, in qua beneficiatus illud possidet; si vero hic non obstringitur hoc vinculo, desumenda erit a taxa synodali præfinita, vel hac deficiente, a more vigente in loco, ubi domicilium habet.

Post publicationem cit. Const. *Speculatores* usque a die 14. Ap. 1696. vivente adhuc ipso Innoc. XII. Legislatore, pluries exorta est controversia, ne ab eadem Constit. aliquid innovatum fuerit circa detractionem onerum missarum beneficio, ad cujus titulum quis ordinatur, annexarum, ad effectum constituendi summam taxæ in synodo præfinitæ, sive beneficiatus teneatur eas celebrare per se ipsum, sive per alium, libratisque in Congr. Conc. rationum momentis hinc inde militantium, respondit id in utroque casu relinquendum esse arbitrio Ordinariorum, ut videre est in Thesauro Resol. ejusd. Cong. sub die 8. Aug. 1722. 24. Apr. & 17. Jul. 1723. cui responso adhæret etiam Bened. XIV. *lib. XII. de Synod. Diœc. cap. 9. n. 6. & 7.*

§. 4. *Ceterum subditus ratione originis is tantum sit, ac esse intelligatur, qui naturaliter ortus est in ea diœcesi, in qua ad Ordines promoveri desiderat, dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occasione nimirum itineris, officii, legationis, mercaturæ, vel cujusvis alterius temporalis moræ, seu permanentiæ ejus patris in illo loco: quo casu nullatenus ejusmodi fortuita nativitas, sed vera tantum, & naturalis patris origo erit attendenda. Quod si quis tanto temporis spatio in eo loco, in quo ex accidenti, sicut præmittitur, natus est, moram traxerit, ut potuerit ibidem Canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab Ordinario ejus loci litteras testimoniales, ut supra, obtinere, illasque Episcopo ordinanti per eum in collatorum Ordinum testimonio, similiter recensendas præsentare teneatur.*

§. 5. *At si pater in alieno loco, ubi ejus filius natus est, tamdiu, ac eo animo permanserit, ut inibi vere domicilium de jure contraxerit, tunc non origo patris, sed domicilium per patrem legitime, ut præfertur, contractum pro ordinatione ejusdem filii attendi debeat. Subditus autem ratione domicilii ad effectum suscipiendi Ordines is dumtaxat censeatur, qui licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo stabiliter constituerit in aliquo loco, ut vel per decennium saltem in eo habitando, vel majorem rerum, ac bonorum suorum partem cum instructis ædibus in locum hujusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit, & nihilominus ulterius utroque casu, se vere, & realiter animum hujusmodi habere jurejurando affirmet. Si quis tamen a propriæ originis loco in ea ætate discesserit, qua potuerit alicui Canonico impedimento obnoxius effici, etiam Ordinarii suæ originis testimoniales litteras, ut supra, afferre debebit, ac de illis expressa similiter mentio in susceptorum Ordinum litteris facienda erit.*

§. 6. *Ad hæc nullus Episcopus alienæ diœcesis subditum familiarem suum ad aliquos sacros, seu minores Ordines, vel etiam primam tonsuram promovere, seu ordinare præsumat absque ejus originis, scilicet seu domicilii Prælati testimonialibus litteris, ut supra, & nisi ad præscriptum Conc. Trid. præfati sess. 23. c. 9. de ref. familiarem prædictum per integrum, & completum triennium in suo actuali servitio secum retinuerit, ac suis sumptibus aluerit; beneficium insuper, quod ei ad vitam sustentandam juxta modum superius præfinitum sufficiat, quacumque causa cessante, statim, hoc est saltem intra terminum unius mensis a die factæ ordinationis, reipsa illi conferat, ac in ordinationis ejusmodi testimonio expressam itidem familiaritatis, ac litterarum prædictarum mentionem facere teneatur.*

§. 7. *Porro ut quicumque fraudibus aditus omnino præcludatur, volumus... ut Episcopus quilibet suos ratione originis, sive domicilii subditos Clericos quoscumque ab alienis Episcopis quavis auctoritate, etiam cum suis commendatitiis litteris promotos, nedum ad formam Conc. Trid. supradicti sess. 14. c. 3. de ref. quoad scientiam examinare valeat, verum etiam Ordinum eis collatorum testimoniales litteras, gratis tamen, recognoscere, ac diligenter perquirere, an quoad illos præsentis Constitutionis forma, & dispositio adimpleta fuerit, assignato sic promotis termino competenti ei magis benevisο ad docendum de hujusmodi adimplemento; itaut quos, eo termino elapso, id minime præstitisse compererit, a susceptorum Ordinum exercitio, si ita, & quamdiu ei expedire videbitur, suspendere, illisque ne in altari, aut in aliquo Ordine ministrent interdicere possit.*

§. 8. *Si quid in eisdem præmissis, seu eorum aliquo secus fiat, Ordinans quidem a collatione Ordinum per annum; ordinatus vero a susceptorum Ordinum exequutione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, eo ipso suspensus sit, aliisque insuper gravioribus pœnis pro modo culpæ nostro, & pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio infligendos uterque subjaceat.*

Sess. XXI. cap. 2. de reform.

XXIX. Decretum statuens §. *Patrimonium*, neminem ad sacros Ordines esse promovendum ad titulum patrimonii, vel pensionis, nisi Episcopus sic judicaverit expedire pro necessitate, vel utilitate Ecclesiæ, constito tamen prius de tali titulo, ejusque sufficientia ad vitam honeste sustentandam, antiquorum Canonum pœnas in contrafacientes innovando, confirmatum est quo ad primam partem ab Innoc. XI. qui litteris encyclicis ad singulos Episcopos missis 13. *Maji* 1679. relatis a Benedicto XIV. Instit. Ecclesiast. 26. hoc Trid. decretum penitus servari jussit: declaratum autem est ab Innoc. XII. cit. Constit. *Speculatores* decernente §. 1. Episcopos ad id non coarctari.

Quoad secundam vero partem, cum inter pœnas a Trid. innovatas sit suspensio ab exercitio Ordinum contra ordinatum titulo imparis beneficii, aut fictitii patrimonii (& irregularitas, si Ordines exerceat) ut etiam declaravit Cong. Conc. 27. *Novemb.* 1610. ampliatum est ab Urbano VIII. Constit. *Secretis* 11. *Decemb.* 1624. infligente pœnam perpetuæ suspensionis eo ipso incurrendæ absque spe dispensationis a Sede Apostolica obtinendæ in Ultramontanos, seu exteros, si in Italia ficto, vel fiduciario, vel falso patrimonii titulo se faciant promoveri. *Vide Additiones meas lib. I. tit. 11. §. 3. post n. 18. & 19.*

Sess. XXI. cap. 8. de reform.

XXX. Decretum mandans Episcopis tamquam delegatis Sedis Apostolicæ, ut singulis annis visitent monasteria commendata, in quibus non viget regularis observantia, extensum est ab Innoc. X. Decreto *Ut in parvis* 10. *Febr.* 1654. ad omnes regulares, quorum conventus numquam suppressi fundati fuerunt intra Italiam, & Insulas adjacentes ante decretum Urb. VIII. nempe ante diem 21. *Jun.* 1625. hos, personasque tam regulares, quam sæculares in ipsis degentes subjiciendo visitationi, correctioni, & omnimodæ jurisdictioni Ordinarii loci tamquam Sedis Apostolicæ delegato, si ibi actu non alantur saltem sex Religiosi probatæ vitæ, quorum ad minus quatuor sint Sacerdotes maturæ ætatis (quadraginta nempe annorum completorum) sicut & conventus erectos post dictam diem, in quibus degunt Religiosi minori numero, quam duodecim. Quæ decreta una cum altero Gregorii XV. confirmata, & renovata fuerunt ab Innoc. XII. Const. *Nuper* 23. *Decemb.* 1697. §. 15.

Vigore cit. decret. Innoc. ex declarationibus Congr. super statu Regularium approbatis ab Alexand. VII. 27. *Julii* 1655. Episcopus in dictis conventibus, in quibus non degunt sex Religiosi, ut supra, potest.

1. Removere ex rationabili causa Religiosos, monito tamen prius eorum superiore, ut alio eos transferat.

2. Compellere superiorem localem ad sibi exhibendos libros introitus, & exitus, & ad reddendam rationem administrationis.

3. Se ingerere in concernentibus disciplinam regularem.

4. Visitare Ecclesiam, & Conversos in granciis degentes, earumque capellas, sive hi ibidem degant, sive non.

5. Prosequi causam, in qua contra aliquem religiosum prævenit, & eum, si amotus fuerit a suo superiore, revocare, etiam invocato auxilio Ordinarii, & brachio sæculari cujuscumque loci, in quo idem religiosus reperitur.

Quæ facultates omnes competunt etiam Vicario generali Episcopi, ac Abbatibus, aliisque superioribus Prælatis proprium territorium, ac jurisdictionem quasi Episcopalem habentibus: salva tamen semper jurisdictione superiorum regularium quoad visitationem, correctionem, & punitionem religiosorum, non vero privative ad Episcopum, aliosque hic enunciatos.

6. Vocare ad synodum diœcesanam ex declaratione ejusdem Alex. VII. 10. *Maji* 1663. superiores dictorum conventuum, qui si vocentur, tenentur ad illam accedere.

In prædictis autem conventibus Episcopus non potest.

1. Deputare superiores locales, & familiam constituere.

2. Visitare dictos conventus tam suppressos, & postea restitutos, quam non suppressos, ad effectum cognoscendi, an ibidem revera alantur sex Religiosi, antequam aliunde constet de fundamento ipsius intentionis in deficientia dicti numeri.

3. Quidquam exigere procurationis nomine, cum visitat dictos conventus, personasque ibi degentes.

4. Reassumere causam, superiorique inhibere, quando hic prævenit in eadem causa contra Religiosum, fabricando processum, vel eum carceri mancipando, dummodo ipsi non constet ex odio, vel amore, cupiditate, vel metu, aut ex nimia severitate, vel indulgentia quid durius, aut remissius ab eodem superiore constitui, quam causa deposcat.

5. Prohibere, ne aliquis Religiosus a suo superiore inde amoveatur.

Ex iisdem declarationibus notandum est.

1. Conventum non remanere suspensum, si ex rationabili causa ad breve tempus unus, vel plures ex sex religiosis ibi degentibus absint.

2. Conventum non suppressum subjacere jurisdictioni Ordinarii pro tempore absentiæ, si absit aliquis ex dictis sex, etiam ex rationabili causa, & ad modicum tempus; non vero impleto numero post illius reditum.

3. Gratiam restitutionis conventus suppressi ex causa deficientiæ numeri Religiosorum non reviviscere impleto postea numero; non potest tamen Episcopus illius possessionem capere, aut Religiosos expellere in vim cit. decreti ante declaratoriam a se faciendam super facto, prævia cognitione: a qua declaratoria licitum est regularibus ad sanctam Sedem appellare in devolutivo tantum.

Item ex aliis declarationibus ejusdem Congr. 11. *Septemb.* 1670. & 19. *Novemb.* 1671. potest Ordinarius.

4. Visitare grancias suppressas, & ad statum sæcularem redactas, illarumque Ecclesias etiam non habentes curam animarum, & publica oratoria privative quoad superiores regulares: non tamen se ingerere in temporalibus, si earum proprietas reservata, vel restituta est principalibus monasteriis: quoad conversos vero ibidem degentes cumulative cum iisdem superioribus.

5. Item potest prosequi causam a se legitime inceptam ante recuperationem exemptionis conventuum contra Religiosum, eumque condemnare, & punire, etiam pœna corporis afflictiva, si exemptione superveniente ipsum liberum non invenerit.

6. Non potest autem visitare eosdem conventus postquam exemptionem recuperaverunt, ut certioretur, an decreta a se facta in visitatione ante dictam recuperationem fuerint exequutioni demandata, nec ea exequi; minusque pœnas adjicere pro illorum exequutione, cum ipsius jurisdictio expiraverit, statim ac conventus ob numerum Religiosorum usque ad sex sine fraude adauctum, exemptionem recuperarunt.

7. Superiores regulares possunt nominare Vicarios dictarum Ecclesiarum, si curam annexam habeant, eosque ad nutum amovere, si Ordinarius loci ab initio illos deputavit amovibiles.

Eadem Sess. XXI. cap. 9.

XXXI. Decretum prohibens quæstores eleemosynarum cum publicatione Indulgentiarum, ut supra num. VIII. ampliatum est, ut ibi.

Sess. XXII. cap. 6. de Sacrif. Missæ juncto cap. 8. Sess. XIII. de Eucharist.

XXXII. Decretis, quibus fideles nedum hortantur ad sanctissimæ communionis frequentiam, sed etiam eis demonstratur Concilii desiderium, ut in singulis missis adstantes sacramentali Eucharistiæ perceptione communicent, accessit declaratio Innocentii XI. ut ex decreto Congr. Conc. ejus jussu edito 12. *Feb.* 1679. & relato *lib. VIII. de synodo diœc. cap.* 12. *num.* 8. quo hujusmodi frequentia permittenda, aut deneganda statuitur juxta prudens Ordinariorum judicium, sive per se, sive per Parochos, aut confessarios dirigendum secundum peculiarem cujuslibet statum, devotionem, & charitatem.

Notandum hic ex decreto Sac. Rit. Cong. 2. *Sept.* 1741. quod si obsequendo Concilii desiderio fideles communicare voluerint in missis defunctorum, non est eis administranda Eucharistia per modum Sacramenti, scilicet cum particulis præconsecratis, extrahendo pixidem a custodia, sed per modum Sacrificii; prout est, quando ipsis administratur cum particulis intra eamdem missam consecratis.

Eadem Sess. cap. 8. de Sacrif. Miss.

XXXIII. Decretum statuens, ut missa celebretur retento antiquo ritu cujuscumque Ecclesiæ (latinæ, nempe & græcæ), & a S. Romana Ecclesia approbato, ampliatum est a S. Pio V. Constit. *Providentia* 20. *Aug.* 1566. revocante facultatem quomodolibet concessam Græcis latino ritu, & Latinis græco more eam, & divina officia celebrandi; sub pœna in contrafacientes perpetuæ suspensionis a divinis.

Ex decreto tamen sacræ Inquisitionis ann. 1602. approbante Clemente VIII. relato a Benedicto XIV. Constit. *Imposito* 29. *Mart.* 1751. §. 7. licet Sacerdotibus ruthenis in Ecclesiis ritus latini uti altaribus, calicibus, & vestibus sacris pro celebratione missæ, etiam devotionis causa, quibus utuntur Latini; sicut & Sacerdotibus ritus latini in Ecclesiis Ruthenorum uti altaribus cum eorumdem antimensiis, idest linteis Episcopali benedictione consecratis loco sacrati lapidis, calicibus, & vestibus, dummodo eorum quilibet celebret in suo respective ritu, secluso scandalo, & de licentia Prælatorum, ac Rectorum ipsarum respective Ecclesiarum: quod facere poterunt in solo casu necessitatis, cum scilicet Presbyteri latini longe degunt ab Ecclesiis latini ritus; ac propterea secum deferre nequeant sacratas tabulas lapideas sine gravi incommodo, & periculo eas confringendi, ut ex cit. §.7.

Eadem Sess. XXII. & cap. 8.

XXXIV. Decretum mandans §. *Atque*, ut Episcopi cujusvis generis mercedem, conditiones, pacta, & quidquid pro missis novis celebrandis datur, necnon importunas, atque illiberales eleemosynarum exactiones potius, quam postulationes, aliaque hujusmodi, quæ a simoniæ labe, vel certe a turpi quæstu non longe absunt, omnino prohibeant, declaratum est prius ab Urbano VIII. Const. *Cum sæpe* 21. *Jun.* 1625. cujus decreta referuntur in Const. Innoc. XII. *Nuper* 24. *Decemb.* 1697. & postremo ab Alex. VII. ut ex his propositionibus ab ipso proscriptis 24. *Septemb.* 1665. *Post decretum Urbani potest Sacerdos, cui missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta - Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urban. VIII. — Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre: neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam juramento firmata danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.*

Hæ tamen prohibitiones locum non habent in beneficiis, quæ conferuntur in titulum, ita ut illorum rectores, qui possunt per alios celebrare, teneantur Sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem reddittuum beneficii, sed satis est, ut dent eleemosynam congruam secundum morem civitatis, vel Provinciæ, nisi in fundatione aliud cautum fuerit, ut ex responsione ad decimum dubium relata post cit. Constit. Urbani.

His

His accedit Constitut. Benedicti XIV. *Quanta* 30. *Jun.* 1741. prohibentis sub pœna excommunicationis in laicos, suspensionis vero in Clericos ipso facto incurrendarum, & Papæ reservatarum, colligentes missas, easque celebrari facientes, ubi easdem collegerunt, vel alibi, retenta sibi parte eleemosynarum acceptarum.

Ead. Sess. XXII. in decreto de observandis, & vitandis in celebrat. Miss.

XXXV. Decretum prohibens §. *Deinde* in Ecclesiis omnes sæculares actiones, vana, & profana colloquia, deambulationes, strepitus, & clamores, ampliatum est a S. Pio V. Const. *Quamprimum* 1. *April.* 1566. statuente, ut vociferantes, deambulantes, aut verso tergo ad SS. Sacramentum irreverenter sedentes, dum missæ, & divina officia celebrantur, & verbum Dei prædicatur, mulctentur pœna 25. ducatorum; & si non sint solvendo, pœna corporali, aut exilio. Eadem pœna, & alia carceris per mensem plectantur ibidem colloquia habentes cum impudicis mulieribus, aut etiam cum honestis scurriliter loquentes, aut alios inhonestos actus facientes. Habentes autem cum quibuscumque personis fœda colloquia, aut signa, pœna decem aureorum, aut alia corporali. Præpositi, & officiales quarumcumque sæcularium Ecclesiarum prædictos non admonentes, & non impedientes, pœna duorum aureorum pro qualibet vice, sicut & non ejicientes pauperes mendicantes tempore missarum, prædicationum, aliorumque divinorum officiorum sub pœna duorum aureorum capitulis infligenda pro qualibet vice: sed parochi dimidii aurei pariter pro qualibet vice. Regulares vero id non præstantes corripiantur a locorum Ordinariis.

Eadem Sess. XXII. & decr.

XXXVI. Decretum statuens §. *Postremo* missas celebrandas esse debitis horis, declaratum, & simul ampliatum est a Pio V. Constit. *Sanctissimus.* 29. *Mart.* 1566. prohibente, ne quis eas præsumat celebrare vespertino tempore prætextu quorumcumque privilegiorum, sub pœna perpetuæ suspensionis a divinis.

Sess. XXII. cap. 1. *de reform.*

XXXVII. Decretum præcipiens Clericis delationem habitus suo statui congruentis, ampliatum est ut supra num. XXIII.

Ead. Sess. & cap.

XXXVIII. Decretum præcipiens §. *Cum igitur* observanda esse quæcumque statuta sunt a summis Pontificibus, & Conciliis contra Clericos sæcularibus negotiis se immiscentes sub pœnis ab iisdem impositis, & etiam majoribus arbitrio Ordinariorum, ampliatum est a Bened. XIV. Constit. *Apostolicæ* 25. *Feb.* 1741. dictas pœnas extendente ad Clericos illicite sub alieno nomine negotia exercentes, perinde ac si per se, & proprio eorum nomine eadem exercerent. Decernente insuper.

1. Ut omnia, & singula bona sic ab eis alieno nomine acquisita sub spolii pœna subjiciantur juxta Constit. Pii IV. *Decens* 5. *Novemb.* 1560.

2. Ut negotia per laicos prius inchoata, & ad ipsos Clericos delata continuari nequeant sub iisdem pœnis, nisi urgeat necessitas, & de licentia Cong. Conc. aut etiam Ordinarii extra Italiam, ad tempus dumtaxat concedenda; ita tamen, ut pertractentur per interpositam laici personam.

3. Ut exempti a spolio ad effectum testandi, aut transmittendi in hæredes, ab eo non eximantur quoad bona sic acquisita, non obstante Indulto Pii IV. Constit. *Romanus Pontifex* 5. *Februarii* 1560. & Pauli V. *In eminenti* 8. *Aprilis* 1606. favore curialium, incolarum, & originariorum Urbis, etiam Presbyterorum in ipsa Urbe, & ejus districtu intra decem milliaria, quibus Constitutionibus in hac parte derogatur.

Licitum tamen est eis in terris propriis, non tamen conductis, agriculturam exercere ex Const. Clem. VIII. *Inter multiplices* 4. *Decemb.* 1600.

Sess. XXII. cap. 2. *juncto cap.* 1. *sess. VII. de reform.*

XXXIX. Decretum statuens ut præter alias qualitates promovendus ad Episcopatum sit *in sacro Ordine ante saltem sex mensium spatio constitutus*, declaratum est a Gregorio XIV. Constitut. *Onus* 15. *Maji* 1591. expresse decernente §. 9. ut saltem ante sex menses initiatus sit sacris Ordinibus: ex qua plurali Gregorii locutione infert Barbosa ad hoc idem Trident. cap. oportere eum omnibus sacris Ordinibus initiatum fuisse ante sex menses: & ex hac Pontificis declaratione fortasse ortum habuit mos apponendi in Bulla subdiaconi promovendi ad Episcopatum clausulam - *Postquam tamen ad sacros diaconatus, & Presbyteratus Ordines te promoveri feceris*, de qua mentionem facit Riganti ad regulam 24. Cancellariæ *tom.* 2. §. 1. *n.* 17. Nec ullum etiam ante Tridentinum, & Gregorium repertum est exemplum Episcopatus non Presbytero collati, ut ostendit Morinus *de sacr. Ordinationibus part.* 3. *exercit.* 11. *cap.* 2. quamvis Subdiaconus eligi possit in Episcopum juxta *cap. A multis* 9. *De ætat. & qualit. præficiend.*

Eadem Sess. XXII. c. 2. *juncto c.* 1. *sess. XXIV. de ref.*

XL. Decreto statuenti §. *Ideoque*, ut idem promovendus inter alias qualitates debeat esse magister, sive doctor, aut licentiatus in sacra theologia, vel jure Canonico in aliqua studiorum universitate, vel publico alicujus accademiæ testimonio idoneus ad alios docendos repertus, accessit Constitut. S. Pii V. *Quamvis* 1. *Jun.* 1568. revocantis indulta, & privilegia creandi ad dictum effectum doctores, licentiatos, & magistros quomodolibet concessa Comitibus Palatinis, ac quibusvis collegiis officialium Romanæ Curiæ, & aliis.

Nota, quod licet promovendus, sit licentiatus, ut supra, non inde tamen ex cit. Const. Gregorii eximitur ab examine quoad doctrinam.

Eadem Sess., & cap.

XLI. Idem decretum statuens, Regularem promovendum ad Episcopatum debere & ipsum habere testimonium sufficientis doctrinæ a superioribus suæ Religionis, declaratum est ab eodem Greg. cit. §. 9. *hos nempe intelligendos esse, qui nullum sui Ordinis superiorem agnoscunt: sive ii cujusvis Ordinis Abbates, Magistri, & Ministri, Præpositi generales, aut quarumlibet Congregationum præsidentes, sive definitores, aut visitatores capitulum generale repræsentantes, sive alii quocumque vocabulo nominentur; & in eorum absentia ipsorum vicarii, seu commissarii generales, vel in Romana Curia Procuratores Ordinum, aut Congregationum generales in hac parte succedant.*

Eadem Sess. XXII. cap. 2.

XLII. Decretum infligens excommunicationem Papæ reservatam in occupantes bona cujuscumque Ecclesiæ, aut loci pii, ampliatum est a *Bulla Cœnæ cap.* 17. extendente hanc pœnam etiam in usurpantes jurisdictiones, fructus, redditus, vel proventus ad Papam, & Sedem Apostolicam, & quascumque Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes.

Sess. XXIII. cap. 1. *de reform.*

XLIII. Decretum edicens, præcepto divino mandatum esse omnibus, quibus cura animarum commissa est, pro iis sacrificium offerre, declaratum est a Benedicto XIV. Const. *Cum semper* ad Italiæ Ordinarios 19. *Augusti* 1744. statuente.

1. Parochos, seu alios animarum curam habentes, licet congruis redditibus destitutos, teneri ad applicationem missæ pro populo dominicis, aliisque per annum diebus festis dumtaxat de præcepto, iis etiam comprehensis, quibus populus tenetur missam audire, licet permissum sit opera servilia exercere, sive redditus sint pingues, sive tenues; non obstante quacumque contraria consuetudine, etiam immemorabili.

2. Teneri etiam Vicarios amovibiles, & temporarios, ac Parochos regulares.

3. Episcopum posse dispensare cum Parochis pauperibus ab hac applicatione diebus festis; ita tamen, ut celebrent in Ecclesia Parochiali, ac totidem missas intra hebdomadam applicent pro populo, quot in diebus festis intra hebdomadam occurrentibus juxta peculiarem intentionem alicujus benefactoris obtulerint.

4. In Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedrali-

libus, & Collegiatis quotidie applicandam esse pro benefactoribus in genere primam missam conventualem, contraria consuetudine non obstante: non vero secundam, & tertiam, nisi aliud fuerit usu receptum.

Nota ex decreto Congr. Conc. 29. *Jan.* 1724. Parochos etiam amovibiles teneri ad dictam applicationem, licet nihil percipiant a parochianis; sed exiguos tantum menstruos proventus accipiant a locorum, vel parochiarum dominis.

Parochi Urbis Romæ ex edicto Benedicti XIII. 17. *Jan.* 1727. ut in statuto Cler. Rom. cap. 5. de ordine proceden. in funeralib. proces. post §. 10. tenentur applicare missam gratis pro anima defuncti pauperis præsente cadavere.

Reliqua circa missæ applicationem, *Vide in Additionibus meis lib. III. tit.* 41.

Seß. XXIII. cap. 1. *de reform. juncto cap.* 1. *Seß. VI.*

XLIV. Decretum imponens §. *Eadem* certas pœnas in Parochos non residentes, ampliatum est a Pio IV. ut supra num. IX.

Eadem Seß. cap. 7. *de reform.*

XLV. Decretum statuens diligenter investigandum, & examinandum ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam, & fidem, ampliatum est ab Innocen. XIII. Constitut. *Apostolici* 13. *Maji* 1723. pro restauranda disciplina Ecclesiastica in Regnis Hispaniarum a Benedicto XIII. extensa ad totum Orbem Constitut. *In supremo* 23. *Septemb.* 1724. hæc addentibus §. 5. ibi - *Qui vero ad Presbyteratum erunt assumendi, idonei prius per accuratum similiter examen comprobentur ad ministranda sacramenta, & ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem: quod quidem ut recte præstari possit, eosdem Episcopos in Domino hortamur, ut quantum fieri potest eos tantum ad sacerdotium assumant, qui saltem theologiæ moralis competenter periti sint.*

Ead. Seß. cap. 9.

XLVI. Decretum statuens non posse Episcopum ordinare familiarem, suum non subditum, nisi post triennium secum fuerit commoratus, & beneficium, quacumque fraude cessante, statim re ipsa illi conferat, non obstante quacumque contraria consuetudine, etiam immemorabili declaratum est ab Innoc. XII. ut supra num. XXVIII. §. 6.

Ead. Seß. XXII. cap. 12.

XLVII. Decretum prohibens §. *Regulares*, hos promoveri ad Ordines sine Episcopi examine, declaratum est decreto Conc. jussu Clem. VIII. edito 15. *Martii* 1599. decernente Episcopum debere esse illius diœcesis, in qua situm est monasterium, cui regulares ordinandi assignati sunt de familia.

Ead. Seß. XXIII. cap. 15. *de reform.*

XLVIII. Decretum statuens nullum etiam Regularem audire posse sæcularium, etiam sacerdotum confessiones sine Ordinarii approbatione, & prævio examine, si ita ei videbitur, declaratum est a S. Pio V. Constit. *Romani Pontificis* 6. *Aug.* 1571. decernente sine dicta approbatione eas audire non posse, licet sint mendicantes, & lectores, aut in theologia graduati. Quod idem declaratum fuisse refert Benedictus XIV. *Instit. Eccleſiaſt.* 86. a Congr. S. Officii an. 1640. pro quibuscumque sacerdotibus sac. theologiæ, & juris Pontificii laurea donatis; & Urban. VIII. Constitut. *Cum sicut* 12. *Septemb.* 1628. abrogavit quodcumque privilegium eas audiendi sine approbatione Ordinarii.

Ampliatum est etiam a Gregor. XV. Constitut. *Inscrutabili* 5. *Febr.* 1622. statuente, Regulares ne audire quidem posse confessiones monialium iisdem subjectarum sine dicta approbatione: posse vero Episcopos confessarios sic deputatos toties, quoties opus fuerit, amovere, si eorum Superiores moniti detrectaverint, vel negligentes fuerint in illis removendis. Imo approbati in confessarios ordinarios pro uno monasterio, non intelliguntur approbari pro altero; nec approbari pro una vice, expleta deputatione, audire possunt sine nova approbatione, toties quoties, earumdem monialium confessiones ex declaratione Clementis X. Constitut. *Superna* 21. *Jun.* 1670.

Declaratum insuper fuit ab Alexandro VII. quoad durationem approbationis Regularium concessæ pro audiendis sæcularium confessionibus, die enim 30. *Jan.* 1695. declaravit falsam, temerariam, scandalosam, & erroneam hanc propositionem - *Non possunt Episcopi limitare, seu restringere approbationes, quas Regularibus concedunt ad confessiones audiendas, neque ulla ex parte revocare*, quæ propositio relata a Bened. XIV. *lib. X. de synodo diœc. c.* 16. *n.* 7.

Verum tamen est, quod si iis concessa fuerit sine ulla temporis limitatione, ex Constit. Innoc. X. *Cum sicut* 14. *Maji* 1647. §. 2. *An Episcopus* illam adimere, aut suspendere nequit sine contraria aliqua adveniente causa, ad ipsas tamen confessiones pertinente. Unde idem Clem. X. cit. Constit. *Superna* §. 4. aditum Episcopis aperuit ad tollendas quascumque difficultates, ut limitatam hujusmodi facultatem Regularibus impertirent, præcipiens, ut magis idoneis absque ulla limitatione, minus vero idoneis eadem facultas circumscripta tribuatur.

Cavere etiam debent Episcopi in impertienda Regularibus facultate pro audiendis sæcularium confessionibus a restrictionibus appositis in quodam Episcopi edicto, quas Cong. Episcop. & Regul. moderata est sequenti decreto relato a Pignatelli *tom. X. consul.* 71. *num.* 6. - *S. C. censuit præfatum edictum moderandum, & corrigendum esse, prout præsentis decreti vigore moderatur, ac corrigit.... Quoad habitum, quo uti debent Regulares in administratione sacramenti pœnitentiæ, declaravit sufficere, si audiant cum habitu eorum ordinario, & stola, juxta decretum alias emanatum sub die* 10. *Jul.* 1625. *a sacra Cong. Visitationis Apostolica. Quoad locum mandavit auscultari in Ecclesia, & intra crates, quando tamen necessitas vel rationabilis causa aliter non suadeat ac etiam in sacrario, vel alio decenti loco poterunt audiri: super quo etiam declaravit, non licere Episcopis neque per se, neque per suos deputatos visitare confessionaria, sive loca Regularium, ubi confessiones audiuntur, nec etiam ad effectum videndi, an sint juxta ipsorum decreta, sed hoc relinquendum est omnino visitationibus suorum superiorum. Similiter inhærendo aliis decretis ab eadem Sac. Cong. emanatis, & præcipue* 13. *Septemb.* 1641. *noluit teneri Regulares petere licentiam ab Episcopo, vel curato accedendi ad infirmos pro Sacramento pœnitentiæ administrando, sed sufficere, si postea fidem habitæ confessionis in domo eorumdem infirmorum relinquant. Insuper mandavit, tolli omnino ab eodem edicto verba illa, quibus de certo genere personarum fit mentio. Voluit siquidem, ut loquatur absolute, ac simpliciter de omnibus, nulla facta speciali mentione; ita scilicet, quod nemini administretur tale sacramentum ante ortum, nec post occasum solis, nisi tamen necessitas, vel rationabilis causa aliter suaserit: in quo casu voluit, & licere, & cum omnibus. Ulterius praecepit pœnas omnes tam suspensionis, quam pecuniarias ab eodem edicto tollendas, cassandas, & expungendas esse.*

Seß. XXIII. cap. 16. *de reform.*

XLIX. Decreto statuenti neminem ordinari debere, quem Episcopus suæ Ecclesiæ utilem, & necessarium non judicaverit, accessit decretum Congr. Concil. 21. *April.* 1668. approbatum a Gregorio XIII. ac relatum *lib. XII. de synodo diœc. cap.* 7. *num.* 4. declarans ab hujusmodi judicio nullam dari appellationem, sed recursum dumtaxat ad Sedem Apostolicam; ac propterea eadem Cong. quoties Ordinarius recusat quemquam ordinare, Metropolitano, aut viciniori Episcopo committit, ut ab eodem Ordinario prius requirat causam recusationis, quo legitimam non allegante, licet illi eumdem recusatum ordinare.

Eadem Seß., & cap.

L. Decretum statuens, inhærendo vestigiis sexti Canonis Conc. Chalcedonensis ut nullus in posterum ordinetur, qui illi Ecclesiæ, aut pio loco, pro cujus necessitate,

aut

aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus; nec incertis vagetur sedibus: Quod si locum, inconsulto Episcopo deseruerit, ei sacrorum exercitium interdicatur—declaratum, & ampliatum fuit ab Innoc. XIII. Constit. *Apostolici* 13. *Maii* 1723. decernente hanc Trident. regulam omnino servandam esse ne dum quoad promovendos ad Ordines licet minores, sed etiam quoad prima tonsura initiandos. Hoc insuper addito, quod si qui reperirentur, vel clericali tonsura jam initiati, vel ad Ordines sive minores, sive majores jam promoti, qui nulli certæ Ecclesiæ, vel loco pio adscripti fuerint, Episcopi hanc adscriptionem vel a se, vel a suis Prædecessoribus omissam statim supplere debeant, respectu illorum, qui beneficium ecclesiasticum possident; ex reliquis autem eo carentibus illos tantum adscribant, quos Ecclesiis suis utiles, & necessarios noverint. Quæ Constitutio licet emanata fuerit pro restauranda disciplina ecclesiastica in Regnis Hispaniarum, extensa tamen fuit ad totius Orbis Episcopos pro norma circa præmissa ab iisdem servanda a Benedict. XIII. Constit. *In Supremo* 23. *Septem.* 1724.

Eadem Sess. XXIII. cap. 18. de refor.

LI. Decreto enumeranti §. *Et quia*, quæ loca taxari debeant pro constructione, & manutentione seminarii accessit Const. Bened. XIII. *Creditæ* 9. *Maii* 1725. pro Italia, & Insulis adjacentibus, cujus summa consulto omittitur, cum fere jam exequutioni demandata fuerit, ubi commode fieri potuit. In quo autem ex dicta Constit. ampliatur hoc Tridentini decretum, est inhibitio Episcopis facta §. 9. ne pro se, vel suis vicariis, aut familiaribus habitatione, coquina, famulis, ministris, aut officialibus seminarii, vel lectoribus, magistris, sacerdotibus, & Clericis quocumque modo inservientibus eidem seminario, & alumnis, vel ab eo salariatis uti audeant sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ. Non prohibentur autem uti cæremoniarum magistro, vel sacerdotibus a seminario detentis, cum exercent pontificalia.

Eadem Sess. & cap.

LII. Decretum statuens posse Episcopum unire seminario beneficia aliquot simplicia etiam ante vacationem . . . *quod locum habeat etiamsi beneficia sint reservata, vel affecta, nec uniones beneficiorum ullo modo impediri possint, sed omnino quacumque vacatione etiam in Curia effectum suum sortiantur* . . . declaratum prius fuerat decreto Clem. VIII. quo prohibuerat-ut uniones beneficiorum ecclesiasticorum dispositioni Sedis apostolicæ tempore, quo uniuntur reservatorum, vel affectorum, fieri possent etiam vigore decretorum Sac. Conc. Trident. in favorem seminariorum ad præscriptum ejusdem Trident. erectorum, seu erigendorum--quod decretum confirmatum etiam fuerat ab Urbano VIII. Constitut. *Quamvis* 15. *Jul.* 1642. §. 1. cum declaratione, in hujusmodi decreto comprehendi etiam S. R. E. Cardinales, aliosque habentes indulta conferendi reservata, seu affecta, hosque non posse- *in vim illorum, nec vigore ejusdem Concilii, aut alias etiam auctoritate eorum ordinaria, prætextu quod ex prædictis indultis extincta, & sublata sint reservationes, & affectiones, eadem beneficia, quomodolibet tempore unionis reservata, vel affecta unire etiam seminariis prædictis puerorum, nec de iis per viam cujuscumque unionis, suppressionis, vel applicationis disponere, nec etiam in vim prædictorum indultorum reservata, & affecta conferendi, ac de iis disponendi potuisse; nec posse conferre beneficia duplici reservatione personali reservata, vel affecta.*

Verum ex cit. Const. Benedict. XIII. *Creditæ* Episcopis Italiæ, & Insularum adjacentium tribuitur §. 5. jus uniendi seminario-*beneficia simplicia cujuscumque qualitatis, & dignitatis fuerint, vel quomodocumque affecta, & dispositioni Sedis apostolicæ reservata Clementis VIII., ac Urbani pariter VIII... constitutionibus, vel decretis in contrarium facientibus non obstantibus.*

Non inde tamen hoc privilegio uti possunt quoad beneficia Sedis apostolicæ dispositioni reservata absolute, & indiscriminatim, ut ex contextu ejusdem Constitutionis animadvertit Benedictus XIV. *lib. IX. de synodo diœc. cap. 7. num.* 8. sed cum approbatione Congregationis ab eodem super seminariis institutæ, & postquam constiterit proventus seminarii non esse sufficientes necessariæ sustentationi alumnorum juxta taxam ibidem præscriptam: siquidem Pontifex tunc, & in eo casu, ac in subsidium tantum-*prædicta beneficia, non tamen jam vacantia seminarii uniri voluit.*

Nota, quod ex cit. decreto Clementis VIII. non est sublata facultas Episcopis faciendi uniones illorum beneficiorum, quas facere possunt in vim *c.* 5. *sess.* 21. *& c.* 15. *sess.* 24. *de reform. Fagn. in c. Sicut de excess. Prælat. n.* 37.

Sess. XXIV. c. 1. de refor. Matrim.

LIII. Decretum præcipiens, ut antequam matrimonium contrahatur ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter missarum solemnia publice denuncietur, ampliatum est decreto Congregationis habitæ coram Innoc. XII. ann. 1697. confirmato a Clemente XI. ac insuper innovato a Bened. XIV. in epistola encyclica ad universos Episcopos incipien.-*Et si* 7. *Febr.* 1742. §. 11. statuentibus, non esse deveniendum ad dictam denunciationem, nisi antea sponsi reperti fuerint a Parocho in christianæ religionis rudimentis instructi.

Eadem Sess. cap. 2.

LIV. Decretum statuens cognationem spiritualem contrahi tantum inter suscipientem de baptismo, & baptizatum, illiusque patrem, & matrem, nec non inter baptizantem, & baptizatum, hujusque patrem, & matrem, declaratum est a S. Pio V. Constit. *Sanctissimus* 20. *Aug. Et cum illius* 28. *Novemb.* 1566. nullum scilicet oriri cognationis impedimentum inter quascumque alias personas tam ex parte suscipientis, quam baptizantis, & baptizati in dicto Concilio nominatim non expressas; ac proinde non oriri inter maritum, vel uxorem suscipientis, & baptizatum, nec inter maritum, vel uxorem suscipientis, & patrem, ac matrem baptizati, ut aliquando dubitatum fuerat.

Nota ex pluribus decretis Cong. Concil. relatis a Ferraris verb. *Baptismus art.* 7. *nu.* 17. levantem de fonte infantem procuratorio nomine nullam contrahere cognationem, cum non sit designatus, nec habeat intentionem levandi suo nomine.

Eadem Sess. cap. 3.

LV. Decretum statuens nullum oriri impedimentum publicæ honestatis, ubi sponsalia non sunt ex quacumque ratione valida; & ubi valida sunt, non excedere primum gradum, declaratum est ab eodem Constit. *Ad Romanum* 1. *Jul.* 1568. hoc decretum esse omnino intelligendum, & procedere in sponsalibus de futuro dumtaxat, non autem in matrimonio per verba de præsenti, etiam non consumato; sed in hoc durare adhuc impedimentum in omnibus illis casibus, & gradibus, in quibus de jure veteri ante idem Concilii decretum introductum erat.

Eadem Sess. cap. 4.

LVI. Decretum restringens impedimentum affinitatis ortum ex fornicatione ad primum, & secundum tantum gradum, ac statuens matrimonium contractum in ulterioribus gradibus non dirimi, confirmatum est ab eodem Pontifice cit. Constit. *Sanctissimus*, qui ulterius Constit. *Ad Romanum Pontificem* 28. *Novemb.* 1566. declaravit idem intelligendum esse de matrimonio contrahendo.

Nota, quod per hoc Tridentini decretum moderata est decretalis Concilii Uvermariensis celebrati tempore Pipini apud Vvermeriam in Pago Silvanectensi relata *in cap. Si quis* 1. *De eo qui cognovit &c.* statuentis inter alia committentem incestum cum consanguinea suæ Uxoris, vel mariti ipso facto privari jure petendi debitum conjugale, non explicando gradum consanguinitatis, cum ex cit. Trid. decreto non privetur, nisi ince-

incestus commissus fuerit cum consanguineis conjugis in primo, vel secundo gradu: quandoquidem restrinxit affinitatem ex copula fornicaria, ut non impediat matrimonium nisi in primo, & secundo gradu: & Thesaur. de pœnis verb. *Incestus num.* 4. refert S. Congreg. declarasse idem esse quo ad impedimentum petendi debitum: quam declarationem Gallemart ad hoc idem cap. dicit factam fuisse a Gregorio XIII. ex sententia ejusdem Cong.

Ead. Sess. XXIV. c. 8. de ref. matrim.

LVII. Decretum statuens mulieres sive conjugatas, sive solutas publice viventes cum adulteris, sive concubinariis, si ter admonitæ non paruerint, præter pœnas contra adulteros, & concubinarios inflictas, graviter puniendas esse pro modo culpæ ex officio ab Ordinariis, etiam nemine requirente, & extra oppidum, vel diœcesim eorumdem arbitrio ejiciendas, ampliatum est a Sixto V. Constit. *Ad compescendum* 30. *Octob.* 1586. cujus summam vide in summariis *lib. IV. tit.* 19. *post cap.* 3. *& lib. V. tit.* 16. *de Adulter. post cap.* 1.

Eadem Sess. XXIV. cap. 1. *de reform.*

LVIII. Decretum præscribens §. *Quoniam* normam procedendi ad creationem Episcoporum, & Cardinalium, ampliatum est a Sixt. V. Constit. *Postquam* 3. *Dec.* 1586. & Const. *Immensa* 8. *Febr.* 1587. ac a Gregor. XIV. Constitut. *Onus* 15. *Maji* 1591. Quo ad examen vero, & qualitatem promovendorum ad archiepiscopatus, & episcopatus erecta est peculiaris Congregatio a Benedict. XIV. Constit. *Ad apostolicæ*, quarum Constit. summa, cum hæc inquisitio pertineat ad S. Sedem, & dictam Congregationem, omittitur.

Eadem Sess. & cap.

LIX. Decretum statuens dicto §. *Quoniam*, Episcopos de novo creatos teneri ad fidei professionem ante litteras expeditas, declaratum est a Pio IV. Constitut. *Injunctum* 13. *Novemb.* 1564. præscribente formam hujusmodi emittendæ professionis, & a Gregor. XIV. Const. *Onus* 15. *Maji* 1591. declarante etiam modum apud quem, & ad quem transmittenda sit Romam hæc professio.

Pariter ampliatum est ab eodem Pio cit. Constit. *Injunctum*, extendente hoc onus, & formam ad præficiendos regimini monasteriorum, conventuum, domorum, & aliorum quorumcumque locorum regularium, etiam militarium.

Thesaurus *de pœnis verbo Fidei professio n.*4. tenet hanc Constit. non esse usu receptam quoad Prælatos regulares, quando Ecclesia, vel monasteria eis conferuntur non a S. Sede in titulum ad vitam, sed ad tempus v. g. per electionem a capitulis, vel aliam provisionem factam ab eorum superioribus.

Idem decretum ampliatum est etiam a cit. Constit. Gregorii hoc onus extendentis ad præficiendos regimini aliarum dignitatum, de quibus consistorialiter providetur.

Eadem Sess. XXIV. & cap. 1.

LX. Decretum edicens §. *Omnes vero* eos, ad quos pertinet pastores Ecclesiis præficere alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad easdem promoverint, declaratum est ab Innoc. XI. ut ex contrario sensu propositionis 47. inter alias ab eodem proscriptas 2. *Martii* 1679. *Cum dixit Conc. Trident.- Eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent.- Concilium vel primo videtur per hoc digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel secundo locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.*

Ead. Sess. cap. 2. *de reform.*

LXI. Decretum statuens, ut Episcopi nulli Archiepiscopo subjecti vicinum aliquem Metropolitanum semel eligant, in cujus synodo provinciali cum aliis interesse debeant, declaratum est a Congregatione habita coram Bened. XIII. 28. *Maji* 1725. ut ex ejusdem Cong. responsis, per extensum relatis a Bened. XIV. *lib. XIII. de synodo diœcess. cap.* 8. *n.* 14.

1. *Archiepiscopos, qui non habent suffraganeos, non teneri eligere Metropolitanum ad effectum conveniendi in ejus concilio provinciali.*

2. *Sex Cardinales Episcopos urbium Romæ adjacentium non teneri ut supra.*

3. *Episcopos omnes, qui sunt inter provinciam Capuanam, & Pisanam non teneri eligere Metropolitanum ad effectum præfatum. Eos nihilominus, qui, vel quorum antecessores jam semel post Tridentinum elegerunt Metropolitanum, teneri stare electioni; prout etiam Episcopos, qui a provincia Romana inter dictas Capuanam, & Pisanam constituta divulsi fuerunt, & assignati Suffraganei Ecclesiarum in metropolitanas electarum eidem subesse debere.*

4. *Episcopos vere immediate subjectos apostolicæ Sedi, qui sunt extra præfatam provinciam Romanam, ubicumque locorum existentes, omnino teneri eligere Metropolitanum juxta decretum Conc. Trident. sess.* 24. *cap.* 2. *de reform. quatenus ipsi, vel eorum antecessores jam non elegerint.*

5. *Abbates, aliosque Prælatos inferiores nullius diœcess. habentes jurisdictionem quasi episcopalem in clerum, & populum cum territorio separato, teneri eligere Metropolitanum, ut supra.*

6. *Episcopos, Abbates, & Prælatos inferiores, qui debent, ut supra, eligere Metropolitanum, etsi non teneantur eligere viciniorem, debere tamen juxta dictum decretum Conc. Trident. vicinum eligere; quod est intelligendum de non nimis longe distante, habita ratione regionum.*

Nota recusantes accedere ad synodum posse ab Episcopo puniri pœnis a jure statutis ex decreto Congr. Conc. 5. *April.* 1732. relato *lib. III. de synodo diœc. cap.* 1. *num.* 5. quamvis Trident. nullam mentionem faciat pœnæ inobedientibus inferendæ.

Ead. Sess. XXIV. cap. 4. *de ref.*

LXII. Decretum statuens, ne ullus sive sæcularis, sive regularis prædicare præsumat etiam in Ecclesiis sui Ordinis, contradicente Episcopo, ampliatum, & declaratum est quo ad regulares, ut supra n. VII.

Eadem Sess. cap. 5.

LXIII. Decretum statuens causas graviores contra Episcopos depositione, aut privatione dignas, cognoscendas esse tantum a Romano Pontifice, confirmatum est a S. Pio V. Constitut. *Si de protegendis* 1. *Apr.* 1569.

Ead. Sess. XXIV. cap. 6. *de reform.*

LXIV. Decreto tribuenti facultatem Episcopo, aut per se, aut per suum vicarium ad id specialiter deputandum absolvendi in foro conscientiæ a quibuscumque casibus occultis Sedi apostolicæ reservatis, & a crimine hæresis in eodem foro per se ipsum tantum, derogatum est quoad absolutionem ab hæresi, ut ex responsis S. Pii V. Greg. XIII. & Clem. VIII. ac pluribus SS. Cong. decretis relat. a Bened. XIV. *l. IX. c.* 4. *de synodo diœc. n.* 4. *& seq. edit. an.* 1755. Quamvis Episcopus tamquam Inquisitor natus contra hæreticam pravitatem potest resipiscentem hæreticum, aut sponte coram se comparentem, aut ad suum forum quoquo modo deductum pro utroque foro absolvere, vel per se, vel per alium, ut absolvere possunt Inquisitores delegati ab apostolica Sede *in cit. cap. de synodo n.* 3. *Vide additiones meas l. V. tit. XXXIX. n.* 24.

Ead. Sess. cap. 8.

LXV. Decretum statuens, ut in cathedralibus instituatur pœnitentiarius præditus qualitatibus ibi expressis, ampliatum est a Benedict. XIII. Constitut. *Pastoralis* 19. *Maii* 1725. præcipiente, ut hujusmodi præbenda in Italia, & Insulis adjacentibus conferatur per concursum, eo pari modo, quo Ecclesia parochialis. *Vide notata supra n. III.*

Ead. Sess. XXIV. cap. 11. *de ref.*

LXVI. Decretum statuens per honorarios titulos, aut privi-

privilegia quibuscumque concessa, aut concedenda nihil detractum intelligendum esse juri Episcoporum, confirmatum est a S. Pio V. Constit. *Quamvis* 1. *Jun.* 1568. revocante etiam indulta Comitibus palatinis, & quibuscumque officialium romanæ curiæ collegiis concessa promovendi ad doctoratus, licentiaturæ, & magisterii gradum ad effectum consequendi dignitates, & cetera beneficia ecclesiastica.

Ead. Seff. & cap.

LXVII. Idem decretum subjiciens locorum Ordinariis tamquam apostolicæ Sedis delegatis Protonotarios apostolicos non participantes, aliisque honorariis titulis decoratos in romana curia, vel extra, declaratum est quoad primos ab Urbano VIII. decreto Congreg. Conc. ejus jussu edito 20. *Aug.* 1633. relato a Benedict. XIV. *lib. III. de synodo diæc. cap.* 8. *n.* 5. quo mandavit apponi in litteris apostolicis, quibus hujusmodi Protonotarii creantur, clausulam *citra exemptiones a S. Conc. Trid. sublatas, itaut ne dum quoad criminalia, sed etiam quoad civilia subjaceas Ordinariis.*

Quoad secundos vero declaratum est ab Inn. XI. altero ejusdem Cong. decreto ejus jussu edito 27. *Feb.* 1675. & relato in appendice Conc. Romani sub Benedict. XIII. n. 7. respectu Collectorum spoliorum ad cameram apostolicam pertinentium, quo eos subjicit Ordinariorum jurisdictioni in concernentibus curam animarum, aut servitium Ecclesiæ, si beneficium cum, vel sine cura possideant, ceterisque in eodem decreto expressis, non obstante exemptione iisdem tributa ab Urb. VIII. Constit. *Alias* 2. *Jul.* 1636.

Ead. Sess. XXIV. cap. 11.

LXVIII. Decretum statuens inservientes Ordinibus militaribus, & nominatim Religioni Hierosolymitanæ, subjectos esse jurisdictioni Ordinarii, tamquam Sedis apostolicæ delegati, nisi habeant has qualitates. 1. ut religiosam professionem emiserint. 2. ut intra militaris claustri septa degant. 3. ut Religioni actu inserviant. 4. ut sub Ordinis Prælati obedientia vivant, distinctius declaratum est a Gregor. XIII. Constit. *Circumspecta* 25. *Nov.* 1580. addente ulterius, ut prædictas omnes qualitates coram eodem Ordinario verificent.

Hac eadem lege ligantur inservientes Ordini militari SS. Mauritii, & Lazari in omnibus exæquato a S. Pio V. Constit. *Sicuti* 26. *Jan.* 1567. Ordini Hierosolymitano, ut ex decreto Cong. Conc. *in Uritana* 7. *Septemb.* 1726. *apud Thesaur. resol. ejusdem Cong.*

Eadem Sess. cap. 12. *de ref.*

LXIX. Decretum statuens §. *Præterea* non licere obtinentibus in cathedralibus, aut collegiatis dignitates, canonicatus, præbendas, aut portiones vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis ultra tres menses quolibet anno a suis Ecclesiis abesse declaratum est a Gregorio XIII. approbante decretum Congr. Conc. ut refert. Benedictus XIV. *lib. XIII. de synodo diæc. c.* 9. *n.* 15. videlicet se abstinere posse a servitio chori (obtenta prius absolutione ab eodem servitio a Congr. Conc.) sine fructuum, & distributionum jactura Canonicum, qui per annos quadraginta eumdem chorum laudabiliter frequentavit, sumpto exemplo a lege mosaica Levitam immunem ab omni opere declarante post accurate præstitum ministerium in templo per XXV. annos *Numerorum cap.* 8. & a lege civili missionem, & immunitatem a belli laboribus concedente veteranis militibus *L. A. muneribus ff. de vacat.*, *& excusat. muner. & L.* 1. *C. de veteran. lib.* 12.

Circa hanc tamen jubilationem attendenda sunt Sequentia Cong. Conc. decreta relata in Thesauro Resolut. 24. *Septem. &* 17. *Dec.* 1718. super dubiis.

1. *An indulgenda sit jubilatio Canonicis, & beneficiatis, qui spatio* 40. *annorum Ecclesiis inservierunt, licet dicto temporis spatio cum debitis licentiis, & indultis abfuerint ab Ecclesiis, vel in causa infirmitatis, vel ex causa studiorum, vel pro suæ Ecclesiæ servitio, vel ratione munerum, pro quibus obtinuerunt indulta absendi pro diebus, & horis, vel indulta simpliciter, & absolute absendi ab Ecclesia, durante officio ipsis commisso.*

2. *An indulgenda sit jubilatio illis, qui inservierunt spatio annorum* 40. *sed partim in una Ecclesia, partim in alia, aut tamquam Canonici in ambabus, aut tamquam beneficiati in una, & Canonici in alia; nec non illis, qui in una, & eadem Ecclesia per totum tempus inservierunt, sed partim tamquam Clerici beneficiati, partim tamquam beneficiati, & aliquando partim tamquam beneficiati, partim tamquam Canonici, vel partim tamquam coadjutores, & partim tamquam principales, & titulares.*

3. *An indulgenda sit jubilatio illis, qui inservierunt spatio annorum* 40. *non obstante parvo numero aliorum, qui remanent addicti Ecclesiæ servitio: & quis sit parvus numerus inservientium in casu, & ad effectum, de quo agitur.*

4. *An, non obstante jubilationis indulto, jubilatus cogi possit ad inserviendum, si divinus cultus detrimentum patiatur.*

5. *An, non obstante jubilationis indulto, jubilatus teneatur ad residendum, licet non teneatur ad interessendum.*

Ad 1. *affirmative, quoad absentes ex causa infirmitatis cum debitis licentiis, & indultis, vel pro suæ Ecclesiæ servitio, vel cum indultis absendi pro diebus, & horis: negative autem quoad absentes ex causa studiorum, & quoad habentes indulta absendi absolute, durante officio. Ad* 2. *negative ad primam partem, affirmative ad secundam. Ad* 3. *dabitur resolutio in casibus particularibus. Ad* 4. *affirmative. Ad* 5. *negative juxta decreta.*

Nota ex hoc ultimo decreto inferri discrimen inter Canonicum jubilatione fruentem, & Canonicum coadjutorem habentem; hic enim juxta praxim sine speciali indulto non potest abesse a loco, ubi canonicatum obtinet, licet non teneatur ad interessendum choro, ut in *cit. fol.* 24. *Septemb.*

Ead. Seff. XXIV. & cap. 12.

LXX. Decretum statuens §. *Omnes* compellendos esse choro adstrictos per se, & non per substitutos divina obire, atque in choro hymnis, & canticis Deum laudare, declaratum, & ampliatum est a Bened. XIV. cujus binarum Constitutionum summam *vide in Additionibus meis lib. III. tit.* 4. *post n.* 8.

Circa omittentes horarum canonicarum, officii B. Virginis, defunctorum &c. recitationem *vide Additiones citat. lib. tit.* 41. *post n.* 11.

Ead. Seff. XXIV. cap. 13. *de ref.*

LXXI. Decretum statuens §. *Ad hæc* Ecclesias parochiales non excedentes in proventibus summam centum ducatorum secundum verum annuum valorem, nullis pensionibus, & reservationibus fructuum esse gravandas, ampliatum est a Benedicto XIII. Constit. *Quanta idibus Sept.* 1724. prohibente juxta edictum Innocen. XII. 11. *Nov.* 1692. per organum Datariæ publicatum, quod in omnibus confirmat, ne locorum Ordinarii, aut quicumque alii parochialium collatores etiam juris patronatus laicalis, ullo modo dictas Ecclesias pensionibus aggravent, neque earumdem resignationes, aut permutationes admittant cum pensione favore cujuscumque, & sub quocumque titulo etiam alimentorum præstationis: & multo minus *sine causa beneficio pleno*, de possessorum consensu, ex quacumque causa, vel titulo; reservata Papæ facultate easdem pensiones imponendi in favorem dumtaxat, & commodum fabricæ, ac ornamentorum ipsarum parochialium.

Ead. Sess. XXIV. cap. 14. *de ref.*

LXXII. Decretum statuens, ne provisione, electione, cofirmatione, collatione, institutione, aut admissione in possessionem cathedralis, sive canonicatus, sive beneficii, sive præbendæ sive distributionum deductiones ex fructibus, promissiones, compositiones, aut aliæ conditiones, seu turnorum lucra interponantur, non obstante quacumque constitutione, vel consuetudine etiam immemorabili; exceptis erogationibus consuetis applicari in usus pios laudabili consuetudine, seu constitutione introductis, & ab Episcopo approbatis, declaratum est, & simul ampliatum a S. Pio V. Constitut. *Durum nimis* 31. *Maii* 1570. decernente Episcopos incurrere suspensionem ab officio pontificali donec

donec absolvantur a Papa, prævia restitutione receptorum: collegia, & universitates interdictum, non tamen reservatum: singulares personas excommunicationem Papæ reservatam; & his pœnis ligari tam dantes, quam accipientes: ac etiam ampliatum ab Inn. XII. Const. *Ecclesiæ* 22. *Septem.* 1695. addente pœnas ipso facto absque alia declaratione incurrendas privationis dignitatum, canonicatuum, & præbendarum, aliorumque ecclesiasticorum beneficiorum: & quo ad Regulares privationem etiam vocis activæ, & passivæ, ac graduum, munerum, & officiorum obtentorum, & perpetuæ inhabilitatis ad illa, & alia similia, vel dissimmilia in posterum obtinenda.

Prohibente insuper sub dictis pœnis Papæ reservatis quascumque conventiones, etiam juratas factas absque auctoritate apostolica ante provisionem Ecclesiarum, seu monasteriorum, eas irritas declarando.

Ead. Sess. XXIV. & cap. 14. *de ref.*

LXXIII. Idem decretum excipiens a supradictis fructibus, & detractionibus eas, quæ in usus pios convertuntur, declaratum est ab eodem Pio cit. Constit. ita statuente §. 4. in fine - *Ut ubicumque hujusmodi fructus, & distributiones fabricæ, vel sacristiæ, aut alterius pii loci usibus ultra semestre reperiuntur concessæ, horum dumtaxat dimidia pars ipsi sacristiæ, vel fabricæ, aut loco pio deinceps tribuatur, alteram vero beneficiati prædicti integre percipiant.*

Ex Constit. Benedicti XIII. *Pius* 29. *April.* 1725. pro Italia, & Insulis adjacentibus obtinentes parochiales una cum incertis annuum redditum scutorum centum monetæ romanæ excedentes; & canonicatus, beneficia tam residentialia, quam non, & simplicia sita extra Ecclesias collegiatas cujusvis valoris, tenentur solvere mediam annatam pro fabrica cathedralis: sicut & obtinentes dicta omnia respective beneficia sita in Ecclesiis collegiatis, vel alias translatis pro fabrica collegiatæ, sive dicta beneficia fuerint liberæ collationis, sive juris patronatus mixti, ac etiam laicalis, & ad quemcumque electio, collatio, institutio, & provisio pertineat, sive nimirum ad Metropolitanum, vel Ordinarium, sive ad capitulum, sive ad alium quemcumque inferiorem, dummodo non pertineat ad S. Sedem, aut etiam legitima non vigeret consuetudo solvendi, vel dimittendi fructus sex mensium, aut similem, non tamen minorem ratam favore fabricæ, vel sacristiæ; in quibus casibus nihil solvendum erit.

Hæc autem media annata deponenda est apud personam deputandam ab Episcopo cum scientia, & consensu capituli, ac reinvestienda in bonis stabilibus, & tutis pro dote fabricæ dumtaxat earumdem respective Ecclesiarum. Etsi Archiepiscopus, Episcopus, vel Ordinarii inferiores, & respective Capitula, ac singuli canonici in causa fuerint, ut vel ratione minus fidelis, idoneique depositarii, aut ex causa non facti, vel minus tuti, & exinde deperditi investimenti, aut demum propter erogata capitalia, vel fructus in alios usus aliquod præjudicium emerserit patrimonio fabricæ, ipsi, eorumque hæredes, & successores teneantur ad omnia damna, & interesse favore prædictæ fabricæ, eorumdemque bona omnia pro potiori cautela affecta sint, & specialiter hypothecata favore ejusdem fabricæ. Per hoc vero Episcopi non eximuntur ab onere iis a sacris canonibus injuncto Ecclesias cathedrales reparandi.

Ab onere hujus mediæ annatæ excipiuntur beneficia Archidiœcesis Beneventanæ, ac aliarum diœcesum, & collegiatarum, in quibus reperitur opus, seu peculiare patrimonium fabricæ sufficienter instructum; aut onus conservandi, & restaurandi Ecclesias residet penes communitates locorum, vel eorum patronos, sub pœna in hos huic oneri non satisfacientes patronatum amittendi.

Ead. Sess. XXIV. cap. 18. *de refor.*

LXXIV. Decretum statuens §. *Transacto*, ut examen pro concursu ad Ecclesiam parochialem vacantem fiat coram Episcopo, aut eo impedito, coram ejus generali Vicario, & tribus saltem examinatoribus in synodo diœc. approbatis sub pœna nullitatis concursus, & collationis hac forma non servata, ampliatum est a S. Pio V. Constit. *In conferendis* 18. *Mart.* 1567. decernente præter dictam collationis nullitatem, hanc devolutam esse ad Sedem apostolicam, seu ad eos, quibus jus competit parochiam conferendi. Prohibente insuper §. 5. iisdem Ordinariis, ne tempus decem dierum ipsis, & patronis a Trident. præfixum ad nominandum idoneos Clericos coram deputatis examinatoribus, ultra alios decem dies prorogare audeant, vel præsumant. Circa hoc vide notata in summariis *lib. I. tit.* 6. *de elect. post cap. Nemo deinceps* 15.

Ead. Sess. & Cap.

LXXV. Decretum statuens, ut iidem examinatores singulis annis in diæcef. synodo ad minus sex proponantur, declaratum est decreto Clementis VIII. relato a Benedicto XIV. *lib. IV. de synodo diœc. cap.* 7. *n.* 7. decernente, ut si ex designatis in ultima synodo, durante anno, sex saltem non superessent vel ob mortem, vel ob discessum a diœcesi, possit Episcopus alios subrogare, modo prædici sint qualitatibus a Trid. requisitis, & a capitulo approbentur, qui una cum superstitibus electis in synodo senos non excedant, duraturi usque ad futuram synodum elapso anno cogendam juxta *cap.* 2. *sess.* 24. Quæ si elapso anno non celebretur, licet ex eodem decreto dictorum subrogatorum officium expiret, non expirat tamen munus illorum, qui electi fuerunt in ultima synodo, dummodo sex ex iis remanserint. Si autem vel unus ex his decesserit, nullus ex superstitibus adhiberi potest in concursu ad parochiales, sed obtinenda est facultas unum, vel plures subrogandi, ut probat idem Bened. *loco cit. num.* 8. *&* 9.

Ead. Sess. XXIV. & cap. 18. *de reform.*

LXXVI. Decretum statuens §. *Peracto*, renunciandos esse a dictis examinatoribus quotquot ab iisdem judicati fuerint idonei ætate, moribus, doctrina, prudentia, & aliis rebus ad vacantem Ecclesiam parochialem gubernandam opportunis, declaratum est a Benedicto XIV. in litteris encyclicis ad omnes Episcopos *Cum illud* 14. *Decemb.* 1742. decernente §. 10. 11. *&* 16. eosdem suo deesse muneri, si doctrinæ tantum judices essent; ideoque juxta etiam plura decreta Cong. Conc. ab ipso relata *lib.* 4. *de Synodo diœc. cap.* 8. *n.* 3. nullum esse concursum, si non retulerint idoneos quoad omnes supra enunciatas qualitates.

Ead. Sess. & cap.

LXXVII. Decretum statuens §. *Ex his*, eligendum esse ab Episcopo ad parochialem Ecclesiam quem præ ceteris a dictis examinatoribus, ut supra renunciatis magis idoneum judicaverit, ad tollendas dubitationes aliquando subortas, an etiam ad ipsos examinatores una cum Episcopo hæc prælectio spectet, declaratum est in iisdem litteris §. 11. ad eos non spectare, ut ex altero decreto Congreg. Concil. relato loco supra *cit. num.* 6. *de Synod.*

Ead. Sess. & Cap.

LXXVIII. Idem decretum præcipiens, concurrentium examen faciendum coram Episcopo, & saltem tribus synodalibus examinatoribus, nulla proposita illius peragendi forma, seu certa peculiari methodo servanda, ampliatum est tam in litteris encyclicis Clemen. XI. quam in Constit. *Cum illud* 14. *Decemb.* 1742. Benedicti XIV. hanc statuentium, quarum summarium vide in additionibus meis *lib. III. tit.* 7. *post n.* 7.

Ead. Sess. XXIV. cap. 18. *de reform.*

LXXIX. Idem decretum ut supra ampliatum fuerat a Pio V. statuente cit. Constit. *In conferendis* §. 7. ut si Episcopus minus habilem elegerit, magis idonei rejecti possint a mala hac electione ad Metropolitanum, vel si ipse eligens Metropolitanus sit, vel exemptus, ad viciniorem Ordinarium ut Sedis Apostolicæ delegatum, vel alias ad eamdem S. Sedem appellare, ac præelectum ad novum examen coram ipso appellationis Judice, ejusque examinatoribus provocare: verum cum ex hac appellationis forma plura subsequerentur absurda enumerata *lib. XIII. de Synodo diœc. cap.* 9. *num.* 19. decretum est a Clemente XI. per encyclicas litteras ad locorum Ordinarios expeditas 10. *Jan.* 1721. insertas in cit. Constit. *Cum illud* ut, salvo concessæ a S. Pio appel-

appellationis remedio, examina concurrentium tam quoad consuetam Evangelii expositionem, quam quoad resolutionem moralium quæstionum eisdem propositarum, non amplius fiant oretenus, ut prius, sed scripto proprio eorumdem charactere exarentur, ipsorumque authentica documenta super meritis, & qualitatibus inter acta concursus serventur, ad effectum ea omnia in casu interpositæ appellationis ad superiorem Judicem transmittendi; qui eis inspectis decernere possit, an recte appellatum fuerit, & an rationabiliter, aut secus ab Episcopo judicatum, absque eo quod provisus Ecclesiam interim relinquere cogatur.

Ead. Sess. XXIV. cap. 20. *de reform.*

LXXX. Decretum statuens, causas omnes ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiam beneficiales, in prima instantia coram locorum Ordinariis dumtaxat esse cognoscendas, exceptis iis ibi enumeratis, ampliatum est, & simul declaratum a Greg. XIII. Constit. *ad Romani* 10. *Jul.* 1574. excipiente etiam cognitionem super exequutione litterarum apostolicarum de capienda possessione beneficiorum, ac declarante id non adversari huic Tridentini decreto; atque ideo non esse suspendendum earumdem litterarum exequutionem.

Eadem Sess. & cap.

LXXXI. Decretum statuens, dictas causas terminandas esse saltem intra biennium, ampliatum est a Clem. VIII. Constit. *Litium* 9. *Feb.* 1593. decernente ad celeriorem earumdem expeditionem in omnibus Ecclesiastici status tribunalibus attendendas tantum esse in processu nullitates jurisdictionis, citationis, aut mandati, quod prius statuerat Pius IV. pro Judicibus almæ Urbis Constit. *Cum ab ipso* 31. *Jun.* 1562. *Vide infra num. CXI.*

Eadem Sess. & cap.

LXXXII. Decretum præscribens modum appellationis interponendæ, statuensque in quibus causis admitti possit ampliatum, & declaratum est a Benedicto XIV. ut supra num. XIV.

Ead. Sess. & cap.

LXXXIII. Decretum statuens §. *Ad hæc*, causas matrimoniales relinquendas esse Episcopi tantum examini, & jurisdictioni, declaratum est a Benedicto XIV. præscribente modum easdem tractandi, ut in Additionibus meis *lib. IV. tit.* 19. *post n.* 2.

Sess. XXV. cap. 3. *de Regul.*

LXXXIV. Decretum, quo §. *In prædictis* præcipitur, ut in monasteriis monialium tot tantum recipiantur, quot aliunde sustentari possint ex redditibus propriis, vel ex consuetis eleemosynis, declaratum est a S. Pio V. Constitut. *Circa* 29. *Maii* 1566. decernente, idem servandum esse in monasteriis monialium, etiam Regularibus subjectarum, quarum numerus taxari debet ab Episcopo una cum superiori regulari ex Constit. Gregor. XIII. *Deo sacris* 30. *Decembris* 1572.

Eadem Sess. & cap.

LXXXV. Decretum prohibens §. *Nec de cetero* monasteria tam virorum, quam mulierum erigi sine prævia licentia Episcopi, in cujus diœcesi erigenda sunt, ampliatum fuerat a Clement. VIII. Constit. *Quoniam* 23. *Jul.* 1603. decernente Ordinarios non posse hanc licentiam impertiri cuicumque medicantium Ordini, nisi vocatis, & auditis præexistentium conventuum Prioribus, seu Procuratoribus, aliisque interesse habentibus, ac nisi constiterit novos conventus absque aliorum detrimento commode sustentari posse (quod detrimentum notat Rota part. 2. recent. decis. 745. considerandum esse respectu multiplicationis eleemosynarum necessariarum ad sustentationem novi conventus, non vero respectu emolumentorum ex funeralibus, & sepulturis, cum sint facultativa, nec censeri præjudicium, si novus conventus erigendus fundetur cum sufficienti reddituu) verum postea huic decreto derogatum est ab Innoc. X. Constitut. *Instauranda Idib. Octob.* 1652. §. 5. quoad licentiam dandam a solo Ordinario respectu Regularium virorum tam mendicantium, quam non mendicantium intra Italiam, & Insulas adjacentes, statuente requiri etiam specialem Sedis apostolicæ facultatem, prævio examine Congr. Episc. & Regul. super præmissis conditionibus. Idem servari mandavit Innocentius XII. Constit. *Nuper* 23. *Decembr.* 1697. sub pœna nullitatis fundationis, & subjectionis omnimodæ jurisdictioni, visitationi, & correctioni Ordinariorum.

Hic notandum cum Benedicto XIV. *de synodo diœc. lib. IX. cap.* 1. *n.* 9. *edit. ann.* 1755. quod licet cit. Constitut. *Instauranda* declaret necessariam esse auctoritatem Sedis apostolicæ in hujusmodi erectionibus intra Italiam, & Insulas adjacentes; communis tamen hodie & in tribunalibus recepta opinio est, requiri etiam extra Italiam, *Cum enim* (sunt verba ipsius) *jam pridem ante Trident. Conc. Regularibus interdicta fuerit novorum monasteriorum acquisitio sine expressa licentia apostol. Sedis, ut videre est in cap.* Religionum §. Confirmatos *de relig. domib. in* 6. *& in cap.* Cum ex eo *de excessibus Prælat. eod. lib. VI. satis patet nihil a Trident. synodo derogatum fuisse apostolicæ Sedis auctoritati jam præcedenter stabilitæ, sed illud dumtaxat statutum fuisse, ut præter eam episcopalis quoque auctoritas, & licentia in iisdem erectionibus interveniret.*

Sufficeret tamen sola Episcopi licentia, si erigendum esset hospitium pro Regularium iter habentium commodo ex tribus Rotæ decisionibus ibidem relatis.

Præter superius dicta hodie ex decreto Cong. super disciplina regulari transmisso singulis procuratoribus generalibus 23. *Febr.* 1717. sufficientia, & subsistentia reddituum conventus erigendi intra Italiam, & Insulas adjacentes recognosci debet ab eadem Congr. sub pœna in superiores, ad quos spectat, privationis vocis activæ & passivæ, suspensionis ab officio, & dignitatis, ac perpetuæ inhabilitatis ad eadem.

Circa erectionem monasterii monialium, non obstante dispositione citat. cap. 3. Trident. de stylo Curiæ est, ut etiam recurratur pro facultate ad Sedem apostolicam Fagn. *lib.* 2. *tit. de officio Ordinar. cap.* Grave *n.* 53.

Ead. Sess. XXV. cap. 4. *de Regul.*

LXXXVI. Decretum prohibens Regularibus recedere a suis conventibus, etiam prætextu ad superiorem accedendi, nisi ab eisdem missi, vel vocati fuerint; statuensque puniendos esse a locorum Ordinariis tanquam desertores sui Instituti, si reperiantur vagantes sine dicto mandato, ampliatum est a Sixto V. Constit. *Cum de omnibus* 26. *Novemb.* 1587. statuente §. 7. ne itinerantes de una ad aliam provinciam sine dicto mandato in nullo conventu ejusdem Ordinis recipiantur, etiam ad modicum tempus, nisi alias cogniti sint, sub pœna in recipientes privationis vocis activæ & passivæ, officiorum, graduum, & dignitatum, ac perpetuæ inhabilitationis ad talia: in religiosos vero dicto mandato carentes Ordinarii locorum procedere possint tamquam suspectos delictorum, eosque tamdiu in carcere detinere debeant, donec certa de eis notitia habeatur; quamvis ex Constitut. Urbani VIII. *Sacra Congregatio* 21. *Septemb.* 1624. postquam in carcerem conjecti fuerint ab Ordinariis, consignandi sint superioribus regularibus ab his puniendi. Imo ex altera ipsius Sixti Constitut. *Ad Romanum* 21. *Octob.* 1588. §. 19. dictæ pœnæ extenduntur etiam ad sic itinerantes de uno ad alium locum ejusdem provinciæ, si divertant ad loca tam proprii, quam alterius Ordinis: & hæc pœna locum habere potest, sive habitum regularem deferant, sive non, ut ex cit. Constitut. Urbani. Eximendi tamen sunt ab eadem, si veram, urgentem, & gravioris momenti causam habeant recurrendi ad suos superiores, ut luculenter probat Benedict. XIV. *lib. XIII. de Synod. diœc. cap.* 11. *n.* 14.

Ampliatum est etiam a Clemente VIII. Constit. *Nullius* 20. *Mart.* 1601. decernente §. 13. eos non posse Romam petere sine Protectoris, vel Generalis licentia, sub pœna, si Romam ingrediantur sine licentia, ut supra, privationis vocis activæ & passivæ ad biennium Papæ reservatæ, quo elapso, hæc pœna per se cessat. Nec Provincialis potest licentiam dare, nisi ob bonum totius provinciæ, ut ibidem declaratur §. 31.

Ead.

Ead. Sess. XXIV. cap. 5. de Regul.

LXXXVII. Decretum præcipiens Episcopis, ut in monasteriis monialium, tam sibi, quam Regularibus subjectarum clausuram conservare procurent, & violatam restituant, declaratum est in pluribus, tam quo ad ingressum, tam quoad egressum a S. Pio V. Const. *Circa*, Gregor. XIII. constitutione *Deo sacris* 30. *Decemb.* 1572. *Ubi gratiæ. Dubii.* Gregorii XV. *Inscrutabili.* Alexandri VII. *Felici*, & a Bened. XIV. quas Constitutiones vide in Auctore, *lib. III. tit.* 35.

Eadem Sess. & cap.

LXXXVIII. Decretum statuens §. *Nemini*, non licere monialibus post professionem exire e monasterio etiam ad breve tempus, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda, declaratum est a S. Pio V. Constitut. *Decori* 1. *Febr.* 1570. reducente hanc causam ad tres tantum casus, nempe magni incendii, lepræ, & epidemiæ, cum licentia, & approbatione Prælati monasterii, si hoc sit subjectum Regularibus, & Episcopis simul: & quidem in scriptis, cum de infirmitate agitur, sub pœna excommunicationis ipso facto Papæ reservatæ tam in aliter egredientes, quam in licentiam concedentes, comitantes, & receptantes, ac privationis ipso facto officiorum, administrationum, & inhabilitatis ad illa, & alia hujusmodi obtinenda in ipsas aliter egressas, præsidentes, & alios superiores aliter licentiam dantes.

Nota tamen ex defectu hujusmodi licentiæ, exeuntes non incurrere dictas pœnas, si res ulteriorem dilationem non pateretur, v. g. quando superveniret periculosa, & inevitabilis necessitas subitæ exustionis, incursus hostilis, aquarum inundationis, proximæ, & irreparabilis monasterii ruinæ, cum in his, & similibus casibus locum habere debeat vulgaris regula, quam Nicolaus III. (non IV. ut notavi in summario cap. Exiit 3. de verb. signif. in 6.) his verbis expressit §. *Nec quicquam. Nec jure proli in extremæ necessitatis articulo ad providendum sustentationi naturæ via omnibus extrema necessitate detentis concessa præcluditur, cum ab omni lege extrema necessitas sit exempta.*

Benedictus XIV. in epistola ad Antistites regnorum Portugalliæ, & Algarbiorum *Cum sacrarum* 1. *Jun.* 1741. §. 5. adimit Nunciis, & etiam Congregationi Episc. & Regul. facultatem indulgendi egressum a monasteriis.

Ead. Sess. XXIV. cap. 5. de Regul.

LXXXIX. Decretum statuens §. *Ingredi*, nemini licere ingredi septa monasterii Monialium sine Episcopi, & Superioris licentia in scriptis, declaratum est decreto Cong. Conc. approbato ab Urbano VIII. 13. *Novemb.* 1620. & relato *L. XIII. de Syn. diæc. c.* 12. *n.* 23. hujusmodi licentiam quoad monasteria Monialium exemptarum, & regularibus subjectarum tam pro ingressu in casibus necessariis, quam pro accessu ad loquendum cum ipsis, dandam esse nedum ab earum Superioribus, sed etiam a locorum Ordinariis. Imo ex altero decreto ejusdem Congr. a dicto pariter Pontifice approbato 21. *Maji* 1630. relato loco mox cit. sufficit tantum ipsorum Ordinariorum licentia, ubi viget consuetudo, ut ab iisdem solummodo hæc petatur.

Ead. Sess. & cap.

XC. Idem decretum prohibens §. *Ingredi* dictum ingressum sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, non tamen reservatæ, ampliatum est a Greg. XIII. Constitut. *Ubi gratiæ* 13. *Jun.* 1575. & a Paulo V. Constit. *Monialium* 10. *Jul.* 1612. reservantibus dictam excommunicationem ipso facto incurrendam Papæ contra quoscumque eadem septa ingredi audentes, etiam marchionali, & ducali dignitate fulgentes, prætextu privilegiorum, quæ revocantur. Hæc pœna ex stylo Curiæ incurritur etiam ab ingredientibus sine tali prætextu.

Nota, quod si concedatur a S. Sede cuicumque etiam dicta, aut alia dignitate fulgenti, facultas eadem septa ingrediendi certis vicibus, v. g. bis, ex Constit. Pauli V. *Facultatum* 1. *Sept.* 1608. hæc particula *his*, aut similis, intelligenda est collective de omnibus scilicet monasteriis concessis, non distributive, sive singulis; & aliter utentes incurrunt pœnam, ut supra.

Idem decretum ampliatum est etiam in hoc, quod nulla in eo fiat mentio de introducentibus, seu intrare permittentibus clausuram; in cit. vero Constit *Monialium* §. 3. infligitur eadem pœna excommunicationis una cum privatione latæ sententiæ dignitatum, beneficiorum, officiorum, & inhabilitatis ad hujusmodi contra Abbatissas, Abbates, conventus, aliosque Superiores utriusque sexus monasteriorum Monialium, ac quascumque personas, si quemquam prætextu privilegiorum ingredi faciant, vel permittant. Quæ pœnæ itidem ex stylo Curiæ incurruntur etiam ab introducentibus, vel ingredi permittentibus sine dictorum privilegiorum prætextu.

Hæ Constitutiones, & pœnæ confirmatæ sunt a Benedicto XIV. Constitut. *Salutare* 3. *Jan.* 1742. ubi §. 3. sub iisdem pœnis interdicitur hujusmodi ingressus quibuscumque personis, etiam S. R. E. Cardinalibus, Legatis a latere & Nunciis, revocando, & annullando facultates ipsis fortasse hactenus concessas, exceptis tamen locorum Ordinariis, aliisque superioribus, quibus tamquam Ordinariis, & ordinaria jurisdictione utentibus dicta monasteria subjecta, & addicta sunt, in casibus necessariis, & servatis aliis de jure servandis. De jure autem ex Constitut. Gregorii XIII. *Dubii* 23. *Decemb.* 1581. §. 1. & 2. in hoc ingressu pro casibus necessariis hæc servanda sunt, ut scilicet Prælati tam sæculares (sive Episcopi, sive Cardinales sint) quam Regulares ingrediantur comitati paucis personis, iisque senioribus, & religiosis, sub pœna in Episcopos contrafacientes interdicti eo ipso ab ingressu Ecclesiæ pro prima vice, pro secunda suspensionis a pontificalibus, & a divinis, pro tertia, & ulterioribus excommunicationis: in superiores vero regulares sub pœna similiter excommunicationis, privationis cujuscumque officii, & ministerii.

Ex Constitut. Alexandri VII. *Felici* 10. *Novembr.* 1664. Prælati regulares non possunt ingredi clausuram Monialium sibi subjectarum.

1. Nisi semel in anno ex causa visitationis localis faciendæ per seipsos, non per substitutos cum assistentia quatuor Monialium ex senioribus unica die post ortum, & ante occasum solis, nulla sumpta in monasterio refectione. Et tunc si visitator sit Generalis, possit secum ducere duos socios sui Ordinis: si alius a Generali unum tantum, numquam in actu visitationis ad invicem separandos.

2. Si ob clausuræ custodiam, aut ob aliam urgentem, ac necessariam causam pluries in anno ingredi opus habeant, ingredi debeant una cum Episcopo diœcesano, vel persona ecclesiastica sæculari ab eodem specialiter deputata.

3. Visitationem personalem peragere debent ad crates extra septa monasterii, itidem per seipsos, & non per substitutos.

4. Confessarii tam ordinarii, quam extraordinarii ingredi tantum debentes pro sacramentorum administratione, & commendatione animæ agonizantium, non ingrediantur nisi cum socio probatæ vitæ, ac maturæ ætatis, & ita, ut semper ad invicem videri possint, sub pœnis in regulares præsumentes, aut negligentes prædicta omnia adimplere excommunicationis ipso facto, privationis omnium officiorum, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, vocisque activæ, & passivæ absque alia declaratione; quos Episcopus tamquam delegatus Sedis Apostolicæ toties, quoties opus fuerit impetranda, & prævio examine super earumdem moribus, fama, habilitate, & necessitate ab Episcopis, & non ab aliis quibuscumque superioribus facienda, sub pœnis impositis contra frangentes clausuram Monialium tam in fœminas aliter admissas, quam in moniales, aliasque in monasteriis degentes aliter admittentes.

Ead. Sess. XXIV. cap. 7. de Regul.

XCI. Decretum præscribens formam servandam in electione Abbatissarum, absque ulla temporis præfixione de abbatissatus duratione, ampliatum est a Gregorio XIII. Constit. *Exposcit* 1. *Jan.* 1583. præfigente triennium dumtaxat pro Monialibus intra Italiam, & utriusque Siciliæ Regnum, quo elapso vacare debet a re-

a regimine etiam vicariatus per aliud integrum triennium; nec super hoc dispensari potest ab Episcopo ex decreto Cong. Episc. & Regul. *in Mazarien.* 8. *Mart.* 1700.

Ead. Sess. XXV. & cap. 7. de Regul.

XCII. Decretum mandans §. *Si hoc*, Episcopum præesse debere electioni Abbatissæ monialium sibi subjectarum; Prælatum vero regularem electioni, quæ fit a monialibus sibi subjectis, exemptis a jurisdictione Episcopi, ampliatum est a Gregorio XV. Constitut. *Inscrutabili* 5. *Feb.* 1622. decernente §. 5. ut Episcopus una cum superioribus regularibus per se, vel per alium interesse etiam valeat huic electioni, citra tamen ullam monasteriorum impensam. Reliqua circa hanc electionem *vide infra n. XCIV.* §§. *Tenentur*, & *Nota.*

Ead. Sess. XXV. cap. 10. de Regul.

XCIII. Decretum statuens, ut Episcopi, aliique monasteriorum Prælati subjectis sibi monialibus præter ordinarium, extraordinarium confessarium bis, aut ter in anno exhibere teneantur, declaratum, & ampliatum est a Benedicto XIV. Constit. *Pastoralis* 5. *Aug.* 1748. decernente.

1. Confessarium extraordinarium teneri audire omnium monialium, aliarumque in monasterio degentium confessiones; illas autem ad id non arctari, sed debere tantum coram illo se sistere, saltem ad salutaria monita, etiam extra confessionem accipienda; idque ad tollendas suspiciones, & oblocutiones contra respective ad eum accedentes, & non accedentes juxta edictum Clementis XI. cujus extraordinarii deputationem cupit Benedict. extendi ad omnes mulierum communitates.

2. Hunc regulariter deputandum esse ab eo, ad quem spectat ordinarii confessarii electio, & deputatio.

3. Si Episcopus neglexerit extraordinarium deputare, deputandum esse a Cardinali majori pœnitentiario, si requisitus fuerit a monialibus, ex approbatis tamen a locorum Ordinariis pro excipiendis monialium confessionibus. Si vero hanc deputationem neglexerit Prælatus regularis, deputandum esse ab Ordinariis locorum.

4. Tam Episcopum, quam Prælatum regularem teneri peculiarem confessarium concedere moniali graviter ægrotanti, si illum petat: sicuti & illi, quæ licet non infirma, obfirmate tamen recuset confessario ordinario confiteri. Iste autem peculiaris confessarius assignandus a Prælato regulari, semper debet esse ex approbatis ab Episcopo pro monialibus. Quod si ille, cui monialis Regularibus subjecta confiteri cupit, non sit ex approbatis, tunc Episcopus eumdem approbet pro tot vicibus, quot expedire judicaverit.

5. Posse Episcopum juxta decretum Cong. Conc. an. 1573. a Gregorio XIII. approbatum assignare semel, vel pluries peculiarem confessarium tam sæcularem, quam regularem alterius Ordinis eidem moniali Regularibus subjectæ, reluctanti confiteri ordinario confessario.

6. Non esse interdictum pluries etiam quam tribus vicibus in anno extraordinarium nedum omnibus, sed etiam singulis monialibus offerre, si non ex animi levitate, neque ex indiscreta affectionis singularitate illum petant; quod remittitur judicio, & discretioni Prælatorum.

7. Quoscumque superiores regulares teneri bis, aut ter in anno deputare hunc extraordinarium monialibus sibi subjectis, qui saltem semel in anno sit ex Clero sæculari, aut ex alio Ordine regulari, tributa facultate Episcopis supplendi eorumdem defectum, appellatione remota.

8. Ordinarium confessarium, durante extraordinario, audire non posse confessionem cujuscumque intra monasterium, aut piam domum degentis, etiam superiorissæ, novitiæ, seu conversæ sub pœnis arbitrio Prælatorum, quorum regimini monasteria, aut piæ domus subjectæ sunt.

9. Extraordinario, sive communitati, sive alicui in monasterio degenti peculiari deputato, expleto suo munere interdictum esse accessum ad idem monasterium sub pœnis in accedentes ad moniales, & cum ipsis conversantes statutis.

Eadem Sess. XXV. cap. 11. de Regul.

XCIV. Decretum statuens tam sæculares, quam Regulares exercentes in sæculares personas animarum curam in iis Ecclesiis, quæ monasteriis, seu domibus regularium virorum, aut mulierum annexæ sunt, immediate subesse debere in pertinentibus ad dictam curam, & sacramentorum administrationem jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi diœcesani, ad tollendam sinistram ejusdem decreti interpetrationem a nonnullis excogitatam, quod nempe afficiat tantum vel Parochos, vel animarum curam exercentes, non vero sacerdotes ab episcopali jurisdictione exemptos, si aliqua sacramenta ad Parochum pertinentia sine Episcopi, & ejusdem Parochi licentia administrarent, ampliatum, & declaratum est a Gregorio XV. Constit. *Inscrutabili* 5. *Febr.* 1622. sic statuente §. 4. *Ut deinceps tam Regulares, quam sæculares quomodolibet exempti, sive animarum curam personarum sæcularium monasteriis, seu domibus regularibus, aut quibusvis aliis Ecclesiis, vel beneficiis, sive sæcularibus sive regularibus incumbentem exerceant, sive alia ecclesiastica sacramenta, aut unum ex illis ministrent, prævia Episcopi licentia, & approbatione, sive quoquomodo in dictæ curæ exercitio, aut in eorumdem sacramentorum, vel alicujus ex illis administratione de facto absque auctoritate se ingerant in his, quæ hujusmodi curam, seu administrationem concernunt, omnimodæ jurisdictioni, visitationi, & correctioni diœcesani Episcopi, tamquam Sedis apostolicæ delegati, plene in omnibus subjiciantur. Ad hæc tam Regulares, quam sæculares hujusmodi nullis privilegiis, aut exemptionibus tueri se possint, quominus, si deliquerint circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram, vel circa bonorum administrationem monasteriorum monialium, etiam regularibus subjectarum ab Episcopo loci similiter tamquam ad hoc Sedis apostolicæ delegato, quoties, & quando opus fuerit puniri, & corrigi valeant.*

Ampliatum est etiam in hoc, quod administratores bonorum monasteriorum monialium Regularibus subjectarum (de quibus nullam mentionem facit Trident.), cogi, & compelli possint ab Episcopo loci, adhibitis etiam superioribus regularibus ad reddendam singulis annis rationem administrationis, iique ex rationabili causa amoveri, si superiores prius de causa moniti id facere detrectaverint, ut ibidem §. 5. quemadmodum etiam resolutum fuit a Cong. Conc. 28. *Sept.* 1754. in Ferrarien. jurisdict. una cum aliis dubiis ad eamdem administrationem spectantibus.

Pro hujus tamen Constit. intellectu emanarunt a Sac. Cong. Conc. sequentes declarationes ab ipso Gregorio, & subinde ab Urb. VIII. approbatæ, quæ referuntur in calce ejusdem Constit.

1. Episcopus vi dictæ Constit. non potest visitare altaria Ecclesiarum Regularium, neque tabernaculum, neque confessionalia.

2. Nec iis præscribere loca, tempus & conditionem personarum sæcularium, quarum confessiones audient.

3. Nullam ex eadem Constit. auctoritatem recipit in personas nullius diœcesis.

4. Prælati territorium habentes nequeunt exercere potestates hac Constitutione concessas.

5. Cum permittitur Episcopo assistere, & præesse electioni Abbatissæ monialium Regularibus subjectarum, non ei datur jus illam confirmandi.

6. Confessarii sive ordinarii, sive extraordinarii, etiam superiores, nequeunt audire confessiones monialium sui Ordinis sine approbatione Episcopi sub pœna nullitatis confessionum.

7. Approbatio generalis data Regularibus pro audiendis confessionibus non sufficit ad audiendas illas monialium.

8. Nec data pro uno monasterio valet pro alio.

9. Confessarii extraordinarii indigent nova approbatione toties, quoties deputantur ad audiendas earumdem monialium confessiones.

10. Episcopus revocans earum confessarios, administratores bonorum, non tenetur causam significare superioribus regularibus.

11. Hæc Constit. locum habet in omnibus delictis, & non in notoriis tantum, & cum populi scandalo.

12. Potest Episcopus coercere, & punire Regularem acce-

accedentem absque legitima licentia ad colloquendum cum moniali etiam sui Ordinis.

13. Teneantur regulares significare Episcopo diem electionis abbatissæ, eumque usque ad præfinitum tempus expectare, si antea ipse expresse declaraverit, se uti velle facultate sibi hac in parte attributa, abbatissarumque electionibus per se, vel per alium interesse, ac præsidere. Post hanc vero declarationem licere Episcopo animadvertere in regulares, qui ante tempus significatum, aut die electionis eidem non prænunciata, ad abbatissæ electionem procedunt.

Nota ex decreto Congr. Conc. 26. *Apr.* 1727. in Tyburtina, ut in Thesaur. Resol. ejusdem Cong. quod si Episcopus interesse velit huic electioni, interesse tantum debeat cum his limitationibus.

1. Scilicet quod non possit ope Vicarii generalis, aut cancellarii exquirere voluntates, vel recipere, aut adnotare vota monialium eligentium, sed hæc omnia præstari debeant a superiore regulari; sciente tamen, & audiente eodem Episcopo.

2. Quod nequeat suffragium ferre, sicut & neque superior regularis sub pœna nullitatis electionis.

3. Quod ejus cancellarius, durante scrutinio, neque intra ecclesiam permanere possit; nec alii quicumque etiam religiosi ejusdem Ordinis, exceptis superiore, & scrutatoribus.

4. Quod confirmatio electionis fieri tantum debeat a superiore regulari, tamquam a Prælato immediato.

Ead. Seff. XXV. c. 11. de Regul.

XCV. Idem decretum declaratum est a Benedicto XIV. Constit. *Firmandis 6. Nov.* 1744. circa actus, quos Episcopus in iisdem Regularium parochialibus Ecclesiis explere potest ordinaria jurisdictione in visitatione locali, statuente.

1. A parocho regulari excipiendos esse in dictis Ecclesiis missionarios ab Episcopo missos tamquam visitationis suæ prænuncios, juvandosque in omnibus, quibus ad injunctum sibi onus implendum opus illis esse contigerit.

2. Posse Episcopum ibidem sive intra, sive extra visitationem confirmationis Sacramentum administrare.

3. Visitare dumtaxat altare, in quo SS. Eucharistiæ Sacramentum asservatur, ejusque tabernaculum.

4. Fontem baptisterii, si adest.

5. Confessionale, in quo parochus confessiones audire solet.

6. Pulpitum, in quo idem jus habet verbi Dei enunciandi.

7. Sepulcrum, sepulturas, & cœmeterium pro humandis parochianorum cadaveribus.

8. Turrim campanariam, si adsint campanæ ad parochiam proprie spectantes; sacrarium, & supellectilem pro administrandis Sacramentis tam intra, quam extra Ecclesiam.

9. Omnia vasa tam pro servandis particulis consecratis, tam pro oleis sacris, aut aqua baptisterii, vel alia rite benedicta.

In visitatione vero personali ejusdem parochi regularis debere Episcopum illum examinare.

1. An legitimo titulo curam exerceat.

2. An observaverit, & observet residentiæ leges.

3. An vocatus ad synodum iverit.

4. An conferentias super casibus conscientiæ frequentet.

5. An adimpleverit onera animarum curæ annexa, applicationem scilicet missæ pro populo dominicis, & aliis diebus festis de præcepto: prædicationem verbi Dei iisdem diebus, puerorum instructionem in fidei rudimentis, & doctrinæ christianæ præceptis, præcipue ante susceptionem confirmationis, & primam communionem: sedulam diligentiam in excipiendis fidelium confessionibus, & spiritualibus auxiliis ægrotantibus, ac in agone constitutis præstandis; in debita inquisitione adhibenda pro valida celebratione matrimonii, sponsisque instruendis circa consensum præstandum, mysteriorumque Fidei notitiam, ac recte ordinatis retinendis libris baptizatorum, confirmatorum, matrimoniorum, & status animarum.

6. Item debere Episcopum scrutari ipsius morem, & vitam in iis tantum, quæ ad populi ædificationem conferre, vel obesse possunt: non vero in iis, quæ spectant ad illius instituti observantiam.

7. Posse itidem in eum decreta pronunciare, pœnasque statuere, si in prædictis omnibus deficientem invenerit, non privative, sed cumulative cum Superiore Regulari: ita tamen, ut si aliter ab hoc, & aliter ab Episcopo decernatur, hujus, non vero illius decretis sit standum: reservata eidem Episcopo privativa facultate in Parochianorum mores inquirendi, eorumque scandala puniendi.

8. Parochum æquo jure removeri posse ab animarum cura, tam ab Episcopo, quam a Superiore regulari, absque eo quod unus alteri causas judicii sui aut aperire, aut probare, & certificare teneatur.

Ead. Seff. XXV. cap. 11. de Regul.

XCVI. Decretum excipiens ab ordinaria Episcopi jurisdictione, quoad visitationem, monasteria, seu loca, in quibus Abbates, aut alii Regularium Superiores jurisdictionem episcopalem, & temporalem in Parochos, & Parochianos exercent, declaratum est in eadem Constit. §. 12. statuente Episcopum etiam tamquam Sedis Apostolicæ delegatum, se abstinere omnino debere a visitatione, alioque quocumque jurisdictionis actu in hujusmodi Parochos, & Parochianos, quoties dicti Abbates, & Superiores probaverint jurisdictionem episcopalem in eosdem; & contra Episcopus probare nequeat ampliorem in ipsos jurisdictionem ex alio capite sibi acquisitam.

Ead. Seff. XXV. & cap. 11. de Regul.

XCVII. Decretum pariter excipiens ab Episcopi jurisdictione, visitatione, & correctione, etiam quoad animarum curam, & Sacramentorum administrationem, Parochos tam Sæculares, quam Regulares dictam animarum curam exercentes in monasteriis, seu locis, ubi Abbates, Generales, aut capita Ordinum sedem ordinariam principalem habent, declaratum est ab eodem Pontifice *in cit. Constit. a* §. 13. *ad* 19. decernente.

1. Non sufficere ad hanc exemptionem cujuslibet Abbatis residentiam, sed debere esse residentiam Abbatis generalis totius Ordinis sui.

2. Non requiri, quod monasterium, ubi iidem Abbates, seu Superiores resident, sit caput Ordinis, sed sufficere, quod sit ordinaria, & principalis sedes eorumdem.

3. Illud monasterium tantum dici ordinariam, & principalem sedem, quod vel a constitutionibus Ordinis, vel a consuetudine, ut tale præfinitur. Si vero neque a constitutionibus, neque a consuetudine præfinitum sit, tunc dici debere illud, quod Superior generalis pro sua stabili residentia initio sui generalatus elegerit. Quod si facta semel electione variare præsumpserit, neque monasterium initio electum, neque alterum, ad quod etiam cum curia se transtulerit, gaudere privilegio ordinariæ, & principalis sedis.

4. His generalibus Superioribus non ideo competere jus aliquod in sæculares subditos parochialium in eorum ordinaria principali sede erectarum, sed privative spectare ad Episcopum: sicuti & ad ipsum spectare interponere propriam auctoritatem, & consensum prævio examine, super admissione Parochi tam Sæcularis, quam Regularis, etiam ad nutum amovibilis ab eisdem Superioribus in dictis Ecclesiis deputati.

5. Posse Episcopum, & aliquando etiam debere instare apud dictos Superiores pro Parochi remotione, si hunc munus suum non recte administrare cognoverit; implorata etiam Sedis Apostolicæ auctoritate, quoties Superiores reluctaverint, aut plus æquo Parocho a se deputato faverint.

6. Parochiales unitas dictis monasteriis pro ordinaria, & principali sede constitutis, non gaudere exemptione a visitatione, & correctione Episcopi, quamvis a Parochis Regularibus administrentur.

7. Nec illas erectas in iisdem monasteriis, siqui Episcopi ipsas visitare consueverint.

Ead. Seff. XXV. cap. 13. *de Regul.*

XCVIII. Decretum statuens componendas esse ab Episcopo controversias de præcedentia in publicis processionibus, in deferendis defunctorum cadaveribus, aliis-

aliisque similibus publicis actibus, declaratum est a S. Pio V. Constit. *Divina* 27. *Aug.* 1568. quo ad Fratres prædicatores, decernente eis ubique competere præcedentiam ante quoscumque Ordines mendicantes, etiam in privatis actibus. Quam præcedentiam postea Clemens VIII. Constit. *Inter cetera* 25. *Septem.* 1592. iisdem concessit etiam ante alios quoscumque Ordines regulares (exceptis Canonicis, & Clericis sæcularibus, ac antiquis Ordinibus monachalibus) Quid autem juris sit circa hanc præcedentiam, quando tam eorum, quam aliorum Ordinum conventus post aliquos præexistentes regulares alicubi fundati sint, vide Constit. Gregorii XIII. *Exposcit* 15. *Jul.* 1683. *& cit. Const. Inter cetera* §. 2.

Ead. Sess. XXV. cap. 14. *de Regul.*

XCIX. Decretum statuens regulares exemptos intra claustra degentes, sed extra notorie delinquentes cum scandalo populi, Episcopo instante, severe puniendos esse ab eorum superiore intra tempus præfigendum ab eodem Episcopo, de hac punitione postea certiorando, & in defectu punitionis superiorem privandum esse officio a suo Prælato, ac dictos delinquentes regulares puniri posse ab Episcopo, ampliatum est a Clemente VIII. Constit. *Suscepti* 23. *Feb.* 1596. infligente §. 3. pœnam privationis dignitatum, & officiorum latæ sententiæ contra superiores hoc Tridentini decretum non servantes in omnibus; ac addente, quod si superior regularis suum religiosum, ut supra delinquentem non puniverit, & illum impunitum a loco delicti ad alium suæ Religionis transmiserit, instante Episcopo loci delicti intra terminum ab eodem præfigendum debeat dictum delinquentem ad eumdem locum delicti revocare; alias idem superior incurrat pœnam privationis vocis activæ, & passivæ Papæ reservatam: & crescente contumacia possit, & debeat Ordinarius loci; ad quem transmissus est delinquens, sive requisitus ab Ordinario loci delicti, sive aliter informatus, procedere adversus eumdem, eumque punire juxta dictum decretum Tridentini tamquam Sedis apostolicæ delegatus.

Ex decreto Congr. Conc. relato a Matthæucci *Official. Cur. cap. ult. n.* 22. regularis puniri itidem potest ab Episcopo, si notorie delinquat etiam in Ecclesia sui monasterii januis apertis; secus si clausis. Et nota ex altero decreto ejusdem Congreg. ibidem relato, quod religiosus delinquens detentus in carceribus ab Episcopo statim remittendus est ad ipsius superiorem una cum probationibus, seu processu, licet superior nullam instantiam faceret.

Ead. Sess. XXV. cap. 15. *de Regul.*

C. Decretum prohibens in quocumque Ordine regulari utriusque sexus professionem fieri ante decimum sextum annum post probationem unius anni a suscepto habitu, ampliatum est a Clemen. VIII. in decretis super receptione novitiorum relatis in calce ipsius Constitutionis *In suprema* 2. *Aprilis* 1602. statuente 1. ut conversi non nisi post completum vigesimum primum suæ ætatis annum eam emittant. 2. hanc nullam esse tam horum respectu, quam admissorum pro Clericis, si probatio per annum ut supra facienda, fiat in locis pro novitiatu apostolica auctoritate non designatis.

Ead. Sess. XXV. cap. 16. *de Regul.*

CI. Decretum edicens nihil innovatum esse in Religione Clericorum Societatis Jesu circa renunciationem, aut obligationem factam a novitio ante duos menses proximos professioni, & in novitiatu retentionem, vel ejectionem, declaratum est quo ad aliqua dubia a Gregorio XIII. Const. *Ascendente Domino* 25. *Maji* 1584. quæ vide ibi.

Ead. Sess. cap. 19.

CII. Decretum prohibens ullum regularem audiendum esse super nullitate professionis ex quocumque capite, nisi intra quinquennium a die professionis reclamaverit, ampliatum est a Bened. XIV. ut in additionibus meis *l. III. tit.* 31. *post n.* 22.

Eadem Sess. & cap.

CIII. Decretum prohibens quemcumque regularem cujuscumque facultatis vigore transferri ad laxiorem Religionem, declaratum, & ampliatum est, ut supra n. XXV.

Ead. Sess. cap. 20.

CIV. Decretum præcipiens, ut priores claustrales, aut in prioratibus conventum habentibus superiores, qui correctiones, & spirituale regimen exercent, a capitulis generalibus, vel ipsorum Ordinum visitatoribus instituantur, etiamsi eorum monasteria commendata sint, ampliatum est ab Innoc. X. Constit. *Pastoralis* 25. *Sept.* 1654. favore monasteriorum Cistercensium, decernente §. 2. ne eorumdem commendatarii possint priores, & officiales instituere, ac destituere, nec visitare monachos, eosque corrigere: quod idem confirmatum fuit ab Alexandro VII. Constit. *Exponi* 26. *Augusti* 1655.

Ead. Sess. XXV. cap. 22. *de Regul.*

CV. Decretum statuens exequutioni demandanda esse decreta de reformatione regularium, confirmatum est a Pio IV. Const. *In Principis* 17. *Febr.* 1564. revocante quæcumque indulta confessionalia, mare magnum, aliaque privilegia quibuscumque regularibus concessa in iis, quæ concilio Tridentino adversantur.

Ead. Sess. XXV. cap. 2. *de Refor.*

CVI. Decreto declaranti a quibus, & quando emittenda sit fidei professio, accessit Constit. Pii IV. *Injunctum* 13. *Novemb.* 1564. præscribentis formam, qua fieri debeat.

Ead. Sess. cap. 3.

CVII. Decreto statuenti, quando, & a quo decernendæ sint excommunicationes ad finem revelationis, aut pro deperditis, vel subtractis rebus, accessit Constit. S. Pii V. *Sanctissimus* 27. *Jun.* 1570. præscribentis formam, qua hujusmodi apostolicæ litteræ monitoriales expediendæ sint a curia romana.

Ead. Sess. & cap.

CVIII. Decretum statuens §. *In causis* mulctas pecuniarias eo ipso, quod exactæ fuerint, assignandas esse locis piis, ampliatum est ab Innoc. XI. cujus jussu 5. *Feb.* 1678. expeditæ fuerunt a Cong. Episc. & Regul. litteræ encyclicæ ad omnes Episcopos relatæ *l. X. de Synod. diœc. cap.* 10. *n.* 5. præcipiendo dictas mulctas statim tradi custodiendas fideli depositario, ut semper innotescat, quantum a delinquentibus exactum fuerit, & in quem usum erogatum.

Ead. Sess. XXV. cap. 4. *de Refor.*

CIX. Decretum tribuens facultatem Episcopis in diœcesana synodo, & abbatibus, ac Generalibus Ordinum regularium in suis generalibus capitulis reducendi numerum missarum, quando ex variis testatorum relictis earum numerus adeo magnus est, ut illis pro singulis diebus a testatoribus præscriptis nequeat satisfieri, vel quando earumdem eleemosyna est adeo tenuis, ut non facile inveniatur, qui velit huic se oneri subjicere, derogatum est ab Urbano VIII. Constitut. *Cum sæpe* 21. *Jun.* 1625. §. 1. de celebratione missarum, cujus decreta relata, & confirmata sunt ab Innoc. XII. Constit. *Nuper* 23. *Dec.* 1697. statuentibus pro utroque casu adeundam esse Sedem apostolicam; & hoc, etiamsi legatum relictum pro missis celebrandis esset ita tenue, & nondum ab ullo acceptatum fuisset, ut adnotatum legitur post dictam Urbani Constitutionem.

Ead. Sess. cap. 7.

CX. Decretum prohibens tam accessus, aut regressus etiam de consensu partium, ad quodcumque beneficium Ecclesiasticum, quam futuram successionem in coadjutoriis, declaratum est a S. Pio V. Constit. *Romani* 12. *Sept.* 1571. revocante omnes dictos regressus, accessus, & ingressus etiam eventuales, & pœnales, ac coadjutorias, etiam de consensu quomodolibet hactenus concessas, etiam S. R. E. Cardinalibus, super quibus litteræ apostolicæ integraliter expeditæ non fuerint.

Ead. Sess. XXV. cap. 10. *de reform.*

CXI. Decretum statuens, ut unaquæque diœcesis habeat

habeat quatuor saltem, aut plures probatas personas in conciliis Provincialibus, aut diœcesanis designandas, quæ Judices synodales vocantur, præditas qualitatibus expressis in Constit. Bonifacii VIII. *cap. Statutum*, quibus, aut Episcopis causæ ecclesiasticæ in partibus committendæ sunt, itaut delegationes aliis factæ subreptitiæ censeantur, cum facultate alium substituendi per locorum Ordinarium cum consilio capituli usque ad futuram provincialem, aut diœcesanam synodum, siquam ex illis mori contingat, ampliatum est a Bened. XIV. in epistolâ ad locorum Antistites incipiente *Quamvis 26. Aug.* 1741. statuente.

1. Ut eorumdem synodalium Judicum nomina, ut supra designatorum, vel suffectorum, quam primum ab Ordinariis ad summum Pontificem transmittantur, ut ita officiales S. Sedis scire possint, quibus apostolicas commissiones dirigere debeant.

2. Ut in casu Concilii Provincialis, aut synodalis non coacti iidem Ordinarii interim eos eligant cum consensu suorum capitulorum, & illorum nomina pariter ad Pontificem transmittant.

3. Ut eligantur nedum quatuor, sed etiam plures, diœcesis amplitudo, aliæque peculiares circumstantiæ id exposcant.

Ead. Sess. & cap.

CXII. Decretum præcipiens §. *Admonet*, ut tam Ordinarii, quam alii quicumque Judices, quanta fieri poterit brevitate, studeant in terminandis causis, ac litigatorum artibus, seu in litis contestatione, seu in alia parte judicii differenda, termini præfixione occurrant, ampliatum est, ut supra n. LXXXI.

Ead. Sess. XXV. cap. 13. de refor.

CXIII. Decretum mandans persolvendam esse quartam funerariam cathedralibus, vel parochialibus Ecclesiis solvi solitam XL. annos ante ipsum Concilium, non obstantibus privilegiis de ea non solvenda, declaratum fuerat a S. Pio V. Constit. *Etsi mendicantium 16. Maii* 1567. ita statuente §. 11. -- *Quartam autem funeralium, de qua sess. 25. c. 13. nequaquam solvere teneantur monasteria, quæ a quadraginta annis citra fundata existunt, postquam concilium ipsum loquitur tantum de monasteriis ante annos quadraginta fundatis, quæ ipsam quartam solvere consueverunt; & ubi solvi consuevit, id tantum ceræ, & aliorum, quæ in aliquibus partibus deferri contigerit tempore, quo defunctorum corpora ad sepulturam deferuntur, non autem de missis, seu legatis, vel aliis Fratribus ipsi, seu monialibus relictis, aut alias quomodolibet donatis solvi debet: sicque intelligi hujusmodi concilii decretum, quoad quartam hujusmodi solvendam debere decernimus. Ubi vero non est consuetudo solvendi quartam hujusmodi, de nullo suprascriptorum solvi debere declaramus.* Quæ Constit. redacta postea fuit a Gregorio XIII. Constit. *In sancta 1. Mart.* 1573. ad terminos juris communis, & Concilii Trident. verum a Bened. XIII. Constit. *Romanus Pontifex 2. Apr.* 1725. pro Italia, & Insulis adjacentibus revocata sunt quæcumque privilegia post Clementin. *Dudum de sepult. edit. in Concil. Vien.* & post Trident. concessa Regularibus intra Italiam, & Insulas adjacentes existentibus de non solvenda dicta quarta Parochis defunctorum, qui in Ecclesiis eorumdem Regularium tumulantur: ubi §. 4. declaratur, ut hæc quarta debeatur de omnibus intorticiis, & candelis, quibus in itinere associatur cadaver, & quæ circa idem cadaver, & in altaribus in die funeris accenduntur, etiamsi funus non fiat in die tumulationis, sed ad longius tempus differatur; reservatis tamen favorabilioribus Parochorum juribus, & consuetudine legitime probata, conventione, concordia, aut statuto competentibus etiam respectu Ecclesiarum non regularium: & hæc omnia locum habere, sive defunctus ibi tumuletur, vel exponatur, quia beneficium ibidem obtinuit, sive quia habuerit sepulchrum gentilitium, sive quia sepulturam elegerit. Excipiuntur tamen ab hoc quarta candelæ per viam accensæ delatæ a Sacerdotibus, etiam regularibus, vel sodalitatum confratribus cadaver associantibus; sicuti & legata missarum, & anniversariorum, hisque similium relictorum Ecclesiæ tumulanti.

Ead. Sess. XXV. cap. 16.

CXIV. Decretum præcipiens assignandam esse Vicariis perpetuis congruam portionem, declaratum est a S. Pio V. ut supra n. XII.

Ead. Sess. cap. 9.

CXV. Decretum statuens certas pœnas in quoscumque Dominos temporales, etiam si sit Rex, vel Imperator, permittentes in terris suis duellum formatum, ac in committentes pugnam, eorumque patrinos consulentes, & spectatores, ampliatum est a Clemente VIII. Constit. *Illius vices 17. Aug.* 1592. extendente §. 5. pœnas omnes latas a Pio IV. Gregorio XIII. & Tridentino ad omne singulare certamen etiam privatum, seu minus solemne, & ad omnem provocationem, & cooperationem attentatam, etiam non sequuta pugna, neque accessu ad locum; & ad omnes cooperationes circa chartulas, vel disfidationis nuncia, licet provocationes intimatæ non fuerint adversario, si per ipsos cooperantes non steterit, quominus intimarentur. Declarante insuper hos omnes incurrere excommunicationem Papæ reservatam (quam non reservaverat Gregorius, nec Tridentinum) infamiam juris, & privationem Ecclesiasticæ sepulturæ: loca vero certaminis incurrere eo ipso, interdictum Papæ reservatum.

Ampliatum est etiam prius a Benedicto XIII., & postremo a Bened. XIV. Constit. *Detestabilem 4. idus Novembr.* 1752. §. *Jam vero* ibi: -- *Si quis in duello, sive publice, sive privatim indicto hominem occiderit, sive hic mortuus fuerit in loco conflictus, sive extra illum ex vulnere in duello accepto, hujusmodi homicida tamquam interficiens proximum suum animo præmeditato, ac deliberato ad formam Constit. fel. record. prædecess. nostri Benedicti Papæ XIII., quæ incipit* -- *Ex quo divina data VI. idus Jun. anno Domini* 1725. *ab Ecclesiasticæ immunitatis beneficio exclusus, & repulsus omnino censeatur; ita ut a cujuscumque sacri, aut religiosi loci asylo, ad quod confugerit, servatis tamen de jure servandis, extrahi, & Judici competentis curiæ pro merito puniendus tradi possit, & debeat: super quo nos Episcopis, aliisque superioribus Antistitibus, ad quos respective pertinet, & pertinebit in posterum, necessarias, & opportunas facultates præsentium quoque tenore impertimur.*

Quin etiam, vivente adhuc altero in singulari certamine graviter vulnerato, si percussor in locum immunem se receperit, ex quo, eveniente illius morte, fugam arripere, & legum severitatem evadere posse prospiciatur, volumus, & respective permittimus, ut quatenus periti ad inspiciendum vulnus acciti grave vitæ periculum adesse retulerint, percussor ipse prævio semper decreto Episcopi, & cum assistentia personæ ecclesiasticæ ab eodem Episcopo deputatæ, ab hujusmodi loco immuni extractus, sine mora carceribus mancipetur: ea tamen lege Judicibus indicta, ut illum Ecclesiæ restituere debeant, si vulneratus superstes vivat ultra tempus a legibus, quæ de homicidio sunt, constitutum; alioquin in easdem pœnas incidant, quæ in memoratis Benedicti XIII. litteris constitutæ sunt adversus illos, qui delinquentem in aliquo ex casibus ibidem expressis, ex indiciis ad id sufficientibus sibi traditum restituere recusent, postquam is in suis defensionibus hujusmodi indicia diluerit.

Præterea decernimus, ac declaramus *sepulturæ sacræ privationem ex sacrosancta Tridentina Synodo inflictam morientibus in loco duelli, & conflictus incurrendam perpetuo fore etiam ante sententiam Judicis a decedente quoque extra locum conflictus ex vulnere ibidem accepto, sive duellum publice, sive privatim indictum fuerit, ac etiamsi vulneratus ante mortem non incerta pœnitentiæ signa dederit, atque a peccatis, & censuris absolutionem obtinuerit; sublata Episcopis, & Ordinariis locorum super hac pœna interpretandi, ac dispensandi facultate.*

Ulterius proscripsit has propositiones.

1. *Vir militaris, qui nisi offerat, vel acceptet duellum, tamquam formidolosus, timidus, abjectus, & ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se, suosque sustentat, privaretur, vel promotionis alias sibi debitæ, ac promeritæ spe perpetuo carere deberet, culpa, & pœna vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum.*

2. *Ex-*

2. *Excusari possunt etiam honoris tuendi, vel humanæ vilipensionis vitandæ gratia duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.*

3. *Non incurrit ecclesiasticas pœnas ab ecclesia contra duellantes latas Dux, vel Officialis militiæ acceptans duellum ex gravi metu amissionis famæ, & officii.*

4. *Licitum est in statu hominis naturali acceptare, & offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum jactura propulsari nequit.*

5. *Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui civitatis male ordinatæ, in qua nimirum vel negligentia, vel malitia Magistratus justitia aperte denegatur.*

Ead. Sess. XXV. c. 20. de reform.

CXVI. Decretum statuens libertatem, & immunitatem ecclesiasticam observandam esse sub pœnis in ipsam violantes a sacris Canonibus, conciliis, & apostolicis sanctionibus impositis, quas innovat, declaratum est a Gregorio XIV. Constit. *Cum alias* 24. *Maji* 1591. infligente excommunicationem latæ sententiæ Papæ reservatam (ut etiam declaravit jussu Clementis VIII. 26. *Novembr.* 1602. Cong. Episc. & Regul. quæ prius de jure communi erat tantum ferendæ sententiæ) in præsumentem extrahere reum de loco sacro, aut ei ibidem existenti nocumentum aliquod inferre in ipsius personam, aut bona, quæ secum intulit, exceptis tamen casibus, quos vide in Auctore *lib. III. tit.* 39. *n.* 21. *& seqq.* aliisque exceptis a Clemente XII., & Benedicto XIV. quorum constitutionum summam vide ibidem in additionibus meis post n. 22.

Ead. Sess. in decreto de Indulgentiis.

CXVII. Decretum statuens §. *Abusus*, abolendos esse omnes pravos quæstus pro consequendis Indulgentiis, ampliatum est a S. Pio V. ut supra n. VIII.

Ead. Sess. in decreto de delectu ciborum, jejuniis &c.

CXVIII. Decretum, quo S. Synodus obtestatur pastores omnes, ut inter cetera sedulo commendent quibuscumque fidelibus, — *ut iis præcipue sint obsequentes, quæ ad mortificandam carnem conducunt, ut ciborum delectus, & jejunia* — declaratum est in multis a Ben. XIV. tam quo ad observantiam, quam quo ad eorumdem jejuniorum dispensationem, ut in meis additionibus *lib. III. tit.* 46. *post n.* 5.

Ead. Sess. in decreto de Indice libror. Catechis., Breviar. & Missal.

CXIX. Decreto statuenti terminandum, & vulgandum esse judicio, & auctoritate Summi Pontificis quidquid a Patribus in hoc Concilio delectis examinatum fuerit circa Breviarium, & Indicem librorum, quo ad primum accesserunt Constitutiones S. Pii V. *Quod a nobis* 7. *idus Jul.* 1568. Clemen. VIII. *Cum in Ecclesia* 10. *Maji* 1602. & Urbani VIII. *Divina* 25. *Jan.* 1631. quo ad secundum accesserunt Constitutiones relatæ n. 1.

His etiam accessit decretum Congr. Rituum ejusdem Urbani jussu editum, quarum Constitutionum, & decreti summam habes in fronte Breviarii romani.

Ead. Sess. XXV. decr. de recipien. & observan. decretis Concilii.

CXX. Decreto statuenti hæc eadem decreta ab omnibus recipienda, & observanda esse, accesserunt Constitutiones Pii IV. *In Principis* 17. *Februar.* 1564. statuentis ut supra n. CV. & *Alias* 4. *nonas Aug.* 1564. qua deputantur octo Cardinales pro exequutione, & observatione eorumdem decretorum.

Ampliatum est etiam a Gregor. XIII. Constit. *Inter apostolicas* 5. *Sept.* 1584. innovante decretalem Nicolai III. relatam *in c. Contingit* 1. *de jurejuran. in* 6. aliasque sanctiones contra jurantes, & jurare facientes illicita, impossibilia, damnosa, & ecclesiasticæ libertati adversantia, illamque extendente ad observantias, & juramenta obviantia decretis Trident. sive hæc præstentur ante possessionem Canonicatuum, Ecclesiarum, & officiorum, sive post, sub pœnis Papæ reservatis in talia juramenta exigentes, si Episcopi sint, seu Pontificali dignitate præditi, suspensionis a divinis; si singulares personæ his inferiores, excommunicationis, & inhabilitatis ad officia, & beneficia obtinenda: si universitates ecclesiasticæ, capitula, conventus, eorumque Ecclesiæ, & loca omnia laicalia, interdicti, scilicet personalis, vel localis respective. In præstantes autem dicta juramenta privationis eo ipso usus, & commodi rei, & gratiæ, cujus causa illicite juraverint, idest officii, beneficii, & prælaturæ.

Ead. Sess. & decreto.

CXXI. Decreto statuenti providendum esse a summo Pontifice commodiore quacumque ratione ei benevisa, quoties in Concilii decretis recipiendis aliqua difficultas oriatur, aut aliqua acciderint, quæ declarationem, aut definitionem postulent, accessit Constit. Sixti V. *Immensa* 8. *Febr.* 1588. qua instituitur Congregatio Cardinalium cum facultate eadem decreta interpretandi, in iis tantum, quæ de morum reformatione, disciplina, ac moderatione, & ecclesiasticis judiciis, aliisque hujusmodi statuta sunt, & Papa consulto, eidem reservata interpretatione eorum, quæ ad Fidei dogmata pertinent.

Et hic notandum cum Benedict. XIV. *lib. XIII. de synodo diœc. c.* 24. *n.* 23. quod, cum Concilium Tridentinum declaraverit *sess.* 25. *cap.* 21. *de reformatione — Omnia, & singula sub quibuscumque clausulis, & verbis, quæ de morum reformatione, atque ecclesiastica disciplina a se statuta sunt — ita decreta fuisse; ut in his salva semper auctoritas Sedis apostolicæ, & sit, & esse intelligatur*, quoties a Romano Pontifice aliquid indulgetur, aut statuitur contrarium eidem Concilio, non opus est expressa illius derogatione, sed (sunt verba Benedicti ibi —) *Satis est, ut removeatur necessitas expressæ derogationis; proindeque sufficiat, ad hoc ut derogatum censeatur opposita conciliari sanctioni, si Pontifex aliquid ipsi contrarium indulserit, aut decreverit, supplicemque libellum, seu alias archetypum litterarum apostolicarum exemplar sua ipse manu signaverit, juxta definitionem editam a S. Pio V. per schedulam sui motus proprii relatam a Garcia de Beneficiis part.* 4. *cap.* 5. *n.* 32. *&* 33. *Atque hæc est sententia, in quam post longas disputationes communi consensu convenerunt tum Abbreviatores Cancellariæ apostolicæ, & Rotæ romanæ Auditores, tum etiam Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum.*

Hactenus de additamentis, quæ extra hujus Operis corpus a pagina 189. usque ad præsentem 492. eidem accesserunt. Alia non pauca in quamplurimis tam primæ, quam secundæ partis titulis intertexta legentur.

PROLEGOMENA
JURIS CANONICI

Hic præscienda sunt ea omnia, quæ in Prolegomenis Juris civilis, præsertim ad tit. Inst. & ff. de Justitia, & Jure *traduntur; & his præcognitis, inchoandum Jus Canonicum a consuetis Prolegomenis.*

§. I.

De natura, causis, & effectibus Juris Canonici.

NOta 1. Jus ab Ecclesia pro dirigendis fidelibus constitutum variis nominibus appellari: nam dicitur *jus Canonicum*, quia Canones continet: *Ecclesiasticum*, seu *Pontificium*, quia a potestate Ecclesiastica, seu Pontificia descendit: *sacrum*, quia principaliter agit de personis, & rebus sacris; & quandoque dicitur *Jus divinum*, non quod immediate a Deo conditum sit, sed quod SS.Canones a Sede apostolica constituantur instinctu Dei Ecclesiam suam dirigentis. Hoc sensu procedit *c. 2. de privil.in 6.* ibi: *providimus, quod ibidem*, (apud Sedem apostolicam) *de cetero regatur, & vigeat studium Juris divini, & humani, Canonici videlicet, & civilis.*

2. Nota 2. Jus Canonicum tribus modis accipi potest: 1. *metonymice* tamquam continens pro contento: quo sensu volumen, seu corpus Canonum vocatur Jus Canonicum. 2. *objective* pro ipsi Canonibus, seu constitutionibus ecclesiasticis. 3. *denominative* pro ista disciplina, seu scientia Canonum, quæ retinens nomen sui objecti, & principii, pariter jus Canonicum denominatur *arg. l. 1. pr. ff. de Just. & Jure.*

3. Nota 3. *jus Canon.* quoad nomen esse *jus regulare*, quia *Canon græce, latine Regula nuncupatur Can. 1. d. 3.* Dicitur autem *jus regulare* per excellentiam, cum *Canon* in usu juris antonomastice significet regulam ecclesiasticam inter humanas regulas principem: sicut *jus civile* sine addito antonomastice significat *jus romanum §. 2. In. de Jure naturali, gentium, & civili.*

4. Q. I. *Quid sit jus Canonicum quoad rem?* ℞. Objective spectatum, est jus positivum a summa potestate Ecclesiastica conditum, dirigens actiones fidelium ad bonum spirituale, & ultimo ad vitam æternam. Denominative vero spectatum, est facultas, seu scientia, quæ circa cognitionem hujus juris occupatur. Ita in re communis, cujus explicatio ex seqq. patebit.

5. Q. II. *Quæ sit causa efficiens, seu auctor juris Canonici?* ℞. Causa proxima principalis est summus Pontifex, vel solus, vel cum concilio *Can. 1. & seqq. d. 19.* nam summa potestas Ecclesiastica, cujus jure tota Ecclesia obligetur, & gubernetur, residet in summo Pontifice Vicario Christi, ut ex *Joan. ult. pasce oves meas*, ergo Papa est conditor juris Canon. sive per se, sive cum concilio Canones condat. Porro prima origo Canonum desumenda est ab Apostolis, qui plures cœtus celebrarunt, & varios Canones ediderunt, ut *Act.* 15. de abstinendo ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione. Tum successerunt varii Canones Apostolorum magis de ore ad os traditi, quam scripti. Tandem decreta Conciliorum, & Summorum Pontificum. Hæc omnia legi possunt tota *dist.* 15. 16. 17. 18. 19. 20.

Obj. 1. In jure Canon. traduntur mysteria fidei, ut *tit. de Sum. Trin.* 2. Immiscentur jura naturalia, & divina, ut de simonia, usuris, sacramentis &c. 3. Ponuntur Canones conciliorum particularium, dicta Patrum, Constitutiones imperiales, variæ consuetudines, & usus Ecclesiarum; ergo solus Papa non est conditor juris Canonici.

℞. *ad* 1. Mysteria fidei proxime, & directe non pertinent ad jus Canon. nisi ratione pœnarum in hæreticos statutarum, bene vero remote per modum fundamenti, quatenus SS. Canones in fide catholica fundantur: nam Papa non definit dogmata fidei, ut Legislator, sed ut summus Ecclesiæ theologus, & doctor æcumenicus, cui Christus potestatem dedit definiendi ea, quæ scripto, vel tradito divinitus revelata sunt. *Ad* 2. Jura naturalia, & divina, tamquam principia superiora, & generaliora pertinent ad jus Can. quia Papa utpote Legislator inferior iis utitur, applicando, & determinando illa ad casus particulares, vel delictis pœnam apponendo. *Ad* 3. Hæc omnia non aliter obtinent vim juris communis, nisi quatenus a Sede apostolica approbantur *Can. 1. pr. d. 19.* qua approbatione elevantur in jus Pontificium, juxta illud: *omnia nostra facimus, quibus auctoritatem impartimur l. 1. §. 6. C. de V. J. E.*

6. Q. III. *Quæ sint causæ instrumentales juris Canonici?* ℞. Sunt varii compilatores ejusdem; uti erant *Dionysius exiguus* monachus circa annum 527. *Fulgentius Ferrandus* diaconus carthagin. cujus opus a Cresconio vocatur *Breviarium Can. 34. d. 63. Martinus*, non Papa, ut quandoque in decreto citatur, sed Episcopus bracharensis, *S. Isidorus* Episcopus hispal. & alius *Isidorus Mercator*, vel *Peccator*, ut quidam volunt, Episc. setubensis; Burchardus monachus benedict. postea Episcopus Vvormatiensis, cujus decretum viginti libris constat. Card. *Deusdedit*; Anselmus Episc.lucensis, *Ivo carnotensis*, Gratianus monachus benedictinus, cujus opus, seu decretum vocatur *Concordia discordantium Canonum*. Tum secutæ sunt variæ compilationes epistolarum decretalium, quas collegit Bernardus Balbus, Joannes Valens, seu Gallensis, Petrus Beneventanus, Tancredus; & jussu Gregorii IX. S. Raymundus de Pennafort compilavit quinque libros decretalium His accessit Sextus Bonifacii VIII. Clementinæ Clem. V. Extravagantes Joan. XXII. & communes.

7. Q. IV. *Quæ sit materia juris Canonici?* ℞. *Materia*, seu *objectum materiale circa quod* sunt actiones fidelium, ut dirigendæ per sacros Canones; particularis materia cujusque Canonis est illa, de qua specialiter disponitur in tali Canone. Materia *ex qua*, sunt partes, & Canones, ex quibus integratur jus Can. ut infra dicetur. Materia *in qua*, sunt omnes fideles, seu baptizati, etiam Reges, & Principes: nam hi omnes sunt oves subjectæ summo Pastori, seu Vicario Christi. *Joan. ult.* idque valde decuit, ut potestas politica, tamquam inferior, subordinaretur potestati spirituali, tamquam superiori, sicut caro spiritui, ut bene ostenditur *Can. 1. & seqq. d.* 10. & probat Inn. III. in *c. 6. de Major. & Ob.* ubi summarium ita concipitur: *Imperium non praest Sacerdotio, sed subest, & ei obedire tenetur*, puta in spiritualibus, & in his, quæ spiritualia concernunt. Papa autem non subest juri Canon. nisi directive, quia *Princeps legibus solutus est l. 31. ff. de LL.*

Obj. 1. Saltem Principes summi non debent subesse juri Can. quia Princeps Principi non subjicitur, *cum non habeat imperium par in parem c. 20. de elect.* 2. Moyses princeps politicus non fuit subjectus Aaroni Summo Sacerdoti. 3. Imperio annexa est summa dignitas Pontificalis, & ideo Imperatores etiam catholici gerebant titulum *Pontificis Maximi.*

℞. ad 1. N. a. nam princeps laicus in spiritualibus non est princeps, & pastor, sed subditus, & ovis commissa Vicario Christi. *Ad* 2. Moyses simul fuit summus Sacerdos, & Propheta *Ps. 98. v. 6. Moyses, & Aaron in Sacerdotibus ejus. Ad* 3. Imperatores catholici semper agnoverunt se subditos Vicario Christi, ut patet in Constantino M. &c. Quod vero admiserint nudum titulum *Pontificis Maximi*, causa fuit, ut respectu gentilium majorem sibi venerationem conciliarent, qua causa cessante, cessavit titulus iste in Gratiano Imp. vide Spondan. ad *an.* 312. & 383. Hic etiam objici possunt textus ex *Roman. 13. omnis anima. Titi* 3.

admone illos, & plures Constitutiones imperiales super personis, & rebus ecclesiasticis, ut in *C. tit. de SS. Eccl. de Episc. & Cler. de Episcopal. audient.* &c. Sed hæc, & similia solvuntur ex *tota dist.* 10. & 96.

8. Q. V. *Quæ sit forma juris Canonici?* ℞. forma seu objectum formale *quod*, est rectitudo, quæ per directionem SS. Canonum inducitur in actiones fidelium; cum talis rectitudo per se, & primario intendatur a jure Canon. *arg. c.* 1. *de Constitut.* forma vero extrinseca est series, & dispositio titulorum.

9. Q. VI. *Quis sit finis, & effectus juris Canonici?* ℞. Finis *proximus* est bonum vitæ christianæ, maxime in actibus externis relucens; *remotus* vero est beatitudo æterna *cap.* 8. *d.* 10. ad hoc enim tendunt jura ecclesiastica: effectus primarius, & immediatus est obligatio ad observantiam SS. Canon. *cap.* 1. *de Constit. Canonum statuta custodiantur ab omnibus*. Ex qua observantia sequitur bonum spirituale Ecclesiæ, & fidelium. Alter effectus est obligatio ad scientiam, puta proportionaliter cujusque statui. Ita *Can.* 1. *d.* 38. statuitur: *Ignorantia mater cunctorum errorum, maxime in Sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt. Sciant igitur Sacerdotes Scripturas sanctas, & Canones &c.* Sic etiam in jure civili *lib.* 12. *C. de J. & F. J.* rescribitur: *Constitutiones Principum nec ignorare quemquam, nec dissimulare permittimus*: nam quod publice propositum est, ignorare non licet; cum id adversetur virtuti studiositatis. Unde Nicolaus I. *c.* 2. *d.* 20. recte rescribit Photio: *Si decreta Romanorum Pontificum non habetis, de neglectu, atque incuria estis arguendi. Si vero habetis, & non observatis, de temeritate estis corripiendi, & arguendi.*

§. II.

De Qualitatibus Juris Canonici.

10. Q. I. *An sacra juris prudentia sit vera scientia?* ℞. Affirmative *arg. l.* 10. *in fin. ff. de J. & J.* nam omnia requisita habet ad veram scientiam: & quidem 1. principia infallibilia, scilicet veritates naturales, & theologicas, quibus SS. Canones innituntur. 2. habet conclusiones scientificas tam in materia communi, quam speciali v. g. Canonem esse obligatorium, quia est rationabile præceptum superioris ecclesiastici: postulationem ad prælaturam non tribuere jus, quia est assumptio personæ impeditæ; electionem contra SS. Canones celebratam esse nullam, quia est actus carens forma debita &c., ergo. Porro hic dubitatur, an sacra juris prudentia entitative, seu substantialiter distinguatur a sac. theologia? Multi dicunt non distingui, nisi extensive penes objecta materialia, cum theologia complete spectata omne id attingat, quod tractatur in jure Canon. Alii præsertim extra scholam thomisticam, qui facilius multiplicant habitus scientificos, asserunt sacram juris prudentiam esse scientiam subalternatam sac. theologiæ, sicut civilis juris prudentia subalternatur ethicæ. Sed in hac methaphysica quæstione non oportet canonistam solicitum esse, cum decisionem ex Canonibus habere nequeat. Sive autem unam, sive alteram sententiam sustineat, merito sacram juris prudentiam ex fine suo principali asseret practicam, utpote ad dirigendas actiones fidelium ordinatam, sicut differentia *practici* magis attribuitur theologiæ morali, licet alioquin sacra theologia adæquate accepta sit formaliter eminenter speculativa, & practica, ut Thomistæ docent.

11. Q. II. *An jus Canonicum sit nobilius jure civili?* ℞. Affirmative ex tota *dist.* 10. ubi *Can.* 6. S. Greg. Naz. de Episcopis ait: *dedit enim & nobis potestatem, dedit & principatum multo perfectiorem principatibus vestris.* Nam jus civile originem suam habet a populo; fertur in certum populum, ut romanum, habet materiam profanam, & finem temporalem; e contra jus Canon. oritur a potestate Pontificali a Christo Domino Petro, & successoribus ejus data; fertur universaliter in omnem populum christianum, habet materiam spiritualem, aut spirituali annexam, & finem spiritualem vitæ christianæ, & salutis æternæ.

12. Q. III. *An, & in quibus jus Canon. & civile conveniant, & differant?* ℞. Conveniunt in seqq. quia utrumque jus pro objecto materiali remoto habet *personas, res, & actiones leg.* 1. *ff. de stat. hom.* utrumque dirigit actiones humanas, & intendit bonum commune; atque utriusque tria sunt præcepta: *honeste vivere, alterum non lædere, jus suum cuique tribuere.* §. 3. *In. de J. & J.* E contra differunt in seqq. quia Jus Canon. primario versatur circa personas, res, & actiones sacras, civile circa profanas; jus Canon. dirigit actiones fidelium per Canones a potestate spirituali latos, intendit pro fine bonum spirituale vitæ christianæ, & felicitatis æternæ: jus vero civile dirigit actiones civium per leges a potestate laica latas, intendit pro fine bonum temporale civium, & felicitatis politicæ, seu temporalis. Particulares differentias utriusque juris in decursu videre poteris. Vide hic Reiff. a n. 193.

13. Q. IV. *An jus Canon. præstet Sac. theologiæ?* ℞. Negative, nam hæc ex objecto suo est altissima, & eminentissima scientia, ac sapientia judicans de principiis cujuscumque scientiæ inferioris, an veritatibus divinis conformia sint: e contra jus Canonicum vel est scientia subalternata sacræ theologiæ, ex cujus fontibus sacri Canones desumpti sunt; vel est quædam portio theologiæ moralis, ergo jus Canon. non præstat sacræ theologiæ. Si tamen agatur de promotione ad dignitates, v. g. ad episcopatum, canonista in locis non suspectis de hæresi præferendus est puro theologo: in locis vero hæresi infectis theologus puro canonistæ, ut docent Felin. Abbas, & alii. Melior erit, si rectam utriusque cognitionem habuerit. Hinc necessarium est, ut canonista apprime imbutus sit sacra theologia, ne in rebus divinis hallucinetur, sicut quosdam hallucinatos fuisse observarunt sapientissimi theologi.

§. III.

De divisione, partibus, & auctoritate Juris Canonici.

14. Q. I. *Quomodo jus Canon. dividatur?* ℞. 1. *In scriptum*, quod expressa voluntate Papæ, & *non scriptum*, seu *consuetudinarium*, quod moribus fidelium introductum est, accedente saltem tacito, & juridico consensu Papæ *Canon.* 5. *d.* 11. nam per *Canon.* 2. *d.* 1. *omne jus legibus, & moribus constat.* 2. in *jus commune* totam Ecclesiam obligans; & in *particulare*, seu *statutarium* quod certum locum fidelium obligat, uti est *nationale* pro toto regno, seu natione, *provinciale* pro tota provincia, & *diœcesanum* pro tota diœcesi. 3. in *jus commune specifice*, quod clausum est in corpore juris Canonici, & *jus commune non clausum*, seu vagans extra corpus juris Canon. uti sunt multæ constitutiones papales. An vero jus Canon. adinstar juris civilis dividi possit in *publicum*, & *privatum*? dubium est: negativa suadetur ex eo, quia jus consistens in sacris, & sacerdotibus est jus publicum *l.* 1. §. 2. *ff. de J. & J.* sed totum jus Canon. consistit in sacris, & sacerdotibus, ergo totum est publicum, seu per se ad utilitatem publicam ordinatum. Si tamen illa, quæ ad publicam Ecclesiæ gubernationem spectant, distinxeris ab his, quæ ad privatum spirituale commodum fidelium ordinata sunt, quandam umbram juris Canon. *publici*, & *privati* facies.

15. Q. II. *Quæ sint partes principales clausæ in corpore juris Canonici?* ℞. Sex 1. est *Decretum Gratiani* cum paleis, Canonibus pœnitentialibus, & apostolicis. 2. *decretales*, seu quinque libri decretalium (puta epistolarum, sumpta denominatione a potiori) Greg. IX. 3. *Liber sextus decretalium* Bonif. VIII. in quinque libros divisus. 4. *Clementinæ*, subaudi constitutiones Clem. V. in quinque libros divisæ. 5. *Extravagantes* Jo. XXII. 6. *Extravagantes communes*, subintellige constitutiones diversorum Pontificum. His additur in recentioribus exemplaribus *lib. VII. decretalium* a Petro Matthæo JCto Lugdunensi compilatus. *Institutiones juris Canon.* Joannis Pauli Lancelloti JCti Perusini. Liber vero VIII. decretalium jussu Clemen. VIII. editus, mox suppressus fuit, ne in textus Trident. ei insertos glossæ fierent contra prohibitionem Pii IV. in Bulla: *Benedictus Deus.*

16. Q. III. *Quam auctoritatem obtineant dictæ partes juris Canonici?* Certum est 1. quod decretales Gregor. IX. & Bonifac. VIII. Clementinæ, & Extravagantes Joann. XXII. obtineant vim juris Pontificii totam,

Ecclesiam obligantis, exceptis his, quibus per jura posteriora derogatum est: nam decretales a S. Raymundo Pennafortio compilatas approbavit Gregorius IX. easque in judiciis adhiberi, & in scholis prælegi præcepit, ut patet ex Bulla iis præfixa, quæ ideo directa est ad universitatem Bononiensem, quia ibi maxime floruit studium juris. Similiter *sextus decretalium* a conditore suo promulgatus est in concilio lugdunensi, *Clementinæ* editæ in concilio viennensi quas etiam Joannes XXII. Avennione promulgavit, & suas constitutiones 20. approbavit. Certum est 2. *Extravagantes communes* a nullo Pontifice expresse fuisse approbatas, communiter tamen haberi pro jure novo, & notorio, licet in dubio circa sensum illarum Sedes apostolica consulenda sit *cap.* 8. *de fide instrum.* Certum est 3. Librum VII. & VIII. decretalium a nullo Papa confirmatos fuisse, adeoque Constitutiones in eis relatæ reducendæ sunt ad suos auctores. Institutiones vero Lancellotti, cum auctoritate apostolica confirmatæ non sint, vim juris non habent. Certum est 4. *Canones* 47. *pœnitentiales*, qui sunt certæ regulæ præscribentes delinquentibus pœnitentias, hodie ob fragilitatem humanam fere ab usu recessisse; notitia tamen eorum utilis est confessariis, ut saltem admoneant pœnitentes, quam pœnitentiam secundum rigorem Ecclesiæ sustinere deberent. Imo Canones isti videntur statuti pro pœnitentia solemni olim usitata, non vero semper, & in omni casu pro foro interno sacramentali, ne violatio sigilli sequeretur. Superest dubium de decreto Gratiani, & Canonibus Apostolorum, ad quod

17. ℞. *Decretum Gratiani non obtinet vim juris Pontificii bene vero sinceri Canones Apostolorum* 1. pars est communiter recepta contra Abbat. Felin. Morlam, & alios; nam decretum hoc compilatum est a Gratiano doctore privato; neque constat illud ab aliquo Pontifice confirmatum esse, seu canonizatum instar Juris Pontificii. Multo minus *paleæ* decreto insertæ vim juris habent, cum neque Gregor. XIII. in Bulla decreto præfixa ullam earum mentionem faciat. Unde autem nomen *paleæ* descendat, incertum est: Aliqui dicunt *paleam*, seu *proto*, aut *quotopaleam* fuisse Cardinalem, qui Canones illos adjecerit, tamquam res leves, & ideo Gratianus fertur coram Papa dixisse: *palea est, nec de grano meo.* Alii *paleam* a græco derivantes dicunt esse adjectionem veterum canonum. Verius est *paleam* esse nomen proprium cujusdam discipuli Gratiani, qui decreto sui magistri Canones illos addiderit Gonz. in *Appar. n.*50. Probatur secunda pars ex codice Canonum Ecclesiæ romanæ, ubi quinquaginta priores Canones, Apostolorum dicti; inserti sunt a Dionysio exiguo. Quorum tamen tres ab Ecclesia palam repudiantur, nempe 46. 47. de baptismo hæreticorum non recipiendo (quos duos; docet Doviat. *lib.* 3. *c.* 2. *n.* 9. *Prænot.* Canonic. adhibita distinctione servari adhuc non absurde dici posse) & 50. de trina mersione in baptismo necessario usurpanda: nam 6. 10. 20. & 27. ex cit. Doviat. habent alium intellectum ab eo, quem nonnulli putant.

Obj. 1. Decretum Gratiani, teste Tuscho, & aliis, confirmatum est ab Eugenio III. & Sixto III. imo etiam a Greg. XIII. in bulla decreto præfixa. 2. Capitula ex decreto quotidie allegantur in judiciis, & scholis, & ipsi Papæ illa allegant, ut *c.* 7. *de his quæ a Prælato c.* 8. *de despons. impub.* &c. ergo censetur authenticum, & saltem tacite approbatum.

℞. *ad* 1. Confirmatio ista necdum est reperta, *nec Greg. XIII. Gratiani librum tanquam legalem authenticavit, cum solum emendari jusserit; & emendationes sine additionibus, aut detractionibus mandaverit observari.* Ita *decisio* 480. S. Rotæ apud Gonz. *cit. n.* 50. Unde Canones, seu textus decreti revocandi sunt ad primævam auctoritatem suorum conditorum, scil. textus scripturæ, ad auctoritatem divinam, textus legales Pontificum, & conciliorum ad eorum auctoritatem, textus desumpti ex jure civili ad auctoritatem imperialem, ut ex hoc, quod ponantur in Decreto non censeantur canonizati. Denique textus Patrum, & multi textus doctrinales Pontificum, qui ut privati doctores scripserunt, non sunt juridice decisivi, sed directivi pro instructione, nisi reperiantur a Sede apostol. approbati instar juris Pontificii. *Ad* 2. Ista allegatio non tribuit majorem auctoritatem, quam Canones in suis authographis habeant. Unde dum Pontifices aliquid allegant ex decreto, supponendum est id reperiri in formis authenticis.

Dices contra secundum: Canones Apostolorum a *Trid. Sess.* 4. non numerantur inter libros Canonicos. 2. In his Canonibus multa sunt falsa, ut in *Can.* 5. *&* 45. & ideo Gelas. Papa Canones Apostolorum ponit inter libros apocryphos *Can.* 3. *d.* 15. ℞. *ad* 1. *in cit. Trid.* enumerantur libri Canonici auctoritatis divinæ, seu Sacræ Scripturæ, quo sensu capitula ista Apostolorum non sunt canonica, bene vero dicuntur canonica ob auctoritatem ecclesiasticam. *Ad* 2. Neg. ant. spectato genuino sensu: nam *Can.* 5. præcipitur sustentatio uxoris, non commercium cum illa. *Can.*45. reprobatur baptismus sub alia forma collatus, ut dabatur a Gnosticis in nomine trium principii expertium, aut trium filiorum, a Paulianistis in nomine ignoti patris omnium, in veritate matris omnium &c. *Can.*65. prohibetur jejunium hæreticorum, qui jejunabant dominico, vel sabbato, ne videretur honorari Creator mundi. Iren. Epiph. apud Bail. in his Canon. Gelasius vero reprobat alios Canones Apostolorum ab hæreticis depravatos, cum sinceri, & genuini Canones reperiantur a conciliis, & Pontificibus approbati.

18. Q. IV. *Quid, & cujus auctoritatis sint rubricæ titulorum, superinscriptiones, & summaria capitulorum, notæ, & glossæ?* ℞. *ad* 1. *Rubrica* a rubris literis, quibus scribebatur, dicta, est inscriptio indicans materiam tituli, ut *de Summa Trinitate* &c. in libris authenticis magnæ est auctoritatis, cum libri isti una cum rubricis approbati sint & ideo *valet argumentum a rubro ad nigrum* h. e. a rubrica ad textum capituli, dummodo textus non dissonet rubricæ, alioquin inhærendum est nigro, seu textui tanquam magis speciali. Porro rubrica continens sensum perfectum, & completum allegari potest *dispositive*, seu per modum regulæ generalis, v. g. *de Religiosis domibus, ut Episcopo sint subjectæ, Ne Clerici, vel monachi secularibus negotiis se immisceant.* Si vero rubrica sensum perfectum non contineat, cum nihil disponat præcipiendo, vel prohibendo, non potest allegari dispositive, sed tantum *declarative*, si capitulum sit obscurum, & *extensive* ampliando textum capituli, dummodo non sequatur correctio juris, vel pœna, vel aliquid iniquum, aut contrarium consuetudini practicæ. Hic pro allegando affertur illa regula: *in dubio circa sensum; res, & personas id eligendum est, quod est conformius rubricæ.*

Ad 2. *Superscriptiones capitulorum* sunt illa verba; quæ indicant unde textus capituli dusumptus, vel ad quem directus sit, v. g. *cap.* 1. *de rescript.* Alexander III. *Senonensi Archiepiscopo.* In libris authenticis sunt authenticæ, & ex illis validum est argumentum, cum resectis omnibus superfluis relictæ sint, & cum capitulis approbatæ, ut patet ex Bulla præfixa decretalibus, & sexto. At *Summaria*, quibus privati doctores capitula summarunt, non habent vim authenticam, sed tantum sunt doctrinalia ad majorem legentium commoditatem, licet ob auctoritatem gravium DD. æstimentur.

Ad 3. *Glossa* est uberior explanatio canonum, cujus auctores erant *Accursius*, *Bernardus*; *Tancredus*; *Joannes Andreas* subaudi filius: quibus accedunt veteres Interpretes *Innocentius IV.* antea dictus Sinibaldus filiscus januensis, pater juris, qui ut privatus commentatus est in decretales, *Cardinalis Hostiensis*, qui vocabatur Henricus de Segusia, *Speculator*; seu Guilielmus Durandus, ita dictus a doctissimo opere, quod *speculum juris* intitulavit. *Archidiaconus* bononiensis, alias Guido de Baysio, *Abbas*, seu *Panormitanus*, qui vocabatur Nicolaus de Tudeschis, & alii, quorum catalogum texit Fagn. Barbos. &c. *Nota* est brevior explicatio, vel additio citationum. Jus glossa constas dicitur *glossatum*, constans vero notis dicitur *notis illustratum*, uti est jus civile cum notis Gothofredi. Literæ *S. J. C.* in glossa positæ significant: *Supra in anterioribus*, *infra in posterioribus*, & *contra*, seu argumentum contrarium. Jam quod auctoritatem concernit, glossa non facit jus, licet reverenter audienda sit ob excellentem doctrinam glossatoris, dummodo ei non contradicant aliæ glossæ, vel alii doctores meliori jure, & ratione nixi.

§. IV.

§. IV.

Quæ extra corpus Juris canonici obtineant auctoritatem Juris Pontificii?

Quæstio ista institui potest de Concilio Tridentino, & aliis conciliis generalibus, & particularibus, de magno bullario, regulis Cancellariæ, declarationibus SS. Congregationum, decisionibus Rotæ, & concordatis Germaniæ.

19. Q. I. *An Concilia obtineant vim juris pontificii?* ℞. 1. Concilia generalia a Sede apostolica approbata faciunt jus Pontificium pro tota Ecclesia *can. 5. & seqq. d. 16.* nituntur enim summa potestate ecclesiastica. 2. Concilium Tridentinum quo ad dogmata fidei est infallibilis veritatis, adeoque tenendum in tota Ecclesia. At quo ad decreta morum vim habet Juris Pontificii novissimi in omni loco, in quo est promulgatum. Ita communis, & certa Catholicorum: nam concilium hoc sub tribus Pontificibus auctoritate legitima celebratum est, scil. sub Paulo III. Julio III. & Pio IV. & tandem absolutum integrum confirmatum fuit ab eodem Pio IV. Bulla *Benedictus Deus* 1563. *7. Cal. Februar. ad calcem Trid.* Quia vero in quibusdam locis ob justas causas promulgatum non erat, in his non obligat quoad decreta reformationis disciplinam ecclesiasticam concernentia, donec ibidem promulgetur. 3. Concilia particularia non habent vim juris Pontificii, nisi approbentur a Sede apostolica pro tota ecclesia *can. 6. d. 17.* nam deficiente consensu Pontificio nulli Episcopo, vel concilio competit summa potestas totam ecclesiam obligandi. Pro approbatis communiter habentur Ancyranum, Neo-Cæsareense, Gangrense, Laodicense, & quædam alia, de quibus utiliter consules Compilatores conciliorum, cum eorum notitia maxime necessaria sit ad intelligendos sac. canones.

20. Q. II. *An magnum bullarium, continens constitutiones Pontificias, habeat auctoritatem juris?* ℞. *negative*, nisi certo, saltem moraliter constet, quod dictæ constitutiones rite sint promulgatæ, usu receptæ, & per omnia conformes suo originali. Hinc stante dubio in judicio non probant, nisi producantur in forma authentica, & quidem in curia romana sub sigillo Cancellarii, vel Camerarii, Auditoris, extra vero sub plumbo cum consueta subscriptione. Si *Breve*, seu *Diploma* apostolicum est, plerumque constat brevi scriptura in papyro, cera rubra, & annulo piscatoris sigillata, ac signo Secretarii notata, & subscripta. Si *Bulla* est, scribitur plerumque in membrana plumbo e funibus pendente munita, salutationem cum narratione, & concessionem Papæ continens.

21. Q. III. *Quid sint, & quid juris habeant regulæ Cancellariæ apostolicæ?* ℞. 1. Hæ sunt certæ ordinationes Pontificiæ potissimum circa causas beneficiales, & judiciales, quas singuli Pontifices circa initium sui papatus faciunt, vel a prædecessoribus factas renovant, augent, vel minuunt. Dicuntur autem regulæ *Cancellariæ* a potiori, quia maxime concernunt litteras apostolicas in Cancellaria Papæ fieri solitas. Exempla harum regularum plura invenies in bullario magno. 2. Regulæ istæ id habent speciale, quod ut primum a noviter electo Papa assumuntur, statim obligent ante promulgationem, & mortuo Papa statim expirent, ut patet ex verbis apponi solitis: *licet nondum publicatas, & suo tempore duraturas*. Neque eis derogatur per clausulas generales, nisi specialis, & expressa illarum mentio fiat per *reg. 71.* 3. Regulæ omnes respectu Cancellariæ apostolicæ vim juris habent, nam constitutæ sunt legitima auctoritate papali, at extra curiam romanam illæ non obligant, quæ specialiter concernunt officiales ejusdem curiæ: illæ vero, quæ generales sunt, uti de reservationibus, dispensationibus, resignationibus, indulgentiis, annali, vel triennali possessione beneficii, & hujusmodi, obligant extra curiam adinstar juris Pontificii; cum restrictæ non sint ad solam curiam romanam. Ut autem in judicio probent, allegari debent in forma authentica saltem sub signo Vice-Cancellarii per *reg. 28.* quæ tamen regula, ut dicit Chokier, non procedit de regulis aliunde notis, & nunquam mutari solitis, ut est regula de viginti, seu infirmis resignantibus, de triennali possessore beneficii &c.

22. Q. IV. *Quæ auctoritas competat declarationibus Sacr. Congregationis Cardinalium Concilii Trid. Interpretum?* multi doctores a Gonzalez relati *in fin. App.* existimant istas esse solum doctrinales, magnæ tamen auctoritatis, neque habere vim decisivam, nisi in casu particulari proposito, & respectu personarum, quæ casum illum proposuerunt. Vim juris eis attribuunt Rodriq. Cherub. Cohel. Fagnan. & plures alii. Sed ut certa ab incertis separemus. ℞. 1. declarationes *extensivæ*, quæ textum ampliant, vel *restrictivæ*, quæ generalitatem textus restringunt, non habent vim juris; nam juxta Constit. Pii IV. *Alia nos 4. non, Aug.* 1564. sacra ista Congreg. præfecta est decretis concilii tantum exequendis, non vero interpretandis; deinde autem ex concessione Pii V. & Constit. Sixti V. *Immensa §. Deo autem 11. Cal. Febr.* 1587. aliorumque Pontificum data est Cardinalibus potestas *tantum declarandi*, & *interpretandi* decreta reformationis, non vero dispensandi, augendi, vel minuendi, ergo. Excipe, nisi illius decreta fiant cum speciali auctoritate, & approbatione Papæ; tunc enim licet *extensiva* sint, vel *restrictiva*, obtinent vim juris Pontificii, sicut decreta de Regul. apostatis, & ejectis, de celebratione Missar., & similia. ℞. 2. declarationes mere *comprehensivæ*, modo fiant consulto Papa, faciunt jus Pontificium universale. Ita hodie communis sententia, quam late probat Fagn. in *cap. Quoniam 13. de Constit. a n.* 8. Ratio est, quia declaratio nomine Papæ facta authentica est, & vim habet juris Pontificii. *arg. l. 12. §. 1. C. de LL.* sed declarationes S. Cong. Conc. fiunt nomine Papæ: tum quia dicti Pontifices hanc facultatem interpretandi concesserunt Cardinalibus: tum quia declaratio comprehensiva non facit novum jus, sed solum jus præexistens declarat, adeoque nititur auctoritate papali, sicut ipsa decreta Tridentini; tum quia interpretationi Cardinalium non minor auctoritas attribuenda est, quam responsis prudentum, quorum interpretatio pro lege suscipiebatur *§. 9. responsa de J. N. G. & C.* tum denique quia interpretationes istæ fiunt de consilio Papæ ex Bulla Sixti V. ibi: *nobis tamen consultis*: ergo. Unde Greg. XIV. per litteras in forma Brevis eidem Sac. Congr. concessit auctoritatem scribendi nomine Papæ, & eadem S. Congr. teste Garcia *de Benefic. p. 1. in Præf.* ita rescripsit Abbatissæ Messanensi: eadem ratio habenda est in his, quæ scribuntur a Cardinalibus ejusdem S. Congr. nomine, ac si a Papa scripta essent. Porro, ne qua fraus fieret per istas declarationes, ex decreto Urbani VIII. 1631. *die 2. Aug.* sancitum est, ne declarationibus Cardd. sive impressis, sive manuscriptis fides adhiberetur in judicio, vel extra, nisi producantur in forma authentica, scil. munitæ solito sigillo, & subscriptione Cardinalis præfecti, ac Secretarii ejusdem Congregationis. Hinc Fagnanus, qui multis annis ejusdem Congregat. Secretarius fuit, in principio suorum operum monet lectorem, & protestatur, quod responsa S. Congr. quæ sparsim affert, minime habenda velit pro authenticis, quando Cardinalis Præfecti, & Secretarii subscriptione, signoque carent. Quod bene notandum est contra quosdam, qui zelo indiscreto propter compendiola declarationum susque deque omnia invertere volunt cum maxima difformitate in actionibus, obligationibus, divinis officiis, & cæremoniis, ac ritibus: sed si immutanda sunt quæpiam in diœcesibus recepta, & usu firmata, expectandum erit mandatum Ordinarii. Unde merito La Croix, qui magna ex parte theologiam moralem his declarationibus implevit, & uniformitatem Ecclesiarum procurare voluit, a quodam Patre S. J. Romæ degente monitus fuit circa has declarationes, ut ipsemet refert in fine *tom. VII.* tum quia non constat, an decreta illa compendiata, prout jacent, authentica sint; tum quia decreta ista sæpe dantur pro casibus & locis particularibus. Si ergo romani doctores ignorant, quanto magis in nostris partibus dubium esse potest de sinceritate harum declarationum? At si nobis certo constiterit de aliqua declaratione, saltem ex fideli, & communi relatione Scriptorum gravium, licet declaratio ista legaliter non probet, utpote præscriptis solemnitatibus destituta, tamen cum omni reverentia suscipienda erit, nisi forsan obstarent particu-

ticulares locorum consuetudines pie, & laudabiliter introductæ, quibus regulariter nec Constitutio papalis censetur derogare, nisi id sufficienter exprimat *cap.* 1. *de Constit. in* 6. Quod dictum est de responsis S. Congr. Concilii, id proportionaliter tenendum est de declarationibus aliarum SS. Congregationum, ut Immunitatis, Indicis, super negotiis Episcoporum, & Regg. &c. quarum declarationes comprehensivæ vim juris habent, præsertim si secundum illas pluries uniformiter in eodem casu judicatum est a S. Rota, & aliis tribunalibus.

Obj. 1. ad substantiam legis requiritur promulgatio *l.* 1. 2. *ff.* & *l.* 3. 9. *C. de LL.* sed responsa S. Congr. non solent promulgari, ergo. Unde Gonzal. loc. cit. præter tres relatas conditiones, scilicet ut declarationes sint *comprehensivæ*, *fiant consulto Papa*, & *producantur in forma authentica*, requirit quartam, *ut publice promulgentur*. 2. Lex concipi debet verbis præceptivis, seu obligatoriis *arg. l.* 1. *ff. de LL.* sed responsa S. Cong. concipiuntur verbis doctrinalibus, & explicativis: *censuit censemus* ergo. 3. Cardinales æquiparantur Judicibus, & magistratibus auctoritate principis pollentibus *arg. l.* 12. *v. cur autem C. de LL.* sed sententiæ Judicum, & magistratuum non faciunt jus universale, sed solum particulare inter partes *c.* 25. *de Sent. & re judic. l.* 2. *C. quib. res judic.* ergo nec responsa Cardd. faciunt Jus universale. 4. Circumferuntur declarationes sibi contrariæ. 5. Declaratio Cardd. in materia fidei non est authentica, sed doctrinalis, ergo in materia morum est authentica.

℞. ad 1. Solemnitas promulgationis, loci, & temporis requiritur ad condendam novam legem, qualiter etiam decreta Congregationis novum Jus statuentia promulgari solent, apposita nota loci, & temporis, sed non requiritur ad solam interpretationem Juris antiqui præexistentis, cum ab initio inesse censeatur. *Ad* 2. *Censere* in sensu juridico sæpe idem significat, quod decernere, statuere, jubere *l. censeri* 111. *ff. de V. S. l.* 52. *ff. de contrah. empt.* *Ad* 3. Nego Maj. quia potius æquiparantur prudentibus, quibus princeps suam auctoritatem tribuit ad universum jus interpretandum; nam judices & magistratus habent potestatem limitatam ad certum territorium, ut inibi secundum jus judicent; e contra Cardinales ex concessione Papæ habent auctoritatem illimitatam, ut pro tota Ecclesia interpretentur Tridentina decreta reformationis. *Ad* 4. In forma authentica vix producentur declarationes contrariæ, cum ex diversitate casus, & circumstantiarum conciliari possint. Si tamen vere contrariæ essent, posterior derogat priori *arg. l. sed & posteriores ff. de LL.* & *l. fin. ff. de Constit. Princip.* *Ad* 5. Con.ant. & Neg. con. nam declarare dogmata fidei reservatum est soli Sedi apostolicæ, per citt. constit. pontificum. Hic adhuc objici posset *c.* 31. *de sent. excomm.* ibi: *unde jus prodiit* Const. Sixti V. *cit. in pr.* ubi legitur ad Papam tantummodo spectare generalia concilia indicere, confirmare, interpretari *l.* 12. *C. d. LL.* ibi: *si enim in præsenti*. Bulla Pii IV. *Benedictus Deus*, ubi negatur Doctoribus interpretatio doctrinalis, ergo hæc solum Cardinalibus censetur concessa. Sed hæc, & similia ex dictis soluta manent. Vide Fagn. loco cit.

23. Q. V. *Quid juris faciant decisiones Rotæ romanæ, seu summi tribunalis apostolici?* ℞. faciunt quidem jus inter partes, non tamen jus universale pontificium; nam non constat huic datam esse potestatem leges condendi, sed secundum leges, seu constitutiones papales judicandi; ejus tamen decisiones sunt magnæ auctoritatis, & prævalent opinioni aliorum doctorum, modo sint uniformes; & ideo *Rota loquente*, *cetera tribunalia obmutescunt*, ut ait Mandos de monitor. *q.* 27. *n.* 6.

24. Q. VI. *Quid sint, & quomodo obligent concordata Germaniæ?* ℞. Hæc sunt certa pacta inter Nicolaum V. Papam, & nationem Germanicam sub Friderico III. Pacifico inita *an.* 1447. circa collationes beneficiorum, & annatas, electiones, & alternativas in mensibus papalibus & Ordinariorum; ac vim habent legis publicæ, ut neque a Papa de potestate ordinaria mutari possint propter clausulam ibi insertam. Plura de his dicentur *tit. de Præb.*

§. V.

De principiis, antinomia, & usu juris Canonici.

25. Q. I. *Quæ sint principia, seu loci, ex quibus sacra jurisprudentia sua desumit argumenta?* ℞. 1. Jura naturalia, tanquam primus fons, ex quo omnia jura fluunt, seu tanquam prima principia ex quibus humana jura per modum conclusionis mediatæ convenienter deducuntur. 2. jura divina positiva præsertim novi testamenti, imo tota sacra scriptura & theologia est fons uberrimus argumentorum canonisticorum, cum Canones conformari debeant fac. theologiæ. 3. Traditiones divinæ, & ecclesiasticæ, consuetudo, & praxis ab Ecclesia recepta. 4. Decreta, seu Canones scripti, & conditi a conciliis, & summis Pontificibus, cum Canones auctoritate Pontificia nisi sint propria, & intranea principia, ex quibus canonista concludit. 5. Jus civile romanum, cujus notitia est summe, & simpliciter necessaria ad intelligendum jus Canonicum, prout hodie in scholis, & tribunalibus ecclesiasticis practicatur. 6. Huc etiam pertinent dicta, & sententiæ Patrum, philosophorum præsertim ethicorum, auctoritas historicorum, ratio naturalis, vel ex legibus elicita, aut in eis fundata.

26. Q. II. *Quomodo Canonistæ ex his principiis argumententur?* ℞. 1. allegando textum juris, quo res positive probetur; nam *erubescimus sine lege*, aut Canone loqui *Nov.* 18. *c.* 5. & ideo ab auctoritate negativa in jure validum est argumentum. 2. a specie facti, vel a ratione legis, aut Canonis. 3. a sensu contrario, dummodo non sequatur correctio jurium, pœna, iniquitas, vel aliud absurdum 5. ab exceptione ad regulam firmandam in casibus non exceptis. Denique a regulis juris, & axiomatibus in jure receptis, aliisque hujusmodi, ut a paritate, identitate rationis, a congrua, & subtili interpretatione, a casu vero ad fictum, a connexis, a tacito ad expressum, & e contra, a causa ad effectum &c. Subtilitates autem dialecticæ cavendæ sunt, v. g. an definitio sit rigorosa, an membra univoca &c. Cetera de his vide in Controversiis nostris civilibus, & pro facilitate observa praxim, & modum in jure versatorum.

27. Q. III. *An in jure Can. reperiatur aliqua antinomia, seu contrarietas legum, aut canonum?* ℞. 1. in diversis partibus juris Canon. non est dubium multa contraria reperiri, & tunc locus est regulæ: *Lex posterior derogat priori l. fin. ff. de const. princip.* atque ita decreto Gratiani derogatur per Decretales Gregorianas, his per librum sextum, huic per Clementinas, & his omnibus per Conc. Trid. & alias Constitutiones pontificias posteriores, modo certæ sint. 2. In eadem parte, seu compilatione ejusdem Pontificis non facile admittenda est contrarietas *arg. l.* 2. §. *contrarium C. de V. J. E.* ne idem juris conditor in eodem opere sibi contradicat. Unde cum correctio jurium sit odiosa, omni possibili modo jura invicem concilianda sunt *l.* 26. 27. 28. *ff. de LL.* nisi expresse Canon unus corrigat alterum, sicut *c.* 2. & 3. *de censibus in* 6.

28. Q. IV. *Quis sit usus juris Canon præsertim in concursu juris civilis?* ℞. pro hoc tradi seqq. regulas: 1. Si agitur de materia spirituali, & ecclesiastica, in utroque foro decisio fieri debet ex jure Can., non attento civili, v. g. de sacramentis, beneficiis, decimis &c. tota *dist.* 10. & 96. *c.* 2. *de Judic.* nam de rebus spiritualibus disponere est solius potestatis ecclesiasticæ, non vero politicæ, quæ ultra materiam profanam se non extendit. 2. Si agitur de personis ecclesiasticis, vel Ecclesiis, seu locis religiosis, in utroque foro attendi debet solum jus Canon. *c. Ecclesia* 10. *de Const.* ibi: *nos attendentes, quod laicis, etiam religiosis, super Ecclesiis, & personis ecclesiasticis nulla sit attributa facultas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi*; nam nulla jurisdictio laicis competit in Ecclesias, & personas ecclesiasticas. Quod verum est, etsi leges civiles contineant aliquem favorem, attamen mixtum mandato, obligatione, & jurisdictione, ne prætextu favoris jurisdictio laica exerceatur in Clericos, & Ecclesias uti *l.* 14. *C. de SS. Eccl. l.* 47. *C. de Episc. & Cler.* &c. at si leges civiles merum favorem Clericis, vel Ecclesiis concedant absque ulla jurisdictionis, &

obli-

obligationis specie, deficiente jure Can. servandæ erunt in utroque foro. uti *Auth. ingressi*, & *siqua mulier. C. de SS. Eccl.* &c. nam favor, & beneficium cuique extraneo, etiam non subdito concedi potest. 3. Si in quacumque materia, etiam profana, agitur de conscientia, & peccato, in utroque foro observari debet jus Canon. non vero civile ab illo discordans; nam disponere circa ea, quæ salutem animæ tangunt, est solius potestatis spiritualis *cap. 6. de M. & O. extrav. 1. eod. inter com.* sic præscriptio cum mala fide reprobatur *cap. fin. de præscript.* & per *cap. fin. de sepult.* hæredes secundum vires hæreditatis tenentur exonerare conscientiam defuncti, qui ex delicto damnum intulit contra *lib. un. C. ex delicto defuncti*, quæ non obligat hæredes ad satisfaciendum, nisi in quantum ex delicto, ut furto, aliquid ad eos pervenit. 4. Si jus Canon. & civile disponant in materia profana, ubi non tangitur ratio conscientiæ, & peccati, quodlibet jus, etsi contrarium sit, in suo foro observandum est, v. g. circa solemnitates testamentorum, contractuum, pœnarum &c. nam in tali materia potestates istæ discretæ sunt, & una non subordinatur alteri. *can. 8. d. 10. & can. 6. d. 96.* ubi Nicolaus Papa ait: *cum ad verum ventum est, ultra sibi nec Imperator jura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen imperatorium usurpavit*. 5. Si in materia profana jus civile vel nihil, vel dubie disponit, jus vero Canon. clare, sequenda est dispositio juris Canon. & e contra *Nov. 83. c. 1.* & *cap. 1. & 2. de N. O. N.* ubi in *cap. 1.* ponitur celeberrimus, & quotidianus textus: *sicut leges non dedignantur sac. Canones imitari, ita & sacrorum statuta Canonum principum constitutionibus adjuvantur.* Unde Bald. in *Proœm. decr. num. 2.* ait: *juris Canonici sanctitatem juris civilis sublimitate decorari, & juris civilis majestatem Canonum auctoritate firmari.*

§. VI.

De modo citandi, & discendi jus Canonicum.

29. Q. I. *Quomodo citetur aliquis textus ex Decreto Gratiani?* ante responsionem nota tres esse partes Decreti. 1. Continet 101. distinctiones divisas in capitula, seu Canones. 2. Continet causas 36. quæ dividuntur in quæstiones, & hæ in capita, seu Canones. In causa 33. q. 3. intermiscetur tractatus de pœnitentia, divisus in 7. distinctiones. Tertia pars continet 5. distinctiones de consecratione subdivisas in capitula, seu Canones. ℞. 1. Decreti prima pars citatur allegato capitulo, & distinctione, sive capitulum, seu Canon allegetur primo, sive ultimo loco, sive per initiale vocabulum, sive per numerum, sive per utrumque, v. g. *Can. erit. d. 4.* vel *Can. 2. dist. 4.* vel *c. erit. 2. d. 4.* vel *c. 2. erit. d. 4.* vel *d. 4. c. erit.* hoc est, in prima parte Decreti, distinctione quarta, Canone, seu capite, quod incipit ab hoc verbo: *erit*. 2. Decreti secunda pars citatur allegato capite, seu Canone, causa, & quæstione, v. g. *c. audi 11. q. 3.* vel *11. q. 3. c. 21. audi*, hoc est, in secunda parte Decreti causa undecima, quæstione tertia, & Canone vigesimo primo incipiente; *audi*; ubi adverte, quod numerus sive Romanus, sive barbarus hodie usitatus præcedens litteram *q.* semper significet causam. In citatione causæ trigesimæ tertiæ, quæstionis tertiæ plerumque omittitur numerus causæ, & quæstionis, allegato solum Canone, & distinctione cum addito de pœnitentia, v. g. *c. multi. de pœnit. d. 2.* hoc est in causa 33. q. 3. de pœnitentia, distinctione secunda, Canone, seu capite incipiente; *multi*. 3. Decreti tertia pars citatur, sicut prima, sed cum addito *de consecratione*, v. g. *c. panis. 39. de consecr. d. 2.* vel *de consecr. d. 2. c. 39.* hoc est, in tertia parte Decreti de consecratione distinctione secunda, capite 39. incipiente *panis*.

30. Q. II. *Quomodo citentur textus ex reliquis partibus juris Canonici?* ℞. Decretales Gregorianæ citantur allegato capite, & titulo, & olim addebatur X. vel x̄. hoc est *extra*, non quod textus sit ex constitutionibus extravagantibus, sed extra decretum Gratiani, v. g. *c. qualiter de pactis*, vel *c. 2. de pactis, vel c. 2. X. de pactis*, hoc est, in Decretalibus Gregorianis sub titulo *de pactis*, capite secundo incipiente; *qualiter* ceteræ partes eodem modo citantur cum hac differentia, quod liber VI. significetur per hoc additum *in 6.* hoc est, in libro sexto, Clementinæ per initialem voculam *Clem.* hoc est, Clementina, puta constitutione. Si textus est Joannis XXII. additur nomen hujus Papæ; si vero textus est ex Extravagantibus communibus, additur: *inter communes*. Accipe singulorum exempla: *c. 2. de pactis in 6.* hoc est, in libro sexto Decretalium sub tit. de pactis. *Clem. Abbates de rescr.* vel *Clem. 1. de rescr.* hoc est, Clementina prima incipiente; *Abbates* sub titulo de rescriptis, seu in Clementinis constitutionibus sub titulo de rescriptis: cap. 1. *Extrav. Execrabilis Joann. XXII. de præbend.* hoc est, in Extravagante, puta constitutione, Joannis XXII. incipiente *Execrabilis*, sub titulo de præbendis. *Extrav. un. Dispendiis de postul. inter comm.* hoc est Extravagante unica inter communes, incipiente *Dispendiis* sub titulo de postulatione, seu in Extravagantibus communibus sub titulo de postulatione cap. unico incipiente *Dispendiis*. Bullæ extra corpus juris allegari solent per initiale vocabulum cum nomine Pontificis, si opus est, addito paragrapho, versiculo, die, & anno v. g. Gregorius XIV. constitutione incipiente *Onus Apostolicæ* 1591. 13. Martii, vel Constit. Gregor. XIV. incip. &c.

31. Q. III. *Quomodo incipientes studere juri, vel alii ignari, qui proprium cujusque tituli locum nesciunt, facile in praxi quamlibet citationem invenire possint?* ℞. hoc modo: 1. secundum mox datam instructionem videatur, an textus sit ex Decretalibus Gregorianis, an ex libro sexto, Clementis, aut Extravagantibus. 2. inspiciatur titulus, a qua littera alphabetica incipiat, & mox quæratur in indice in fine Operis.

32. Q. IV. *Quis modus citandi jus civile?* ℞. Institutiones citari allegato *pr.* hoc est, principio, vel §. & quandoque versiculo cum titulo, v. g. *§. 1. mandantis In. de mandato*, vel *Inst. de mandat. §. 1.* hoc est, in Institutionibus sub titulo de mandato §. 1. incipiente: *mandantis*. *Pandectæ* citantur allegata lege, titulo & *ff.* aut *D.* seu pandectis, aut digestis, v. g. *l. 7. §. 4. sed cum ff. de pactis*, vel *D. de pacta l. jurisgentium §. sed cum*, hoc est, in pandectis sub titulo de pactis lege septima incipiente: *jurisgentium* §. *quarto* incipiente *sed cum*. Codex eodem modo citatur præterquam quod ponatur majuscula *C.* quæ Codicem significat, & quandoque loco legis citatur authentica minusculis inserta, v. g. *l. 12. privilegia pr. C. de sacr. Eccl.* vel *C. de sacr. Eccl. l. 12. pr.* hoc est, in Codice sub titulo de sacr. Ecclesiis lege duodecima incipiente: *privilegia*, in principio, & *auth. cassa C. de sacr. Eccl.* hoc est, authentica incipiente: *cassa* in Codice sub titulo de sacrosanctis Ecclesiis. Authenticum, seu volumen novellarum constitutionum citatur allegata collatione, titulo, & capite; hodie autem brevius allegato numero novellæ v. g. *in auth. de nuptiis coll. 4. c. 1. duo igitur*, vel brevius *nov. 22. c. 1.* hoc est, in authentico sub titulo de nuptiis cap. 1. incipiente: *duo igitur*, vel novella 22. *c. 1.* Libri feudales citantur allegato titulo, vel numero tituli, & capite, & quandoque §. vel versiculo, cum numero libri, v. gr. *lib. 1. F.* vel *FF. tit. 7. c. un.* hoc est, in libro primo feudorum titulo septimo, capite unico de natura feudi. Ceterum ut citationem ex Institutionibus, pandectis, & codice (in aliis enim non est difficultas) facile invenias, consule indices secundum instructionem præcedenti quæstione datam, donec seriem titulorum perspectam habeas.

33. Q. V. *Quis modus discendi jus Canonicum?* licet pro varietate talentorum, & animorum possit esse varius, tamen ut ordinate discatur. ℞. Sequentia utiliter observari posse: 1. faciendum est systema generale materiarum totius juris Canon. tum ut generaliter, & quasi in confuso sciatur, quid in quolibet loco tractetur; tum ut excitata memoria promptitudo quidlibet faciliter in jure reperiendi acquiratur; tum denique ut a generali, & confusa notitia felicior sit progressus ad specialem, & distinctam scientiam. 2. legendus est aliquis auctor, qui methodo doctrinali, & plana materiam cujuslibet tituli pertractat sine magnis ambagibus, & argumentis coacervatis ad disputandum: tum

ut

ut sciatur, quid in puncto juris tenendum sit; tum ne magis utilia per inutilia impediantur. Moderatæ tamen disputationes permittuntur, imo suadentur iis, qui sufficienter doctrinalibus sunt imbuti, cum exercitium disputandi ad diligentius legendum, & inquirendum inducat. 3. intellecta doctrina tituli, ad fontem recurrendum est, & singula capitula tituli cum casibus ibi relatis evolvenda, præsertim glossa, vel alio interprete adhibito; uti & specialiter excerpendæ erunt illæ sententiolæ, quæ instar maximarum capitulis interseri solent v. g. *c.* 2. *de Const. Rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit*. Valent enim ad decisionem plurium materiarum. 4. faciendæ sunt crebræ reflexiones antea lectorum, & gradatim a titulo ad titulum sine saltu procedendum.

Synopsis Decreti Gratiani.

34. *Prima pars Decreti* dividi potest in quinque principales notas: *in prima* notabis, quod a *dist.* 1. *usque ad* 24. agatur de juribus, puta de jure naturali, divino, gentium, civili, constitutionibus principum, Canonico, consuetudine, Conciliis, Epistolis decretalibus, de ministris, seu exequutoribus Sac. Canonum, præeminentia, ordinatione, & examine, ac probitate ordinandorum. *In secunda* notabis, quod a *dist.* 25. *usque ad* 50. agatur de tredecim regulis, seu præceptis Apostolicis: oportet Episcopum esse sine crimine, unius uxoris virum (ubi multum de continentia Clericorum) non vinolentum, prudentem, in litteris, & negotiis versatum, ornatum honestate interiori, & exteriori, hospitalem, pudicum, doctorem, non percussorem, non litigiosum, non cupidum, domui suæ bene præpositum, non neophytum; quæ capitula recapitulantur in *dist.* 49. *& in seq. d.* 50. subditur de lapsu, & reparatione Clericorum. *In tertia* notabis, quod a *dist.* 51. *usque ad* 60. agatur de irregularibus, & non admittendis ad Ordines, uti sunt curiales, & obligati ad ratiocinia, per saltum promoti, servi, corpore vitiati, bigami, illiterati, publice pœnitentes, illegitimi, in ægritudine baptizati, monachi sine consensu proprii Abbatis. *In quarta* notabis, quod *a dist.* 60. *usque ad* 94. agatur de electione Clericorum ad dignitates, eorum ordinatione, litteris, aliisque requisitis ordinandorum, temporibus ordinationum, de vita, & honestate Clericorum. *In quinta* notabis, quod a *dist.* 94. *usque ad ultimam* agatur de Legatis Apostolicis, delegatis præsulum, principibus laicis, litteris scribendis, & subscribendis, Primatibus, pallio Archiepiscopali: & tandem ne in una Provincia plures sint Metropolitani.

Secunda pars decreti continet graviores causas 36. circa varia delicta, judicia, Episcopos, Clericos, monachos, & ultimo a *causa* 27. circa sponsalia, & matrimonia. In seq. catalogo assignatur materia cujusque causæ: prior numerus denotat causam, posterior vero quot quæstiones sint in illa causa.

1	7 de Simonia.
2	8 de Judiciis, accus. appell.
3	11 de Spoliatis.
4	6 de Accusator. & testibus.
5	6 de Libello famoso, & Delatore.
6	5 de Infamibus.
7	2 de Episcopi viventis successor.
8	5 de Successione Prælatorum.
9	3 de Absolutione a censuris.
10	3 de Regimine Episcopi.
11	3 de Censuris variis.
12	5 de Testament. & bonis cleric.
13	2 de Funeribus, & Exequiis.
14	6 de Fœnore, & Usura.
15	8 de Furiosis, & eor. similib.
16	7 de Monachis, decimis.
17	4 de Occisione, maxime Cleric.
18	2 de Abbatibus.
19	3 de Claustris religiosis.
20	4 de Voluntariis religiosis.
21	5 de Commendis clericorum.
22	5 de Juramentis.
23	8 de Pugna, & Bello.
24	3 de Hæreticis.
25	2 de Violatione censur. & privil.
26	7 de Sortilegiis.

Matrimonialia.

27	2 de Sponsalib. & castitate.
28	3 de Infidelium nuptiis.
29	2 de Servorum matrim.
30	5 de Infantum matrim.
31	3 de Mœchæ matrim.
32	8 de Meretricis matrim.
33	5 de Frigidor. & voto ligator.

Matrim. in q. 3. tractatus de pœnitentia.

34	2 de Dubio circa mortem mariti.
35	10 de Gradibus consanguin. & affin.
36	2 de Raptu Virginum.

Materia harum causarum in Jure Canon. exprimitur per tritos septem versiculos: *Simon appellat*, &c. in quibus singula vocabula significant materiam singularum causarum.

Tertia pars Decreti habet 5. distinctiones In I. agitur de consecratione Ecclesiæ, altarium &c. & missarum celebratione. In II. de sac. Eucharistia. In III. de Festivitatibus, & jejuniis annuis. In IV. de baptismo. In V. de confirmatione, & abstinentia ab illicitis.

Synopsis Decretalium.

35. Libri Decretalium in genere agunt: 1. de judicibus Ecclesiasticis. 2. de judiciis, seu processu judiciario: & quia ad judicium deduci debent aliquæ causæ civiles, vel criminales, ideo Liber III. agit de causis civilibus præsertim Clericorum. 4. de causis civilibus laicorum, quæ spirituales, seu Ecclesiasticæ sunt, uti matrimoniales. 5. de causis criminalibus Clericorum, & Laicorum, in quantum pertinent ad forum Canonicum. Hanc generalem Synopsim Glossa complectitur hoc versiculo:

Judex, Judicium, Clerus, Sponsalia, Crimen.

36. *Liber I. Decretalium* pro objecto suo principaliter inter materialia habet judicem, seu personas Ecclesiasticas, & quatuor præcipua complectitur. Principia juris, modos promotionum ad dignitates Ecclesiasticas, ordinationes, & officia Clericorum: tum sequuntur præparatoria ad judicium, de quo in libro seq. Et quidem a *tit.* 1. *usque ad* 4. ad imitationem juris civilis traduntur communia principia juris, quæ sunt vera fides catholica, constitutiones, rescripta, & consuetudo. 2. a *tit.* 5. *usque ad* 10. traduntur formæ, seu modi, quibus personæ Ecclesiasticæ promoventur, vel amoventur, uti sunt postulatio, electio, translatio ab uno Episcopatu ad alterum, renunciatio, provisio superioris supplentis negligentiam inferiorum Prælatorum. 3. a *tit.* 11. *usque ad* 22. traduntur requisita necessaria ordinationum, & impedimenta, seu irregularitates ordinandorum ex defectu provenientes. 4. a *tit.* 23. *usque ad* 33. traduntur varia officia Clericorum, ut Archidiaconi, Archipresbyteri &c. 5. a *tit.* 34. *usque ad fin.* traduntur ea, quæ viam præparant, aut impediunt ad judicium, ut treuga, & pax, pacta, transactiones, postulationes advocatorum, procurationes, syndicatus, rescissiones metu gestorum, restitutiones in integrum, alienationes rerum propter metum judicii, arbitraria.

37. *Liber II. Decretalium* pro objecto principali habet processum judiciarium. Et quidem a *tit.* 1. *usque ad* 4. traduntur ea, quæ præcedunt principium litis, uti est notitia de judiciis, & foro competente, oblatio libelli cum citatione rei, mutua petitio, seu reconventio actoris. 2. *a tit.* 5. *usque ad* 17. quæ pertinent ad principium judicii jam actu suscepti, uti est litis contestatio, juramentum calumniæ, dilationes, ordo cognitionum &c. 3. a *tit.* 18. *usque ad* 26. traduntur ea, quæ pertinent ad medium judicii, seu terminum probatorium, uti sunt ex parte actoris probationes per confessionem rei, testes, instrumenta, præsumptiones, jusjurandum, & ex parte rei exceptiones, & præscriptiones. 4. a *tit.* 27. *usque ad fin.* traduntur ea, quæ pertinent ad finem judicii, uti est sententia, & res judicata, appellatio verbalis, vel realis, confirmatio sententiæ utilis, aut inutilis.

38. *Liber III. Decretalium* pro objecto principali habet causas civiles Clericorum. Et quidem a *tit.* 1. *usque*

usque ad 13. traduntur ea, quæ concernunt causas beneficiales, ut Clericorum vita, & honestas, continentia, residentia, præbendæ, institutiones, actus qui fiunt Sede vacante, vel plena, alienationes rerum Ecclesiasticarum. 2. a *tit.* 14. *usque ad* 30. traduntur ea, quæ concernunt varios contractus, bona, seu peculium Clericorum, testamenta, successiones ab intestato, sepulturas, parochias, decimas. 3. a *tit.* 31. *usque ad* 37. traduntur ea, quæ concernunt statum, jura, & obligationes Regularium, uti sunt transitus ad Religionem, vota, status, & capellæ, seu Ecclesiæ monachorum; 4. a *tit.* 38. *usque ad fin.* traduntur ea, quæ concernunt jura, & actus ad Ecclesiam pertinentes, uti sunt jus patronatus, census Ecclesiastici, consecratio Ecclesiarum, celebratio missarum, baptismus, Eucharistia, Reliquiæ SS. observatio jejuniorum, ædificatio, & immunitas Ecclesiarum; & tandem in ultimo titulo, qui est conformis primo, statuitur, ne Clerici, vel monachi sæcularibus negotiis se immisceant.

39. *Liber IV. Decretalium* pro objecto principali habet causas Ecclesiasticas laicorum, seu matrimoniales. Et quidem a *tit.* 1. *usque ad* 16. traduntur varia impedimenta matrimoniorum, & a *tit.* 17. *usque ad fin.* traduntur effectus, & dissolutio matrimonii, uti est legitimitas, & legitimatio filiorum, divortia, dotis restitutio: & tandem agitur de secundis nuptiis.

40. *Liber V. Decretalium* pro objecto principali habet causas criminales Ecclesiasticas, licet multæ sint mixti fori. Et quidem in *titul.* 1. *&* 2. præmittuntur ea, quæ judicium criminale præcedunt, ut accusationes, inquisitiones, denunciationes, calumniæ. His præmissis a *tit.* 3. *usque ad* 9. agitur de criminibus adversantibus Religioni, & Fidei catholicæ, uti sunt simonia, judaismus, paganismus, hæresis, schisma, ordinatio a schismaticis, apostasia, & reiteratio baptismi. 2. a *tit.* 10. *usque ad* 23. agitur de delictis potissimum justitiæ adversantibus, quibus nocetur proximo in vita, fortunis & fama, uti sunt homicidia, torneamenta, duella, ejaculatio sagittarum, adulteria, rapina, furtum, usura, crimen falsi, sortilegia, collusio, delicta puerorum. 3. a *tit.* 24. *usque ad* 33. potissimum agitur de propriis delictis Clericorum, uti sunt venatio, percussio, maledicentia, ministratio Clerici excommunicati, depositi, interdicti, non ordinati, promotio per saltum, furtiva ordinum susceptio, excessus Prælatorum, & subditorum, novi operis attentatio, excessus in privilegiis 4. *a tit.* 34. *usque ad finem* agitur de purgatione Canon. & vulgari, injuriis, pœnis, pœnitentiis, censuris, quæ ad delicta consequuntur. Tandem adduntur duo tituli de verborum significatione, & regulis juris.

De Abbreviationibus.

41. Scriptores in jure passim utuntur vocibus, & rubricis abbreviatis, v. g. *pr.* principio *d. l. d. t.* dicta lege, dicto titulo *h. t.* hoc titulo *l. f.* lege finali. *arg.* argumento, vel per argumentum legis, aut capitis *a s. c.* a sensu contrario *b. f. m. f.* bona fide, mala fide. Consona in fide duplicata significat pluralem, v. g. *de Tempp. Ord.* de temporibus ordinationum. *L. XII. Tabb.* Lex 12. tabularum. *in citt. ll. capp.* in citatis legibus, capitibus &c. Rubricæ abbreviatæ scribuntur per initiales litteras, adeoque pro his consule indicem alphabeticum titulorum, v. g. *A. R. D.* acquirendo rerum dominio *D. R.* divisione rerum, rebus dubiis *J. C.* jure codicillorum *J. & J.* justitia, & jure *J. & F. I.* juris, & facti ignorantia *J. N. G. & C.* jure naturali, gentium, & civili, *LL.* legibus *N. O. N.* novi operis nunciatione, *O. & A.* obligationibus, & actionibus. *R. C.* rebus creditis. *S. P. R. S. P. U.* servitutibus prædiorum rusticorum, urbanorum *V. J. E.* veteri jure enucleando. *V. O.* verborum obligationibus. *V. S.* verborum significatione. *R. J.* regulis juris, *R. V.* rei vindicatione &c.

LIBER PRIMUS

DECRETALIUM GREGORII IX.

Cum materialia objecta juris sint tria: personæ, res, & actiones §. fin. In. de J. N. G. & C. *personæ autem principem locum teneant, merito compilator Decretalium ad imitationem juris civilis, præsertim codicis, præmissis principiis juris, incepit a personis Ecclesiasticis, examinando illarum promotionem ad dignitates, ordinationem, & varia officia, cujus etiam ordinem hic sequemur.*

TITULUS PRIMUS.

De summa Trinitate, & Fide catholica.

AGitur de hac materia etiam in *Sexto*, *& Clem. eod. tit.* Item in Decreto *d.* 22. *per tot. d.* 23. *cap.* 2. *& cap. fin. de consecr. d.* 3. *& cap. pen. & ult. de consecr. d.* 5. In Trident. *Sess.* 3. *de Symb. Sess.* 24. *c.* 1. *&* 12. *Sess.* 15. *cap.* 2. *de prof. fidei*, & in Codice *lib.* 1. *tit.* 1.

Nota præsentis rubricæ duas esse partes, quarum prior agit de mysterio SS. Trinitatis, posterior de Fide Catholica, non formaliter pro habitu, vel actu, quo assentimur revelatis ob auctoritatem DEI, sed objective sumpta pro collectione præcipuorum articulorum Fidei.

1. Q. I. *Quid tradatur in hoc tit.* ℞. 1. doctrina catholica de DEO uno in essentia, & trino in personis: de creatione mundi ex nihilo, qua DEUS condidit creaturam Angelicam, mundanam, seu corporalem, & humanam ex spiritu, & corpore constitutam; de mysteriis Filii Dei incarnati, universali resurrectione, ultimo judicio, æterna punitione malorum, & præmio bonorum. Item de una universali Ecclesia, Sacrificio Missæ, ejus ministro Sacerdote, baptismo parvulorum, & adultorum, Sacramento pœnitentiæ, de æterna beatitudine non tantum virginum, & continentium, sed etiam conjugatorum per rectam fidem, & operationem bonam Deo placentium. Quæ omnia fusius vide in textu *cap.* 1. *Firmiter. h. t.* Ex his in *c.* 2. *eodem* damnatur error, & libellus Joachimi Abbatis Florentis, qui impugnans Petrum Lombardum magistrum sententiarum, asseruit in Patre, Filio, & Spiritu Sancto tres dari essentias realiter distinctas; dici vero unam tantum moraliter unitate conjunctionis, & conformitatis. Ejus tamen persona non damnatur, cum omnia scripta sua judicio S. Sedis submiserit. Item in fine damnatur perversissimum dogma impii Almarici natione Galli, patria carnotensis, quod in textu non exprimitur, sed ab aliis refertur, quod scilicet Dei Patris gubernium non extendat se ultra legem Mosaycam, Filii ultra novum testamentum, cujus jam suo tempore finis esset, nunc vero tempus sit Spiritus Sancti, cujus gratia omnis homo, licet plurima peccata committat, salvatur sine suo actu. Item quod verum Corpus Christi non sit magis sub Eucharistia, quam in alia qualibet re &c. quam doctrinam non tam hæreticam, quam insanam censuerunt Patres in Conc. Lateran. sub Innoc. III. *an.* 1215. celebrato. Solet autem hoc Concilium in jur. Canon. dici *Generale* sine addito, non antonomastice, quia non videtur præferendum primis Conciliis generalibus, sed synecdochice, & appropriative.

2. ℞. 2. Traditur in *c. un. fideli. h.t. in* 6. contra errorem Græcorum, Spiritum S. procedere a Patre, & Filio, non tamquam ex duobus principiis, sed tanquam ex uno principio, seu uno spiratore, non duabus spirationibus, sed una spiratione. Quod definitum est in Conc. generali Lugdunensi II. sub Gregorio X. *an.* 1274. Denique in Concilio Vienn. sub Clem. V. *an.* 1311. definitum est, Filium DEI verum corpus humanum ex Maria Virgine assumpsisse, in eo passum, & jam mortuum lancea perforatum: reprobatur ibidem doctrina tanquam hæretica eorum, qui dicunt animam rationalem non esse *vere*, ac *per se* humani corporis formam: ultimo definitur confitendum esse unum baptisma, & approbatur sententia illorum theologorum, qui docent *tam parvulis, quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam, & virtutes. Clem. unic. hoc tit.*

3. Q. II. *Qua potestate Imperatores tulerint constitutiones de SS. Trinitate, & Fide catholica, uti sunt illæ, quæ in Cod. tit. 1. referuntur?* ℞. Imperatores non condidisse has constitutiones auctoritate principali, cum res fidei excedant potestatem politicam; sed hortatu Episcoporum, & Pontificum, tanquam exequutores, & defensores fac. Canonum contra violentiam hæreticorum; ad quorum pertinaciam frangendam plerumque non sufficit sola potestas Ecclesiastica, nisi adjuvetur per potestatem sæcularem Principum catholicorum, tanquam advocatorum, & defensorum Ecclesiæ.

4. Q. III. *Qui specialiter obligati sint ad externam professionem Fidei catholicæ?* Certum est quemlibet fidelem ad eam obligari jure naturali, & divino, dum illam exigit honor DEI, aut religionis, & Ecclesiæ catholicæ, aut salus proximi, *Matth.* 10. *v.* 32. *qui confitebitur me* &c. Jam ℞. 1. jure humano *Conc. Trid. sess.* 25. *cap.* 2. tenentur ad illam promoti in Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, & Episcopos in prima synodo provinciali; alioquin a communione illius, qui fidem istam profiteri noluerit, ceteri Episcopi, admonito Rom. Pontifice, abstinere debent. Hoc præceptum renovavit Gregor. XIV. Constit. *Onus Apostolicæ* 13. *Martii* 1591. Hodie professio fidei, & juramentum obedientiæ solet ab Episcopis præstari coram Papa, vel ejus delegato. 2. Tenentur ad illam provisi de beneficio curato, vel Canonicatu, aut dignitate Ecclesiæ cathedralis, illi coram Episcopo, aut ejus Vicario; isti coram Episcopo, vel Vicario, & capitulo Trident. *Sess.* 24. *c.* 12. *de reform.* ubi subditur: *alioquin prædicti omnes provisi fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur*; ex quibus verbis communior sententia contra Sanch. & Barbos. *de Off. Episc. alleg.* 61. *n.* 28. colligit, quod Canonici isti, & curati culpabiliter omittentes professionem fidei intra bimestre, eo elapso, fructus perceptos in conscientia teneantur restituere etiam ante sententiam judicis: nam dispositio Trident. non est proprie pœnalis, sed conditionalis, concedens fructus sub conditione emissæ professionis; ergo si hæc conditio deficiat, fructus percipiuntur tanquam alieni: alienum autem restitui debet ante sententiam. Quia vero dispositio ista odiosa est *arg. reg. odia in* 6. non debet extendi ad Canonicos non curatos Ecclesiæ collegiatæ, nec ad provisos de capellania, vel portione in Ecclesia cathedrali, nec ad distributiones quotidianas, cum nomine *fructuum* in materia odiosa veniant soli fructus grossi. 3. Ad professionem fidei tenentur Prælati regulares ex Const. Pii IV. *Injunctum* 1564. *idib. Nov.* quæ tamen non ubique est usu recepta. Item promovendi in magistros, doctores, & artium liberalium professores, sive Clerici sint, sive laici ex Constit. Pii V. *Sacrosancta*, sed neque hæc ubique recepta est.

☞ *Ad Fidei professionem tenentur etiam Deputati ad beneficia curata Ordinis S. Joan. Hierosolymit. ex decr. Cong. Conc.* 14. *Jan.* 1708. *relat. in Thesauro resolut. ejusdem Cong. ab anno* 1739. *ad* 1740.

Sede Episcopali vacante, facienda est a Canonicis, & dignitatibus cathedralis nedum coram capitulo, sed etiam coram Vicario capitulari, DD. relata a Reiffenst. lib. 1. *Decretal. tit.* §. 8. *n.* 568.

Omittentes, vel debito modo eam non emittentes, licet non faciant fructus suos, lucrantur tamen distributiones pro horis, quibus intersunt ex decr. 9. *Febr.* 1726. *in Cathacen. relat. in dicto thesaur.*

Nota, quod condonatio fructuum male perceptorum ob hujusmodi omissionem fieri nequit ab Ordinario, sed a Sede Apostolica, quæ eos condonare solet, si omissa fuerit, vel male emissa bona fide, injuncta aliqua eleemosyna arbitrio Episcopi, vel confessarii juxta plura exempla relata in fol. ejusdem Cong. 17. *Aprilis* 1728. *in Toletana, cum onere eamd. emittendi, vel repetendi, si male emissa fuerit, coram capitulo, & Episcopo juxta decreta relat.* 6. *Decemb.* 1738. *in Capuana professionis Fidei. Ita tenentur eam repetere provisi Romæ, qui ex Indulto Congr. Conc. illam emiserunt coram urbis Vicario, quando ob locorum distantiam coram Episcopo, & capitulo intra duos menses a die possessionis emittere non poterant, ut de praxi testatur Bened. XIV. in Instit. Ecclesiast. Instit.* 6.

Parochi vero, si eamdem emiserint Romæ coram Datario, neque amittunt fructus, neque coram Episcopo tenentur illam repetere ex Decr. Cong. Conc. 26. *Maji* 1739. *in Tolentina ad dub.* 4. *relat. in fol. ejusdem diei in citat. Thesaur. pag.* 162.

Cum Tridentinum non decernat cui sint applicandi fructus ob omissionem professionis Fidei, Garzias de benef. part. 3. *cap.* 3. *num.* 41. *&* 42. *dicit applicandos esse fabricæ Ecclesiæ, vel alio loco pio in habentibus fructus distinctos, & separatos a massa capitulari; in habentibus vero eosdem fructus in massa communi, distribuendos esse inter ceteros Canonicos.*

Corrigendi sunt DD. asserentes fieri posse per procuratorem, attentis plurib. contrariis Decr. relat. in d. Cathac. & Tolet.

Omissa vel ob ignorantiam, vel ob imprudentiam, non excusat saltem in foro exteriori, Navar. lib. 2. *consil.* 7. *num.* 2. *neque excusat contraria consuetudo respectu provisorum a Sede Apostolica Benedict. XIV. Instit.* 30. §§. Nos quidem & Quod si parochus. *Illam omittens non juvatur regula* 36. *Cancellariæ de triennali; cum enim hæc constituta sit non ad obviandum hæresibus, ut onus professionis Fidei, sed ad convalidandum titulum, possessionem, ceteraque beneficii jura, quibus provisus minime privatur per dictam omissionem, ut ex Decreto Congreg. Conc.* 2. *Septembr.* 1591. *relat. a Gallemart. in declarat. ad Trident. c.* 12. *sess.* 24. *de reform. num.* 7. *non extendenda est ad convalidandum dominium fructuum, quos Trident. ob ejusmodi omissionem declaravit restitutioni obnoxios, ut in cit. cap. Navar. cons.* 7. *num.* 1. *& DD. relat. a Ferraris prompta biblioth. verbo-Canonicus-art.* 4. *num.* 27. *& seqq.*

Licet ex Trid. citat. Constit. Pii IV. & ex decr. Cong. Conc. in dicta Cathacen. non teneantur ad hanc professionem Canonici collegiatarum, aliique beneficia, etiam simplicia obtinentes; tenentur tamen vigore legum in omnibus fere diœcesibus statutarum. Sic in locis, quos complectitur Concilium Romanum celebratum a Benedicto XIII. ann. 1725. *ad eam tenentur sequentes sub pœnis in dicta Pii IV. Const. latis, aliisque Episcoporum arbitrio statuendis.*

I. Episcopi, aliique de clero recens Ecclesiasticis de beneficiis provisi, aut sacris Ordinibus initiati in diœcesana synodo primo celebranda. II. Dignitates, & Canonicatus obtinentes post adeptam possessionem, tum in manibus Episcopi, vel ejus Vicarii generalis, tum in capitulo infra bimestre. III. Beneficia cum animarum cura habentes, post ipsorum possessionem, infra idem tempus, in manibus tantummodo Episcopi, vel Vicarii Generalis, prout & in alterutrius manibus. IV. Quicumque alia beneficia simplicia obtinentes. V. Item novus Vicarius Generalis: Vicarii foranei: procuratores, & promotores fisci Episcopalis, cancellarii, ceterique ministri ejusdem curiæ. VI. Novi concionatores, etiam Regulares. VII. Novi confessarii, etiam monialium. VIII. Docentes publice, vel privatim theologiam, philosophiam, jus Canonicum, aut civile, vel inferiores qualibet disciplinas, etiam grammaticam. IX. Ac tandem medicinam, & chirurgiam exercentes ☙

TITULUS II.

De Constitutionibus.

De hac materia agitur in Sexto *eod. tit.* In Decreto a *d.* 1. *usque ad dist.* 22. fere per tot. & *d.* 29. 38. 96.

In Trid.

In Trid. *Seff.* 25. *cap.* 18. *de reform.* In Inftit. *lib.* 1. *tit.* 1. 2. In Pandectis *lib.* 1. *tit.* 1. 2. 3. 4. In Codice *tit.* 14. *usque ad* 18. *& Nov.* 66.

Not. 1. quod *Conftitutio* ftricte accepta fignificet jus a fummo principe politico, vel Ecclefiaftico conditum *arg. tit. ff. de Conft. Princ.* Hic autem late accipitur pro quocunque jure fcripto etiam ftatutario *cap.* 6. 7. *h. t.* ubi ftatutum capituli, & laicorum dicitur conftitutio. Similiter *Lex* in jure Romano ftricte accipitur pro illo jure, quod a fuprema poteftate democratia totius populi latum eft §. 4. *In. de J. N. G. & C. l.* 1. 2. *ff. de LL.* & quia populus poteftatem fuam tranftulit in principem *l.* 1. *ff. de Conft. Princ.* ideo conftitutiones principum dicuntur *Leges*, & qui eas explicant, *Legiftæ*. Hic autem *Lex* accipietur late pro quocumque jure fcripto, five communi, five particulari, & cum nomen hoc *Lex* brevius fit, a potiori illo utemur.

Nota 2. Legis Ecclefiafticæ varia effe nomina potius, quam fpecies: nam 1. *Canon* eft conftitutio edita a Concilio, quæ fi fidem concernat, vocatur *dogma*. 2. *Epiftola*, feu *refcriptum* eft conftitutio, quam edit Papa, aut Princeps ad fubditorum confultationem, interpretando jus, & volendo refponfum fuum inftar juris haberi *l.* 1. *& l.* 12. §. 1. *C. de LL.* qualia refcripta plurima funt in jure Canon. & Codice. *Decretum* eft fententia a Principe lata, quam ipfe jubet pro lege communi obfervari *l.* 12. *pr. C. de LL. Edictum* eft, quod Princeps motu proprio ad utilitatem, & honeftatem fubditorum ftatuit *l.* 1. §. 2. *ff. de Conft. Prin.* & quidem fi nullam pœnam contineat, dicitur *Interdictum*, non pro cenfura, fed pro conftitutione fupponens; fi vero tranfgrefforibus pœnam ftatuit, dicitur *Sanctio*. *Mandatum* eft, quod Papa fuis Legatis, vel Princeps præfidibus dat ad gubernandam fuam provinciam *cap.* 2. 4. *de off. leg.* Sed hæc nomina fæpe in jure permifcentur: fic enim in Trident. ftatuta mores concernentia vocantur *Decreta reformationis* &c. His præjactis, hic examinabuntur. 1. natura, & divifio legis. 2. caufæ, & effectus. 3. obligatio legis pœnalis, & irritantis, fundatæ in præfumptione, & fictione juris; & tandem mutatio, ac interpretatio legum.

§. I.

De natura, & divifione legis.

3. Q. I. *Quid fit lex?* ℞. Lex late fumpta eft Commune præceptum, feu ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet promulgata. S. D. 1. 2. *q.* 90. *a.* 4. & communis conformiter *l.* 1. 2. *ff. de LL.* nam per legem non aliud intelligimus quam certam, & ftabilem regulam, qua auctoritative regatur communitas in ordine ad fuum proprium bonum, ut ait Ifidor. *c.* 2. *d.* 4. *lex nullo privato commodo, fed pro communi utilitate civium confcripta*. Ex his patet differentia inter *legem*, *& præceptum* fpecifice fumptum: nam lex debet effe 1. *publica*, *& communis*, quia a publica poteftate fertur pro toto populo. 2. *perpetua* non pofitive, quafi femper deberet durare, fed negative, quia morte legislatoris non extinguitur, fed femper durat, nifi revocetur, vel contraria confuetudine ne tollatur *l.* 27. *Cod. de teftam.* ibi: *quod non mutatur, quare ftare prohibetur?* 3. *reftricta* ad certum territorium principis, extra quod non obligat, *cum extra territorium jus dicenti non pareatur impune c. fin. h. t. in* 6. *l. fin. ff. de jurifd.* E contra præceptum de fe eft *privatum*, & uni dari poteft etiam a patrefamilias, vel domino *temporali*, cum morte præcipientis extinguatur, juxta illud: *mandatum morte mandantis intercidit ex l.* 57. *ff. Mandati* & porrigitur extra territorium, quia fequitur perfonam, ubicumque fit.

Obje. 1. Leges militares, pupillares, & privilegia Clericorum, Religioforum &c. feruntur in bonum particulare harum perfonarum, uti & lex correctionis fraternæ in bonum fratris. 2. In jure mentio fit legum privatarum, ut *reg.* 85. *in* 6. *can. duæ funt* 19. *q.* 2. *c.* 16. *de fponfal.* 3. Populus ferre poteft leges *arg. l.* 1. 2. *ff. de LL.* fed in populo non eft poteftas publica, bene vero in Principe, ergo lex neceffario non fertur a poteftate publica.

℞. *Ad* 1. Privilegia, quæ dicuntur *leges perfonales l.* 1. *in fin. ff. de Conftit. Princ.* licet ordinarie non obligent privilegiatos, obligant tamen ceteros de communitate, ne privilegiatum impediant in ufu fui privilegii; & ultimate tendunt in bonum commune, quia Reipubl. intereft quibufdam perfonis ob fpeciales rationes certa privilegia concedere. *Ad* 2. Leges iftæ funt improprie tales; ut conventio contrahentium, votum, propofitum &c. *Ad* 3. Dift. maj. populus in democratia, dum poteftas fumma eft penes populum con. maj. in monarchia, neg. maj.

4. Q. II. *Quæ fint requifita fubftantialia legis?* ℞. 1. *Ex parte Legislatoris* eft poteftas jurifdictionis, & voluntas obligandi. 2. *Ex parte materiæ*, ut fit honefta, jufta, & poffibilis. 3. *Ex parte ipfius legis*, ut fit fecundum patriæ confuetudinem, cum non omnis lex in omni terra ferri poffit, fed alio jure exigat regi populus ifte, alio ille; item ut fit loco, temporique conveniens, neceffaria, utilis, & manifefta tum quoad fenfum, ne quid per obfcuritatem captionem contineat, tum quoad promulgationem, ut toti communitati innotefcat, atque in ejus commodum cedat *canon.* 2. *erit. d.* 4. Si quid horum defit, etiam lex deficit, & ideo multæ conftitutiones politicæ, & Ecclefiafticæ in certis locis non obligant, quia refpectu horum locorum non funt inftructæ dictis requifitis.

5. Q. III. *Quotuplex fit virtus, feu vis legis?* ℞. duplex: *directiva*, quia lex eft regula actuum humanorum, & *coactiva*, quia adigit fubditos ad fui obfervantiam, & tranfgreffores punit. *can.* 2. *d.* 3. & *c.* 1. *d.* 4. Virtutis autem legalis actus funt quatuor *imperare*, *vetare*, *permittere*, *punire l.* 7. *ff. de LL.* nam ad virtutem *directivam* pertinet imperare actus bonos, vetare malos, permittere indifferentes, vel minus malos ad evitandum magis malos; ad *coactivam* vero pertinet punire delicta contra legem commiffa. *Dices*, legis etiam præmiare bonos *can.* 4. *d.* 3. *l.* 1. §. 1. *ff. de J. & J.* item inhabilitare, irritare, refcindere transferre dominia &c. ergo plures funt actus legis. ℞. præmiare tranfeunter eft etiam privatorum: fi vero præmium fit legale per modum juris fingularis (uti funt multa privilegia Regularium, quæ Sedes Apoftolica erga operarios fuos liberaliffima eis conceffit ob labores in Ecclefia præftitos) reducuntur ad legem præcipientem, vel prohibentem, uti & ceteri actus relati.

6. Q. IV. *Quomodo lex dividatur?* ℞. I. In *æternam*, *naturalem*, *& pofitivam*. *Æterna* eft ordinatio divinæ fapientiæ creaturas dirigentis in bonum commune univerfi, quod eft gloria DEI. *Naturalis* active fumpta ex parte legislatoris eft ipfa lex æterna DEI; fumpta vero paffive ex parte creaturæ, eft lumen rationis dictans bonum facere, & malum declinare, cujus quædam umbra eft in creaturis irrationalibus juxta illud *l.* 1. §. 3. *ff. de J. & J. jus naturale eft, quod natura omnia animalia docuit. Pofitiva* ex eo dicta, quia aliquid ponit, feu fuperaddit legi naturali, eft ordinatio, quæ ex placito voluntatis aliquid conftituit, quod ex fe non eft intrinfece bonum, vel malum. 2. Pofitiva alia eft *divina* veteris, & novi teftamenti, quæ pofita eft a Deo; alia *humana*, quæ a legislatore humano conftituitur. De lege Angelica nihil hic inquirendum. 3. Lex humana eft triplex: *gentium*, quæ inter integras gentes conftituta eft, & hæc potius ad jus confuetudinarium referenda eft, cum ortum habeat ex tacito confenfu gentium. *Civilis*, feu *politica*, quæ fertur a poteftate laica, populi, vel optimatum, vel principis. *Canonica*, feu *Ecclefiaftica*, quæ fertur a poteftate fpirituali Papæ, aut Prælatorum Ecclefiæ. 4. Lex alia eft *affirmativa*, qua præcipitur actus fieri; alia *negativa*, qua prohibetur actus fieri, quibufcumque verbis efferantur. 5. Lex dividitur in *favorabilem*, & *odiofam*: *favorabilis* primario fertur in favorem, feu commodum alicujus, licet fecundario, & in confequentiam aliquod incommodum alteri adferat, uti SCtum Vellejan. leges pupillares, exemptiones Regularium &c. *odiofa* primario fertur in odium, feu deteftationem alicujus, ut SCtum Macedonianum in deteftationem fœneratorum; item leges contra hæreticos, ufurarios, fimoniacos &c. Hic tamen obferva, quod ex ufu juris, & DD. privilegia contra jus commune, vel jus tertii conceffa dicantur odiofa, non quod in odium, & deteftationem tertii lata fint, fed quod continendo

favo-

favorem unius, juri alterius derogent; ob quod etiam strictam habent interpretationem, ut privilegium percipiendi decimas in alterius parochia &c. Denique lex dividitur in *pœnalem*, *irritantem*, *fundatam in præsumptione*, *vel fictione juris*, de quibus infra. Ceterum tractationem de jure naturali, & divino remittimus ad theologos, & videri potest S. D. 1. 2. *q.* 91. *& seqq.* ubi materiam istam solide tractat, præsertim explicando legem veterem circa præcepta moralia, cæremonialia, & judicialia, & novam legem Evangelicam, ubi dignissimus est lectu. Item Civilistæ fuse tractant de jure naturali, & gentium, & civili ad *tit. Inst. de J. N. G. & C.* Nobis potissimum sermo in seqq. erit de lege Ecclesiastica, quamvis plurima accommodari possint legi civili.

§. II.

De causis, & effectu legis.

7. Q. I. *Quis possit condere leges Ecclesiasticas?* ℞. 1. *Papa* vel solus, vel cum concilio generali pro tota Ecclesia *dist.* 19. *per tot.* ubi *can.* 2. dicitur: *sic omnes Apostolicæ Sedis sanctiones accipiendæ sunt, tanquam ipsius divi Petri voce firmatæ sint;* nam Papa etiam solus assumptus est in plenitudinem potestatis Ecclesiasticæ. *c.* 4. *de auct. pallii.* 2. Concilia nationalia pro toto Regno, seu natione, provincialia pro provincia *dist.* 18. *per tot.* Episcopus vero sive solus, sive in Concilio diœcesano leges fert tantum pro sua diœcesi; similiter Patriarchæ, & Archiepiscopi extra Concilium nationale, vel provinciale non possunt leges ferre, nisi pro sua propria diœcesi, quia in subditos alienæ diœcesis, quibusdam articulis exceptis, nullam potestatem habent. *c.* 11. *de off. ordin.* 3. Legati Apostolici in provincia suæ legationis *c. fin. de offic. legat.* nam ibi jurisdictionem ordinariam habent. 4. Collegium Cardinalium Sede Papali vacante, non potest condere leges pro tota Ecclesia. Ita Gregor. X. in Conc. Lugdun. relato in *cap.* 3. *de elect. in* 6. ibi *iisdem quoque Cardd.* quam constit. confirmavit Clem. V. in Conc. Vien. relato *Clem.* 2. *eod.* ex qua ratio desumitur, quia potestas Papalis non transit in collegium Cardinalium: siquidem nec Christus summam potestatem dedit Ecclesiæ seorsim a Petro, sed Petro super totam Ecclesiam: nec novus Papa potestatem accipit a Cardinalibus electoribus, sicut accipit Rex a populo, sed immediate a Christo *Joan.* 21. *pasce oves meas*, ergo defectu summæ potestatis d. collegium non potest leges ferre pro tota Ecclesia, sed tantum aliqua disponere pro instantibus necessitatibus *cit. c.* 3. *in* 6. Nec absurdum est, quod Ecclesia illo tempore sit sine capite visibili, quia neque id absurdum fuit Christo per triduum mortuo. At Cardinales in Ecclesiis suorum titulorum possunt leges condere, quia ex privilegio habentur in illis pro Ordinariis. 5. *Capitulum cathedrale* Sede vacante potest ferre leges pro tota diœcesi, quia mortuo Episcopo, ex juris dispositione jurisdictio necessaria transit in capitulum *c.* 14. *de M. & O. c.* 1. *eod. in* 6. & *c.* 3. *de suppl. negl. in* 6. nam Papa ob causam necessitatis, & utilitatis hanc jurisdictionem concedere potuit capitulo, licet totam dignitatem, & jurisdictionem Papalem non possit transferre in Collegium Cardinalium. At Sede plena Canonici non possunt condere nisi aliqua statuta, quibus tantum ipsi soli obligentur citra præjudicium Episcopi, & Ecclesiæ *c.* 6. *h. t.* & *arg. cap.* 9. *de consuet. a sens. contr.* 6. Prælati inferiores, & Regulares, quibus jurisdictio competit, leges condere possunt, quantum eis a jure, & propria regula permittitur.

8. Q. II. *An Papa, & principes Ecclesiastici condere possint leges civiles pro suis territoriis?* ℞. affirmative per *extrav.* 1. *de Ma. & O. inter com.* nam potestas spiritualis, utpote superior, non excludit politicam, utpote inferiorem, sed potius eam perficit. At extra territorium sibi subjectum Papa non potest leges civiles ferre, *c.* 13. *de judic.* nisi per accidens, ita exigente bono spirituali.

9. Q. III. *An Prælati Papa inferiores condere possint leges contrarias juri communi Pontificio?* ℞. negative ex *can.* 7. *institutionibus* 25. *q.* 2. & *c.* 9. *de M. & O.* ibi: *dummodo in ipsa Synodo non ducas aliquid statuendum, quod Canonicis obviet institutis:* nam Papa est ordinarius Ordinariorum, & pastor universalis, cujus jus debet esse regula aliorum jurium Ecclesiasticorum; ergo sicut inferior non potest ligare superiorem, ita nec solvere legem ipsius. Nec obstat, quod Principes Imperii condant juri communi civili: nam isti in suo territorio non recognoscunt superiorem, cujus jurisdictio immediate terminetur ad eorum subditos: secus est in Papa, & Prælatis inferioribus.

10. Q. IV. *Quæ sit materia, seu objectum legis Ecclesiasticæ?* ℞. 1. Objectum legis *præcipientis* per se est actus bonus ut faciendus, *vetantis* actus malus, ut omittendus, *permittentis* actus ex se indifferens, vel permissio minoris mali ad evitandum majus malum, quæ permissio respectu Legislatoris est bona, cum non sit approbativa mali, sed tantum pœnæ dissimulativa. Præterea actus ex se indifferentes, si necessarii, vel utiles fiat ad bonum commune possunt esse materia legis præcipientis; vel e contra si obstent bono communi, materia legis vetantis, quia in talibus circumstantiis desinunt esse indifferentes.

11. Q. V. *An actus mere internus possit esse materia legis Ecclesiasticæ?* Affirmat Gloss. in *Clem.* 1. *de hæret.* Carden. & alii, negat S. D. 1. 2. *q.* 94. *ar.* 4. & *q.* 100. *a.* 9. cum plurimis TT. & Can. cum quibus ℞. negative. *arg. c.* 34. *Tua nos de simon.* ibi: *nobis datum est de manifestis tantummodo judicare*, ergo & leges ferre, cum potestas judicativa descendat ex legislativa, & *Can.* 13. *de pœnit. d.* 1. *cogitationis pœnam nemo patitur*; ergo sicut potestas humana non potest punire actum mere internum, ita nec potest illum præcipere vel prohibere, cum de ratione legis non tantum sit vis directiva, sed etiam coactiva *arg. Can.* 1. *d.* 4. Ratio est, quia licet Deus absolute potuerit dare Ecclesiæ potestatem in actus internos, reservando sibi judicium, & punitionem, de facto tamen eam datam non constat: tum quia cum solus Deus sit scrutator cordium, sufficit ejus lex naturalis, & divina positiva ad dirigendos actus internos: tum quia conveniens est Ecclesiam sensibilem gubernari legibus sensibilibus, seu circa materiam externam latis; tum quia actus mere interni nec prosunt, nec obsunt bono communi spirituali in externo gubernio relucenti: tum quia hactenus nullum simile præceptum, nec ab Apostolis, nec a Conciliis, nec a SS. Pontificibus promulgatum est.

Obj. adversarii 1. generalem potestatem Papæ ligandi, & solvendi. 2. decreta fidei in Conciliis edita, ut Trid. *sess.* 13. *de Euchar.* ibi: *credere* propos. *n.* 10. 11. 13. &c. ab Innoc. XI. damnatas. 3. Trid. *sess.* 14. *cap.* 4. de contritione, & *can.* 3. ibid. propos. *n.* 25. ab Innoc. XI. damnatam. 4. *Clement.* 1. *de Hæretic.* ibi: *quod si odii*, & *Clem.* 1. §. *quia vero*, *de statu Monach.* Const. Bened. XIII. *Ex quo* §. 6. ibi: *animo præmeditato*, ubi ab asylo excluditur committens homicidium animo præmeditato: 5. *Can.* 8. *d.* 30. & Concil. Constan. Trident. & alia anathematizantia omnes sententes contrarium dogmatibus ab Ecclesia definitis: talis autem sensus, seu judicium est internum. 6. Papa reservat, & dissolvit vota interna *Extrav.* 5. *de Pœnit. & rem. c.* 2. & 5. *de voto* &c.

℞. *ad* 1. generalitas potestatis legislativæ restringenda est ad actus externos: nam sicut Papa actus mere internos solvere nequit per judicium, ita nec eos ligare potest per legem. *Ad* 2. Papa, & Ecclesia declarat, quando, & quo modo jus naturale, & divinum circa fidem obliget in conscientia, non vero lege humana præcipit actus internos fidei, spei &c. *Ad* 3. actus externus v. g. confessionis, communionis, orationis directe præcipitur, indirecte vero actus internus tanquam necessarius ad positionem exterioris. *Ad* 4. lex est circa actum, vel omissionem exteriorem, ut fit ex pravo fine, seu intentione; ut si Inquisitores ex amore, vel odio non procedant, si monachi accedant Curias Principum animo nocendi suis Prælatis &c. *Ad* 5. sensum interiorem catholicum exigit jus naturale, & divinum, anathema vero Ecclesiæ infligitur, si hæresis prorumpat in actum exteriorem, etiam occultum. *Ad* 6. nec reservare, nec dissolvere vota interna, est præcipere actum mere internum: nam reservatio est restrictio jurisdictionis externæ, dissolutio vero voti est ablatio obligationis a voluntate voventis inductæ.

12. Q. VI. *An actus præteritus sit materia legis?* ℞. non est materia legis præcipientis, vel prohibentis, vel

vel punientis regulariter loquendo. Ita *c.* 2. & *fin. h. t.* ex *l.* 7. *C. de LL.* ibi: *leges, & constitutiones futuris certum est dare formam negotiis, non ad facta præterita revocari, nisi nominatim, & de præterito tempore, & adhuc pendentibus negotiis cautum sit:* nam legis est dirigere, sed facta præterita amplius dirigi non possunt. ℞. 2. Actus præteritus sicut potest esse objectum sententiæ judicialis rescindentis, ita quoque legis irritantis, modo irritatio præteritorum in lege exprimatur. *c.* 6. 7. 10. 12. *h. t. c.* 8. 9. 10. *de Rescr. Trid. sess.* 7. *c.* 2. 3. 6. 9. *de reform. sess.* 24. *c.* 4. &c. Similiter actus præteritus potest esse objectum legis interpretativæ, quæ declarat jus anterius existens, sive naturale, sive positivum, quo sensu explicantur *c.* 40. *ut lex.* 27. *q.* 1. *c. fin. de Sponf. duor. c.* 40. *ut de simon. c.* 5. *de usur.* ubi declaratur jus naturale de usuris; excommunicatio vero tangit eos, qui de præsenti usuras retinent, & restituere nolunt. ℞. 3. Personis antea institutis lex præscribere potest novam formam, & conditionem, puta circa actus futuros. *Clem.* 2. *de ætat. & qualit. præfic. Trident. Sess.* 22. *c.* 4. *de refor. Sess.* 25. *cap.* 21. *de Regg. &c.* ℞. 4. Princeps delicta præterita, quibus determinata pœna non fuit annexa, arbitraria pœna punire potest, & hanc in posterum pro ordinaria statuere, quo sensu explicantur *Can.* 3. 7. *caus.* 35. *q.* 9. *& c.* 39. *& fin. de Rescr.* alioquin præteritis delictis infligenda est pœna prioribus legibus statuta *arg. c.* 2. *h. t.*

13. Q. VII. *Quæ requirantur ad formam extrinsecam legis?* ℞. sequentes solemnitates, ex quibus colligatur legislatoris imperium, seu forma intrinseca legis. Et 1. requiruntur verba obligationem significantia, ut *præcipimus, prohibemus, nullus præsumat &c.* verba dubia, ut *ordinamus, sancimus, cavete, non fiat,* & similia, nisi aliud ex subjecta materia colligatur, non tam imperium, quam consilium, seu decentiam significare præsumuntur. 2. requiritur promulgatio publica toti communitati facta, ita ut lex ex parte sui non sit obligatoria citius, nisi ut promulgata *canon.* 3. *d.* 4. ibi: *leges instituuntur, cum promulgantur:* nam lex, seu præceptum commune, ex natura sua exigit legi coram populo *l.* 1. 2. *ff. de LL.* ut non insinuatione privata, sed auctoritative denuncietur, & intelligatur ab omnibus *l.* 3. 9. *C. LL.* ergo promulgatio activa requiritur ad substantiam legis, non tamen scriptura *can.* 7. *institutionis* 25. *q.* 2. ibi: *sive quæ scripto decrevimus, sive quæ in nostra præsentia videntur esse disposita.* Unde ordinatio in consistorio legislatoris facta, & prælecta, antequam publica promulgatione complecatur, non est obligatoria, nec actu lex, sed solum aptitudine: quo sensu procedit brocardicon: *prius leges instituuntur* (hoc est concipiuntur) *quam promulgantur.*

14. 3. Ut lex Pontificia obliget, sufficit eam Romæ fuisse sufficienter, & publice promulgatam. Ita hodie com. sententia ex stylo Curiæ Romanæ, qui vim juris habet. Quod ipsum praxis, & experientia probat: nam regulæ Cancellariæ in materia communi, multæ constitutiones Pontificiæ sunt obligatoriæ, licet extra Romam non sint promulgatæ: siquidem quod Romæ, tamquam in communi fidelium patria promulgatur, censetur ubique esse promulgatum, & notum. Excipe, nisi in ipsa constitutione Pontificia præcipiatur, ut promulgatio fiat in singulis diœcesibus, vel terminus obligationis futuræ assignetur, ut *cap.* 13. *de pœnit. & remiss.* Bulla Pii IV. *Sicut ad sacrorum* ad calcem Trid. &c. His non obstat *nov.* 66. *in Rubr.* ubi statuitur legem civilem non esse obligatoriam, nisi post bimestre publicationis in singulis provinciis factæ: nam solemnitates istæ civiles numquam receptæ erant a Curia Romana; vel si aliquando observatæ sunt, hodie jure styli Romani eis derogatum est, ut opposita sententia Pichler, & antiquiorum non mihi videatur satis tuta pro foro interno; alioquin ab observantia plurimarum constitutionum, quæ hic in nostris partibus solemniter publicatæ non sunt, excusaremur.

15. Q. VIII. *An lex pendeat a populi acceptatione, ita ut hæc requiratur ad formam, seu solemnitatem legis?* ℞. negative: nam Alex. VII. damnavit hanc propositionem. *Populus non peccat, etsi absque ulla causa non recipiat legem a principe promulgatam,* ergo lex est obligatoria ante acceptationem populi. Ratio quoad legem Pontificiam est, quia B. Petrus, ejusque successores acceperunt potestatem legislativam, non a fidelibus, sed immediate a Christo, *Matth.* 16. *Joan. ult.* ergo lex Pontificia ut obligatoria non pendet ab acceptatione fidelium. Quoad legem civilem principis prob. ex *l.* 1. *princ. ff. de Constit. Princ. quod Principi placuit, legis habet vigorem,* ergo vigor, seu obligatio legis pendet a sola voluntate Principis debite communitati intimata. Ratio utriusque est, quia is, qui tenetur obedire legi, non habet in arbitrio acceptare, vel rejicere legem: imo sicut obedientia, ita & acceptatio est effectus legis, sed subditi tenentur obedire legi Superioris ex præcepto IV. decalogi, & *Rom.* 13. *omnis anima* &c. ergo. Interim tamen consensus populi in legem multum conducit ad firmitatem accidentalem legis, ne illi contraria consuetudo prævaleat per *can.* 3. *d.* 4. ibi: *leges firmantur, cum moribus utentium approbantur.*

Obj. 1. Lex pendet a sponsione populi *l.* 1. 2. *ff. de LL.* & *l.* 32. *eodem:* ibi: *nam cum ipsæ leges,* vel a consensu procerum *l.* 8. *C. de LL.* 2. Communiter dicimus: *Lex ista non obligat, quia non est recepta.* Quo facit *c.* 6. *de Cler. conjug. can.* 2. *& seqq. d.* 4. in cujus fine subditur: *hæc etsi legibus constituta sunt, tamen quia communi usu approbata non sunt* &c.

℞. ad 1. *Citt. leges* procedunt in democratia populi Romani, & tunc lex ut condenda pendebat a consensu populi, non vero ut condita; de hac enim dicitur *cit. l.* 2. *lex est, cui omnes obtemperare convenit.* Idem dicas in aristocratia respectu optimatum, & in monarchia, ubi proceres, vel populus reservavit sibi suffragium in ferenda lege: *l.* 8. *C.* procedit de prævia consultatione procerum. *Ad* 2. phrasis ista hunc habet sensum, quod populus justa habeat gravamina, ob quæ lex aliqua vel non est moraliter possibilis, vel non satis utilis communitati, in quibus circumstantiis lex deficit a sua vi *can.* 2. *d.* 4. Sic jura in contrarium solvuntur.

16. Q. IX. *Quis sit finis legis?* ℞. intrinsecus, & proximus est honestas objecti cadentis sub legem, extrinsecus, & ultimus est bonum commune Reipublicæ, seu cives facere bonos, & felices; nam lex pro communi civium utilitate conscripta est: *can.* 2. *d.* 4.

17. Q. X. *Quis sit effectus legis?* ℞. primarius est obligatio ad sui observantiam *l.* 2. *ff.* & *l.* 3. *C. de LL.* & *c.* 1. *h. t. Canonum statuta custodiantur ab omnibus.* Porro omnis lex proprie talis, ut differat a consilio, quod non est obligatorium, debet in conscientia ad aliquid obligare, vel immediate ex parte materiæ *præcepta*, vel *prohibita*, ut actus fiat, vel non fiat; vel *permissa*, ne quis impediatur in actu permisso, vel saltem mediate post sententiam judicis ad pœnam legibus taxatam, aut arbitrariam; ita ut delinquens ex culpa juridica teneatur in conscientia subire pœnam a judice inflictam: nam omnis lex est rationabile Superioris præceptum, cui parere præcipit jus naturale utique in conscientia obligans. ℞. 2. Legislator humanus obligare potest in conscientia ad culpam theologicam. Ita sententia certa ex præcepto IV. Decalogi, & *Rom.* 13. *v.* 1. *& seqq.* & 1. *Petri c.* 2. ibi: *subditi estote propter Deum* &c. *quia sic est voluntas Dei.* Ex quibus textibus ratio desumitur: nam quod Deus, & jus naturale præcipit in thesi, seu genere, hoc legislator humanus determinat in hypothesi, seu in specie, & particularibus circumstantiis, v. g. jus naturale dictat Deum esse colendum, Papa hoc jus determinat, ut Deus colatur hoc modo per celebrationem certi festi, auditionem missæ, recitationem horarum Canonicarum &c. jus naturale dictat principem esse sustentandum a subditis, quorum saluti invigilat, princeps hoc jus determinat, ut quisque subditus, servata proportione, ad hanc sustentationem concurrat per justa tributa imposita &c. ergo sicut jus naturale obligat in conscientia, ita quoque lex humana determinativa juris naturalis obligare potest in conscientia ad culpam theologicam, *quia scil. hæc est voluntas Dei.* Ex quo solvitur principale argumentum: quod inferior non possit obligare in foro superioris, neque ad pœnam, quam ipse infligere nequit, uti est pœna æterna pro culpa mortali: nam ex voluntate, & concessione Dei potest homo obligare in foro conscientiæ, ita ut inflictio pœnæ æternæ reservetur judicio divino.

18. Q. XI. *Quis lege humana obligari possit?* ℞. 1. Gene-

Generaliter solus subditus jurisdictioni legislatoris lege ipsius directe obligari potest *l. 2. ff. de LL.* ibi *ad cujus praescriptum omnes, qui in ea Republica sunt, vitam instituere debent*. Hinc Clerici non tenentur legibus civilibus, quia non sunt subditi potestati laicae *c. 10. h. tit.* Si tamen leges in materia communi, & accommoda latae sint pro felicitate redundante non solum in laicos, sed etiam in Clericos, hi saltem indirecte illis obligantur, idque ex generali Pontificis permissione, quam suadet aequitas naturalis. ℞. 2. Legibus Ecclesiasticis ligantur omnes baptizati, etiam haeretici usum rationis habentes *c. 1. h. tit.* Hinc minoribus septennio, ubi usus rationis non praesumitur adesse, & impuberibus usu rationis necdum pollentibus licite dantur carnes die veneris, quia hi nec in actu primo inceperunt obligari legibus Ecclesiasticis. E contra quia ebrii, vel amentes saltem habitualiter obligati sunt dd. legibus, & infantes lege naturali congenita, ideo nec ebriis die vetito carnes licite dantur, nec infantes licite incitantur ad id, quod jure naturali est vetitum. ℞. 3. Peregrini extra territorium suum existentes, non tenentur legibus sui territorii *cap. final. hoc tit. in 6.* quia lex non egreditur fines territorii. Similiter peregrini non obligantur legibus particularibus alieni territorii, quia non sunt subditi, nisi ratio scandali aliud exigat: quo sensu explicatur *can. 11. d. 12. & c. 2. de observ. jejun.* At obligantur legibus communibus pro communi utilitate incolarum, & peregrinorum latis, ut circa vectigalia, contractus &c. ℞. 4. Religiosi exempti non ligantur legibus dioecesanis, quia non sunt Episcopo subjecti. Excipe casus a jure expressos, ut observare interdicta, & festa ab Ordinariis promulgata, ire ad consuetas processiones publicas. *Trident. Sess. 25. c. 12. & 14. de Regul.* nisi specialiter exempti sint a processionibus.

19. Q. XII. *An princeps in materia sibi accommoda indirecte obligetur suis legibus*? Schmalzgr. Salmant. & alii docent non obligari, nisi ratione scandali, & alias ex sola decentia, & honestate naturali. Sed verior sententia cum S. D. 1. 2. *q. 96. a. 5. ad* 3. docet obligari, non quidem quoad vim coercitivam, quia non habet superiorem, a quo puniatur, sed quoad vim directivam, seu in conscientia. Cum hac sententia ℞. *affirmative*, conformiter dicto Christi *Matth. 23. alligant onera importabilia* &c. Prob. 1. ex can. 2. *d. 9. justum est Principem legibus obtemperare suis* &c. & *c. 6. h. t.* ubi Innoc. III. approbat plenum aequitate edictum Praetoris *l. 1. ff. quod quisque juris in alterum statuit, eodem ipse uti debet*: quo etiam facit *can. 20. non liceat 12. q. 2.* Prob. 2. ex *l. 4. C. de LL. digna vox est majestate regnantis legibus alligatum se Principem profiteri, revera majus imperio est submittere legibus Principatum*. Idem probatur ex §. *fin. In. quib. mod. testam. infir. l. 3. C. de testam.* & confirmatur auctoritate S. Th. *loc. cit.* dicentis: *quantum ad Dei judicium Princeps non est solutus a lege, quantum ad vim directivam ejus*, qui textus plus sane probant, quam obligationem solius decentiae. Ratio etiam est, quia jus naturale dictat Principem debere praelucere suis subditis in observantia legum pro bono communi conditarum, cum ille magis, quam subditi, teneatur studere bono communi; tum quia caput debet conformari suis membris per *can. 2. d. 8. turpis est omnis pars suo universo non congruens*.

Obj. 1. non apparet, unde ista obligatio proveniat? 2. Obligatio legalis procedit a jurisdictione superioris *l. 51. ff. de receptis qui arbitr. l. 10. ff. de jurisdict. c. 20. de elect.* ibi: *cum non habeat*. Princeps autem non est se ipso superior. 3. Princeps non obligatur legibus suorum antecessorum *cit. c. 20. de elect. cum non habeat imperium par in parem*, ergo nec suis legibus. 4. Princeps legibus solutus est *l. 31. ff. de Testam. §. fin. In. quib. mod. testam. infir. Nov. 105. c. 2. in fin.* 5. Ridicula est obligatio, quam tollere est in potestate obligati, sed Princeps tollere potest suam obligationem, abrogando legem, vel in ea dispensando.

℞. *ad* 1. Obligatio ista provenit ex jure naturali, non absolute, sed conditionate, seu ex suppositione, quod Princeps legem tulerit bono communi utilem: tunc enim non minus, imo magis Princeps, quam subditi, tenetur hoc bonum procurare per observantiam legis; & ideo durum judicium his qui praesunt. *Ad* 2. Dist. maj. obligatio directa, conc. maj. indirecta, neg. maj. Princeps indirecte solum obligatur a sua lege, directe vero a Deo superiore, seu jure naturali: non quidem absolute, sed ex suppositione, ut mox dictum. *Ad* 3. quamdiu leges istae manent, obligatur eis indirecte, licet supra leges sit eo sensu, quod ex justa causa eas tollere, immutare, vel dispensando relaxare possit: quo sensu procedit *cit. c. 20. de elect. Nov. 105. c. 2. in fin.* ubi leges ab ipso Deo dicuntur subjectae esse Principi. *Ad* 4. Princeps quoad vim coercitivam solutus est legibus, non vero quoad vim directivam, ut ex probat., nisi materia non esset accommoda Principi, sicut in legibus venatoriis, piscatoriis, circa arma gestanda &c. *Ad* 5. Princeps sine justa causa non potest licite tollere, vel dispensando relaxare legem bono communi utilem, ergo obligatio ista non est ridicula, imo si tollat legem, cessat inaequalitas inter eum, & subditos, sed quaeres, an etiam legibus irritantibus Princeps ligetur? ℞. 1. si irritatio apposita est propter honestatem morum, & securitatem justitiae; Princeps tenetur attendere actus ab aliis celebratos sub praescriptis solemnitatibus; & ideo ex imperfecto testamento non capit haereditatem, vel legatum, *l. 23. ff. de legat. 3. & l. 4. C. ad L. Falc.* At si ipse Princeps scienter omissis solemnitatibus actum gerat, dispensare secum censetur. *l. 8. ff. de Manumiss. l. 3. ff. de off. Praetor. l. 19. C. de testam.* quia summa majestas purgat omnem suspicionem fraudis. 2. Si irritatio est inducta a jure humano, Princeps, sicut non ligatur legibus, ita nec actus ab eo gestus est irritus.

§. III.

De lege poenali, & irritante.

20. Q. I. *Quid, quotuplex, & qualiter obligatoria sit lex poenalis*? ℞. 1. Lex poenalis est, quae transgressori poenam statuit. Est duplex; *pure poenalis* quae praecise obligat ad poenam, & *mixta*, quae aliquid praecipit, vel prohibet sub certa poena; estque vel *copulative mixta*, quae obligat sub culpa, & poena, v. g. prohibemus, ne Sacerdos in scenam prodeat sub poena depositionis; vel *disjunctive*, seu *alternative mixta*, quae obligat ad alterutrum in textu expressum, v. gr. Clericus in minoribus Ordinibus constitutus uxorem non ducat, aut privatus beneficio existat. Poena alia est *sententiae latae*, quae ipso jure, & facto incurritur, alia *ferendae*, quae primum post sententiam judicis incurritur. Item alia est *medicinalis*, quae propter praesentem contumaciam infligitur ad emendationem, & resipiscentiam delinquentis, uti sunt censurae; alia *vindicativa*, quae in punitionem prioris delicti statuta est. Rursum alia est *positiva*, quae ad sui exequutionem opus habet positiva actione, ut solvere pecuniam &c. alia *privativa* proprie, quae delinquentem privat jure jam quaesito, ut officio, beneficio &c. alia *conditionalis*, seu *privativa improprie*, quae ob defectum conditionis privat certo jure, aut favore, quem jus non aliter concedit, nisi impleta conditione. Sic privilegio fori privatur minorista non beneficiatus, si habitum, & tonsuram non deferat, & alicui Ecclesiae non deserviat, & Canonicus privatur fructibus pro rata, si horas Canon. omittat. Et haec *conditionalis* non est proprie poena, sed negatio cujusdam beneficii sub conditione concessi, qua non posita, non acquiritur hoc jus, & beneficium. ℞. 2. Dabilis est lex pure poenalis: nam tota vis legis pendet a voluntate Principis *arg. l. 1. ff. de Constit. Princ.* ergo si Princeps vult, obligare potest ad solam poenam, v. g. quicumque venatus fuerit, pendet 30. quo casu committitur venando culpa theologica, sed tantum civilis, & juridica. Tales leges censentur esse pleraeque venatoriae, militares &c. His non obstat *c. 2. de Const. can. 4. d. 3. c. 1. & seqq. de poenis, l. 2. ff. de LL.* ibi: *justorum, & injustorum*, paritas a censuris, poena conventionali, mortis &c. nam ut aliqua poena incurratur, sufficit culpa politica, seu juridica *arg. reg. 23. in 6.* ℞. 3. Poena *medicinalis*, uti censura, ipso jure lata incurritur ante sententiam declaratoriam, quia tendit ad emendationem. *Vindicativa*, sive sit *positiva*, sive *privativa*, etsi ipso jure sit incursa, non stringit, nisi post sententiam declaratoriam criminis, quia ab humanitate

alie-

alienum est, ut quis sui ipsius vindex sit spoliando se possessione, beneficio &c. sententia tamen lata retrotrahitur ad tempus delicti. Si vero pœna fuit *ferendæ sententiæ*, non habet effectum suum, nisi post sententiam condemnatoriam. *Conditionalis*, cum non sit proprie pœna, sed dispositio juris concedens jus quærendum sub conditione, incurritur ante sententiam judicis, quia Legislator non vult aliter jus istud concedere, nisi posita conditione. Plura de his *ad tit. de pœnis*, & *tit. de sent. excom. lib.* 5.

21. Q. II. *Quid, & quotuplex sit lex irritans*? ℞. 1. Est, quæ actum contra formam juris celebratum reddit invalidum, sed nullum; & ista irritatio fieri potest dupliciter: *expresse* addito decreto, seu clausula irritante, v. g. *alioquin actus sit ipso jure*, *ipso facto nullus*, *nullius roboris*, *nullas vires*, *nullam firmitatem obtineat &c. tacite*, vel *æquivalenter*, dum lex actui præscribit formam substantialem, sine qua actus utique est nullus. Quando autem lex præscribat formam substantialem, & quando accidentalem, ex subjecta materia, & textu colligi debet.

22. ℞. 2. *Lex prohibens non hoc ipso est irritans*. Ita Canonistæ contra multos Legistas. Prob. ex *c.* 16. *ad Apostolicam de Regul.* ibi: *multa fieri prohibentur, quæ, si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem*: imo nec de jure civili lex simpliciter prohibens est hoc ipso irritans: nam secundæ nuptiæ intra tempora luctus prohibentur fœminæ sub pœna infamiæ *l.* 1. & 2. *C. de secund. nupt.* & tamen non irritantur jure civili. Secunda venditio rei venditæ prohibetur sub pœna falsi *l.* 21. *ff. ad L. Corn. de fals.* & tamen talis venditio jure tenet *l.* 15. *C. de R. V.* Sententia sub conditione prohibetur dici, & tamen dicta valet *l.* 1. §. 5. *ff. quando appell.* Ratio est, quia hæc duo: *prohibere*, & *irritare* sunt diversa, neque unum infertur ex altero: sic enim testamentum sine solemnitatibus, professio Religiosa ante expletum annum 16. irritatur, non tamen prohibetur, cum ita testari, vel profiteri non sit peccatum; e contra matrimonium sine denunciationibus, vel cum voto simplici castitatis graviter prohibetur, non tamen irritatur, ergo. His non obstat celebris *lex* 5. *non dubium C. de LL.* ibi: *licet Legislator prohibuerit tantum &c.* nam, cum lex ista contradicat juribus aliis, intelligenda est de illa lege prohibente, quæ virtualiter est irritativa, ut si præscribat actui formam substantialem. Ceteri textus, ut *reg.* 64. *in* 6. §. 7. *In quib. ex caus. manum.* §. 1. *de adopt.* & similes dicentes actum contra jus gestum esse nullum, intelligendi sunt de nullitate, vel *ipso jure*, si lex est irritans, vel *quoad effectum*, si lex est pure prohibens, quia actus contra eam gestus rescindi potest, si natura sua solubilis est. Sicut econtra actus ipso jure nullus dicitur quandoque rescindendus non de *jure*, quasi fuisset validus, sed *de facto*, quatenus declaratur per sententiam fuisse invalidus, seu nullus. Quæ doctrina, cum sæpe sit necessaria, bene est notanda.

23. Q. III. *An lex sic irritans reddat actum invalidandum, seu nullum pro foro tam externo, quam interno*? In hac celebri controversia certum est actum pro utroque foro esse nullum, si lex expressam mentionem faciat fori interni, v. g. *ut actus nec in conscientia*, *nec coram Deo valeat*, *vel sit nullus absque declaratione &c.* Sic non valet provisio simoniaca in beneficiis *Extrav.* 2. *de Simon. int. com.* ibi: *per electiones vero &c.* collatio beneficii excommunicato facta *c.* 7. *de Cler. Excom.* vel usurario, aut infami *c.* 11. *de excess. Prælat.* Sic etiam jure civili infames redduntur inhabiles ad dignitates *l. un. C. de infamib. l.* 2. *C. de dignitat.* & *ex reg. pen. in* 6 *infamibus portæ non pateant dignitatum*. Superest quæstio, an si lex tantum communiter irritet actum, v. g. testamentum, electionem &c. actus iste destitutus solemnitatibus juris sit nullus etiam pro foro interno? negativam sustinent Innoc. Abb. Jo. Andr. Laym. Pichler. Reiff. citt. Schmaltz. autem, nescio quibus principiis nixus, in hoc variat: nam alienationes rerum Ecclesiæ sine solemnitatibus dicit valere pro foro interno, testamentum vero non valere, adeoque doctorem hunc clarissimum neutri sententiæ tuto adscribere possum. Affirmativam defendunt Salmantic. cum citt. Suar. Barbos. Schmier. & plurimi alii celebres TT. & Canonistæ: cum vero notitia utriusque sententiæ sit valde utilis pro praxi, fundamenta generalia pro utraque afferam.

Fundamenta sententiæ affirmativæ dicentis legem irritantem habere locum in utroque foro: 1. Certum est ex jure naturali, & divino, quod leges pro bono communi latæ obligent in conscientia, ut patet ex præcepto 4. decalog. & *Rom.* 13. *omnis anima &c.* & *Canon.* 1. *d.* 8. ibi: *ipsa jura humana per Imperatores, & Reges sæculi Deus distribuit generi humano*, & *Canon.* 1. *d.* 9. ibi: *quicumque ergo legibus Imperatorum obtemperare non vult, acquirit grande supplicium*; ergo etiam leges irritantes, quæ maxime conducunt ad bonum Reip. obligant in conscientia. *Dices*: obligant quidem, sed mediate, scilicet mediante sententia judicis. *Sed contra est*: tum quia hæc responsio nullum habet solidum fundamentum in jure, cum ostendi nequeat, nisi forsan a legibus pœnalibus vindicativis, inter quas tamen, & leges irritantes est disparitas aperta; tum quia leges, nisi legislator aliud exprimat, per se primo obligant ad id, de quo disponunt, ergo si leges irritant actum, obligant per se, ne quis illo actu utatur tanquam valido. *Prob.* 2. Lex justa in foro externo, est etiam justa in foro interno, siquidem justitia legis, cum non sit hypocritica, non minus deservit pro foro interno, quam externo *arg. l.* 1. §. 1. *ff. de J.* & *J.* ibi: *justitiam namque colimus &c.* sed leges irritantes sunt justæ in foro externo, ut omnes concedunt, ergo etiam in interno, ergo illis parendum est ante ullam sententiam. *Prob.* 3. Actus gestus a personis inhabilibus est nullus in utroque foro, ut facile conceditur *arg. Can.* 4. & 5. *d.* 10. quia inhabilis caret facultate ponendi actum, sed irritato per legem actu, personæ sunt inhabiles ad illum ponendum: tum quia implicante actu tanquam specificativo, implicat potentia, tanquam specificatum; tum quia legislator hoc ipso quod irritet actum, tacite, & comprehensive irritat omnem potentiam ad actum faciendum, alias daretur potentia ad aliquid irritum, ergo. *Prob.* 4. Ideo leges communiter irritantes non obligarent immediate in foro interno, quia in eis non fit mentio de illo, nec de inhabilitate, atque ita cum correctoriæ sint juris naturalis, restringi debent ad forum externum; sed hæc ratio, præterquamquod nullo jure nitatur, etiam nimis probat, & subvertit ea, quæ certa sunt in utroque jure, ergo: Prob. min. 1. judex in foro externo declarando actum irritum, obligat in conscientia, licet nullam mentionem fori interni faciat; præceptum autem judicis non est fortius lege, cum judex vi legis obliget. 2. Trid. *Sess.* 24. *c.* 1. *de ref. matr.* irritando matrimonium clandestinum obligat in conscientia, licet non meminerit de foro interno, & *Sess.* 25. *c.* 15. *de Regul.* irritando professionem Religiosam irritat eam pro utroque foro, nulla facta mentione fori interni, aut inhabilitatis. Item jus Can. inducens impedimenta dirimentia matrimonii obligat pro utroque foro, licet vix alicubi mentionem fori interni faciat, 3. juxta *c.* 1. *de sent.* & *re jud. l.* 1. *ff. quæ sent. sine app. rescind.* sententia contra Canones, vel leges lata, est nulla in utroque foro, licet nulla mentio fiat fori interni &c. ergo. *Probatur* 5. Leges fundatæ in periculo universali, obligant immediate in conscientia, exceptis pœnis vindicativis, quæ infligendæ sunt per judicem, sed leges irritantes fere omnes fundantur in periculo universali fraudum, damnorum, & similium malorum in electionibus, testamentis, alienationibus, judiciis &c. ergo obligant immediate in conscientia.

Fundamenta sententiæ negativæ dicentis leges communiter irritantes non habere locum in foro interno, nisi mediate, scil. mediante sententia judicis, cui tanquam præcepto justo in conscientia parendum est. Prob. 1. Leges irritantes actum ipso jure sunt correctoriæ juris naturalis, ergo tanquam odiosæ restringendæ sunt ad forum externum, nisi aliud exprimant, ex quo significetur obligatio pro foro interno. 2. Jura dum volunt irritationem observari in foro interno, id exprimunt claris terminis, ut *extrav.* 2. *de elect. inter com.* ergo a sensu contr. ubi non exprimunt obligationem pro foro interno, censentur obligare solum pro externo. 3. Juxta *reg.* 57. *in* 6. *contra eum, qui legem dicere potuit apertius, interpretatio est facienda*, sed legislator, si voluisset obligare pro foro interno, id dicere potuit apertius, ergo. 4. Actus jure irriti dicuntur irritandi, vel rescindendi, *cap.* 40. *de elect. cap.* 8. *de consuet. tit. ff. quæ sententiæ sine appellatione rescindantur*, ergo

ergo actus isti erant validi, cum rescissio supponat actum validum, sed non erant validi pro foro externo, ergo saltem pro interno. 5. Leges simpliciter, & communiter irritantes ita usu communi, & moribus receptæ sunt, ut homines passim existiment se non aliter iis obligari, quam post sententiam judicis: tum quia fini legis satisfit, si actus in foro externo non sit firmus; tum quia fideles id, quod per actus jure humano irritos acquirunt, non solent restituere citius, nisi cogantur per sententiam judicis, neque acquisita retinendo, si alias nulla fraus, & iniquitas intervenerit, cogitat se male agere, ergo usus, & mores hominum satis explicant leges irritantes non obligare pro foro interno, nisi mediate, & conditionate, si sententia sequatur; cum usus, & consuetudo sit optima legum interpres, *l.* 37. *ff. de LL.* Ex his priora 4. argumenta sunt potius ad disputandum, ultimum vero, quod ex Lessio affert Reiff. *h. t. n.* 259. magnam habet probabilitatem, & ex illo solvi possunt argumenta prioris sententiæ, & paritates de impedimentis matrimonii, & professionis Religiosæ, quia scil. ex subjecta materia Sacramenti, & voti, utpote ad forum internum pertinente, omnes prudentes judicant dispositionem Trident. debere locum habere in utroque foro; quod judicium non est de aliis legibus communiter irritantibus. Ego tamen adhæreo priori sententiæ, quæ mihi videtur probabilior.

℞. *ad* 1. Neg. con. quia nimis probat, alias enim leges servitutum contra libertatem, usucapionem, matrimoniales, & plures aliæ juris naturalis correctoriæ restringendæ essent ad forum externum. Unde hic locus est contrariæ regulæ; *Lex obligat in conscientia, nisi Legislator expresse restringat jus naturale, & non velit obligare immediate pro foro interno.* Præterea sententia judicis non minus, quam lex irritans, est correctoria juris naturalis, neque tamen restringitur ad forum externum. *Ad* 2. Dist. ant. id exprimunt de necessitate neg. ant. ad majorem cautelam, & aggravationem con. ant. Expressio taciti, quod inest, sicut legi inest obligatio pro utroque foro, nihil speciale operatur, sed fit ad majorem cautelam, cautela vero abundans non nocet. Rursum hoc arg. nimis probat, scil. nullam legem humanam obligare pro foro interno, nisi hujus mentionem habeat. *Ad* 3. est eadem solutio: *Regula cit.* locum habet si sensus legis obscurus, & dubius est, non vero si omittatur id, quod jure inest. *Ad* 4. Dist. an. dicuntur irritandi de facto, seu nulli declarandi conc. an. irritandi de jure, seu tanquam validi dissolvendi neg. an. Sæpius etiam dicuntur irriti *c.* 20. *de elect.* ibi: *electionem istam prædicti Canonis auctoritate cassatam, denunciamus irritam, & inanem*: nam ex subjecta materia colligi debet, quando hi termini, *irritandus, rescindendus*, & similes significent rescissionem, *de jure*, & *de facto*: si actus de jure est invalidus, rescissio ejus est *de facto*, quia declaratur factum fuisse invalidum; si vero actus ipso jure est validus, rescissio illius est *de jure*, quia valor, aut jus quæsitum rescinditur, seu tollitur. *Ad* 5. Usus, & consuetudo non satis hanc interpretationem probant, quia multo plures talem usum reprobant; & consuetudo, cum sit facti, probari debet: quam sit vero difficilis probationis, nemo non perspicit. Specialia argumenta pro, & contra in materiis particularibus afferentur, ut de legibus irritantibus electiones, testamenta &c.

§. IV.

De lege fundata in præsumptione, & fictione juris.

24. *Nota* 1. Præsumptionem definiri, quod sit conjectura rationabilis de re dubia ex indiciis, quæ per rerum circumstantias frequenter eveniunt. Ex qua definitione patet, præsumptionem esse judicium desumptum ex judiciis, seu circumstantiis plerumque connexis cum veritate. *Fictio juris* est certa dispositio, qua Legislator ex justa causa idem statuit in casu ficto, quod alia lex in casu vero possibili, v. gr. beneficiatus Ecclesiæ causa absens fingitur residere in beneficio, & ita lucratur fructus grossos, ac si re ipsa resideret. Differunt autem *præsumptio*, & *fictio juris*: nam præsumptio innititur verisimili veritati ex indiciis, & circumstantiis; at fictio juris est in casu manifeste falso, qui tamen ob æquitatem naturalem idem operatur, quod casus verus, ut ex cit. exemplo.

25. *Nota* 2. præsumptionem aliam esse *hominis*, seu *judicis*, dum judex ex indiciis præsumit, seu existimat aliquod factum esse verum; aliam *juris* dum jus ipsum præsumit, seu existimat aliquid esse verum. De præsumptione hominis agitur *libr.* 2. *tit. de præsumpt.* Hic pro notitia legum aliquid dicitur de præsumptione juris. 2. Præsumptio juris dividitur in eam, quæ tantum est *juris*, & in eam, quæ est *juris*, & *de jure*. *Præsumptio juris tantum* est, dum jus in dubio aliquid pro vero habet, donec probetur contrarium. Sic quilibet præsumitur bonus, nisi probetur malus *c. fin. de præsum.* & *semel malus semper præsumitur malus per reg.* 8. *in* 6. puta in eodem genere, quia mutatio est facti, adeoque probari debet: natus, & educatus inter christianos præsumitur baptizatus, *c. fin. de Presb. non bapt. in fin.* Præsumptio *juris*, & *de jure* est, dum jus aliquid pro vero ita habet, ut probationem saltem directam in contrarium non admittat. Talis præsumptio de jure antiquo fuit in *c.* 30. *de Sponsal.* ubi cognoscens sponsam de futuro, præsumitur eam effectu maritali cognoscere, & ita matrimonium contrahere. 3. Utraque hæc præsumptio, vel fundatur *in facto*, vel in *periculo universali* damnorum, fraudium, & similium malorum. Lex fundata in *præsumptione facti* est, quæ supponit aliquod factum intervenisse, super quo disponit. Lex fundata in *præsumptione periculi* est, quæ facto non attento, pro motivo habet periculum generale cujusdam mali, ad quod evitandum lex ista posita est. S. D. 2. 2. *quæst.* 60. *art.* 4. *ad* 3. priorem præsumptionem vocat *definitionis*, puta super casu, & facto singulari, posteriorem vero præsumptionem *præsuppositionis*, quia ex parte Legislatoris præsupponitur judicium moraliter certum super periculo universali.

26. Q. I. *An lex fundata in præsumptione facti, hoc deficiente, obliget in conscientia?* ℞. Negative, sive sit præsumptio juris tantum, sive juris, & de jure; com. nam talis lex semper tacitam habet conditionem: *si res ita se habet, si præsumptio est vera*, ergo si factum deficit, & præsumptio est falsa, lex non obligat, quia per *Can.* 4. *d.* 8. præsumptio cedere debet veritati, imo quandoque nec obligare potest in conscientia. Exemplificatur res. 1. Per præsumptiones juris in facto fundatas, *c. fin. de Presb. non bapt.* quilibet inter christianos natus, & educatus præsumitur baptizatus; si tamen constet, non esse baptizatum, baptizari debet, *c. un. de despon. impub. in* 6. quisque expleto septennio præsumitur usu rationis præditus, si tamen non est, non obligatur contractu sponsalitio. Similes præsumptiones habentur, *l.* 9. 10. *C. de Servit. l.* 8. *ff. de Probat. l.* 11. *ff. fin. regund. l.* 6. *ff. de his, qui sui, c.* 4. 6. & 10. *de Despon. impub.* Exemplificatur 2. per præsumptiones *juris*, & *de jure* in facto fundatas: *c.* 21. *de Sponsal.* præsumitur mulier libere consensisse in matrimonium, quæ coacta nupsit, & sesquianno marito cohabitavit; si tamen re vera non consentit, matrimonium est nullum *c.* 6. *de condit. appos.* qui cognovit desponsatam sibi sub conditione, præsumitur conditionem remisisse, & absolute in matrimonium consensisse; si tamen re ipsa conditionem non remisit, non tenet matrimonium absolute. Ex Trident. *sess.* 25. *c.* 19. *de Regul.* præsumitur quis professionem Religiosam ratificasse, qui intra quinquennium contra illam non reclamavit. Si tamen certo scit professionem suam fuisse invalidam, nec a se ratificatam, coram DEO non tenetur illa. Similia exempla habes, *c.* 15. & 30. *de sponsal. c. un. in fin. de despons. impub. l.* 22. *ff. de Probat. tit. C. de non num. pec.* Hæc quoad forum internum: at in foro externo, statur præsumptione *juris*, donec contrarium probetur: sed contra præsumptionem *juris*, & *de jure* nulla directa probatio admittitur, *cap.* 30. *de Sponsal.* Si quis tamen tali legi, vel sententiæ judicis citra peccatum obedire non potest, debet potius quascumque pœnas, etiam excommunicationem humiliter sustinere, quam cum peccato parere judici ex falsa præsumptione judicanti, v. g. ut reddatur debitum conjugi putatitio, cujus matrimonium judex pronunciavit validum, *cap.* 44. *de sentent. excommun.* Idem dic de sententia, quæ si fundata est in falsa præsumptione facti, non obligat in conscientia, v. g. judex non debitorem condemnat ad 100. condemnatus, si via juris aliter se defendere

non

non possit, in foro externo tenebitur solvere, sed in interno uti potest occulta compensatione. Ita com. TT. & Canonistæ.

27. Q. II. *An lex fundata in præsumptione periculi universalis obliget in conscientia, licet in particulari casu fallat præsumptio?* ℞. Affirmative cum com. & vera sententia: nam motivum adæquatum talis legis non est aliquod factum, vel damnum particulare, sed est ipsum generale periculum damnorum, quod moraliter est certum, & infallibile, semperque durat, etsi in hoc particulari casu nullum damnum sequatur; ergo stante tali motivo periculi generalis lex manet obligatoria. Sic Trid. prohibens matrimonia clandestina, Bulla Cœnæ prohibens lectionem librorum hæreticorum, lex prohibens noctu arma portare, & aliæ similes obligant, & si in his particularibus personis non sit periculum negandi matrimonii, perversionis, rixarum &c. *Dices:* cessante motivo adæquate cessat lex respectu omnium, ergo cessante inadæquate, cessat respectu hujus personæ. ℞. Neg. conseq. nam *jura non in singulas personas, sed generaliter*, seu pro tota communitate *constituuntur*, *l. 8. ff. de LL.* Ex dictis colliges, quid sentiendum sit de illa phrasi: *præsumptio facti, præsumptio juris*, qua nonnulli præsertim TT. utuntur: & quidem in hoc sensu non verificatur, quasi præsumptio juris non fundaretur in facto, cum frequenter in eo fundetur, ut dictum ante; verificatur tamen in eo sensu, quod præsumptio *facti* dicatur, quæ fundatur super veritate *facti*, sive sit præsumptio hominis, sive juris tantum, sive juris, & de jure; præsumptio vero juris specifice accipiatur pro motivo periculi generalis, vi cujus, non attento facto, Legislator jus certum constituit. Et sic diversitas in modo loquendi inter Auctores conciliand, nec facile reprehendenda est.

28. Q. III. *An lex fundata in fictione juris prosit etiam in foro conscientiæ?* ℞. affirmative, communis: nam fictio ista fundatur in æquitate naturali, ob quam lex aliquid concedit, quod alias conceditur in casu vero. Sic beneficiatus theologiam, vel Canones docens, fingitur residere in beneficio, & lucratur fructus, ac si re vera resideret. *c. fin. de Magistr.* testator apud hostes, captus, & mortuus, fingitur in patria mortuus, & testamentum prius factum sustinetur §. 5. *Inst. quib. mod. jur. patr. potest.* & *tit. ff. de captivit.* sic Religiosus, prout melius est monasterio, in jure jam fingitur servus, jam filius fam. jam mortuus, jam vivus &c. Plura exempla fictionum juris affert Jason. & Reiff. & alii per omnia prædicamenta, quæ in decursu juris facile deprehendes.

29. Q. IV. *In quibus locum habeat fictio juris?* ℞. tantum in casibus a jure expressis, neque a casu ad casum extenditur: nam concedere aliquid, in casu ficto, quod alias conceditur in casu vero, est solius Legislatoris. Unde non valet: monasterium est loco filii; ergo monachus est loco patris. 2. Fictio non trahitur ad impossibilia per naturam, vel per jus: sic infans non potest fingi homicida, licet adultus factus ratificet homicidium suo nomine factum, quia per naturam erat ei impossibile demandare homicidium; & monachus non potest fingi donasse, quia per jus est ipsi impossibile donare nomine suo &c.

§. V.

De mutatione legis.

30. Nota, legem mutari posse vel *ab intrinseco*, vel *ab extrinseco*. Ab intrinseco dupliciter mutatur: *totaliter*; dum cessat totale motivum legis, & *partialiter*, dum respectu unius casus, aut personæ cessat finis, aut motivum legis, quod fit per interpretationem, & epiikiam. Ab extrinseco pariter mutatur, vel *totaliter per abrogationem*: dum tota lex directe tollitur, vel saltem indirecte per contrariam legem, aut consuetudinem; vel *partialiter per derogationem*, aut *dispensationem*, dum lex mutatur in uno, vel altero capitulo, vel una persona dispensatur ab observantia legis.

31. Q. I. *Quando, & quomodo lex cesset ab intrinseco?* ℞. 1. cessante adæquato fine legis, cessat ipso facto lex, nam juxta *can. 2. d. 4.* lex debet esse utilis communitati, sed cessante fine, seu motivo adæquato, lex amplius non est utilis communitati, ergo. Sic lex, qua ob sævientem pestem, vel hæresim prohibetur transitus ad alterum regnum, cessante peste, vel hæresi, inutilis fit communitati, adeoque cessat. ℞. 2. Si finis legis cesset positive, seu contrarie, ita ut ex materia licita fiat illicita, peccatum est observare talem legem: nam esset observatio rei hic, & nunc illicitæ, v. g. si quis vellet hodie observare legem circumcisionis. ℞. 3. Si finis legis cesset tantum negative, & partialiter, remanente motivo totali, non cessat respectu particularis personæ, nam lex fertur toti communitati, ergo si motivum subsistat totale, stringit singulos de communitate, licet respectu particularis personæ cesset negative, seu non militet contra ipsam. Sic teneris jejunare, etsi carnem spiritui subjectam habeas, noctu non portare arma prohibita, etsi cædem, vel rixas non intendas &c. Secus esset, si finis adæquatus cessaret negative, quia nunc lex inutilis esset communitati, vel si finis partialiter cessaret contrarie, quia ad talem casum, utpote hic & nunc illicitum, lex se non extendit, ut dictum est.

32. Q. II. *Quomodo lex cessare possit ab extrinseco?* ℞. 1. cessare potest totaliter per abrogationem, dum Legislator, vel ejus successor, vel utriusque superior totam legem revocat, seu tollit: nam per quas causas aliquid nascitur, per easdem dissolvi potest *reg. 1. in antiq.* Abrogatio ista sine justa causa, quamvis non sit licita, cum lex supponatur esse utilis communi bono, est tamen valida, siquidem tota vis legis pendet a voluntate Principis *l. 1. ff. de Const. Princ.* Si tamen superior legem confirmavit ad favorem publicum, regulariter sine ejus consensu nequit tolli, quia confirmando, censetur suam fecisse, *arg. l. 1. §. 6. ff. de V. J. E.* nisi per accidens, ut plerumque fieri solet, confirmatio ad majorem auctoritatem petita fuisset. ℞. 2. Lex partialiter cessare potest per derogationem, vel dispensationem, nam si legislator totam legem extinguere potest, a fortiori poterit illam in uno, vel altero capitulo immutare, vel per dispensationem relaxare.

33. Q. III. *Quid, & quotuplex sit dispensatio?* ℞. 1. Est relaxatio legis publica auctoritate facta in aliquo particulari casu, manente vigore legis ex parte materiæ: nam si materia est subducta legi, non est dispensatio, sed simplex interpretatio, quod casus non contineatur sub lege, v. g. est quis validus ad jejunandum, & tamen ex justa causa solvitur a jejunio, ista est dispensatio; e contra est quis infirmus, & citra majus damnum jejunare non potest, proprie non dispensatur a jejunio, sed per interpretationem declaratur, casum istum non contineri sub lege jejunii. ℞. 2. Dispensatio est duplex; *totalis*, quæ tollit obligationem legis ex toto, ut si quis dispensetur a recitatione totius Breviarii; *partialis*, quæ tollit obligationem ex parte, ut si quis dispensetur a recitatione matutini tantum: rursus alia est *expressa*, quæ fit per verba, vel signa evidentia; alia *tacita*, quæ ex mente superioris colligitur, ut si Prælatus mittat Religiosum extra claustrum, tacite cum illo dispensat, ut oblatam sibi pecuniam acceptare possit. Item *directa*, seu immediata, qua superior dispensat cum subditis: *indirecta*, qua superior dispensat cum se ipso, vel generaliter dum dispensat cum tota communitate, vel specialiter, dum confessario dat facultatem ad sibi dispensandum. Denique dispensatio alia est *ex motu proprio*, alia *ad instantiam supplicantis*, alia *necessaria*, quæ sine scandalo, vel gravi incommodo negari non potest, alia *permissa*, quæ sine incommodo negari potest.

34. Q. IV. *Quis possit in legibus dispensare?* ℞. Legislator potestate ordinaria: nam est dominus suarum legum: inferior vero in lege superioris non potest dispensare, nisi potestate delegata, etiamsi dispensatio non sit specialiter reservata. Ita com. contra Covar & paucos; nam regula generalis est, quod inferior relaxare non possit legem superioris, *can. 4. inferior. d. 21. Clem. 2. de elect.* sed ab hac regula non reperitur exceptus casus, *quo superior dispensationem sibi non reservavit*, ergo: unde ad dispensandum requiritur, ut inferiori concessa sit facultas dispensandi *c. 15. de tempp. Ord.* ibi: *cum Archiepiscopo hujusmodi dispensatio a Canone minime sit permissa, ipsi obtemperare non debet in hac parte.* Itaque in jure Pontificio præter Papam nullus dispensare potest, nec Primas, aut Patriarcha, aut Metropolitanus in legibus Concilii nationalis, aut Provincialis, quia inferiores

sunt Concilio: bene vero capitulum, Sede vacante, in legibus Concilii diœcesani, sicut Sede plena, Episcopus, cum jurisdictio necessaria ad capitulum devolvatur. Sufficit autem tacita concessio: & ita vi hujus Episcopi dispensant in observationibus festorum, & aliis, pro quorum dispensatione semper recurri non potest ad S. Sedem. Idem faciunt Prælati regulares cum suis subditis: & quia potestas ista in his casibus dispensandi annexa est dignitati, æquiparatur potestati ordinariæ, atque ita est delegabilis. ℞. 2. Prælatus habens potestatem dispensandi cum aliis, potest etiam immediate, & directe dispensare cum se ipso in legibus, votis, & juramentis. Ita Caj. Salm. & alii com. Prob. ex reg. generali desumpta ex *l.* 3. *ff. de adopt. l.* 1. 5. *ff. de manumissis vind.* &c. ad exercitium jurisdictionis voluntariæ non requiritur distinctio personalis inter eum, a quo, & cui præstatur auctoritas; seu potest quis jurisdictionem voluntariam in se ipsum exercere, nisi specialiter prohibeatur in aliquo casu, sed dispensare est exercitium jurisdictionis voluntariæ, ergo: Ne tamen Prælatus amore proprio excæcatus in dispensando delinquat consultius faciet, si talem dispensationem suo confessario commiserit.

Dices: Nemo potest se ipsum judicare, absolvere, ordinare *Can.* 27. *inter* 23. *q.* 4. *l.* 10. *ff. de jurisd. l. un. C. ne quis in sua causa* 2. Jurisdictionem voluntariam in se ipsum exerceri non posse *Clem.* 2. *de reb. Eccl. non al. c.* 7. *de censib. c. fin. de Instit. l.* 1. *ff. de auctor. Tutor.* ℞. *ad* 1. jurisdictio coactiva, absolutio a peccatis, & ordinatio Clericorum jure naturali, & divino requirit distinctionem personalem, cum nemo se ipsum cogere possit, neque formæ Sacramentorum respectu sui verificentur, quæ, & similes rationes non currunt in dispensatione. *Ad* 2. isti casus ob fraudes, & ambitionem sunt specialiter excepti a reg. generali. Vide *Resol. Canon. hic resol.* 3.

35. Q. V. *An justa causa requiratur ad dispensandum*? ℞. affirmative. Trid. *S.* 24. *c.* 5. *de ref. Matr.* & *S.* 22. *c.* 15. *de ref. S.* 25. *c.* 28. *de refor.* nam sine causa ponere inæqualitatem inter subditos, non tam dispensatio, quam dissipatio, & quædam acceptio personarum. Et quidem si inferior dispensat, justa causa requiritur non tantum ad licitam, sed etiam ad validam dispensationem, quia Superior non aliter censetur concedere facultatem, nisi ut rationabiliter, & prudenter dispensetur; si vero Legislator est, justa causa requiritur solum ad licitam dispensationem, cum Legislator tanquam dominus legis, non solum relaxare, sed etiam abrogare valide possit suam legem absque ulla causa. Hic tamen monent Salmanticenses, quod, si Legislator dispenset absque justa causa, vel minus sufficienti, secluso scandalo non committat ex genere suo peccatum mortale, quia in hoc, quod omnes non conformentur in observantia legis, non videtur tanta inordinatio, quæ sufficiat ad peccatum mortale, nisi accedat alia circumstantia gravis, ut damnum Reipubl. vel tertii, scandalum, & alia incommoda. Quando dispensatio sit subreptitia, vel obreptitia colliges ex *seq. tit.* Vide Salmant. *Tr. de LL. c.* 5.

§. VI.

De interpretatione legum.

36. Nota interpretationem definiri, quod sit sensus in leges contenti explicatio. Et hæc juxta gloss. in *l.* 37. *ff. de LL.* est triplex: *authentica*, *usualis*, & *doctrinalis*. *Authentica* est, quæ fit ab ipso Legislatore qua tali, vel successore, vel Superiore per rescriptum legitime instar juris editum, ac intimatum. *C.* 31. *de Sent. excom. l. fin. C. de LL.* ibi: *leges interpretari solo dignum imperio esse oportet*. Si autem Legislator, non qua talis ex jurisdictione, sed qua doctor privatus leges interpretetur, interpretatio est tantum doctrinalis. *Usualis* est, quæ fit ex usu, & consuetudine populi, quia per *l.* 37. *ff. de LL. consuetudo est optima legum interpres*. *Doctrinalis* est, quæ fit a jurisperitis in sua scientia versatis. Et hæc dividitur trifariam, in *declarativam*, *extensivam*, & *restrictivam*. *Declarativa* est, quæ verba dubia, & obscura explanat. *Extensiva*, quæ legem a casu expresso ad non expressum, vel a persona ad personam extendit. Quod fit dupliciter: *pure extensive*, dum ob solam paritatem rationis lex ab uno casu extenditur ad alterum, v. g. Proconsul ubique extra urbem proconsularia insignia habet per *l.* 1. *ff. de Offic. Procon.* ergo; & Legatus a latere, qui æquiparatur Proconsuli in dignitate, & jurisdictione: & *comprehensive*, dum ob identitatem rationis lex ab uno casu porrigitur ad alterum, lege quidem non expressum, in mente tamen Legislatoris comprehensum, v. g. lex prohibens arma, vel frumentum ad hostem vehere, tacite, & comprehensive prohibet delationem ferri, aut farinæ *Restrictiva* est, quæ propter speciales circumstantias restringit legem, seu benignius ipsam interpretatur, quod non obliget in his circumstantiis. Aliter vocatur *Epiikia*, idest benigna interpretatio legis secundum æquum, & bonum, seu emendatio legis, qua parte deficit propter universalitatem.

37. Q. I. *An præter Legislatorem, etiam inferior authenticam legum interpretationem facere possit*? ℞. regulariter loquendo non posse: nam interpretatio authentica, cum faciat jus commune, necessario procedere debet a potestate legislativa. *l.* 9. 11. 12. *C. de LL.* At ex speciali commissione etiam inferior authentice interpretari potest legem Superioris: & quidem 1. *Papa*, sicut olim Summus Sacerdos in Vet. Test. authentice interpretari potest legem naturalem, & divinam positivam; cujusmodi interpretationes multæ sunt in jure Can. v. g. marito, vel patri non licere occidere adulteram filiam, vel uxorem &c. Sic etiam in damnatis propositionibus Pontifices Romani interpretes agunt circa ea, quæ pertinent ad jus naturale, & divinum: nam talis potestas necessaria fuit Ecclesiæ, eamque Christus dedit inclusam in generali potestate ligandi, & solvendi. Illa autem censenda est interpretatio authentica, quam Papa, ut doctor publicus, prævia matura consideratione, toti Ecclesiæ proponit tenendam, secus est tantum interpretatio doctrinalis, & probabilis, quam Papa, ut doctor privatus facit. 2. Sac. Congregationes, ex speciali S. Sedis commissione possunt jura Pontificia, servatis servandis, authentice interpretari, præsertim Congr. Conc. Trident. ut in Prolegom. dictum. 3. Prudentes olim authentice interpretabantur jus civile §. *responsa. In. de J. N. G. & C.* quæ potestas hodie JCtis sublata est *l.* 12. *C. de LL.* Ceterum interpretatio *authentica*, uti & *usualis*, cum nitatur potestate legislativa, facit jus commune. *cit. l.* 12. & *l.* 35. 36. 37. *ff. de LL.*

38. Q. II. *An licita sit interpretatio doctrinalis in omni jure*? ℞. affirmative, modo fiat secundum regulas communiter a DD. receptas, *l. un. C. de Profess. qui in urbe*, *l.* 1. *ff. de R. C. l.* 17. 18. 19. *ff. de LL.* & *arg. c.* 2. *de priv. in* 6. nam ex una parte leges sæpe sunt obscuræ, & ex altera Legislator sæpe pro commoditate adiri non potest, imo nec semper vult interpretationes authenticas facere, ergo necessarium erat, ut talis facultas interpretandi viris doctis concederetur. *Excipe*, nisi Legislator expresse prohibeat alicujus legis interpretationem; quo casu, ut prohibitio aliquid operetur, non solum interpretatio frivola, sed etiam quæcumque alia ex professo suscepta censetur prohibita. Sic ex Bulla Pii IV. *Benedictus Deus*, ad calcem Trid. specialiter prohibetur interpretatio Tridentini ex professo suscepta, & typis edita absque consensu S. Sedis, Prælatis quidem sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ, aliis vero sub pœna excommunicationis latæ sententiæ. Hac tamen prohibitione, & pœna non tenentur qui in suis libris, & scriptis incidenter explicant aliquem textum ex Trid. allatum: porro interpretatio doctrinalis, cum non nitatur potestate legislativa, non facit jus, sed tantum probabilitatem, & ideo circa eumdem textum dantur sententiæ ex utraque parte probabiles.

Regulæ interpretationis declarativæ.

39. I. Ante omnia attendi debet mens, & intentio Legislatoris, quæ est anima, & forma legis, soletque colligi ex proœmio, & motivo legis. *cap. humanæ* 22. *q.* 5. & *cap.* 6. *de V. S. intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi: quia est sermoni res, sed rei est sermo subjectus.* & *l.* 6. §. 1. *ff. de V. S.* ibi *verbum ex legibus sic accipiendum est tam ex legum sententia, quam ex verbis.*

II. Attendenda est verborum proprietas, nisi sequatur

quatur absurdum, vel iniquitas. *c.* 2. *v. sed neque de Translat. l.* 69. *ff. de Legat.* 3. *l.* 7. §. 2. *ff. de Supel. legat.* nam fine causa non debet præsumi, quod Legislator metaphorice locutus fuerit. Si tamen vocabulum aliquod duplicem habet significationem, alteram naturalem, seu communem, & alteram civilem, seu juridicam, significatio juridica non attenditur, nisi in favorabilibus. Sic lex favorabilis de *filiis* intelligitur etiam de legitimatis, & adoptivis, non vero odiosa. Et monachus, si favorabile est monasterio, comprehenditur sub nomine *mortui*, non vero in odiosis.

III. Verba generalia sunt intelligenda, tam in favorabilibus, quam odiosis *l.* 1. §. *Quod a. ff. de aleator. l.* 5. *S.* 9. §. *fin. ff. de J. & F. J. l.* 1. §. *generaliter ff. de legat. præstand.* ex quibus legibus desumptum est illud brocardicon: *ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus.*

IV. In concursu legum contrariarum primo tentanda est conciliatio per subtilem interpretationem *l.* 26. 28. *ff. de LL. l.* 2. §. 16. *& l.* 3. §. 15. *ff. de V. J. E.* quia correctio jurium, utpote odiosa vitanda est. Si vero conciliatio non speretur, lex posterior derogat priori *cit. l.* 28. *& l. fin. ff. de constit. constitutiones tempore posteriores, potiores sunt his, quæ ipsas præcesserunt.* Papa tamen, vel alius summus princeps, qui jura omnia in scrinio sui pectoris habet, per posteriores leges non censetur derogare legibus particularibus, privilegiis, & consuetudinibus locorum, nisi id clare exprimat, *c.* 1. *h. t. in* 6. quia hæc particularia probabiliter ignorat. Ceteræ interpretationum regulæ desumuntur ex regulis utriusque juris, & *tit. de V. S.*

Regulæ interpretationis extensivæ.

I. Ob similitudinem rationis lex non est extendenda ad personam, vel casum non expressum: nam Legislator non intendit obligare, nisi ad id, quod exprimit, eique placet *l.* 1. *ff. de Const. Prin.* Unde illud: *ratio legis, non est decisio legis.* Sic *Clem.* 1. *de Elect.* Religiosus non potest eligi in Prælatum regularem alterius Ordinis, quia non convenit sociari homines disparis professionis, vel habitus, & tamen eligi potest in Episcopum, licet similis ratio contra militet. Judex tamen, deficiente alio jure, potest, imo regulariter debet a simili ad simile judicare *l.* 12. 13. *ff. de LL.*

II. Ob identitatem rationis recte fit interpretatio comprehensiva *arg. l.* 32. *ff. ad L. Aquil.* unde desumptum est illud brocardicon: *ubi eadem est ratio, ibi eadem est juris dispositio:* nam quod mente Legislatoris comprehensum est, censetur legi inesse, & Legislator merito imprudens judicaretur, si quod statuit de expresso, nollet servari in tacito, v. g. lex ecclesiastica prohibet Prælatis res Ecclesiæ alienare, ergo etiam prohibet, ne laicus eorum nomine res tales alienet. Hæc interpretatio comprehensiva plerumque locum habet in correlativis, ut inter uxorem, & maritum, æquiparatis a jure connexis, & in iis omnibus, in quibus, nisi fiat extensio, sequitur absurdum. Hic tamen observa *similitudinem rationis*, *& identitatem rationis* sæpe quidem confundi, sed in rigore differre: nam *similitudo* fit in diversis rationibus, quarum altera est alteri similis, v. g. novitius non est eligibilis in Prælatum, quia plene non didicit disciplinam regularem, similis ratio currit in minorista, ne eligatur in Episcop. quia non supponitur bene callere disciplinam ecclesiasticam. *Identitas* fit in eadem ratione, quando pro casu in lege non expresso prorsus eadem ratio currit, quæ pro casu expresso. Sic *c.* 24. *de Sponsalib.* non valet matrimonium cum furioso, ergo nec cum furiosa, quia utrobique consensus non subsistit. Vir innocens non tenetur reddere debitum adulteræ *c.* 4. 5. *de divortiis*, ergo nec uxor innocens adultero, quia utrobique frangitur fides conjugalis.

III. In pœnalibus, & odiosis, quæ sunt contra jus commune, vel tertii, & similiter in dispensationibus, quæ sunt vulnus legis, stricta interpretatio adhibenda est, neque ob paritatem, vel majoritatem rationis facienda extensio ad casum non expressum *l.* 19. 25. *ff. de LL. c.* 25. *de decim. c.* 9. *de priv.* quia per *reg.* 15. *in* 6. odia restringenda sunt. Sic per *Nov.* 115. *c.* 3. incestus cum noverca est causa sufficiens exhæredationis, quod tamen extendi non debet ad incestum cum matre. Ceterum licet dispensatio, utpote relaxatio juris, stricte sit interpretanda, tamen potestas dispensandi, cum sit juri conformis, & nulli præjudiciosa, nisi concedenti, latam habet interpretationem, sicut beneficium Principis *l.* 3. *ff. de Const. Princ. Beneficium Imperatoris, quam plenissime interpretari debemus.*

Regulæ interpretationis restrictivæ.

41. I. Epiikia, seu restrictio locum habet in jure divino positivo, & humano pro illis casibus, quibus observatio legis redditur nimis difficilis, S. D. 1. 2. *q.* 96. *a.* 6. Sic David ex epiikia judicavit licitum sibi esse comedere panes propositionis laicis vetitos, Machabæi pugnarunt die festo: & similiter in casu difficili interpretamur non obligare præceptum jejunandi, abstinendi ab opere servili, audiendi sacrum &c.

II. In lege naturali non datur proprie epiikia, sed simplex interpretatio, declarans casum aliquem non comprehendi sub lege naturali, nam lex naturalis semper est circa conformia, vel difformia rationi, ergo emendari non potest per epiikiam: sic non esse reddendum depositum hosti Reipublicæ, licite occidi posse innocentem, dum Deus id imperat &c. simplex ostendit interpretatio, quod scil. jus naturale ad hos casus se non extendat: si tamen talem interpretationem vis nominare epiikiam, lis erit de nomine.

III. Epiikia regulariter non habet locum in legibus irritantibus, ita com. nam rigor talium legum plurimum conducit ad bonum Reipubl. Et ideo tempore pestis, vel belli, vel alio casu, quo non potest haberi parochus cum testibus, valide non contrahetur matrimonium in locis, ubi Trid. viget. Cetera de legibus, uti & de ignorantia juris, & facti supplenda et unt ex jur. civ.

TITULUS III.

De Rescriptis.

De hac materia agitur *in* 6. & *Clement. h. t.* in Decreto *d.* 97. & 25. *q.* 1. 2. *per tot.* Trid. *seff.* 22. *c.* 5. 6. & *seff.* 25. *c.* 10. *de ref.* In Pandectis *l.* 1. §. 1. *ff. de Const. Princ.* Codice *lib.* 1. *tit.* 19. *usque ad* 23.

1. Nota 1. Rescriptum quoad nomen esse *responsum scriptum:* at quoad rem *rescriptum* proprie, & stricte acceptum, est responsum Principis in scripto datum ad alicujus supplicationem, vel relationem, vel consultationem circa jus intelligendum, *l.* 1. §. 1. *ff. de Const. Prin. l.* 2. & *fin. C. de LL.* aliter vocatur *epistola, cit. l.* 1. & in jure Canon. *epistola decretalis*, & differt ab *oraculo*, quia hoc viva voce, ab *edicto*, quia hoc motu proprio; rescriptum vero ad præviam supplicationem datur. In præsenti *rescriptum* accipitur latius, prout est quodcumque Principis responsum in scripto datum, sive jus, & justitiam, sive beneficium, & gratiam concernat.

2. Nota 2. Rescriptum hoc ultimo modo acceptum dividi 1. in *generale*, & *speciale*. *Generale* est, quod datur pro omnibus subditis, & conf. instar constitutionis facit jus commune, *l. fin.* §. 1. *C. de LL. Speciale* est, quod datur uni, vel alteri, & hoc regulariter facit jus solum inter partes *l.* 2. *eod.* nisi Princeps rescripta specialia expresse velit observari instar juris communis, uti plurima sunt in jure Canon. & codice Justiniani. 2. In rescriptum *juxta*, *contra*, & *præter jus*. *Juxta jus* est, quod Princeps conformiter juri communi concedit. *Contra jus* est, quo Princeps aliquid contra communem juris dispositionem facit, ut dispensando, privilegia largiendo &c. *Præter jus* est, quo Princeps concedit ea, quæ jure non sunt decisa. 3. Præcipua divisio est in *rescriptum gratiæ*, quo præter, aut contra jus commune supplicanti gratia conceditur; & *rescriptum justitiæ*, seu *ad lites*, quod datur ad judicia, & justitiam administrandam, v. g. delegando judicem, præscribendo specialem modum procedendi &c. His aliqui addunt mixtum ex utroque. Ceteræ rescriptorum species ex vocibus innotescunt, uti sunt *Ecclesiastica*, *Papalia*, *politica*, *imperialia*, *exequutoria*, *moratoria*, seu *dilatoria* debiti solvendi &c. De rescriptis circa dispensationes matrimoniales *lib.* 4. agitur, & ideo succincte materiam istam pertractaturi agemus 1. *de causis*, 2. *de vitiis*, 3. *de præsentatione*, *exequutione*, *& expiratione rescriptorum.*

§. I

De causis rescriptorum.

3. Q. I. *Quis, cui, & super qua re concedere possit rescriptum?* ℞. *ad* 1. Princeps Ecclesiasticus, vel laicus, toto *h.t.* & *tit. C. de precibus Imp. off.* & *tit. C. de diversf. rescr.* Ceteri inferiores quique secundum limites suæ potestatis aliqua rescripta dare possunt. ℞. *ad* 2. Rescriptum dari potest cuicumque subdito, sive actori, sive reo, mari, vel fœminæ, in quacumque causa, & contra quemcumque subditum, modo aliquid ex his specialiter non prohibeatur: nam hæc omnia sunt de genere permissorum, ergo concessa videntur, si non reperiantur specialiter prohibita. ℞. 3. Impetrare rescriptum prohibentur: 1. *Servi* exceptis causis atrocibus, *l.* 1. *C. de precib.* 2. *Falsus*, aut revocatus procurator *c.* 33. *h.t.* 3. *Hæreticus l.* 2. *C. de Sum. Trin.* 4. *Excommunicatus* saltem Papale rescriptum obtinere nequit, nisi in causa suæ excommunicationis *c.* 1. *h.t. in* 6. 5. Propter periculum fraudum alius pro alio rescriptum justitiæ valide non impetrat *c.* 28. 33. *h.t. l.* 24. *C. de procurat.* bene vero rescriptum gratiæ *l.* 6. *de precib.* & *c.* 24. *de Præb.* quia gratia etiam absenti, & ignoranti conferri potest, modo collationem acceptet, vel ab alio acceptatam ratam habeat.

4. Q. II. *In quo consistat forma rescripti?* ℞. in legitima ejus expeditione, seu solemnitatibus de jure, & stylo Curiæ Romanæ requisitis. Cujusmodi sunt: 1. ut præmisso nomine Principis rescribentis, ponatur *narratio*, seu *corpus signaturæ* tanquam prima pars, in qua exprimitur relatio eorum, quæ, & ex qua causa a supplicante petuntur. 2. ut subdatur *dispositiva*, seu *conclusio* tanquam altera pars, in qua Princeps mentem suam aperit quid, qualiter, & sub quibus conditionibus concedat, adjecto anno Incarnationis Christi, Pontificatus, vel Imperii, & indictionis (olim consulatus) mense, die, loco, *l* 4. *C. de diversf. rescr. c.* 7. *h. t.* 3. In ipso contextu Papa Episcopos vocat *fratres*, alios vero fideles *filios*; & uni rescribens non utitur numero plurali: *vos*, *vestra*, sed singulari. *c.* 6. *de crim. falsf.* Tum rescriptum Papale in plena scriptura confectum, si gratiæ est, bullatur filo serico rubro, & croceo; si justitiæ, filo cannabino, de quo plumbum pendet. Solemnitas pro rescriptis imperialibus præscripta in *l.* 6. *C. de diversf. rescr.* jam exolevit. Plura de his vide apud Card. de Luca, Navar. Corrad. ex quibus illud notandum, quod annutus Papæ, qui fit in signatura per verbum *fiat*, vel *conceditur* quoad rescripta gratiæ, vel per *placet* quoad rescripta justitiæ, non significet gratiam complete, sed inchoate factam, donec rescriptum in plenam scripturam redigatur: imo hodie rescripta gratiarum plerumque non continent gratiam factam, sed faciendam, seu mandatum, ut executor, causa cognita gratiam faciat.

§. II.

De vitiosis, & invalidis rescriptis.

5. Nota vitia rescriptorum alia esse *extrinseca*, alia *intrinseca*. *Extrinsecum* est defectus formæ, seu solemnitatis substantialis in rescripto non servatæ. *Intrinsecum* est defectus commissus in ipsa petitione, vel causa, vel in modo dispositivæ, atque ita ipsam concessionem inficit. Talia vitia sunt præcipua duo: *Obreptio*, seu expressio falsi, & *Subreptio*, seu reticentia veri, quod utrumque fieri potest, vel *dolo*, dum scienter allegatur falsum, aut reticetur verum, vel per ignorantiam, aut simplicitatem *c.* 20. *h. t.* Cum vero obreptio, & subreptio in effectu non differant, frequenter in jure, & usu promiscue sumuntur, & ideo quod hic de uno dicetur, etiam de altero erit intelligendum.

6. Q. I. *Quando rescripta sint invalida ab extrinseco?* ℞. 1. Si aliquid omissum est ex forma substantiali, v.g. nomen Pontificis, *data* &c. nam de stylo Curiæ simile rescriptum habetur pro nullo. 2. Si rasura, vel cancellatio sit, præsertim in loco substantiali, vel vitium, aut fractura in sigillo. *l.* 6. *de fide instr.* 3. Si reperiatur error crassus contra grammaticam, *c.* 11. *h.t.* Ortographia tamen propria est Curiæ per certas contractiones, & diphthongi per unam litteram scribuntur.

7. Q. II. *Quando rescripta sint invalida ab intrinseco?* ℞. 1. Generaliter, si quid necessarium non est expressum, vel si quid falsum allegatum. Unde 1. invalidum est rescriptum datum contra jus commune, vel statutarium, vel consuetudinarium, vel contra jus, & privilegium tertii, nisi horum mentio fiat. *c.* 19. *h. t.* & *c.* 1. *de Const. in* 6. 2. Rescriptum *secundum*, in quo non fit mentio prioris, nisi alterum esset speciale, & prius generale. *c.* 1. 3. *h.t.* quia generi per speciem derogatur. 3. Rescriptum prohibens cognitionem causæ, & veritatis precum. *c.* 2. *h. t.* quia in omni rescripto saltem Papali tacite intelligitur in illa clausula: *si ita est, si preces veritate nituntur.* ibid.

8. ℞. II. Specialiter rescriptum justitiæ est invalidum: 1. in quo dantur incerti judices ad arbitrium oratoris eligendi *c.* 10. *h. t.* 2. vi cujus vocari deberet reus extra suam diœcesim ultra duas dietas, hoc est iter bidui *c.* 28. *h. t.* imo jure recentiori ultra unam dietam. *c.* 11. §. *cum vero h. t. in* 6. nisi id specialiter exprimatur. 3. in quo non fit mentio litis pendentis, sententiæ, appellationis, transactionis, vel alterius compositionis in eadem causa. *c.* 12. *h.t. c.* 3. *de confir. util.* Si in rescripto ponatur - *& quidam alii*, vel *res aliæ* - vi hujus clausulæ non veniunt personæ digniores, nec plures quam duæ, vel tres, nec causæ graviores expressis, sed similes, vel his minores *c.* 15. *h.t.*

In Decreto Innocentii XII. Ut occurratur 4. *Junii* 1692. *relato in ejus Bullario, statuitur, ut si quis*.... Preces, sive supplices libellos in materia gratiæ, & justitiæ alicui ex sacris Congregationibus urbis quomodolibet obtulerit, seu præsentaverit, itaut ab eadem Sacr. Congregat. vel in totum, vel in parte fuerint rejectæ, aut alias ipsa Sacr. Congregat. mediante præfata præsentatione precum præventa, manus quomodocumque desuper apposuerit, nequeat ullo modo idem negotium, causam, vel petitionem ad alteram ex Sacris Congregationibus, etiam mediante rescripto Sanctitatis suæ (quod in hoc casu importune, & subreptitie Sanctitas sua censeri voluit extortum) sub quovis prætextu, causa, vel quæsito colore, etiam simplicitatis, & ignorantiæ, deferre, vel alias primam Congregationem sponte a principio aditam declinare: alias rescripta, decreta quæcumque, indulta, gratiæ, litteræ, resolutiones, vel provisiones a secunda, sive altera Congregatione impetrata, vel impetranda, nec non litteræ Apostolicæ, quas illorum, vel illarum vigore desuper expediri contingeret, haberi debeant omnino pro subreptitie extortis, nulliusque penitus sint roboris, vel momenti, nec ullatenus in judicio, vel extra suffragari possint, & valeant, perinde ac si numquam emanassent: —

9. ℞. III. Specialiter rescriptum beneficiale est invalidum: 1. si prioris beneficii, etiam modici mentionem non faciat *c.* 17. 42. *h. t. c.* 23. *de Præb. in* 6. 2. si qualitatem beneficii non exprimat, an sit curatum, an electivum, patronatum, an dignitas? *c.* 8. *h. t. c.* 4. 5. 16. *de Præb. in* 6. item si non exprimatur defectus ætatis: nam certius est beneficium curatum non posse obtineri ab eo, qui tempore *datæ* ætatem legitimam non habuit, licet eam attigerit tempore præsentatæ. *c.* 9. *h. t. in* 6. juxta quod explicari debet *c.* 29. *de Præb. in* 6. Item si non exprimatur modus vacationis, an per mortem, vel resignationem vacet beneficium, an quis in illo titulum coloratum, possessionem, vel detentionem habeat? & plura similia expressa *h.t. in* 6. & *tit. de Præb. eod.*

10. Q. III. *An rescriptum ob, vel subreptitium dolose impetratum sit ipso jure nullum?* ℞. 1. affirmative quoad rescriptum gratiæ, nam *c.* 31. *h.t.* litteræ beneficiales dolo impetratæ dicuntur non valere, & *c.* 8. *eod.* vires non obtinere. ℞. 2. affirmative etiam quoad rescriptum justitiæ, Gonzal. cum com. contra Gloss. in *c.* 31. *h. t.* Menoch. Zoes, & paucos docentes rescripta justitiæ dolo obtenta non esse ipso jure nulla, sed annullanda ope exceptionis. Prob. ex *c.* 15. *h. t.* ibi: *mendax precator penitus careat impetratis, quia fraus, & dolus ei patrocinari non debent.* Idem statuitur *c.* 16. & clare in *c.* 20. *eod.* ibi: *in sua perversitatis pœnam nullum ex illis litteris commodum consequatur, ita videlicet, quod delegatus nullatenus de causa cognoscat,* sed si litteræ justitiæ ipso jure valerent, non opposita exceptione *ob*, vel subreptionis, delega-

tus

tus posset in causa procedere, saltem altera parte consentiente, ergo. Quod verum est, sive Papa, cognita veritate, fuisset, sive non fuisset concessurus litteras *cit. c.* 20. quia nullitas litterarum est in pœnam perverse petentium. Et contra hæc jura clara non procedunt paritates ex *c.* 9. & 23. *h. t. l.* 36. *ff. de V. O. l.* 5. *C. de inut. stip.*

Dices: Delegatus non habet jurisdictionem nisi ex rescripto, sed delegatus vi talis rescripti potest exercere jurisdictionem cognoscendo *c.* 20. *h. t.* ibi: *de precum qualitate cognoscat.* ergo. ℞. Dist. maj. non habet in causa, & negotio principali, con. maj. in causa prævia doli, & veritatis precum, n. m. nam ex rescripto valido delegatus accipit jurisdictionem ad cognoscendam causam principalem in litteris expressam, & hanc in nostro casu cognoscere non potest per *cit. c.* 20. *h. t.* & *l.* 5. & *fin. C. si contra jus*. At ad cognoscendam causam doli, & veritatis precum generaliter a jure communi datur jurisdictio cuicumque delegato per *cit. c.* 20. & *c.* 2. *h. t. l.* 4. *C. si contra jus*, quo sensu commodissime explicantur *l.* 1. 2. 4. *C. eod.* ut scil. judex cognoscat de omni negotio circa dolum, & preces, non vero circa causam principalem. *cit. l.* 5. *eod.* Cetera jura procedunt in casu, quo subreptio accidit ex simplicitate, aut ignorantia, ut *c.* 6. *de consang. c.* 9. & 23. *h. t.*

11. Q. IV. *An rescripta ob, vel subreptitia per simplicitatem, vel ignorantiam impetrata valeant*? ℞. non valere, si Papa, cognita veritate, non fuisset concessurus litteras, *c.* 2. 19. & 20. *h. t.* nam concessio non pendet ab errore, aut simplicitate petentis, sed a concedentis intentione, quæ in hoc casu deficit. ℞. II. Si cognita veritate, Papa concessisset litteras, valet rescriptum justitiæ saltem in forma communi, *c.* 20. *h. tit.* ibi: *inter alios* &c. nam tali casu, cum adsit consensus saltem legalis Papæ, rescriptum non vitiatur in puncto substantiali, scil. in jurisdictione data delegato, sed solum in puncto accessorio quoad specialem modum procedendi, v. g. de plano, remota appellatione &c. ergo valet rescriptum, & vi hujus delegatus, omissa forma speciali, procedet secundum formam communem, & ordinem juris. ℞. III. Si cognita veritate, Papa concessisset litteras, attento jure communi, probabile est valere rescriptum gratiæ, excepta gratia beneficiali per *c.* 23. *de Præb. in* 6. nam *c.* 20. *h. t.* a principio generaliter loquitur; neque restringitur per exemplum allatum de materia justitiæ; tum quia simplicitati, & ignorantiæ indulgendum est *canon.* 3. *de Consecr. d.* 2. *c.* 2. *in fin. de Translat.* Quia vero modernus stylus Curiæ dicitur stare in oppositum, ita ut etiam error in nomine vitiet gratiæ concessionem, opposita sententia tanquam tutior in praxi tenenda est, Corrad. Vinc. de Just. & alii, maxime in dispensationibus matrimonialibus.

12. Q. V. *Quid sit causa finalis, & impulsiva, & quæ sufficiat ad impetrandas litteras*? ℞. I. Causa *finalis*, seu *motiva* est illa, qua Princeps inductus ordinarie solet concedere gratiam. *Impulsiva* est, quæ de se ordinarie non sufficit, adjuvat tamen causam motivam ad impetrationem gratiæ. Sic paupertas est causa sufficiens, doctrina vero, aut nobilitas plerumque est causa impulsiva ad conferendum beneficium Clerico. Porro tunc Papa dicitur concessurus fuisse gratiam, dum talis est gratia, quæ de jure, aut stylo Curiæ facile concedi solet etiam ob causam leviorem; si vero sine gravi causa concedi non soleat, deficiente causæ veritate, præsumitur in contrarium, quod Papa non fuisset concessurus gratiam, v. gr. dispensavit in 2. gradu consanguinitatis ex causa conceptæ prolis, hac causa deficiente, invalida est dispensatio, etsi aliæ minores causæ allatæ fuerint. ℞. 2. si allegatæ sunt duæ causæ finales, una vera, altera falsa, quarum alterutra de jure, aut stylo Curiæ sufficeret ad impetrationem gratiæ, validum est rescriptum. Ita colligitur *c.* 6. *de consang.* ubi causa scandali subsistente, valet dispensatio in gradu consanguinitatis, licet altera causa susceptæ prolis, quæ jam mortua fuit, falsa fuerit. Idem dic, si sola causa impulsiva fuit falsa, & finalis vera *c.* 14. *de conver. conj.* nam copulativa duarum finalium resolvitur in disjunctivam *arg. l.* 53. *ff. de V. S.* in qua sufficit alterum verificari *reg.* 70. *in* 6. copulativa vero causæ finalis, & impulsivæ stat pro principaliori, cum impulsiva non moveat ad concedendum rescriptum. Ex hoc solvitur *c.* 2. 4. 25. *h. t. c.* 23. *de Præb. in* 6. *c.* 27. 31. 37. 42. *hoc tit.* in his enim dicuntur rescripta non valere, quia omissa sunt ea, quæ necessario erant exprimenda.

§. III.

De rescriptorum præsentatione, exequutione, & expiratione.

13. Q. I. *An rescripta præsentanda sint exequutoribus, & quibus*? ℞. *ad* 1. affirmative ex toto *h. tit.* nam exequutores cognoscere debent, an preces veritate nitantur, & rescriptum suis qualitatibus sit legitime instructum. ℞. *ad* 2. Exequutores rescriptorum papalium, quæ ad sui exequutionem jurisdictione externa indigent, sunt personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, ut Episcopi, eorum officiales, seu Vicarii Generales, Archidiaconi, si secundum jus habeant jurisdictionem in foro externo, Prælati regulares etiam locales, cum externa jurisdictione polleant; item personatus, & Canonici Ecclesiæ cathedralis, & ex privilegio Proto-Notarii Apostolici honorarii, *c.* 11. *h. t. in* 6. nam Sedes Apostolica, ob suam eminentiam requirit judices idoneos, quam idoneitatem capit ex dignitate personarum, vel speciali qualitate, uti est personatus, & Canonicatus Ecclesiæ cathedralis. E contra Canonici Ecclesiæ collegiatæ, decani rurales, seu foranei, & parochi non possunt esse delegati Apostolici, quia in foro externo nullam jurisdictionem habent, nisi hoc eis Papa *ex certa scientia* committat. ℞. 3. Exequutio rescriptorum Papalium, quæ ad causæ cognitionem, & sui expeditionem non indigeat jurisdictione externa, regulariter committitur doctoribus Sac. Theologiæ, aut SS. Canonum; item confessariis regularibus privilegiatis. Ita ex stylo Curiæ. In ipsa autem exequutione rescriptum examinari debet ab Ordinariis, seu commissariis datis, an preces veritate nitantur? an causa subsistat? & servari ea omnia, quæ in parte dispositiva scribuntur.

14. Q. II. *Quale tempus attendatur in ordine ad valorem rescripti*? ℞. tempus *data*, seu dici, mensis, & anni appositi *c.* 19. *h. t. c.* 7. *eod. in* 6. *Clem. fin. h. t.* nam valor rescripti sive justitiæ, sive gratiæ circa causas in eo comprehensas colligi debet ex eo tempore, quo rescriptum datum est. Unde non prodest habilitas superveniens, vel causa emergens primo post datum rescriptum. ℞. 2. in ordine ad effectum, in rescriptis justitiæ attenditur tempus *præsentatæ c.* 12. *de appell. c.* 4. *de restit. spoliat.* nam jurisdictio non cessat, nisi visis litteris delegati, & jurisdictio delegati non expirat, nisi præsententur ei litteræ revocatoriæ. At in rescriptis gratiæ, etiam quoad effectum attenditur tempus *datæ*, non *præsentatæ c.* 7. 30. 38. *h. t. c.* 9. *eod. in* 6. quia gratia facta attendi debet ex parte conferentis, non exequentis. Unde, ceteris paribus, in gratia præferendus est, qui priorem *datam* habet, licet posterius litteras præsentaverit. ℞. 3. in concursu plurium rescriptorum speciale præfertur generali, licet ejus mentionem non faciat *c.* 1. *h. t.* si utrumque speciale, vel utrumque generale est, præfertur posterius, si prioris mentionem faciat *c.* 3. *h. t.* quia posteriora derogant prioribus; si vero prioris mentionem non faciat, regulariter præfertur prius in *data* ibid. ℞. 4. De novo stylo Curiæ Rom. in rescriptis dispensatoriis quibus non datur gratia *facta*, sed *facienda* per exequutorem, veritas causæ attendi debet, non tempore mandati Romæ expediti, sed tempore exequutionis, ut tunc causa sit vera, dum exequutor actu dispensat. Corr. Reiff. lib. 4. in Append.

15. Q. III. *Quamdiu rescripta durent*? ℞. 1. Rescripta tam gratiæ, quam justitiæ de se sunt perpetua *c.* 9. *de off. deleg. l.* 2. *C. de divers. rescr.* Unde si in eis non est præfixum tempus præsentandi, possunt præsentari quocumque tempore, quo gratia obtineri potest, vel jus agendi, aut excipiendi durat. Excipe casum, quo orator per annum non est usus rescripto justitiæ, & interim in eadem causa impetratum est aliud rescriptum, tunc enim in pœnam negligentiæ privatur commodo illius, etsi in posteriori rescripto non fiat mentio prioris *c.* 23. *h. t.* ℞. 2. Rescripta justitiæ expirant cum concedente, si is re adhuc integra moriatur *c.* 20. *de off. deleg.* at rescripta gratiæ factæ manent perpetua, quia juxta

juxta *reg. 16. in 6. decet conceſſum a Principe beneficium eſſe manſurum*. Si tamen eſſet gratia *facienda*, re integra expiraret cum concedente *c. 36. de præb. in 6.* ubi ponitur caſus gratiæ factæ, & faciendæ. ℞. 3. Clauſula: *uſque ad beneplacitum noſtrum*, vel *quamdiu voluero*, indicat gratiam temporaneam, quæ cum concedente extinguitur, quia poſt mortem nulla eſt ejus voluntas; e contra clauſula: *uſque ad beneplacitum Sedis Apoſtolicæ, donec revocavero, aliter providero* indicat gratiam perpetuam, quia Sedes Apoſt. non moritur, & revocatio poſitiva, vel alia proviſio non ſequitur, ut ſupponitur. Clauſula: *motu proprio*, licet non ſanet vitium obreptionis, purgat tamen regulariter vitium ſubreptionis, niſi reticentia veri ſit contra jus tertii, vel ſupprimat inhabilitatem, aut qualitatem intrinſecam beneficio, ut quod ſit curatum &c. Alias clauſula vide in Barb.

Regulæ pro interpretatione reſcriptorum proportionaliter ſunt eædem, quæ pro interpretatione legum: & quidem reſcripta ad lites, odioſa, & beneficialia, utpote ambitioſa, ſtricte interpretanda ſunt, ut minime contrarientur juri communi, & juri quæſito tertii *cap. 18. hoc tit.* mere autem favorabilia latam habent interpretationem.

TITULUS IV.

De Conſuetudine.

De hac materia agitur in Sexto, & Extrav. com. *h. t.* In Decreto *Can. 2. 4. 5. d. 1. & Can. 3. 5. in fin. d. 4. & d. 8. 11. 12. per tot.* In Trid. *S. 21. c. 2. S. 22. c. 3. S. 23. c. 1. S. 24. c. 12. de refor.* In Pandectis *lib. 1. tit. 3. l. 32. & ſeqq.* in Codice *lib. 8. tit. 53.*

2. Nota 1. Conſuetudinem dupliciter ſpectari: 1. *inchoative*, ſeu *cauſaliter* pro actibus frequentibus, & ſic dicitur *conſuetudo facti*, ſeu *in fieri* 2. *complete*, ſeu *formaliter* pro jure ex actibus frequentatis introducto; & ſic dicitur *conſuetudo juris*, ſeu in *facto eſſe*: quo ſenſu definitur, quod ſit *jus diuturnis moribus, & tacito populi conſenſu introductum l. 32. ff. de LL. Can. 5. d. 1.* Hæc definitio ex JCto deſumpta potiſſimum ſervit pro ſtatu democratico populi Romani, alioquin in ſtatu ariſtocratico, vel monarchico ad conſuetudinem requiritur tacitus conſenſus optimatum, vel Principis, quia conſuetudo tamquam jus dari nequit ſine placito ejus, in quo reſidet ſumma poteſtas.

2. *Nota* 2. Conſuetudinem differre *a lege*, quia hæc expreſſa voluntate Legiſlatoris fertur, conſuetudo tacita; a *ſtylo Curiæ*, ut includens ab incluſo, quia ſtylus Curiæ eſt particularis conſuetudo: a *præſcriptione*, quia hæc fit a privatis bona fide, & jus ſolum privatum, non legale parit; conſuetudo autem fit a tota communitate quandoque mala fide, & jus legale introducit: a *traditione*, quia hæc non oritur a populo inductive, ſed vel a Chriſto, vel Apoſtolis, vel Patribus de ore ad os poſteris communicatur.

3. *Nota* 3. conſuetudinem, præter diviſiones etiam legi communes, ſpecialiter dividi in *generaliſſimam* pro integris gentibus, uti eſt jus gentium, *generalem* pro toto regno, *ſpecialem* pro tota civitate, vel pago, & *ſpecialiſſimam* pro una minima communitate, ut pro uno collegio, aut Eccleſia. 2. in eam, quæ eſt *ſecundum, præter, & contra legem*. Conſuetudo *ſecundum legem*, eſt, quæ legem antea conditam diuturno uſu firmat, & interpretatur *Can. 3. §. leges d. 4. l. 37. ff. de LL.* ibi, optima eſt legum interpres conſuetudo. *Præter legem*, quæ jus novum ante non exiſtens, nec priori contrarium introducit *Can. 5. d. 1.* ibi*: pro lege ſuſcipitur, cum deficit lex. Contra legem* eſt, quæ inducit jus contrarium legi præexiſtenti, vel eam ex integro abrogando, vel ex parte ei derogando *l. 32. ff. de LL.* Agetur hic de cauſis, effectu, probatione, & abrogatione conſuetudinis.

4. Q. I. *Quæ ſint requiſita legitimæ conſuetudinis*? ℞. 1. ut ſit honeſta, juſta, rationabilis, & utilis communitati, nam per *Can. 6. d. 12.* conſuetudo legem imitatur, ergo requiſita legis habere debet. 2. ut ſit inducta moribus, ſeu actibus a tota communitate frequentatis *Can. 4. & 5. d. 1.* nam actus iſti ſunt cauſa ſecundaria efficiens juris conſuetudinarii. 3. ut duret legitimo tempore, ſeu decennio *Can. 7. d. 12. ex l. 1. C. quæ ſit long. conſuet.* ubi revocandum dicitur *quidquid contra longam conſuetudinem fiet*, ſed decem anni faciunt tempus longum *§. 1. In. de uſucap. l. 11. C. de præſcr. long. temp.* Si tamen conſuetudo, non via præſcriptionis ignorante Principe, ſed via conniventiæ, ſciente, & non contradicente Principe, introducitur, nullum determinatum tempus requiritur. 4. ut accedat auctoritas, ſeu conſenſus Legiſlatoris, tamquam cauſæ principalis dans vim, & robur legale conſuetudini *arg. l. 32. de LL.* cum jus legale dari nequeat abſque auctoritate legiſlativa. Ceterum ad conſuetudinem non requiritur conſenſus *perſonalis* expreſſe a Legiſlatore datus, ut communis tenet contra Pontium, ſed ſufficit *legalis*, ſeu *juridicus* generaliter a jure datus: nam utrumque jus univerſaliter approbat omnem conſuetudinem rationabilem, & legitime præſcriptam, ſeu legitimo tempore durantem *can. fin. hoc tit. l. 32. & 35. ff. de LL. l. fin. Cod. quæ ſit longa con.* & ob eamdem cauſam non requiritur *judicium contradictorium*, in quo conſuetudo approbetur, niſi in caſu dubii, quando in judicio dubitatur, an conſuetudo exiſtat, vel ſit rationabilis: quo ſenſu explicatur *leg. 34. ff. de LL. Can. 8. in fin. d. 8. & c. 25. de V. S.* ibi: *quaſi in judicio contradicto*.

5. Q. II. *Quales actus eſſe debeant, ex quibus conſuetudo inducitur*? ℞. 1. debent eſſe liberi, publici, & notorii, & uniformiter a tota communitate per legitimum tempus exerciti. 2. debent fieri ſcienter, ſeu cum animo introducendi obligationem, vel abrogandi obligationem prioris legis, nam hæc omnia requiruntur ad jus legale ex moribus ortum, *arg. l. 32. ff. de LL.* Quot autem numero actus requirantur, cum id jure definitum non ſit, relinquitur arbitrio prudentum, & judicum, ſpectata natura, & qualitate conſuetudinis. Ex his patet non induci conſuetudinem obligatoriam, ſi populus ex ignorantia per 10. annos jejunavit in vigilia Aſcenſionis Domini, qui errantis nullus eſt conſenſus: nec illas conſuetudines pias, quæ ſine animo ſe obligandi inductæ ſunt, eſſe inſtar juris obligatorias, uti ſunt oratio ad pulſum campanæ, auditio miſſæ die non feſtivo, &c.

6. Q. III. *Quæ ſit vis & effectus conſuetudinis*? ℞. 1. Vis conſuetudinis *ſecundum legem* eſt, authentice legem interpretari & conſ. inſtar legis obligare. *l. 37. 38. ff. de LL.* Imo conſuetudo Eccleſiæ interpretatur nobis ipſum jus divinum, v. g. circa uſum, materias, & formas Sacramentorum &c.

7. ℞. 2. Vis conſuetudinis *præter legem* eſt inducere obligationem inſtar juris legalis, modo ſit in materia gravi, & communiter a doctis, & timoratis inſtar legis obſervetur. Ita *Can. 5. d. 1.* & *l. 32. 33. ff. de LL.* nam conſuetudo eſt ſpecies juris, ſeu jus non ſcriptum, ergo eſt obligatoria ſecundum qualitatem materiæ, non ſecus, ac ipſa lex. Hinc conſuetudo iſta poteſt eſſe *præceptiva*, v. g. ad dandum Parocho ſtipendium in funeralibus &c. vel *prohibitoria*, v. gr. non conſecrandi in fermentato apud latinos; vel *irritatoria*, & inductiva impedimentorum, etiam dirimentium. *c. 1. de cognat. ſpirit.* imo ea omnia, quæ lex operatur, etiam conſuetudine præter legem induci poſſunt.

8. ℞. 3. Vis conſuetudinis *contra legem*, eſt abrogare legem tam civilem, quam Canon. Ita JCtus *l. 32. ff. de LL.* ibi*: quare rectiſſime etiam illud receptum eſt, ut leges non ſolum ſuffragio Legiſlatoris, ſed etiam tacito conſenſu omnium per deſuetudinem abrogentur.* & Greg. IX. id ipſum generaliter dicit *c. fin. h. t.* ibi*: licet longæva conſuetudinis non ſit vilis auctoritas; non eſt uſque adeo valitura, ut vel juri poſitivo debeat præjudicium generare, niſi fuerit rationabilis, & legitime præſcripta*, ſeu legitimo tempore decennii durans. In quo cap. nulla lex humana, ſive præceptiva, ſive prohibitiva, ſive irritatoria excipitur, ſed ſola lex naturalis, & divina, contra quam populus, utpote inferior prævalere non poteſt, quia ex *Can. 6. d. 12.* conſuetudo per omnia æquiparatur legi, ſed lex poſterior abrogare poteſt priorem; ergo & conſuetudo, ſeu magis proprie *deſuetudo*; præſertim ſi abroget legem, cujus obſervantia numquam inducta fuit. Exempla habes *Can. 3. in fin.* & *Can. 6. in fin. d. 4.* & *Can. 8.* & 11. *d. 12.* Porro in tali caſu primi actus non poſſunt exerceri bona fide, ſed potius mala, ſeu ſcienter, & animo tollendi legem; atque ita conſuetudo facti eſt mala,

la, & transgressores subjaceant punitioni. At ipsa desuetudo, seu consuetudo juris in se completa, modo alias debita requisita habeat, non est mala, & vitiosa, neque irrationabilis: tum quia consuetudo vim suam legalem non habet ex actibus illis frequentatis, sed ex legali consensu Legislatoris, ac si iste legem abrogasset; tum quia prior lex in his circumstantiis, cum tota communitas diuturno tempore contra legem operatur, desinit esse utilis tali communitati, & desuetudo incipit esse utilis, & rationabilis saltem negative, quia non est contra rationem; quod sufficit ad rationabilitatem juris. Ex his solvuntur argumenta contraria a ratione petita.

Obj. *Canon.* 3. & *seqq. d.* 8. *Canon.* 1. & *seqq. d.* 11. *Canon.* 3. 12. *d.* 12. *arg. c.* 4. *d.* 10. & *c.* 3. 5. *h. t. l.* 2. *C. quæ sit longa consf. l.* 3 §. 5. *ff. de Sepulc. viol.* ubi agitur de lege, & consuetudine municipali & *l.* 13. *C. de sent. & interloc.* ibi: *cum non exemplis*, seu consuetudine, sed legibus judicandum sit: in his prohibetur, & reprobatur consuetudo contra legem. 2. Sæpe in lege aliqua solet apponi clausula prohibens contrariam consuetudinem in futurum, ergo saltem talis lex, utpote resistens, abrogari nequit per consuetudinem.

℟. *ad* 1. Jura ista reprobant consuetudines debitis requisitis destitutas, ut quia sunt irrationabiles, nutritivæ peccati, legitimo tempore non præscriptæ, de quibus infra. *Ad* 2. Licet lex ista, stantibus circumstantiis, ob quas consuetudo adversa legi prohibetur, non possit abrogari per consuetudinem, poterit tamen in eo casu, quo mutatis circumstantiis, materia cohonestari potest in contrarium, cum eo casu etiam Legislator rationabiliter legem abrogare posset.

9. Q. IV. *Quæ sit vis, & effectus consuetudinis immemorialis, seu cujus initii memoria non extat inter homines?* ℟. 1. per eam acquiri possunt ea omnia, quæ privilegio, & indulto principis concedi solent: nam talis consuetudo æquiparatur privilegio principis, & habetur loco tituli legitime constituti, & probati. Ita Innoc. & alii com. Excipe consuetudinem contra immunitatem Ecclesiasticam, cui jus perpetuo resistit, & const. Urb. VIII. *Romanus Pontifex*, & casum, quo quis sine privilegio non est capax possidendi, sicut laici jus decimandi, eligendi, in beneficiis confirmandi &c. 2. Consuetudini immemoriali non derogatur per clausulam generalem: *non obstante quacumque consuetudine*, nisi illius specialis mentio fiat: tum quia talis consuetudo est speciali nota digna; tum quia pro illa præsumitur justus titulus, quo melior de toto mundo allegari non potest. Fagnan. in *cap. cum Apostolica de his quæ a Prel.*

10. Q. V. *Quæ consuetudines, seu potius corruptelæ a jure reprobentur?* ℟. 1. Quæ juri naturali, & divino, propheticis, & apostolicis doctrinis contrariantur, *c. fin. h. t. Canon. fin. d.* 8. uti sunt multi abusus gentilium, & pharisæorum, & hæreticorum. 3. Consuetudo nutritiva peccati, ut illa *c.* 10. *h. t.* 3. Consuetudo judicandi causas Ecclesiasticas a populo, confirmandi baptizatos a simplici presbytero, non servandi interdicta, deferendi beneficia sine licentia Superioris, vel administrandi sine prævia confirmatione *c.* 3. 4. 5. 7. *h. t.* 4. Consuetudo eligendi prælatos Ecclesiasticos a populo *c.* 56. *de elect.* 5. Denique reprobantur consuetudines, quæ gravant Ecclesias, lædunt immunitatem Ecclesiasticam, dissolvunt nervum Ecclesiasticæ disciplinæ, eliminant visitationes Canonicas, & obedientiam extinctive (præscriptive enim visitatio ab uno Prælato ad alterum transferri potest *c.* 16. *de præscr.*) aut alio modo obsunt bonis moribus, veritati, ac bono publico, de quibus passim in jure sermo redibit. *Canon.* 3. & *seqq. d.* 8. *Canon.* 1. & 2. *d.* 12. *c.* 3. 5. *h. t.* In dubio de honestate consuetudinis, si hæc est præter legem, statur pro ea, quia est in possessione ex consensu populorum: si vero est contra legem, statur pro lege, quia honestas, & rationabilitas legis est certa, & pro se habet possessionem certam.

11. Q. VI. *An consuetudo probanda sit ab allegante?* ℟. 1. Si notoria est, non indiget probatione, sicut in Germania lacticiniis vesci die jejunii, missas in hyeme celebrare ante auroram &c. ℟. 2. Si notoria non est, probari debet saltem per duos testes: nam consuetudo est facti, quod etiam sagacissimos fallere potest *l.* 2. *ff. de J. & F. I.* ergo in foro externo ab allegante probari debet. At pro foro interno sufficit unus excellens scriptor testificans in scriptis suis de tali consuetudine, dummodo tales concurrant circumstantiæ, ut de ejus fide dubitari non possit, & alii DD. validius ei non contradicant; licet alioquin unus doctor in foro externo plene non probet, sed solam præsumptionem faciat.

12. Q. VI. *An consuetudo abrogari possit per legem, vel consuetudinem contrariam?* ℟. affirmative, *arg. l. fin. ff. de constit. prin.* quia jura posteriora contraria derogant prioribus. Particularis tamen consuetudo non revocatur per legem, nisi id sufficienter exprimatur, *c.* 1. *de Constit. in* 6.

Hactenus de principiis generalibus juris Canon., nunc de personis Ecclesiasticis, ut promovendis ad dignitates per viam postulationis, electionis &c.

TITULUS V.

De Postulatione Prælatorum.

De hac materia agitur in Sexto, & Extrav. com. *h. t.* in Decreto *Can.* 1. & *seqq. d.* 61. & *Can.* 14. *d.* 63. & *c.* 5. *d.* 71.

1. Nota 1. Provisionem beneficialem in genere esse actum, seu modum promovendi personam idoneam ad ministerium Ecclesiasticum. Hujus celebriores species sunt: *simplex petitio*, *nominatio*, *præsentatio*, *collatio necessaria*, seu *institutio*, *collatio libera*, *postulatio*, *electio*, *translatio*, & *renunciatio in favorem alterius*. *Simplex petitio*, olim usitata, est supplicatio populi poscentis sibi dari aliquem in pastorem, *Can.* 11. & *c. d.* 63. *c.* 6. *de stat. monach.* hodie non est in usu. *Nominatio solemnis*, & proprie talis est, qua v. g. princeps tali jure præditus, saltem duos excellentiores designat, & proponit Superiori, ut is unum eligat, & Ecclesiæ præficiat. Dignior autem ex his ille censetur, qui primo loco ponitur *arg. c.* 6. *de V. S.* Hac tamen nominatione nullum jus nominato acquiritur, donec Superior unum ex nominatis eligat. Nominatio *consultoria*, qua in collegio proponuntur quidam boni viri, ut de illis scrutinium fiat, non est obligatoria, sed capitulares alium eligere possunt *cap.* 28. *de elect.* *Præsentatio* est actus, quo patronus Clericum idoneum præsentat Superiori, ut eum in beneficio instituat. De hac agitur *lib.* 3. *tit. de jure patron.* *Collatio necessaria* est provisio facta Clerico ex necessitate juris ad alicujus nominationem, præsentationem, electionem, permutationem, vel mandatum Superioris. *Collatio libera* est gratuita concessio beneficii vacantis a legitimo Superiore facta. De his collationibus agitur *lib.* 3. *de præb. & institut.* De ceteris speciebus in hoc libro agetur.

2. Nota 2. Postulationem hic non accipi pro *accusatione*, uti accipitur *l.* 1. §. 6. *ff. de suspect. tutor.* nec pro advocatione, seu patrocinio, quod advocati præstant partibus litigantibus, uti infra *tit. de Postuland.* & in Pandectis *eod. tit.* sed pro petitione personæ in prælatum ad Superiorem destinata: quo sensu *postulatio* est duplex: *solemnis*, & *simplex*, seu *non solemnis*. *Postulatio solemnis* est petitio capituli ad Superiorem destinata, ut is personam de se idoneam, attamen ob defectum Canonicum ineligibilem dispensative admittat ad prælaturam. *Postulatio simplex* est petitio personæ de jure habilis in prælatum facta ei, cujus consensus requiritur. Sic requiritur v. g. consensus Prælati regularis, ut religiosus assumatur in Episcopum. Aliquando utraque concurrit, ut si filiusfamilias laicus postuletur in Episcopum, solemniter a Papa, & simpliciter a patrefamilias.

3. Q. I. *Qui postulare possint?* ℟. omnes illi, qui eligere *c.* 4. *v. ceterum h. t.* nam cui de jure ordinario, vel ex privilegio conceditur electio, tamquam principale, etiam concessum videtur accessorium, seu subsidiarium, uti est postulatio subintrans in locum electionis *arg. reg.* 35. & 42. *in* 6. ex quo solvuntur paritates *ex reg.* 15. & 28. *in* 6. *c.* 9. *de privil. l.* 1. §. 2. *ff. de Constit.*

4. Q. II. *Qui postulari possint, vel non* ℟. 1. Postulabiles sunt solum laborantes defectu Canonico *dispensabili*, hoc est, in quo potest, & communiter solet

let dispensari. Tales defectus sunt: 1. illegitimitas natalium, *c.* 20. *de Elect.* 2. defectus ætatis legitimæ *c.* 7. *eod.* 3. defectus ordinis, & scientiæ excellentioris *c.* 22. *eod.* 4. defectus professionis ad prælaturam regularem *c.* 23. *eod.* 5. vinculum spiritualis conjugii, quo Episcopus etiam titularis alligatus est suæ Ecclesiæ, a qua solvi non potest, nisi per Papam, *c.* 2. *& in fin. de Translat.* Horum defectuum alicui obnoxius, cum ineligibilis sit, non solum potest, sed & debet postulari, si evehendus est ad prælaturam, exceptis Episcopis titularibus, si provisi sunt indulto apostol. eligibilitatis. ℞. II. Impostulabiles sunt, qui laborant defectu indispensabili, hoc est, in quo vel non potest, vel communiter non solet dispensari. Et quidem 1. de jure naturali impostulabiles sunt infantes, amentes, furiosi, & omnino illitterati, cum officium suum debite exercere non possint. 2. De jure Canon. impostulabiles sunt bigami, spurii, & ex damnato coitu nati *c.* 10. *de renunc.* ibi: *personæ vero*: item temerarii violatores interdicti, & quos graviora crimina, præsertim infamantia, ab electione arcent. *c.* 1. *h. t. reg.* 87. *in* 6. *Minores* 27. annis ad Ecclesiam cathedralem, *Extrav. un. h. t. inter com.* denique religiosi mendicantes ad Ecclesiam cathedrali inferiorem, vel ad prælaturam extra suum Ordinem *cit. Extrav.* cujus dispositio utpote odiosa non est extendenda ad alios religiosos non mendicantes, licet privilegiis mendicantium gaudeant.

5. Q. III. *Quam pœnam incurrant postulantes personam defectu indispensabili laborantem*? ℞. 1. Pro hac vice ipso jure privantur potestate postulandi, & eligendi *c.* 1. *h. t.* ibi: *licet autem*: nam recte quis in eo punitur, in quo peccat *c.* 7. §. *fin. de elect.* 2. qui temere postulant, hoc est renovant postulationem indigni, licet ignorent ejus indignitatem, pari pœna puniuntur, & potestas eligendi, vel postulandi devolvitur ad eos, etiam paucos, qui in iteratam postulationem indigni non consenserunt, sed contradixerunt *c.* 2. *h. t.* 3. Scienter postulantes minorem 27. annis ad episcopatum, vel religiosum mendicantem ad dignitatem episcopatu inferiorem, pro hac vice privantur potestate postulandi, & eligendi, ac per triennium suspenduntur a beneficiis Ecclesiæ, ad quam postularunt; ipsi vero postulati urgentes negotium suæ postulationis decernuntur impostulabiles, *cit. Extrav. un. h. t. inter com.*

6. Q. IV. *Ad quem superiorem postulatio sit dirigenda*? ℞. Ad quem alias spectat confirmatio prælati electi, dummodo dispensare possit in impedimento postulati *arg. c. fin. hoc tit.* nam admissio postulationis vim confirmationis habet. Superior autem, licet ex rigore justitiæ non teneatur postulationem admittere, cum ista innitatur gratiæ, nullumque postulato jus tribuat *c.* 5. *h. t.* tamen ex æquitate, & debita sui officii administratione tenetur eam admittere, si adsit justa causa postulandi, ut necessitas, vel magna utilitas, quæ speratur Ecclesiæ obventura ex persona postulata.

7. Q. V. *Quæ sit forma postulationis*? ℞. 1. Postulatio simplex cum sit vera electio, hujus formam servat *ex c.* 42. *de elect.* idque solum additur, ut petatur consensus superioris, vel ante electionem, ut subditus eligi, vel post electionem, ut huic consentire possit. ℞. 2. Postulatio solemnis habet eandem formam cum electione *ex cit. c.* 42. *de elect.* quo ad ea, quæ naturæ postulationis non adversantur. Ita Inn. Abb. Schmal. & alii contra Host. Laym. Reiff. juxta quos sufficit consensus capitularium saltem majoris partis, & aliqua publicatio, licet decretum, & alia non adhibeantur. Prob. 1. *arg. reg.* 46. *in* 6. subrogatum sequitur naturam ejus, cui subrogatur, nisi specialem formam præscriptam habeat, sed postulatio subrogatur electioni, tamquam ejus subsidiaria, & in jure specialem formam non habet, ergo sequitur formam electionis, cum non sit credibile, quod jus formam istam reliquerit arbitrio postulantium. 2. Connexorum, & æquiparatorum eadem est juris dispositio per *cap.* 3. *de Constit.* maxime si unum subintret in locum alterius, & in eumdem finem tendat, sed postulatio æquiparatur electioni, ei frequenter connectitur, & miscetur in eodem scrutinio, ad eumdem finem tendit, & ubi electioni non est locus, in ejus locum subintrat, ergo. Ita manifeste supponitur in *c.* 1. & *seqq. h. t.* & *c.* 20. *de Elect.* Ex his solutæ manent paritates a testamento, & codicillo, ab adoptione perfecta, seu arrogatione, & simplici *l.* 2. *ff. de adopt.* a manumissione, vindicta, & inter amicos §. 1. *In. de Libert.* a superiori ad inferius, ab expresso ad omissum, a possessorio plenario, & summario &c. nam in his, vel diversæ formæ sunt a jure proditæ, vel non currit illa ratio, quæ pro postulatione, & electione.

8. Q. VI. *Quis votorum numerus requiratur ad validam postulationem*? ℞. 1. Si postulatio concurrat cum postulatione, sufficit majoritas votorum, v. gr. 6. ex decem. nam idem servatur in electione. ℞. 2. Si postulatio concurrat cum electione, ut hic prævaleat, debent duæ partes ex tribus in postulandum concurrere, ut 16. ex 24. secus prævalebit electio, si electus pro se habeat saltem unum votum supra tertiam partem, v. g. 9. ex 24. ejusque electio confirmanda est. Ita communior sententia DD, *ex c. scriptum* 40. *de Elect.* in quo Innoc. III. condit jus speciale exceptum a dispositione *c.* 42. *eod.* alioquin caput istud superfluum esset in jure. Ratio congruentiæ est, quia ad postulationem, utpote viam extraordinariam, & odiosam merito plus requiritur, quam ad electionem ei permixtam, utpote favorabilem. Et pro hac sententia stat praxis curiæ romanæ: nam Innoc. XI. *an.* 1688. *die* 20. *Sept.* in judicio appellationis rescidit sententiam latam pro Cardinali Furstembergio Episcopo Argentoratensi per 13. vota ex 24. postulato ad archiepiscopatum Coloniensem, & confirmavit electionem Clementis Bavariæ ducis per novem vota ex 24. electi. Nec obstat textus *citat. c.* ibi: *& si partes consenserunt*, nam consensus iste partium referendus est ad priora circa jus suffragandi, non vero ad ultimam partem dispositivam a Papa factam. Ita glossa major, quidquid dicat glossa anterior. Nec etiam generales dispositiones obstant *c.* 3. 5. *h. t. c.* 30. & 42. *de elect. c.* 1. *de his quæ a major.* nam his prævalet specialis dispositio expressa in *c.* 40. *de Elect.*

9. Q. VII. *An rejicienda sint vota incerta, & indeterminata*? ℞. affirmative, & ideo Bonif. VIII. *cap. un. h. t. in* 6. rejicit illas formulas: *eligo postulandum, postulo eligendum, postulo, & eligo, prout melius de jure valere potest*. Quæ ultima formula permittitur in casu probabilis dubii, an persona sit eligenda, an postulanda? v. g. propter defectum ætatis, natalium &c.

10. Q. VIII. *Quis sit effectus postulationis*? ℞. 1. Postulatio ut præsentata superiori id operatur, ut postulantes amplius variare, seu ab illa resilire non possint *c.* 4. *h. t.* ibi: *si enim*, ne scil. superiori illudatur, ejusque judicium ex postulantium arbitrio pendere videatur. A sensu contrario si postulatio actu non sit præsentata, locus est variationi, cum postulato nullum sit jus quæsitum *c.* 5. *h. t.* ℞. 2. Postulatio ut admissa a Superiore, vim habet confirmationis, & jus reale in prælatura tribuit postulato *cap.* 2. *h. t.* ℞. 3. Postulatio simplex, ut admissa tribuit licentiam subdito, ut electioni de se factæ consentire possit. Talem licentiam a Papa obtinere debent Cardinales non Episcopi, quia ex officio suo sunt subjecti Papæ in ordine ad regimen totius Ecclesiæ *cap.* 57. *de elect.* Prælati, & alii Clerici Episcopo inferiores a suis superioribus, si quibus subjecti sunt *c.* 36. *de elect. in* 6. *Clem. un. eod.*

Cetera fere omnia servanda sunt sicut in electione, v. g. quod postulatio intra 8. dies præsentanda sit postulato, & is intra mensem mentem suam aperire debeat, an postulationem acceptet, puta conditionate, si superior eam admiserit, neque interim se administrationi immisceat &c.

TITULUS VI.

De Electione, & Electi potestate.

De hac materia agitur in Sexto, in Clem. in Extrav. Joan. XXII. & Comm. *h. t.* In Decreto *dist.* 60. 61. 62. 63. 69. & 1. *q.* 6. & 8. *q.* 1. 2. 3. & 18. *q.* 2. In Trid. *Sess.* 7. *cap.* 1. *de refor. Sess.* 22. *cap.* 2. *Sess.* 24. *cap.* 1. *&* 12. *Sess.* 25. *cap.* 6. *&* 7. *de Regul.*

1. Nota 1. electionem hic non accipi latissime pro qua-

quacumque provisione ad beneficium Ecclesiasticum, quo modo comprehendit præsentationem, collationem &c. nec pro quacumque provisione, quæ fit cum interventu suffragiorum, quo modo alicubi decani, & alii officiales solent eligi, sed strictè pro provisione suffragativa ad dignitatem pastoralem vacantis Ecclesiæ: quo sensu *electio est personæ habilis canonica vocatio ad vacantis Ecclesiæ dignitatem pastoralem per vota capitularium facta, & per superiorem confirmanda.* Ita in re com. ex *c.* 7. & 42. *h. t.* Ex qua definitione patet discrimen inter electionem, & postulationem: nam postulatio est provisio extraordinaria, seu subsidiaria personæ de jure impeditæ, innititur gratiæ, & ideo dicitur admitti, nullum tribuit jus postulato, isque non potest in illam consentire, nisi sub conditione dispensationis: electio vero est provisio ordinaria personæ de jure habilis, seu nullo impedimento laborantis, innititur juri, & ideo dicitur confirmari, electo tribuit jus ad rem, & electus absolute in eam consentire potest. In ceteris plerumque conveniunt, quia utraque per eamdem formam tendit ad providendum sedi vacanti.

2. Nota 2. primitus Episcopos electos, & constitutos fuisse ab Apostolis *Canon. In novo* 2. *dist.* 21. tum a Romano Pontifice *Canon. Omnes* 1. *d.* 22. deinde a toto Clero cujusque diœcesis *Canon. fin. Qui in aliquo dist.* 51. Tandem aucto Clericorum numero ad vitandas confusiones, & discordias jus eligendi attributum est capitulo cujusque Ecclesiæ *Canon. fin.* 16. *qu.* 7. *cap. Nullus* 1. hoc eodem titulo. Est autem capitulum plurium Clericorum collegium, qui sub uno Prælato tanquam membra sub uno principali capite vivunt; alioquin si sub uno capite non viverent, non communitas, sed singularitas esset. Ad constituendum capitulum, seu collegium a principio requiruntur saltem tres *arg. l.* 40. *in fin. ff. de V. S.* ibi: *ne duo quidem familiam faciunt* & *l.* 85. *eod. Neratius Priscus tres facere existimat collegium.* Pauciores tamen requiruntur ad conservationem collegii: & quidem si duo supersint, manet collegium actu, sed imperfectum, si unus superest, manet collegium habitu, non actu; si nullus superfit, jura realia collegii manent in parietibus, vel his dirutis, in solo, & fundo. Laym. & alii. Cetera de capitulo traduntur in *lib.* 3. *tit.* 11. Agetur hic 1. de personis eligentibus, & eligendis. 2. de forma, & qualitatibus electionis. 3. de intimatione, & confirmatione ejusdem. 4. de quibusdam electionibus in specie.

§. I.

De personis eligentibus, & eligendis.

3. Q. I. *Qui de jure communi habeant vocem activam ad eligendum Prælatum?* ℞. 1. Soli, & omnes capitulares, nisi specialiter a jure prohibeantur *c.* 1. & 14. *h. t.* ubi potestas ista conceditur iis solis, & omnibus, qui tanquam fratres, & membra collegium constituunt; adeoque excluduntur alii Clerici, ut Capellani, pensionarii, & similes, qui non sunt membra capituli. ℞. 2. Ut capitularis possit eligere, sufficit, ut bona fide sit in possessione certa beneficii, licet ei lis moveatur super proprietate, aut possessione tituli, *c.* 24. *h. t.* nam lis pendens non aufert commoda, & fructus possessionis certæ, sed electio est fructus possessionis beneficialis, ergo non impeditur per litem pendentem, etsi facta electione evincatur defuisse proprietatem in beneficio. Nec obstat *c.* 2. *de in int. restit.* nam monachi non erant in certa possessione juris eligendi Abbatem: *l.* 22. *C. de R. V.* nam, re evicta, illi tantum fructus sunt restituendi, qui sunt pretio æstimabiles, qualis utique non est electio.

4 Q. II. *Qui ex jure speciali possint eligere?* ℞. 1. Clerici extranei, si jus eligendi acquisiverunt, vel ex fundatione *cap.* 23. *de jur. patr.* vel ex præscriptione, aut consuetudine saltem 40. an. *arg. c.* 8. *de consuet.* & *c.* 4. *de postul. Præl.* vel ex privilegio apostol., vel ex pacto, aut conventione, seu consensu omnium capitularium, saltem pro una vice: jus autem eligendi in perpetuum non potest extraneis concedi sine consensu legitimi superioris. ℞. 2. Laici ex solo privilegio apostol. habilitari possunt ad vocem activam eligendi *c.* 51. *h. t.* quia nullus Papa inferior derogare potest sac. canonibus; Papa vero ex plenitudine potestatis, sicut jus præsentandi, ita jus eligendi concedere potest laico. ℞. 3. Laici ex nulla consuetudine, vel præscriptione etiam immemoriali acquirere possunt jus eligendi Pastorem ecclesiasticum *c.* 56. *h. t.* ubi talis consuetudo vocatur corruptela: nam laici id solum acquirere possunt consuetudine, aut præscriptione, quod possidere, sed citra privilegium apostol. laici non sunt capaces possidendi jus eligendi, utpote spirituale saltem connexive. Hoc tamen princeps laicus præscribere potest, ut mors Prælati ei intimetur, consensus ejus petatur ad futuram electionem, & electio facta ei insinuetur; qui tamen consensum denegare non potest, nisi subesset impedimentum canonicum. His non obstant Canones antiqui ex *dist.* 63. nam procedunt de simplici petitione, & electione impropria per testificationem de moribus eligendorum.

5 Q. III. *Qui capitulares jure communi prohibeantur eligere?* ℞. 1. Excommunicati excommunicatione majori *cap.* 23. *de appell.* 2. Suspensi ab officio *c.* 16. *in fin. h. t.* 3. Interdicti personaliter, & temerarii violatores interdicti localis per celebrationem missarum ibid. & *c.* 18. §. *is vero de sent. excom. in* 6. quæ dispositio, utpote odiosa, non est extendenda ad alios irregulares, qui aliam censuram violant. 4. Absentes legitime non impediti *c.* 42. *h. t.* 5. Nemo potest eligere se ipsum, *c. fin. de Instit.* quia inter dantem, & accipientem debet esse distinctio personalis. 6. Nemo successorem suum eligere potest, licet eligendum commendare possit. *Canon.* 3. & *seqq.* 8. *q.* 1. ut evitetur hæreditaria successio in prælaturis, & beneficiis. 7. Qui ex culpa aliqua privantur pro hac vice potestate eligendi, ut eligentes, vel postulantes indignum *c.* 1. 2. *de postul. Præl.* & alii de quibus suis locis dicetur, & expresse habetur *c.* 41. 42. *h. t.* &c. 8. His defectibus seclusis, potestas eligendi convenit Canonicis, seu capitularibus illis solum, qui ad minimum subdiaconatus ordine initiati sunt *Clem.* 2. *de ætat. & qual.* Trid. *S.* 22. *c.* 4. *de refor.* licet ex dispensatione ante annum 22. tali ordine insignirentur, quia ætas ista non ratione sui, sed ratione sacri ordinis requiritur. Quod si nullus elector in sacris constitutus esset, potestas providendi non devolvitur citius ad Superiorem, nisi intra præfixum a jure tempus nulli ordinarentur, & habiles fierent ad eligendum glossa in *cit. Clem.*

6 Q. IV. *Quæ qualitates requirantur in eligendo?* ℞. 1. *Ætatis maturitas* scilicet 30. anni pro Episcopo, 25. pro dignitate inferiori curam animarum habente, & 22. completi pro dignitate inferiori non curata *c.* 7. *h. t.* 2. *Morum gravitas ibid.* ad quam pertinet torus legitimus, ordo sacer, vera fides orthodoxa, carentia cujuscumque censuræ, irregularitatis 3. *Litterarum scientia* proportionata dignitati *ibid.* Sic juxta Trid. *S.* 22. *c.* 2. *de refor.* eligendi in Episcopos debent esse doctores, vel licentiati in theologia, vel jure Canon. &c. toleratur tamen mediocris scientia; cum adjuvari possit per consistoria, & consiliarios. 4. Eligendus debet esse *dignior*, hoc est, qui consideratis omnibus speratur Ecclesiæ utilior futurus; & ad talem eligendum ex jure naturali graviter obligantur electores, ut insinuant sac. Canones *c.* 19. *d.* 63. *c. licet* 8. *q.* 1. & Trid. *S.* 24. *c.* 1. *de ref.* quo tamen non obstante, electio digni, omisso digniore, est valida *c.* 19. §. *his igitur c.* 32. *h. t.* tum quia in jure nullibi irritatur; tum quia secus aperiretur latissima porta calumniis, & discordiis, dum quisque electionem vellet impugnare, ex eo, quod non sit electus dignior: tum quia, licet electores graviter peccent, tamen certum sit ex *c.* 16. *de Regul.* multa prohiberi, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem.

7. Q. V. *Qui sunt intelligibiles?* ℞. I. Ob impedimentum naturæ eligi prohibentur. 1. infantes, amentes, furiosi, cum usu rationis careant. 2. ætatis præscriptæ defectum patientes *c.* 7. *h. t. c.* 3. *de ætat. & qual.* 3. illegitime nati *c.* 20. *h. t.* 4. filii catholici nati ex parentibus hæreticis usque ad secundam generationem in linea paterna, & ad primam in linea materna *c.* 19. *de hæret. in* 6. cujus tamen dispositio non obtinet in Germania, ubi hæretici tolerantur. 5. corpore vitiati ob irregularitatem, aut indecentiam *tit. de Corp. vitiat.* ℞. II. Ob impedimentum criminis, seu defectum morum eligi prohibentur: 1. Hæretici, eo-

rumque fautores. *c.* 2. 19. *de Hæret. in* 6. 2. Simoniaci *c.* 23. 27. *de Simon.* 3. Plura beneficia incompatibilia retinentes *c.* 54. *h. t.* 4. Consentientes in electionem sui per abusum secularis potestatis factam *c.* 43. *h. t.* 5. Omnes illi, qui gravibus delictis infamati sunt, ut schismatici, sacrilegi, usurarii, sodomitæ, falsarii litterarum apostolic., perjuri, publici aleatores, ambitiosi, qui in electionem suam ante formatum decretum consentiunt, ob quod electio ista est nulla *c.* 46. *h.* 3. & alii infames infamia juris, vel facti actu persistente. Vide Reiff. Schmalz. &c. &. III. Ob impedimentum Canonicarum pœnarum eligi prohibentur. 1. Excommunicati etiam minori excommunicatione *c.* 7. & *fin. de Cler. excom.* cui non obstat, quod excommunicatione minori irretitus eligere possit, quia jura plus requirunt ad eligi, quam eligere. 2. Suspensi, sive ab officio, sive a beneficio *cit. cap. fin.* & *c.* 8. *de ætat. & qualit.* 3. Personaliter interdicti, & violatores interdictorum localium, & personalium *cap.* 8. *de consuet. c.* 1. *de postul. Prel.* 4. Omnes irregulares, sive ex delicto, sive ex defectu, quia irregularis inhabilis est ad officium exercendum, ergo & ad beneficium, quod datur propter officium. Denique eligi non possunt, qui prohibentur postulari, vel non aliter admittuntur ad prælaturas, nisi ex gratia per postulationem.

8. Q. VI. *An electio indigni, seu lege prohibiti ex his relatis, sit ipso jure nulla?* ℞. tunc solum esse nullam, dum Canones addunt clausulam irritatoriam; vel persona de jure naturali est inhabilis, ut infans, amens, prorsus illiteratus. Et quidem 1. Personæ, quæ postulandæ sunt, si eligantur, electio ipso jure est invalida *c.* 20. *de elect.* 2. Electio censura irretiti pariter est nulla ipso jure. *c.* 7. *de Cler. excom.* ampliative secundum rubricam. Excipitur minori excommunicatione irretitus; hujus enim electio dicitur irritanda *cit. c. fin. de Cler. excom.* 3. Electio indigni ob delictum tunc solum est invalida, dum jus non tantum prohibet, sed etiam irritat electionem, uti est electio ambitiosi *cap.* 46. *hujus tit.* intrusi *cap.* 43. *eodem*, falsarii litterarum apostolicarum *cap.* 7. *de crim. falsi*, simoniaci dato, & accepto pretio, *Extrav.* 2. *de Simon. inter com.* & licet ignorans fuerit, tamen ad eandem prælaturam eligi nequit, nisi vitium simoniæ purgetur per intermediam personam *c.* 59. *h. t.* nisi pecunia data fuisset in fraudem electi, & is contradixisset *c.* 27. *de Simon.* Denique electio cujuscunque infamis infamia juris est nulla ex *reg. pen. in* 6. *infamibus portæ non pateant dignitatum.* 4. Irregularitas per se non impedit valorem electionis, nisi ubi jura id exprimunt: est tamen talis electio rescindenda, cum facta sit contra prohibitionem sacrorum Canonum *arg. cap.* 8. *h. t.* & de tali persona, quam superior confirmare nequit *arg. cap.* 1. *de ætat. & qualitat.*

§. II.

De forma, & qualitatibus electionis.

9. *Nota*, formam electionis consistere in legitima ejus expeditione secundum solemnitates a sacr. canonibus præscriptas. Ad formam accidentalem spectat convocatio electorum, tractatus prævius, determinatio loci, temporis, indictio precum per diœcesim pro impetrando bono pastore, missa de Spiritu S. hymnus: *Veni creator* ab omnibus in loco electionis clara voce recitandus, protestatio de non excludenda persona habili, vel admittenda inhabili, absolutio a censuris in ordine ad effectum Canonicæ electionis. Ad *formam substantialem* spectat triplex modus eligendi, scil. per scrutinium, compromissum, & inspirationem divinam, dum persona aliqua ex revelatione divina, vel per quasi inspirationem, ex unanimi omnium consensu eligitur *cap. Quia propter.* 42. *hujus tituli.* Qualitates præcipuæ electionis sunt, ut sit libera, & omni abusu secularis potestatis immunis.

10. Q. I. *Quid juris servetur in convocatione electorum?* ℞. 1. Justis persolutis defuncto prælato, regulariter non ante, quam post tertium depositionis diem, decanus, seu senior capituli, servata loci consuetudine, omnes legitimos electores convocat ad futuram electionem, etiam absentes extra provinciam, designato loco, die, & hora electionis *c.* 36. & 42. *h. tit. ibi: qui debent, volunt, & possunt commode interesse*, alioquin non essent vocandi absentes, qui in tali loco existunt, unde commode vocari, & venire non possunt. ℞. 2. Si plusquam tertia pars electorum contempta, seu non vocata est, ut 7. *ex* 20. electio erit nulla ex defectu potestatis, quæ residet saltem in duabus ex tribus partibus capitularium. *arg. c.* 29. & 30. *h. t.* Abb. *n.* 9. *ibid.* Si vero unus, & alter, seu minor pars quam tertia contempta fuit, electio Jure subsistit, dummodo major pars *absolute*, seu omnium jus suffragandi habentium in electum concurrat, ut 11. *ex* 20. computatis absentibus; alioquin si *ex* 20. duo absint, & decem faveant electo, nulla est electio, quia *decem* non sunt major pars absolute *cap.* 28. & 29. *h. t.* ubi tamen contemptis, ob injuriam eis illatam, conceditur facultas agendi, ut electio per superiorem rescindatur, nisi expresse, vel tacite eam approbent. ℞. 3. Elector absens regulariter loco sui non potest constituere procuratorem. *c.* 42. §. *illud h. t.* quia electio requirit industriam personæ eligentis, *nisi sit absens in eo loco, de quo debeat advocari, justoque impedimento detentus venire non possit, ibid.*, quo tamen casu non constituetur procurator extraneus sine consensu capituli, sed unus ex capitularibus, qui jurando in animam suam, & sui principalis bis eidem suffragabitur, cum illum judicet digniorem, nisi haberet mandatum de certa persona eligenda. Quo ad expensas capitularibus solvendas plerumque servatur consuetudo: alioquin de jure communi solæ expensæ necessariæ, quæ fiunt in negotio electionis, solvendæ sunt ex bonis prælaturæ vacantis *c.* 45. *h. t.*

11. Q. II. *Quid circa locum, & tempus electionis servandum sit?* ℞. *ad* 1. Locus, in quo omnes electores congregandi sunt, debet esse decens *c.* 28. *h. t.* Episcopi autem electio, nisi aliud habeat consuetudo, celebranda est in Ecclesia viduata *c.* 28. *eod.* Nec ei officit interdictum, quia in loco interdicto, præter divina officia, & sacramenta, ceteri actus capitulares videntur permissi. ℞. *ad* 2. Tempus celebrandæ electionis a jure præfixum pro Ecclesiis cathedralibus, & regularibus est trimestre *c.* 41. *h. t.* pro aliis inferioribus semestre *c.* 2. *de concess. Præb.* nam vacatio Ecclesiæ cathedralis, & regularis majus nocumentum secum affert propter disciplinam, & jurisdictionem in Clericos, ergo merito his Ecclesiis providendis brevius tempus statutum est. Tempus istud currere incipit a die habitæ notitiæ de vacatione, vel si justum impedimentum sit, a die remoti impedimenti, vel negligentiæ commissæ in eo removendo; ut si Canonici negligant petere absolutionem a censuris. Tempus istud est continuum, intra quod celebrari potest electio quacumque die, etiam feriata, cum id non reperiatur exceptum, non tamen de nocte propter suspicionem fraudis. ℞. 3. Si intra præfixum a jure terminum electio culpabiliter non est secuta, potestas eligendi, & providendi pro hac vice devolvitur ad superiorem, qui debuisset electum confirmare *cit. c.* 41. *h. t.* si autem superioris provisio ex quocumque capite fuit nulla, jus eligendi redit ad electores, cum illo tantum pro una vice privati fuerint.

12. Q. III. *Quid in tractatu prævio electores agere possint?* ℞. 1. deliberare possunt de persona eligenda, si extranea, & ignota sit; necessario autem deliberatio ista non est præmittenda, ut communis tenet contra Donatum, cum id nullo jure requiratur. ℞. 2. Electores in hoc tractatu facere possunt capitulationes Ecclesiæ utiles ab eligendo servandas, v. g. ut electus mores in Clero, & populo reformet, pravas consuetudines evellat, & alia faciat, ad quæ ex officio pastorali obligatur. E contra capitulationes etiam juratæ in præjudicium Ecclesiæ, vel electi, sunt ipso jure irritæ *c.* 27. *de jurej.* & *cap.* 1. *eod. in* 6. & ex Constit. S. Pii V. Durum 1570. Greg. XIII. *Inter apostolicos* 1584. Innoc. XII. *Ecclesia* 1695. declarantium talia juramenta, utpote de re illicita præstita, una cum capitulationibus esse irrita; nam sede vacante, Ecclesia caret legitimo defensore, ergo gravari non debet a capitularibus, utpote inferioribus; ut si vellent statum Ecclesiæ immutare, jura, & bona Episcopi diminuere &c.

13. Q. IV. *Quid sit de forma substantiali electionis per scrutinium facienda?* ℞. sequentes actus: ipsum scru-

scrutinium, seu *secreta collectio suffragiorum*, ad quam requiritur, ut capitulariter eligantur tres scrutatores, nisi ob paucitatem tot haberi nequirent, viri fide digni, & non formidabiles, qui jurent de fideliter agendo, & secretum servando, tum a se, & capitularibus prius de eligendo digniori jurantibus, suffragia per schedas colligant, accedendo etiam ad infirmos, si qui sunt. Quod si vota viva voce dentur, scrutatores, vel tabellio deputatus cum duobus testibus juratis, redigent illa in scripturam, tum memoriæ causa, tum etiam ad faciliorem probationem. 2. *Scrutinii publicatio*, vi cujus vota collecta in continenti, seu nullo actu extraneo interposito publicentur dicendo, v. g. *vota a dd. capitularibus collecta universim sunt* 20. & quandoque addi solet, in quas personas vota colligent. Effectus hujus publicationis est, quod ea facta, electores censeantur functi suo officio, ut amplius variare, seu votum datum revocare non possint. In electione Papæ, & Abbatissarum id speciale est, quod electores complere possint per accessum electionem ejus, qui respective majora vota habet *c.* 6. *h. t.* & *cap.* 43. *eod. in* 6. at in aliis electionibus non admittitur iste accessus *cap.* 58. *hoc tit.* sequitur. 3. *Suffragiorum collatio*, quæ triplex est, *numeri ad numerum*, ubi confertur, quot quisque suffragia habeat; *zeli ad zelum*, ubi confertur zelus, & prudentia eligentium, an saniores sint; *meriti ad meritum*, ubi conferuntur merita, & qualitates passive electorum. In electione Papæ, & Regularium, imo hodie in aliis quoque electionibus attenditur sola collatio *numeri ad numerum*, quia pars major absolute, v. g. 11. ex viginti censetur simul esse sanior, isque hac singulari electione manet electus, cui major pars absolute, seu ultra medietatem capitularium suffragatur; nisi evidenter constaret electum a majori parte esse indignum; tunc enim præferendus esset electus a minori, & saniori parte, cum tali casu potestas eligendi maneat penes minorem partem *c.* 22. *h. t.* v. g. 11. ex viginti suffragantur manifesto simoniaco, vel illegitimo, vel non habenti ætatem pro Episcopatu, novem vero suffragantur idoneo, & digno, is posterior censetur electus. Quod si major pars pro nullo stet, proceditur ad novum scrutinium. 4. *Decretum capitularis*, seu *communis electionis, ejusque promulgatio*, & in hoc consistit, quod Præses capituli interroget capitulares, an placeat electum publicari? si isti respondeant: *placet*, jam *decreta* est communis electio; ita dicta, quod ille, qui singulariter per majora capitularium vota electus fuit, jam simul ab omnibus capitularibus communiter eligatur. Tunc ergo Præses ex decreto regulariter in scripturam authenticam redacto ita pronunciat, v. g. *Ego NN. nomine meo, & nomine omnium eligentium, mihique consentientium in Episcopum, vel Abbatem hujus Ecclesiæ N. eligo, & electum pronuncio, ac coram vobis publico NN.* (hic pronunciatur nomen electi) *in nomine Patris, & Filii &c.* Hæc omnia præscripta sunt in Conc. Later. sub Innoc. III. relato in celebri *c.* 42. *h. t.* quorum, si vel unum omittatur, electio est irrita; electores vero per sententiam pro hac vice privandi sunt voce activa. Hic nota, quod, si electus ante hoc decretum commune formatum consentiret suæ electioni, tanquam ambitiosus fieret ineligibilis, & electio esset nulla *c.* 46. *h. t.*

14. Q. V. *Quid sit forma electionis per compromissum, & quæ sint ejus substantialia?* ℞. *ad* 1. Compromissum est actus, quo electores unanimi consensu transferunt potestatem eligendi in aliquos Clericos viros idoneos intra, vel extra capitulum, ut nomine, & vice omnium Ecclesiæ viduatæ de pastore provideant ex *cap.* 42. *h. t.* Hi qui transferunt hanc potestatem, dicuntur *compromittentes*, quasi simul promittentes se ratam electionem habituros: hi, in quos potestas ista transfertur, dicuntur *compromissarii*; ipse vero actus dicitur *compromissum*, a quo *electio per compromissum* denominatur. Ad hanc formam requiritur 1. ut consentiant in compromissum omnes capitulares per *reg.* 28. *in* 6. *quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari*: unde, si vel unus contradicat, compromissum non subsistit, quia per *reg.* 56. *in* 6. *in re communi potior est conditio prohibentis*. 2. Ut compromissarii sint Clerici ad hoc munus idonei, regulariter numero impares, licet etiam in pares possit compromitti *c.* 52. *h. t.* imo in unum *c.* 8. *eod.* ubi moniales compromiserunt in Episcopum. 3. Ut compromissarii servent limites compromissi: hoc enim fieri potest, vel *absolute* de quocumque idoneo eligendo, vel *limitate*, & *restrictive*, ut eligatur aliquis ex gremio capituli, vel quem major pars absolute capitularium per vota secreta nominaverit, vel cum consilio aliquorum, aut omnium capitularium: quo casu compromissarii obligabuntur petere consilium, non tamen sequi, quia per *reg.* 62. *in* 6. nullus ex consilio obligatur.

15. ℞. *Ad* 2. Modus eligendi, quem compromissarii servare tenentur, habet omnia substantialia scrutinii, uti sunt suffragiorum collectio, publicatio, collatio, & tandem communis electio; quibus rite observatis, si a compromissariis idoneus est electus, tenentur compromittentes eum recipere *c.* 8. & 52. *h. t.* Porro compromissum tribus potissimum modis expirat: *revocatione*, si re adhuc integra, compromittentes revocent compromissum, secus revocatio non valet, si compromissarii jam incœperunt procedere in negotio electionis *c.* 30. *h. t.* *lapsu temporis præfixi*, & *terminatione electionis*, licet hæc quacumque ex causa non sortiatur suum effectum *cap.* 37. §. *Si vero hoc tit. in* 6.

16. Q. VI. *An, si viva voce datis suffragiis, v. g. tres ex septem prius consentirent in unum compromissarium, is, consentiendo in se ipsum, complere possit electionem?* ℞. affirmative, ut specialem hunc casum decidit Innoc. III. *c.* 33. *h. t.* nam in tali casu primo, & principaliter non eligit se ipsum, quod est ambitiosorum, sed eligitur ab aliis tribus, quibus tantum consentiendo accedit, & complet electionem sui. Similis dispositio habetur in Bulla aurea *c.* 2. §. *fin.* & exemplum est in Ruperto Imp. qui a Maguntino, Trevirensi, & Coloniensi electus consensit suæ electioni, & Imperator renunciatus est. Nec obstat *c.* 35. & 42. *h. t.* nam ibi non requiritur, ut major pars eligentium in distinctum eligendum consentiat, sed præcise, ut major pars eligentium concurrat, quod jam habetur in dato casu.

17. Q. VII. *An electio debeat esse libera ab omni gravi injusto metu, & seculari potestate?* ℞. *Ad* 1. affirmative, secus facta est irrita *c.* 14. *h. t.* nam Ecclesiasticæ libertati inimicum est per terrores, & minas injustas cogi ad certam personam eligendam. Hinc Gregor. X. in Conc. Lugdun. relato in *c.* 12. *h. t. in* 6. pronunciat *ipso facto excommunicationis sententia innodatos* omnes illos, qui electores, quod certam personam eligere noluerint, vel consanguineos eorum, Ecclesias, monasteria bonis suis spoliando, vel injuste persequendo, gravare præsumpserunt. Quæ dispositio, utpote Ecclesiis favorabilis, extenditur a DD. ad postulationem, confirmationem, institutionem &c. item ad mandantes, & exequentes ob identitatem omnimodam rationis, cum hæc omnia comprehensive includantur in *d. c.* ℞. *ad* 2. Irrita est electio celebrata per abusum secularis potestatis, hoc est, dum laicorum unus, vel plures immiscent se electioni, impediendo libertatem electorum *c.* 43. *h. t.* ibi: *quam ipso jure irritam esse censemus*. Abusus iste contingit, si electores teneantur petere consensum laici pro certa persona eligenda *c.* 14. *h. t.* si laicus præsumat coeligere *Canon.* 28. *d.* 63. si interessendo præstet auctoritatem, etsi dicat, se id facere protectionis causa, cum protectio ista extra electionis locum obtineri possit. Excipe nisi princeps haberet indultum apostolic. ad coeligendum, vel interessendum electioni.

18. Q. VIII. *An electio contra præscriptam formam celebrata, vel electio indigni, qui laborat solo impedimento juris Ecclesiastici, sit nulla pro utroque foro externo, & interno?* ℞. affirmative ita Salmant. Suar. Barbos. & plurimi TT. ac Canonist. contra Innocen. Laym. Pichler &c. volentes illam in foro interno prodesse antequam per sententiam ejus nullitas declaretur. *Probatur* ex textibus, qui satis clare innuunt jura has electiones irritantia obligare in conscientia: nam 1. Alex. III. in Conc. Later. relato *c.* 7. *h. t.* in fin. ait: *dignum est enim, ut quos Dei timor a malo non revocat, Ecclesiastica saltem coerceat severitas disciplinæ*; timor autem Dei utique arguit obligationem conscientiæ. 2. Innoc. III. *c.* 20. *h. t.* manifeste supponit illegitimum citra læsionem conscientiæ non posse con-

sen-

sentire electioni, ait enim de Maugerio Archidiac. Eboracen., ibi: *qui sponte, ac humiliter suum maluit confiteri reatum, quam læsa conscientia thronum conscendere pastoralem*. Ratio est, quia Sedes apostolica non aliter concedit jus in prælatura, nisi sub conditione, si sac. Canones formam substantialem præscribentes electionibus observentur; ergo tali conditione non posita, nec ponitur valida electio, nec jus aliquod ex illa acquiritur, & conf. in foro interno non prodest electo.

Obj. 1. Talis electio de jure naturali, & divino est valida ut supponitur; jus autem humanum maxime occupatur circa forum externum. 2. *cit. c. 7. h. t.* sermo est solum de electoribus, non vero electis, ne scil. pro foro externo eligant indignum, aut contra formam præscriptam. 3. *cit. c. 20. h. t.* defectus illegitimitatis fuit publicus, & forsan archidiaconus illum negavit, alioquin Papa non diceret: *suum maluit confiteri reatum.*

℟. *Ad 1.* Solide probandum esset, quod capitulo de jure naturali, & divino competat potestas transferendi jus prælaturæ sive personale, sive reale in electum, cum potestas ista Petro data sit, aliis vero liberaliter a Sede Apostolica concedatur; ergo non satis bene supponitur talem electionem jure naturali validam esse, sed potius dicendum est, esse invalidam, nisi in ea observentur conditiones a Sede apostolica præscriptæ: sicut invalidæ sunt usucapiones pro utroque foro, nisi servatis conditionibus a jure præscriptis. Vel transmisso antecedenti, dic jus naturale in hoc puncto pure permissivum sufficienter a sac. Canonibus determinari ad ita obligandum, sicut præscribunt sac. Canones. *Ad 2.* si jura ista stringunt electores in foro conscientiæ, cur non stringant electum? *Ad 3.* Dato, quod defectus fuerit publicus, tamen conscientiam lædere non potuit ante sententiam in adversariorum opinione: alterum de negatione hujus defectus, quod dicit Clarifs. P. Pichler, videtur nimis violentum, & difforme textui dicenti: *qui sponte &c.* Vox *reatus* latius sane patet, quam ut ex illa peccatum mendacii colligatur. Argumenta generalia vide *tit. 2. de Constit. n. 22. de legib. irritant.*

19. Q. IX. *Quæ sit pœna delinquentium in electionibus?* ℟. 1. Electores in casu negligentiæ, si intra præfixum a jure tempus non eligant, privantur pro hac vice potestate eligendi, & hæc devolvitur ad superiorem, cujus erat electum confirmare *c. 41. h. t.* ut supra dictum. 2. Si capitulares scienter eligant indignum, hoc est, prohibitum eligi, pro hac vice privati sunt potestate eligendi, & per triennium suspensi a beneficiis, seu totali perceptione fructuum, & administratione *c. 7. in fin. h. t.* non tamen ab officiis. Gonz. *ibid.* si vero formam electionis non observent, per sententiam privandi sunt potestate eligendi *c. 42. in fin. h. t.* At circa devolutionem potestatis discrimen est faciendum: & quidem si eligitur indignus ad dignitatem cathedrali inferiorem, vel forma in ejus electione non observatur, potestas eligendi ad superiorem proximum devolvitur, cujus erat & electum confirmare; & si Episcopus in hoc deliquit, potestas providendi devolvitur ad capitulum, & hoc discordante ad Metropolitanum. Si vero eligitur indignus ad Ecclesiam cathedralem, vel forma in ejus electione non servatur, potestas eligendi devolvitur ad Romanum Pontificem. Ita Bonif. VIII. *c. 18. h. t. in 6.* authentice interpretans decreta utriusque concilii Later. relata in *c. 7. in fin.* & *cap. 41. 42. in fin. h. t.* nisi electioni indigni minor pars contradiceret, tunc enim penes hanc est potestas eligendi *c. 22. h. t.* 3. Si compromissarii eligant indignum in Episcopum, pariter triennio sunt suspensi a beneficiis Ecclesiæ, ad quam indignum elegerunt, & potestas eligendi, si adhuc durat tempus legale, redit ad electores, nisi & hi consenserint in electionem indigni, vel eam ratam habuerint; tunc enim & dictam suspensionem incurrunt, & privantur potestate eligendi, hac ad Papam devoluta. Hæc tamen suspensio non habet locum in Episcopo compromissario, nec in casu, quo inferior Episcopo eligitur. Ita hæc omnia decidit Bonif. VIII. *c. 37. h. t. in 6.* 4. Si electio celebrata est per abusum secularis potestatis, electores ipso jure privantur potestate eligendi per triennium, ab officiis, & beneficiis perpetuo suspenduntur non ipso jure, sed per sententiam: ipse vero sic electus, si consentiat in sui electionem, ipso jure fit ineligibilis ad aliquam dignitatem *c. 43. h. t.* potest tamen Canonicus, vel Parochus fieri, cum Canonia, & Parochia non sint dignitates.

§. III.

De intimatione, & confirmatione electionis.

Postquam electio substantialiter peracta est, & secundum consuetudinem loci Clero, & populo promulgata, intimari debet electo, & si eam acceptet, confirmari debet a superiore: & si lis contra electum, vel electionem oriatur, ea terminanda est ante confirmationem.

20. Q. I. *Quando electores teneantur electo intimare electionem?* ℟. Circa hoc observandam esse constit. conc. Lugdun. sub Greg. X. relatam *c. 6.* & *16. h. t. in 6.* & quidem 1. electores, quam primum commode fieri potest, tenentur electo præsentare electionem, ejusque consensum petere: si vero ultra octo dies culpabiliter præsentationem distulerint, ipso jure exclusi sunt a prosequutione electionis quoad suas Personas, & per triennium suspensi ab omnibus beneficiis, quæ tunc obtinent in ea Ecclesia *c. 16. § ceterum h. t. in 6.* ne scil. Ecclesia per diuturnam vacationem detrimentum patiatur. 2. Electus, si commodo electionis vult frui, tenetur intra unum mensem, seu intra tot dies, quot habet mensis, quo facta est præsentatio, consensum suum præstare, alioquin excidit jure electionis *cit. c. 6.* nisi esset talis persona, v. g. religiosus, quæ longiori tempore indigeret pro petendo consensu superioris *ibidem*. Acceptata electione, si electus præsens sit, juxta loci consuetudinem processionaliter cum pulsu campanarum deducitur in Ecclesiam, & ibi post hymnum ambrosianum decantatum in episcopali cathedra inthronizatur. 3. Electus, si vult, regulariter renunciare potest electioni præsentatæ, immo & acceptatæ ante confirmationem, cum id nullo jure prohibeatur, & favori pro se introducto quisque renuntiare possit *l. fin. C. de Pactis.* nisi Ecclesiæ necessitas aliud exigeret; tunc enim a superiore cogi posset ad acceptandam electionem. Facta renunciatione, electoribus pro nova electione iterum conceditur novum trimestre, vel semestre ex *c. 41. h. t.* Notant tamen DD. quod electus post renunciationem intra illum mensem mentem mutare, & electionem acceptare possit, re adhuc integra, si capitulares necdum processerunt ad novam electionem.

21. Q. II. *Quid juris electus per electionem acquirat?* R. 1. rite facta electione, ante hujus acceptationem acquirit jus personale, seu ad rem, non absolute, sed conditionate, *si acceptaverit*; facta autem acceptatione acquirit jus personale absolute, non vero jus reale, seu quasi dominium in prælatura, com. contra Joan. de Selva: nam electio acceptata habet se sicut sponsalia, confirmatio sicut matrimonium ratum, & consecratio sicut matrimonium consummatum, ergo sicut per sponsalia acquiritur tantum jus ad rem, ita & per electionem acceptatam, *arg. c. 2. & fin. de Transl.* tum quia *c. 16. de Accus.* dicitur crimen per exceptionem electo ante confirmationem objectum, *impedire promovendum*, ne confirmetur, ergo necdum est promotus habendo jus in re: tum quia habens jus reale in prælatura, ei renuntiare non potest sine consensu Papæ *c. 2. & fin. de transl.* sed electus renuntiare potest electioni etiam acceptatæ, ergo.

22. Q. III. *An electus, facta acceptatione electionis, acquirat jus administrandi prælaturam ante confirmationem?* ℟. Negative, ita ut nec suo, nec procuratoris nomine, etsi antea æconomus, vel administrator fuerit, ullo modo immiscere se possit administrationi, v. g. recipiendo homagium, conferendo præbendas, censurando, bona temporalia curando &c. *c. 9. 17. h. tit.* Quodsi hoc attentaverit, privatur jure electionis *c. 5. h. t. in 6.* omnia ejus acta cassantur, habetur instar intrusi, & fit ineligibilis *c. 12. & 17. h. t. extrav. 1. eod. inter com.* Excipe, nisi administrationem istam permittat consensus superioris, privilegium papale; non tamen consuetudo, cui jus resistit, & magna distantia a curia Romana: unde confirmatio

tio petenda est, idque ob necessitates, & utilitates Ecclesiarum dispensative conceditur c. 44. §. fin. h. t. cujus dispositionem hodie in praxim deduci posse in Germania dicit Reiff. non obstante extrav. 1. cit. Summus autem Pontifex ante coronationem administrare potest c. 6. h. t. uti & Imperator electus.

23. Q. IV. *Quæ sit obligatio electi ad petendam confirmationem, & consecrationem?* ℞. 1. Intra trimestre a die præstiti consensus numerandum tenetur petere confirmationem a Superiore, cui Ecclesia, vel dignitas immediate subest; alioquin, termino lapso, in pœnam negligentiæ privatur ipso facto jure electionis c. 6. h. t. in 6. cujus dispositio restricta est per c. 16. eod. ita ut electi ad cathedrales, vel regulares Ecclesias, quorum confirmatio spectat immediate ad Sedem apostolicam, teneantur confirmationem petere intra unum mensem computandum a die præstiti consensus; vel si electio debito tempore non est præsentata, a die habitæ notitiæ de electione. Via ordinaria Abbates non exempti confirmationem petunt ab Episcopis, hi ab Archiepiscopis, hi a suis Primatibus, vel Patriarchis, & hi a Papa Can. 2. d. 23. c. 32. h. t. Episcopi autem Germaniæ propter concordata confirmantur a Papa, servata const. Greg. XIV. *Onus apostolicæ*, exceptis quibusdam, ut qui Archiepiscopo salisburgensi subjecti sunt. Porro Superior, licet tempus a jure statutum non habeat pro impertienda confirmatione, eam tamen ob Ecclesiæ necessitatem, & utilitatem quam primum facere tenetur, arg. c. 6. h. t. in 6. ℞. 2. Episcopus confirmatus intra tres menses debet consecrari; secus tenetur ad restitutionem fructuum perceptorum; si vero intra totidem alios menses id facere neglexerit, ipso jure Ecclesia, seu Episcopatu privatur. Trid. sess. 23. c. 2. de refor. Abbas ad similitudinem consecrationis episcopalis debet recipere benedictionem ab Episcopo c. 1. de suppl. neglig. licet multi, præsertim temporanei non soleant benedici, & multi benedicantur a suis Prælatis regularibus. Idem dic de benedictione Abbatissarum secundum statutum regulæ a Sede apost. approbatæ.

☞ *De benedictione Abbatum vide infra hoc eod. lib. tit. 10. n. 8.*

24. Q. V. *Quid agendum Superiori requisito pro danda confirmatione?* ℞. 1. Si electio celebrata est in concordia, hoc est, minori parte non contradicente, neque ullo alio se opponente, Superior ad valvas Ecclesiæ affigit decretum generale, quo contradictores, si qui essent, peremptorie vocantur, ut statuto tempore, & loco veniant, causasque impugnandæ electionis, & impediendæ confirmationis dicant, c. fin. h. t. in 6. Nullo autem contradictore comparente, Superior instituit duplex examen, unum de legitimo processu electionis, alterum de idoneitate electi: & si in neutro vitium deprehenditur, electionem confirmat; alioquin vitio deprehenso eamdem cassat c. 9. & 44. h. t. ipsa tamen confirmatio defectum latentem juris humani non sanat, nisi Papa sufficienter id exprimat. ℞. 2. Si electio celebrata, est in discordia, hoc est, cui contradictores se opponunt, hi nominatim sunt vocandi, & audiendi; alioquin confirmatio cito data irrita est, & inanis cit. c. fin. h. t. in 6. Porro appellans contra electionem, vel aliam provisionem servare debet constit. Conc. Lugdun. sub Greg. X. relatam in c. 4. ut circa h. t. in 6. & ejus declarationem c. 19. & 20. eod. & ea, quæ circa processum talis appellationis statuuntur c. 1. & 16. eod. & c. 11. 38. 41. eod.

25. Q. VI. *Quid juris acquiratur per confirmationem, & consecrationem?* ℞. ad 1. Acquiritur nomen *Episcopi*, sed cum addito *Electi*, & consequenter privilegium c. 4. de sen. excom. in 6. vi cujus Episcopi non incurrunt pœnam suspensionis, aut interdicti, nisi eorum expressa mentio fiat in constit. generali. Item acquiritur jus reale in prælatura, & plena administratio quoad spiritualia, & temporalia, & si hæc non sunt apprehensa, vi confirmationis datur jus petendi investituram corporalem, seu introductionem in possessionem Episcopatus, c. 15. de Elect. ℞. ad 2. Per consecrationem acquiritur nomen *Episcopi* simpliciter sine addito *Electi* c. 8. de his, quæ a Præl. plenitudo officii episcopalis etiam quoad actus ordinis c. 15. h. t. & consummatio matrimonii spiritualis cum Ecclesia c. fin. de Translat.

§. IV.

Afferuntur quædam specialia de electione Papæ, & Regularium.

26. Q. I. *Quæ sint specialia in electione Papæ?* ℞. 1. ad validam Papæ electionem non sufficit major pars votorum, sed requiruntur duæ partes ex tribus c. 6. h. t. c. 3. h. t. in 6. Clem. 2. ibid. quas constitutiones, lectu dignas, firmarunt, & auxerunt multi Pontifices Clement. VII. Paulus IV. Pius IV. Gregor. XV. Urban. VIII. Neque formam istam mutare possunt Cardinales, ut scilicet valeat major pars propter claram decisionem Concil. Lugdunen. cit. c. 3. h. t. in 6. cui tanquam juri publico in favorem Ecclesiæ condito Cardinales, utpote jure pontificio inferiores, renuntiare non possunt. 2. Si electio Papæ fiat per compromissum, compromissarius unus nominatus ab altero non potest accedere voto illius, Greg. XV. const. incip. *Æterni* §. 205. sed oportet duas partes in electum convenire. 3. Licet conveniens sit, ut in Papam eligatur aliquis ex sac. collegio Cardinalium, absolute tamen quilibet alius Clericus, imo & laicus catholicus, etiam uxoratus, consentiente uxore, eligi potest, dummodo requisita de jure naturali, & divino habeat; ut sit mas, rationis compos, baptizatus, & fidelis c. 6. h. t. ubi statuitur, ut sine ulla exceptione ab universali Ecclesia romanus Pontifex habeatur, qui a duabus partibus concorditer electus, & receptus fuerit. 4. Electo Papa, antequam ab universa Ecclesia acceptetur, opponi potest defectus contra formam præscriptam, & libertatem electionis admissus; ut si electio facta sit ab eis, qui carent potestate eligendi, si destituta sit debito numero votorum, si simoniaca, per minas, & metum gravem injustum extorta Can. 9. d. 78. const. Julii II. incip. *Cum tam divino*: nam talis electio est nulla, adeoque ex hoc capite impugnari potest; non autem ex alio defectu juris humani, qui non militat contra substantiam, & libertatem electionis, sed est extrinsecus, ut defectus natalium, ordinis &c. At si Papa cum tali defectu electus acceptetur ab universa Ecclesia, hoc est, si nullus contradicat huic electioni, vel unius, aut alterius contradictio parum, vel nihil curetur a ceteris fidelibus; acceptatio ista, tanquam extraordinaria, ultima, & absoluta electio, sanat omnes defectus juris humani; ita ut nullus talis defectus opponi possit Papæ ab universa Ecclesia acceptato. Cum vero Deus non permittat Ecclesiam totam errare in acceptatione Pontificis, sequitur nullum in Papa acceptato reperiri defectum juris naturalis, aut divini. 5. Si Papa invalide electus sponte renuntiare nolit electioni, expectanda est sententia concilii generalis de nullitate electionis pronuntiantis, uti factum in Conc. Constantiensi: lata vero sententia nullitatis, nova electio pertinet ad Cardinales, non ad concilium, nisi plures Cardinales schismati faverent; quo casu potestas electiva rediret ad concilium generale, qualiter Conc. Constantien. elegit Martinum V.

27. Q. II. *Quæ specialia sint in electione Regularium extra eorum Ordinem?* ℞. 1. Omnis religiosus idoneus, etiam novitius eligi potest ad Ecclesiam cathedralem, seu Episcopatum sive secularem, sive regularem, obtento Superioris consensu; ita tamen, ut pro religioso non mendicante stet major pars absolute, pro mendicante vero insuper electio facta sit in concordia c. 24. & 28. h. t. in 6. Clem. 1. eod. nisi religiosus mendicans esset Cardinalis; tunc enim jugo regulæ solutus non obligaretur Constit. cit. c. 24. sed consentire posset electioni a majori parte factæ etiam in discordia. 2. Religiosus mendicans nec eligi, nec postulari potest ad dignitatem cathedrali inferiorem, sive secularem, sive regularem alterius Ordinis *Extrav. un. de Post. Præl. inter com.* At Religiosus non mendicans non quidem eligi, sed postulari potest ad prælaturam alterius Ordinis cathedrali inferiorem *Clem. 1. h. t.* nam *in cit. Extrav.* talis postulatio prohibetur solum mendicantibus; ergo aliis concessa videtur. Insuper Religiosus non mendicans, attento jure communi, eligi potest ad prælaturam secularem cathedrali inferiorem, ut clare supponit *cit. cap. 24. §. Circa h. t. in 6.* ubi Bonif. VIII. solum prohibet, ne Regulares con-

consentiant electionibus a minori parte de se factis; ergo si a majori eligantur, poterunt consentire. Oppositum tenet Laym. *de Elect. q.* 204. addens de hoc non debere nos esse solicitos, cum responsa Pontificum, & praxis curiæ roman. non admittant Regulares ad prælaturam etiam Ecclesiæ collegiatæ.

28. Q. III. *Quæ sint specialia in electionibus Regularium intra Ordinem?* R. 1. Electores regulares de jure communi debent esse constituti saltem in subdiaconatus ordine, *Trid. sess.* 22. *c.* 4. *de refor.* non novitii, sed professi, Clerici, & nullo alio impedimento laborantes; uti proprietarii, qui per biennium privandi sunt voce activa, & passiva. *Trid. sess.* 25. *c.* 2. *de Regul.* nec mendicantes etiam de licentia Sedis apostol. translati ad non mendicantes, cum nec vocem, nec locum habeant in capitulo, *Clem.* 2. *de regul.* 2. Eligendus in prælatum debet esse expresse professus. *c.* 28. *h. t. in* 6. unde novitius eligi non potest *c.* 49. *h. t.* ubi ratio additur, quia *in magistrum assumi non debet, qui formam discipuli non assumpsit, nec est præficiendus, qui subesse non novit.* Neo-professus autem absolute eligi posset in prælatum: id tamen communiter non expedit, maxime si regula certos professionis annos requirat. 3. Forma electionis superiorum regularium præscribitur a *Trid. sess.* 25. *c.* 6. *de regul.* ut scil. fiat per vota secreta, ita ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur, absentium vota non suppleantur, nisi regula aliud concederet; alioquin electio est irrita, & electus ei consentiens fit inhabilis ad omnia officia in Religione obtinenda. Quæ dispositio Trid. ad evitandas discordias, & inimicitias inter Religiosos facta, sustulit formam inspirationis, & compromissi, dum fiunt per vota publica: si tamen compromissum more scrutinii fiat per vota secreta, non est sublatum per Trid. cum idem finis obtineatur. Ceterum non omnis publicatio votorum obest valori electionis, sed ea solum, quæ accidit ex culpa capituli; ut si totum capitulum, vel major pars consentiret in publicationem alicujus voti; vel si quis palam daret suum votum, & capitulum non contradiceret, illudque votum non rejiceret, jubendo dari votum secretum, aut talem capitularem ut indignum potestate eligendi privando. Unde non erit irrita electio, si quis ex ignorantia, vel malitia privatim ostenderet alteri nomen eligendi; vel si post consummatam electionem nomina eligentium ab electoribus, vel scrutatoribus malitiose contra secreti obligationem publicentur, quia electionis valor nequit pendere ab eventu futuro. 4. Dispositio Trid. probabilius locum habet in abbatibus perpetuis, qui Ecclesias obtinent in titulum; tum quia idem finis, & motivum pro illis militat; tum quia Trid. in rubrica, & principio *cit. c.* 6. generaliter loquitur: *in electione superiorum quorumcumque.* Nec obstant sequentia verba: *Abbatum temporalium*, quia his non tam restringitur, quam ampliatur dispositio etiam ad abbates temporales. Circa confirmationes superiorum regularium electorum servanda sunt statuta cujusque Ordinis.

Præterea in electionibus Regularium præter specialia cujuscumque Ordinis, attendenda sunt sequentia, ob quæ iidem non gaudent suffragio activo, vel passivo.

1. *Collocati de familia in aliquo conventu, nisi per tres menses immediate proximos capitulo celebrando ibidem continuo permanserint ex dec. Conc. Epis. & Reg.* 7. *Feb.* 1648.

2. *Electi in quibuscumque capitulis uno suffragio supra medietatem, si non aperta fuerit eorum schedula ad videndum, an sibi ipsis suffragati fuerint ex dec. Cong. Conc. in Melevitana synodi* 2. *Julii* 1707. *ad dubium* 35. *Quod non est contra jus, immo plures Religiones habent statuta hujusmodi, ut mea ex dec. cap. gener.* 1748. *Idem servatur in electione Papæ ex const. decret. Greg. XV.* §. *De numeratione suffragiorum. Aperta autem schedula, recognosci tantum debet a tribus scrutatoribus, non manifestato nomine illius, cui electus suffragatus est, ut juxta Trid. eligentium vota secreta semper remaneant.*

3. *Superiores locales in capitulis Provincialibus neque activo, neque passivo suffragio gaudent, nisi juxta constit. Innoc. XII.* Nuper *exhibuerint fidem ab omnibus Sacerdotibus cujuscumque domus regularis subscriptam, & juratam, quod omnibus, & singulis tum perpetuis, tum manualibus missarum oneribus fuerit omnino, & integraliter satisfactum; vel deficiente aliqua modica satisfactione, possit etiam hujusmodi residuali implemento missarum distincte referendarum intra breve tempus moraliter satisfieri.*

Attendendum est etiam sequens sac. Visitationis apostol. decretum sub die 14. *Octob.* 1601. *a Clem. VIII. approbatum.* Privatio vocis activæ, & passivæ, ac inhabilitatis decreta, sententiæque ab eisdem superioribus Ordinis latæ, ne deinceps in ipso electionis actu pronuncientur, promulgenturve, atque ex prolatæ vocales minime afficiant, nisi per mensem ante fuerint intimatæ, prout Sanctitas sua omnino vetuit.

Excipiuntur tamen casus, qui emergerent, congregato jam capitulo, propter quos aliquis privandus esset voce activa, vel passiva; tunc enim, ipso summario audito, si constaret vere incurrisse hanc privationem, pronunciari posset sententia, & excludi deberet.

29. Q. IV. *An Religiosi electi in vocales, seu discretos capituli provincialis, aut generalis renunciare possint electioni de se factæ?* R. 1. In hoc puncto observanda esse statuta cujusque Ordinis: & quidem si Religio prohibet, vel pœnas statuit contra illos, qui ex officio tenentur, & renuunt ire ad actus capitulares, non admittitur renunciatio, nisi justa, & gravis causa aliud suadeat, ne per talem renunciationem bono publico noceatur. R. 2. Abstrahendo a particularibus statutis, negative. ita Peregr. Dian. & alii: nam per talem electionem non acquiritur aliqua dignitas, & præeminentia, sed onus, munus, & officium exequendi id, quod agendum est pro communi bono; sed Religiosus oneri, & officio renuntiare non potest, sed tenetur illud ex obligatione implere; ergo neque potest renuntiare tali electioni: tum quia, si unus non teneretur interesse capitulis, nec tenerentur alii, imo forsan plurimi cum S. Greg. Nazianz. mallent abesse ab his conventibus; quod sane cederet in magnum præjudicium, & detrimentum boni communis. Nec obstat, quod quisque favori suo renuntiare possit per *l. fin. C. de Pactis:* nam publico favori pactis privatorum renuntiari non potest; in dato autem casu favor est publicus in bonum Religionis introductus, & respectu Religiosi non tam favor est, quam onus subeundum.

30. Q. V. *Quæ sint specialia in electione abbatissarum?* R. 1. Qualitates eligendæ in abbatissam, seu præfectam monasterii sunt, ut sit *virgo* saltem existimata *Canon.* 12. *juvenculus* 20. *qu.* 1. *legitime nata* arg. *c.* 7. *h. t.* ubi legitimitas requiritur in eligendis; non minor annis 40. & quæ 8. annis post expressam professionem laudabiliter vixerit. Vel si necessitas aliud exposcat, de consensu Episcopi, vel alterius superioris, quæ annum trigesimum excesserit, & quinque saltem post professionem laudabiliter vixerit, Trid. *sess.* 25. *c.* 7. *de Regul.*

☞ *Si una sola in monasterio reperiretur habens ætatem a Trid. requisitam, ipsa deberet eligi, licet esset alia illa habilior, quamvis huic deficeret unus tantum ætatis mensis, ex decreto cong. Ep. & Reg. in Viterbien. San. Rosæ* 25. *Martii* 1623. *vide notata Elencho VI. n. XCI.* ☜

2. Quod formam electionis concernit, præses erit Episcopus, vel alius superior qui tamen cum scrutatoribus claustra monialium non ingrediantur; sed per cancellorum fenestellam vota excipient; nisi necessitas, & tranquillitas in electione aliud suadeat juxta Const. Greg. XIII. *Ubi gratiæ.* Vota secreta dantur a professis; & si electio celebrata est in concordia, sufficit major pars absolute per *cap.* 42. *hoc tit.* si vero celebrata est in discordia, servanda est constitutio *cap.* 43. *Indemnitatibus hoc tit. in* 6. vi cujus electa a majori parte absolute, licet minor contradicat, interim ante confirmationem tam in spiritualibus, quam temporalibus administrabit: non confirmabitur autem electa in discordia, nisi duæ partes ex tribus concurrant saltem per accessum; vel donec superior ex officio plene, de plano tamen, cognoscat ea, quæ objiciuntur electæ, aut contra formam electionis. Plura vide in Donato, Portell. Dian. Ant. a Spirit. Sanct. Peyr. &c.

☞ *Circa electionem abbatissæ monialium Regularibus*

ribus subjectarum vide Elencho VI. numer. XCII. & XCIV. ☞

TITULUS VII.

De Translatione Episcopi.

De hac materia agitur in Decreto 7. *q.* 1. & 21. *q.* 2.

1. Nota, translationem late accipi pro quacumque mutatione personæ ab una ad aliam Ecclesiam: stricte autem est mutatio Episcopi ab uno Episcopatu ad alterum ex justa causa, & auctoritate Papæ comm. ex *Can.* & *seqq.* 7. *q.* 1.

2. Q. I. *An Episcopus confirmatus, aut consecratus possit a sua Ecclesia transferri ad aliam?* ℞. Affirmative *toto h. t.* & *Canon.* 34. *mutationes* 7. *q.* 1. dicitur: *mutationes Episcoporum scitote communi utilitate, atque necessitate fieri licere, sed non propria cujusquam voluntate, aut dominatione*. Sic S. Petrus Antiochia translatus est Romam, Eusebius Alexandriam, Felix Ephesum &c. nam quandoque ad bonum universalis Ecclesiæ expedit, imo necessarium est has mutationes fieri. Nec obstat *c.* 2. *pr. h. t.* ibi: *cum ergo fortius sit spirituale vinculum, quam carnale* &c. maritus autem separari nequit a vinculo carnali uxoris, ergo nec Episcopus a vinculo Ecclesiæ. ℞. Vinculum Episcopale secundum quid esse fortius; tum quia est spirituale, atque ita nobilius; tum quia Episcopus etiam confirmatus propria auctoritate recedere non potest ab Ecclesia, sicut potest sponsus a sponsa de præsenti, scil. ingrediendo Religionem; tum quia Episcopo character indelebilis imprimitur. Simpliciter autem loquendo, vinculum carnalis conjugii est fortius, quia saltem consummatum humana potestate solvi nequit a Papa.

3. Q. II. *Quid requiratur ad validam translationem Episcopi?* ℞. 1. *Justa causa* necessitatis, vel utilitatis Ecclesiæ *cit. Canon. mutationes*: nam inter Ecclesiam, & Episcopum confirmatum est matrimonium spirituale ratum, & si Episcopus est consecratus, consummatum: quod utrumque esse juris divini docet Inn. III. *cap.* 2. & *fin. h. t.* Papa autem tanquam inferior nequit justa causa dispensare in jure divino. 2. Requiritur *auctoritas legitimi superioris*, seu *Papæ cit. Canon*, *mutationes*, ibi *apostolica auctoritate mutatus est* & *cap.* 2. & *fin. h. t.* ubi hæc potestas reservatur Sedi Apostol., licet olim ex indulgentia Romanorum Pontificum ad translationem suffecerit consensus Metropolitani *Canon.* 37. *Episcopus* 7. *q.* 1. 3. Ut regulariter fiat *de minori ad majorem Ecclesiam c.* 1. *h. t.* alias translatio ista non censeretur fieri ob necessitatem, & utilitatem Ecclesiarum, sed potius ex avaritia, vel alio pravo fine. Unde Archiepiscopus nequit transferri ad Episcopatum, nisi justa causa aliud suaderet, v. g. insalubritas aeris, inimicitiæ, insidiæ, vel nisi minor Ecclesia propter conversionem paganorum, aut hæreticorum indigeret tali pastore.

4. Q. III. *An Episcopus invitus transferri, vel addici possit alteri Ecclesiæ?* ℞. *ad* 1. Affirmative, nam *arg. Canon.* 4. *d.* 74. Papa ex justa causa potest illum cogere, ut consentiat translationi; & si parere renuat, in pœnam inobedientiæ, & obstinationis potest Episcopatu privare. ℞. *ad* 2. Negative *ex cap.* 3. *h. t.* quia ad matrimonium tam carnale, quam spirituale requiritur voluntarius consensus; ergo Episcopus invitus non potest alligari, seu copulari alteri Ecclesiæ: simpliciter tamen, ut alii Clerici ei adscribi potest, cum hoc modo non contrahat vinculum Episcopale.

5. Q. IV. *Quando sedes vacet, Episcopo translato?* ℞. 1. Si translatio fit ad instantiam translati, sedes, seu Ecclesia statim vacat a die, qua Episcopus in consistorio Papæ absolutus est a vinculo suæ Ecclesiæ, licet litteræ apostolicæ nondum sint expeditæ, nec adepta possessio secundæ Ecclesiæ. Ita declaravit sac. Congreg. Conc. *an.* 1625. 20. *Mart.* approbante Urb. VIII. nam dissoluto vinculo Episcopali, necesse est vacare Ecclesiam; sed tale vinculum dissolvitur a Papa in suo consistorio, nisi sententia ejus alii tempori alligata sit, ergo. Idem ob eamdem rationem dicendum, si Papa procedat jubendo ob publicam necessitatem, & Episcopum ignorantem absolvat a vinculo suæ Ecclesiæ. 2. Si Papa procedat, non jubendo, sed providendo, Episcopus ignorans non censetur absolute transferri, nec sedes vacare, nisi a die præstiti consensus in translationem: nam translatio ista est conditionata, si Episcopus consentiat vel expresse, vel saltem tacite, acquiescendo translationi. Fagn. *c. Quanto h. t.*

6. Q. V. *An translatus aliquid percipiat de fructibus pendentibus, & inexactis?* Hos fructus pro rata temporis esse dividendos docent Covar. Flamin. Parif. Garzias, & alii, quia debentur propter spiritualia ministeria Ecclesiæ præstita contra Hostien. Sarmiento, Petr. Barbos. & alios sentientes deberi successori, quibus favet Bulla Julii III. ab Urbano VIII. confirmata incip. *Cum sicut*: nam Clerici in fundis beneficialibus non habentur pro dominis, sed pro usufructuariis, finito autem usufructu, fructus pendentes non debentur usufructuario, vel ejus hæredibus *l.* 13. *ff. quib. mod. ususfruct.* Hæc posterior sententia, speculative loquendo, est probabilior, quia tamen Bulla Julii III. in pluribus locis non est usu recepta; hinc ℞. In dividendis fructibus inter antecessorem, & successorem maxime spectandam esse consuetudinem locorum, quæ plerumque æquitate nititur, ut neutri fiat injuria.

☞ *Benedict. XIV. lib. XIII. de synod. diœc. cap.* 16. *num.* 7. *firmat eos percipere tantum posse usque ad illud temporis momentum, quo absolutus fuit in consistorio a vinculo prioris Ecclesiæ; neque conferre posse beneficium, quod vacavit in sua diœcesi post dictum tempus, nondum expeditis litteris super provisione secundæ Ecclesiæ, minusque capta istius possessione. Hæc tamen utraque prohibitio non habet locum, quando Episcopus transfertur sine sua scientia, & consensu, qua solum obstringetur, quando post sibi nunciatam vinculi enodationem suum accommodaverit consensum, vel hunc Papa suppleverit, volueritque, ut translatio sortiatur effectum, ut probat idem Bened. loc. cit. num.* 9. *Respectu Episcoporum Regni Poloniæ in casu translationis aliter provisum est ex decreto ejusdem Urbani ibidem relat. n.* 17.

Medio autem tempore inter solutionem vinculi & allatum de ea nuncium, regimen, & administratio Ecclesiæ ex cit. declaratione est penes Episcopum; & tunc tantum transfertur in capitulum, quando notitia absolutionis pervenerit ad eumdem Episcopum translatum.

Circa translationem Episcoporum vide constit. ejusd. Bened. Ad Apostolicæ 17. *Octob.* 1740. *qua examen causarum translationis faciendæ committitur Cong. particulari ad hunc finem erectæ.* ☞

7. Q. VI. *An ad translationem prælatorum Episcopo inferiorum requiratur consensus Papæ?* ℞. Negative; sufficit enim consensus immediati superioris, sive iste sit Papa, sive Episcopus, sive alius, a quo dependet Prælatus transferendus *Can.* 8. *Abbas* 18. *qu.* 2. & *c.* 7. *de consuetud.* cum inter Prælatos inferiores, & eorum Ecclesias non sit conjugium, seu vinculum spirituale proprie tale.

TITULUS VIII.

De auctoritate, & usu Pallii.

Agitur de hac materia in *Extrav. com. h. t.* in decreto *dist.* 100. & *Canon. Galliarum* 25. *q.* 2.

1. Nota hunc titulum per modum complementi sequi ad præcedentes, quia quidam promoti sine Pallio non consequuntur plenitudinem potestatis officii sui; idque ex usu antiquissimo, cum jam ab ipso S. Petro pallium dicatur missum S. Materno Episcopo Trevirensi. Porro pallium ex lana alba in circuli figuram contextum, & quatuor nigris, vel rubris crucibus distinctum, est præcipuum ornamentum Archiepiscoporum, de corpore S. Petri sumptum, significans plenitudinem Pontificalis officii. Dicitur autem in *c.* 4. *de elect. a B. Petri corpore assumi*, quia ordinarie benedicitur super altare S. Petri, & per illud confertur portio Ecclesiasticæ potestatis, cujus plenitudo in S. Petro, ejusque successoribus residet.

☞ *Circa ritum servandum in palliorum benedictione, eorumque custodiam vide const. Bened. XIV.* Rerum 12. *Augusti* 1748. ☞

2. Q. I. *Quis, & cui conferre possit pallium?* ℞. *ad* 1. Solus

Solus Romanus Pontifex jure ordinario *c.* 4. *de elect.* *c.* 3. *h. t.* nam solius Papæ est conferre plenitudinem Pontificalis officii, quæ per pallium significatur. Olim ex privilegio pallium conferre potuerunt quatuor principales Patriarchæ, Alexandrin. Jerosol. Antiochen. Constantinopolitanus. ℞. *ad* 2. De jure communi pallium conferendum est Archiepiscopis, & his Majoribus, ut Primatibus, & Patriarchis; ad quod instanter petendum obligantur intra trimestre a die consecrationis suæ: vel si consecrati sunt, a die confirmationis; alioquin ob negligentiam commissa sibi dignitate privantur *Canon.* 1. 2. *dist.* 100. Volentes autem pallii traditionem impedire per objectionem criminis, aut defectus, observare tenentur *extrav. unic. h. t. inter com.* At ex privilegio pallium conceditur quibusdam Episcopis, ut Ostiensi, qui Papam consecrare solet, Papiensi, Lucensi, quinque Ecclesiensi, hodie Passaviensi &c.

3. Q. II. *Quod jus, seu auctoritas per pallium conferatur?* ℞. 1. Confertur jus tituli, seu nominis Archiepiscopalis: nam ante obtentum pallium non dicitur Archiepiscopus, sed Metropolitanus *c.* 3. *h. t.* 2. Confertur jus, seu plenitudo Archiepiscopalis officii, in hoc consistens, quod Metropolitanus post acceptum pallium exercere possit actus *simpliciter Archiepiscopales*, ut visitare provinciam, cogere concilium provinciale &c. & actus *Episcopales majores*, ut conficere chrisma, dedicare Ecclesias, ordinare Clericos, benedicere Abbates, & virgines &c. *cap.* 28. *de Elect.* Minores autem actus Episcopales exercere potest ante obtentum pallium, ut consecrare calices, causas cognoscere, & delegare, licentiam dare alteri Episcopo ad ordinandos Clericos &c. *cap.* 11. *de elect.* Item ab alio invitatus extra provinciam suam solemniter exercere potest actus pontificales, ut consecrare Episcopos &c. nam extra provinciam suam actus illos exercet, non ut Archiepiscopus, sed ut Episcopus simplex, cum extra provinciam pallio uti nequeat *cap.* 1. *hoc tit.* 3. Hoc jus palli est personale certo territorio definitum *cap.* 2. *hoc tit.* unde nec alteri est commodabile, nec transmissibile ad successorem, nec transferibile ad alterum Archiepiscopatum. Unde si Archiepiscopus transferatur ad alium Archiepiscopatum, novum pallium petere debet *cap.* 4. *de postul. Prælat. in fin.* & mortuus cum utroque sepeliri. Si vero pallium incendio, vel alio casu absumatur, non poterit exercere actus majores pontificales, nisi urgeat necessitas, & utilitas Ecclesiæ.

4. Q. III. *Quis sit usus pallii?* ℞. 1. Romanus Pontifex semper, & ubique; ceteri nec semper, nec ubique pallio uti possunt *c.* 4. *h. t.* ubi ratio additur, quia Papa *assumptus est in plenitudinem Ecclesiasticæ potestatis*, alii vero *vocati sunt in partem solicitudinis*. ℞. 2. Archiepiscopi utuntur pallio limitate quo ad locum, scilicet in Ecclesiis suæ provinciæ tantum *cap.* 1. *h. t.* ex quo explicatur, & suppletur *c.* 6. *eod.* ibi: *ubicumque*, hoc est, in quacumque Ecclesia tuæ provinciæ. Quod tempus concernit, assignantur certæ festivitates, & dies, quibus eo uti possunt, ut festa Domini, Apostolorum, quatuor festa B. V. in dedicatione, ordinatione &c. si tamen privatim celebrent, non tenentur uti, cum hujus usus sit inter missarum solemnia *c.* 4. *h. t.*

5. Q. IV. *An Archiepiscopus uti possit pallio in Ecclesia exempta suæ provinciæ, etiam Rectore illius invito?* Negat Pichler, sed cum communiori ℞. affirmative, ita Abb. Engl. Schmalzgr., & alii, ex *Clem.* 2. *de Privil.* ubi Episcopo, & Archi-Episcopo expresse conceditur usus pontificalium in loco exempto suæ diœcesis, aut provinciæ, neque fit ulla exceptio pallii: nam talis celebratio cum pallio ad dignitatem & honorem potius, quam ad jurisdictionem spectat, ergo concessa videtur per cit. Clement.

Dices: 1. Juxta *c.* 4. *h. t.* Archiepiscopi uti possunt pallio in Ecclesia sua, in qua jurisdictionem acceperunt. 2. Pallium significat potestatem, & solicitudinem pastoralem, quæ non datur in exemptos. ℞. *ad* 1. *cit. cap.* 4. procedit de jure ordinario; nostra autem resolutio fundatur in privilegio Clementinæ. *Ad* 2. Dist. ant. significat in loco apto, & ordinario, con. an. in loco non recipiente hanc significationem neg. an. nam pallium in loco subjecto significat & honorem, & jurisdictionem: in loco autem non subjecto, sed exempto, solum honorem, sicut insignia proconsularia *l.* 1. *ff. de off. Procon.*

TITULUS IX.

De Renuntiatione.

Agitur de hac in Sexto, & Clemen. *h. t.* In Decreto 7. *q.* 1. & 2. item in 17. *q.* 1. & 21. *q.* 2.

1. *Nota* 1. Renuntiationem in genere esse voluntariam alicujus juris remissionem. At hic renuntiatio specifice accepta, & provisioni quasi contraria, est libera remissio juris in beneficio Ecclesiastico habiti, ex justa causa, & cum consensu Superioris legitimi eam acceptantis facta.

2. *Nota* 2. Renuntiationem esse duplicem, *expressam*, quæ fit verbis juxta formam a jure præscriptam, & *tacitam*, quæ fit facto aliquo, quod vel ex natura sua, vel ex dispositione juris inducit cessionem beneficii; ut si minorista uxorem ducat, vel fiat miles *c.* 1. *de Cleric. conjug.* si quis consequatur alterum beneficium incompatibile *c.* 28. *de Præb.* Rursum renuntiatio expressa vel est *pura* nulli conditioni, modo, aut pacto alligata, vel est *modificata*, seu *conditionalis*, quæ fit sub certa conditione, modo, aut pacto; cujus species sunt: resignatio *ex causa permutationis in favorem certæ personæ*, & *non alias*, *cum reservatione fructuum*, aut *pensionis*: item cum reservatione *accessus*, *ingressus*, & *regressus*. Tunc reservatur *accessus*, dum resignans, v. g. puer incapax administrandi beneficii, reservat sibi jus post adeptam ætatem propria auctoritate accedendi, seu occupandi beneficium. Tunc reservatur *ingressus* dum resignans beneficium collatum, necdum a se possessum, reservat sibi jus illud ingrediendi in casu, quo resignatarius citius moreretur. *Regressus* reservatur, dum resignans beneficium a se possessum, reservat sibi jus regrediendi ad illud in casu, quo resignatarius citius moreretur, vel alio modo amitteret beneficium.

3. Q. I. *Quæ beneficia sint, vel non sint resignabilia?* ℞. *ad* 1. Omnia, sive minora, sive majora, nisi reperiantur specialiter excepta: nam juxta regulam generalem *l. final. C. de Pactis.* quisque juri suo renuntiare potest. Et ne dubium esset de Papatu, S. Cœlestinus V. declaravit, licitum esse renuntiare Papatui: id ipsum confirmat Bonif. VIII. *c.* 1. *h. t. in* 6. nam salus animæ, & utilitas Ecclesiæ talem renuntiationem suadere potest. ℞. *ad* 2. Dantur beneficia, quibus renuntiari nequit pro voluntate beneficiarii: & quidem 1. non valet renuntiatio beneficii *titularis*, ad cujus titulum quis ordinatus est, nisi copulative hæc duo exprimantur, quod scil. sit beneficium *titulare ordinationis*, & quod resignans stabilia sufficientia, habeat ad congruam sustentationem, *Trid. sess.* 21. *c.* 2. *de ref.* 2. Beneficium *litigiosum* nequit resignari in favorem alterius non litigantis *c.* 2. *ut lite pend.* Item beneficia patronata, electiva, unita monasteriis, aut aliis capitulis, in commendam habita, per intrusionem sine titulo Canonico obtenta, non possunt in favorem tertii resignari, cum hoc cederet in aliorum præjudicium; licet alioquin simpliciter, & pure eis renuntiari possit.

4. Q. II. *Qui beneficiis renuntiare possint?* ℞. Omnes, qui specialiter a jure non prohibentur: nam renuntiatio est de materia generaliter permissorum; ergo cuilibet permissa videtur, cui specialiter non prohibetur. Prohibentur autem 1. Furiosi, & mente capti *c.* 5. *h. t.* 2. In sacris constituti, si per hoc careant debita sustentatione, S. Pius Const. incip. *Quanta* 1568. *die* 1. *April.* 3. Clericus impubes sine auctoritate tutoris, & decreto Superioris *arg. c.* 2. *de ætat. & qual.* at Clericus minorennis, qui necdum 25. annos complevit, valide renuntiat, cum in beneficialibus habeatur pro majorenni *c. fin. de judic. in* 6. si tamen læsus est, succurritur ei restitutione in integrum, sicut aliis minoribus. 4. Novitius, cui non permittitur renuntiatio, nisi conditionata ante duos ultimos menses, si professio secuta fuerit, Trid. *S.* 25. *c.* 16. *de Regul.* ne minuatur ei libertas profitendi ob defectum sustentationis. 5. Criminosus, si ob crimen ipso facto privatus est beneficio; cum in tali casu nihil habeat suum proprium, quod resignare possit. At si primo per sententiam pri-

privandus est beneficio, valide illud resignat, non tantum simpliciter, sed etiam in favorem tertii; cum tali casu adhuc jus, & titulum habeat, donec per sententiam eo privetur. 6. Infirmus valide non renuntiat in favorem tertii, nisi post renuntiationem supervivat 20. dies completos ex celebri regula 18. Cancellariæ, quæ dicitur *Regula de viginti*, seu *de infirmis resignantibus*, ut impediantur hæreditariæ successiones in beneficiis: quam praxis curiæ extendit etiam ad sanos resignantes; ita ut si moriantur intra diem vigesimum, beneficium dicatur vacare per mortem, non per resignationem: oppositum tamen tenet Engl. *de Præb. num.* 30.

5. Q. III. *An, & quæ causæ requirantur ad resignationem*? R. 1. Ut resignatio Episcopatus rite fiat, requiritur justa causa: tum quia vinculum Episcopale, cum sit juris divini, temere dissolvi non potest; tum quia arbitrariæ resignationes cederent in magnum detrimentum Ecclesiæ. 2. Justæ causæ cedendi Episcopatui enumerantur sex in *c.* 10. *h. t.* ad quas ceteræ reduci possunt: *Debilitas corporis*, seu impotentia ad exequendum officium *Ignorantia*, seu defectus scientiæ necessariæ. *Mala conscientia* criminis impedientis exequutionem officii, ut simonia, assassinium &c. *Irregularitas* personæ, in qua non solet dispensari; uti ex Bigamia, ex homicidio voluntario, damnato coitu &c. *Malitia plebis*, cujus emendatio non speratur. *Grave scandalum*, quod pusilli ex actis, & præsentia Episcopi patiuntur. Causa *assumendi Religionem* non est sufficiens per se, nisi Episcopo immineret periculum suæ salutis, & adessent alii meliores: nam ut ait Innoc. III. *cit. cap.* 10. *facilius indulgetur, ut monachus ascendat ad præsulatum, quam præsul ad monachatum descendat*, nisi ante Episcopatum fecisset votum Religionis; tunc enim teneretur illud implere. Dictæ causæ comprehenduntur his versiculis; *Debilis, ignarus, male conscius, irregularis, quem mala plebs odit, dans scandala, cedere possit*. 3. Ad renuntiationem inferiorum dignitatum, & beneficiorum sufficiunt minores causæ, ut patet ex Constit. S. Pii V. *Quanta* 1568. 1. *April.* & quia Constit. ista non est ubique usu recepta, sufficit quæcumque rationabilis causa, etiam privata commoditas.

6. Q. IV. *Quid sit de forma renuntiationis*? R. 1. *Libertas*, secus renuntiatio metu, aut dolo extorta, vel ipso jure non valet, vel saltem judicis sententia rescindi potest *c.* 3. 4. *de his, quæ vi*. 2. Consensus eorum, quorum interest. 3. Ut fiat verbis specificis, & expressis *c.* 5. *h. t.* imo de stylo curiæ Rom. supplicatio fieri debet in scriptis. 4. Ut accedat consensus legitimi superioris *c.* 4. & *fin. h. t.* 5. Ut renuntiatio admissa publicetur secundum *reg.* 34. *Cancellariæ*, & Constit. S. Pii V. *Sanctissimus*, & Greg. XIII. *Humano*. Hæc tamen publicatio in Ecclesia cathedrali, vel Parochiali non observatur in Germania ob contrariam consuetudinem. Ceterum parum refert, an quis renuntiet personaliter, an per procuratorem libere, & cum speciali mandato constitutum, *Clem. un. h. t.* His rite observatis, sequitur effectus renuntiationis, scilicet resolutio juris, & tituli beneficialis, ut amplius fructus ex tali beneficio percipi non possint, nisi admissa fuisset resignatio conditionalis, quæ non sortitur effectum, nisi posita conditione.

7. Q. V. *Quis superior admittere possit renuntiationes*? R. 1. Superior habens jurisdictionem in renuntiantem *arg. c.* 4. & *fin. h. t.* nam resignatio quoad effectum æquiparatur destitutioni, cum per utramque dissolvatur titulus beneficii; ergo cujus est destituere aliquem beneficio, ejus est admittere renuntiationem: unde renuntiatio in manibus laici facta non valet *c.* 8. *h. tit.* licet Clericus sponte beneficium resignans, & illud denuo a laico suscipiens, in pœnam delicti sit eo privandus. Si vero illud resignet in manibus Ecclesiastici, qui non est legitimus superior, invalida est resignatio ex parte admittentis, utpote non legitimi superioris: valet tamen probabilius ex parte resignantis, quia æquiparatur pacto de non repetendo beneficio, sicut acceptilatio inutilis, licet non teneat, tamen habet vim pacti taciti de non repetendo *l.* 27. *ff. de pactis*. R. 2. Superiores, quibus competit jus admittendi renuntiationes absolutas, sunt *Papa* semper, & ubique, *Legatus a latere* in sua Provincia de jure communi *c.* 1. *de offic. leg. in* 6. *Episcopi* in sua diœcesi, exceptis beneficiis exemptis, capitulum sede vacante, prælati plenissime cum Clero, & populo exempti; & si qui alii idem jus habent ex privilegio. Possunt quoque iidem superiores admittere renuntiationes ex causa permutationis *cap.* 5. *de rer. permut. c. un. eod. in* 6. *Clem. un. eod.* licet jure antiquiori Episcopo prohibitum fuerit admittere renuntiationes ex causa permutationis *c.* 8. *de Præb.*

☞ *Hæ resignationes factæ extra curiam romanam etiam ex causa permutationis in manibus prædictorum collatorum ex cit. Greg. constit.* §. 7. *admitti, vel rejici debent intra mensem: & sic provisi tenentur eas publicare, & beneficii possessionem capere intra tres menses a die factæ provisionis sub pœna vacationis ipso facto promotionis, & beneficii. Provisi autem per resignationes, & permutationes factas in manibus Papæ tenentur sub eadem pœna ad dictam publicationem, & possessionem intra sex menses citra montes, ultra intra novem a data concessionis gratiæ; non a die præstiti consensus numerandos. Quæ constit. confirmata fuit a d. Bened. XIV. Constit.* Ecclesiastica, *ubi insuper inhibetur notario datariæ, ne recipiat consensus super quibuslibet resignationibus favore quorumcumque, etiam S. R. E. Cardinalium, factis, quoties mandatum procuræ habeat datam anteriorem octo mensium quo ad resignantes citra montes, vel duodecim quo ad degentes ultra montes. Item præcipitur supplicationem super admissione cujuscumque resignationis signari intra duos menses a data rescripti; ita ut intra sex menses a data concessionis quo ad beneficia citra montes, & intra novem quo ad existentia ultra montes, eorumdem possessio cum effectu capiatur, & gratiæ resignationum cum litteris apostol. publicentur ad formam constit. Greg. XIII.* Humano. *Inhibetur concessio prorogationis, etiam pro prima vice ad dictam publicationem faciendam, nisi prius docto de litteris expeditis in officio subdatarii privative quo ad alios Datariæ officiales: sicuti, & ulterioris prorogationis post primam, & secundam, nisi justificatum fuerit coram Datario impedimentum non factæ publicationis: a quo tot prorogationes concedi poterunt, quot necessariæ erunt usque ad remotionem impedimenti: sub pœna, his omnibus non servatis, nullitatis resignationum, & inhabilitatis ad beneficia aliter resignata obtinenda* ☜

R. 3. Admittere renuntiationes conditionatas *in favorem certæ personæ*, & *non alias*, cum reservatione *pensionis*, aut *fructuum*, vel cum reservatione *accessus, ingressus*, & *regressus*, solus Papa potest ex plenitudine potestatis: nam renuntiationes cum his conditionibus, & reservationibus sunt prohibitæ jure communi *Canon. plerique* 8. *quæst.* 1. *cap. un. benefic. Eccl.* Trid. *sess.* 25. *cap.* 7. *de refor.* Const. S. Pii V. supra relata, & alia *Romani Pontificis*. Nemo autem Papa inferior relaxare potest Jus commune. Ratio est, quia tales renuntiationes habent speciem hæreditariæ successionis, dant occasionem captandæ mortis alienæ, fovent ambitiosam cupiditatem Clericorum; ergo merito prohibentur sub gravibus pœnis simoniæ confidentialis, de qua *lib.* 5. *tit.* 3. Sub eadem prohibitione stant resignationes reciprocæ, triangulares, & quadrangulares; dum duo, tres, vel quatuor permutant beneficia cum conditione, ut aliquod beneficium detur tertio. Plura de his Reiff. Ceterum licet quæcumque pacta inhonesta, & simoniam olentia, prohibita sint in resignationibus beneficiorum; id tamen permissum videtur Episcopo, ut ex gravi causa, puta ob necessitatem, vel magnam utilitatem Ecclesiæ imponere possit beneficio pensionem temporaneam ad vitam beneficiati, de quo agi solet *lib.* 3. *tit.* 12.

☞ *In Constit. Bened. XIV.* In sublimi 29. *August.* 1741. *damnantur, & annullantur pacta cassationis pensionis reservatæ in beneficiorum resignatione contemporanea ipsi resignationi per anticipatas, vel anticipandas solutiones: sicuti & omnes cassationes, ac abolitiones pensionum per anticipatas solutiones obtentæ intra sex menses a capta possessione beneficii, etiamsi probari nequeat, nullum præcedens pactum intervenisse & cassatio sequuta fuerit vigore supplicationis a Papa signatæ, quæ ut subreptitie obtenta declaratur. Insuper tam resignans, quam resignatarius ipso facto, & absque*

alia declaratione privantur beneficio: & declarantur inhabiles ad alia assequenda, sub pœna resignatario restituendi, & quidem sub peccato gravi, pecunias pro cassatione hujusmodi pensionis simoniace perceptas, applicandas arbitrio Ordinarii locis piis, vel pauperibus. Irritantur denique cassationes, seu translationes commodi, aut utilitatis percipiendi fructus pensionum facta intra sex menses a capta possessione, & etiam ultra aliud temporis spatium, si constiterit hoc pactum præcessisse. Hæ eædem irritationes confirmantur in altera ejusdem Pontif. Constit. Ecclesiastica 15. *Jun.* 1746.

8. Q. VI. *An Episcopus beneficium resignatum conferre possit consanguineis, vel familiaribus resignantis, vel suis, vel illi, pro quo facta est commendatio, preces, & alia signa, ut esset successor resignantis?* ℞. Negative; & quidem sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Papæ reservatæ, ubi observatur *cit.* Bulla Piana, *Quanta*.

Ex decreto Cong. Conc. approbato a Greg. XIII., relat. a Bened. XIV. lib. XIII. de Synod. Diœc. cap. 24. n. 4. neque id potest, licet beneficium resignatum conferendum esset per concursum, ad quem ne admitti quidem debent. Secus, si beneficium vacaret per obitum ex declaratione Sixti V. ad Bullam Pianam relata ibid. n. 5. Hæc tamen prohibitio locum non habet in permutationibus, quas Pius admittere permittit Episcopo, dummodo sint sacris Canonibus consonæ, nec mala fide, & fraudulenter coram ipso fiant, idest incommodum potius permutantium, quam in Ecclesiæ utilitatem, vel necessitatem, ut animadvertitur cit. cap. n. 10.

Nec locum habet in resignationibus, beneficiorum juris patronatus, ex declaratione dicti Greg. adnotata in libris Cong. Conc. ut ex testimonio Cardinal. Hyeron. Matthæi Præfecti relato a Quaranta verb. benef. resignation.

9. Q. VII. *An renuntians pœnitere possit?* ℞. Potest, si necdum licentiam, & consensum obtinuit: secus si jam obtinuit *c.* 12. *h. t.* ubi obtenta licentia coguntur Clerici cedere beneficiis; ergo a sensu contr. si licentia nondum obtenta est, locus erit pœnitentiæ; cum sic non illudatur superiori. Vide Parif.

TITULUS X.

De supplenda negligentia Prælatorum.

De hac materia agitur in Sexto, & Clem. *h. t.* In Decreto *d.* 84. & 86. & *Canon. negligere* 2. *q.* 7. In Trident. *sess.* 5. *de refor. cap.* 1. *§. in monasteriis* & *cap.* 2. *§. si qua.* & *sess.* 21. *cap.* 8. *sess.* 24. *cap.* 20. *§. legatis c.* 16. *v.* & *si Ecclesia sess.* 25. *de regul. c.* 8. 14. 22. *v.* & *quia.*

1. Nota nomine *Prælatorum* hic venire Superiores jurisdictione ecclesiastica præditos, tam *contentiosa*, quæ exercetur in invitos, ut in judiciis, & punitionibus; quam *voluntaria*, quæ exercetur in volentes; ut ordinatio, beneficiorum collatio, dispensatio &c. Item eos, quibus jus Patronatus nominandi, aut conferendi beneficia competit. Est autem negligentia omissio ejus, quod Prælatus de jure, aut consuetudine facere tenetur. Hic potissimum agitur de negligentia commissa in provisione beneficiorum, & administratione justitiæ.

2. Q. I. *A quibus suppleatur negligentia commissa in provisione beneficiorum?* ℞. 1. Si beneficium collativum, seu liberum spectat ad solum Episcopum, secluso capitulo, vel ad solum capitulum, secluso Episcopo, negligentia ab uno commissa suppletur ab altero. *c.* 2. *de concess. Præb.* ut ita negligentiam corporis caput, seu Episcopus suppleat, & negligentiam capitis suppleant membra, seu Canonici. Quæ dispositio specialis est, ut Canonici tamquam inferiores suppleant negligentiam Episcopi, tanquam Superioris; cum alias inferior Superiorem corrigere non possit. Excipe, nisi jus conferendi Episcopo competat titulo speciali, ut ex privilegio, delegatione, vel devolutione; tunc enim negligentiam Episcopi supplet Archiepiscopus, vel alius Superior. ℞. 2. Si beneficium spectat communiter ad Episcopum ut prælatum, & capitulum simul, uno negligente, & præmonito, potest collatio fieri ab altero intra semestre, secus, utroque negligente, jus conferendi devolvitur ad Archiepiscopum, vel alium Superiorem, *cap. fin. hoc tit. cap.* 15. *de concess. Præb.* Excipit Barbos. in *cit. cap.* 15. casum, quo beneficium spectat ad Episcopum, non ut prælatum, seu ut privatum Canonicum; tunc enim jus conferendi devolvitur ad Episcopum ut prælatum. ℞. 3. Si collator, vel præsentator sit persona singularis inferior Episcopo, & statuto tempore non conferat, vel præsentet, jus conferendi regulariter devolvitur ad Ordinarium loci; & hoc negligente, gradatim ad Metropolitanum, Primatem, Patriarcham, & Papam. *Clem. un. h. t.* ℞. 4. In casu negligentiæ beneficia electiva exempta devolvuntur ad Papam; non exempta, si cathedralia sint, ad Archiepiscopum (exceptis episcopatibus Germaniæ, quorum confirmatio ex concordatis spectat ad Papam) si inferiora, ad Episcopum ex recentiori Constit. *cap.* 41. *de Elect.* edita in Conc. Lateran. *an.* 1215. qua corrigitur jus antiquius editum *an.* 1210. & relatum in *cap.* 12. *de concess. Præb.* ubi provisio Episcopatuum negatur devolvi ad Archiepiscopum. Jam si provisio beneficii per Superiorem facta, quacumque ex causa non subsistat, jus providendi redit ad ordinarios collatores, quia tantum pro hac vice eo jure sunt privati, ut alias dictum ex *cap.* 41. 42. *de Election.* nisi per appositionem manus papalis beneficium sit affectum; hoc enim ab alio, quam Papa conferri nequit Schmalz. & alii. Circa devolutionem in casu, quo indignus eligitur, vide *tit. de Elect. num.* 19.

3. Q. II. *An capitulum, sede vacante, conferre possit beneficia inferiorum collatorum negligentium ad Episcopum devoluta?* ℞. Negative ex *cap.* 2. *ne sed. vacan.* regula 2. cancellariæ, & constit. S. Pii V. *Sanctissimus*, ubi beneficia devoluta reservantur Papæ. In Germania tamen ob concordata aliter servatur.

4. Q. III. *An mora per celerem provisionem purgari possit?* v. g. si provisio sequatur statim post elapsum tempus a jure statutum? ℞. Negative Com. ex *cap. fin. hoc. tit.* & *cap.* 41. *de elect.* Ratio est, quia lapso tempore, potestas statim devolvitur ad Superiorem; ergo ordinarius collator, utpote destitutus potestate, non potest valide conferre, neque per celerem provisionem jus Superiori quæsitum auferre, nisi is ex benignitate sua consentiat, & approbet collationem posterius factam, sicut in *cap.* 4. *hoc. tit.* His non obstat *cap. fin. de locato cap.* 6. *de reb. Eccl. cap.* 24. *de offic. deleg. l.* 8. *ff. si quis cautionib. l.* 26. *C. de fidejuss.* nam tunc mora non purgatur, dum lapso die, jus potestatem transfert in alium, vel pœnam apponit *l.* 77. *ff. de V. O. l.* 23. *ff. de O. & A. l.* 13. *C. de contrahend. stipul. l.* 2. *C. de jure emph.*

5. Q. IV. *An jurisdictio Episcopi negligentis, qui subditis non administrat justitiam, causas cognoscendo, absolvendo, condemnando &c. devolvatur ad Archiepiscopum?* Affirmat Azor, Engl, Konig, & alii; sed cum potioribus. ℞. Negative *ex Can.* 39. *pervenit.* 11. *q.* 1. & *cap.* 1. *h. t. in* 6. nam regula generalis est negativa, quod Archiepiscopus non habeat jurisdictionem in subditos sui Suffraganei, exceptis quibusdam articulis, seu casibus a jure expressis, *cap.* 11. *de offic. Ord.* sed casus negligentiæ ab hac regula non reperitur exceptus; ergo jurisdictio negligentis Episcopi in materia justitiæ non devolvitur ad Archiepiscopum in prima instantia, bene vero in causa appellationis *cap.* 3. *pr. de appell. in* 6. Ceteros casus exceptos enumerat glossa *cit. cap.* 11. *de offic. Ord.* quos in *d. t.* referemus. Unde aliud remedium adhibendum est, scil. recursus ad Archiepiscopum, vel Papam, ut Episcopum compellant ad administrationem sui officii in materia justitiæ, & curæ pastoralis.

Dices: regula affirmativa est, quod Archiepiscopus tamquam superior suppleat omnem negligentiam Episcopi, tamquam inferioris, nisi specialiter prohibeatur in casibus exceptis: sicut *cap.* 1. *h. t. in* 6. tum quia rubrica *hoc tit.* de supplenda negligentia, est generalis affirmativa; tum quia *cap.* 11. *de off. ord.* non procedit in casu negligentiæ; sed nullibi ab hac regula excipitur casus negligentiæ in materia justitiæ, ergo. ℞. Negative maj. nam regula ista nullibi in jure traditur, neque illam continet rubrica *h. t.* cum careat sensu completo, & dispositive allegari nequeat: e contra

tra regula negativa expresse traditur *cit. c.* 11. *de off. ord.* atque ita locus est celebri regulæ: *in materia generaliter prohibitoria, quod expresse non conceditur, intelligitur denegatum. Clem.* 1. *v. porro de V. S.* Ex his solvuntur Canones in 9. *q.* 3. *c.* 2. & 3. *h. t.* nam ne jurisdictiones Episcoporum perturbentur, recte prohibetur Archiepiscopis causas alienorum subditorum cognoscere. Vide *resol.* 2. *h. t. in nostris resol. Can.*

6. Q. V. *Ad quem devolvatur jurisdictio si Episcopus inhabilis est ad exercendum suum officium?* ℞. cum distinctione: si Episcopus est inhabilis ex culpa, v. g. quia excommunicatus est, recurri debet ad Papam, ut eum absolvat, vel alio modo provideat Ecclesiæ *Canon. cuncta* 9. *q.* 3. si vero inhabilis est ex alio impedimento, v. g. ob captivitatem, ob iter ad terras longinquas, nisi tunc administratorem constituisset, jurisdictio devolvitur ad capitulum *c.* 3. *h. t. in* 6. De dando curatore Episcopo insufficienti, & administratore vacanti Ecclesiæ, vide *c.* 2. & *fin. h. t. in* 6.

7. Q. VI. *An Judex Ecclesiasticus supplere possit negligentiam judicis laici?* ℞. Affirmative ex *c.* 6. 10. & 11. *de foro comp.* ubi in casu, quo judex laicus malitiose differt terminationem causæ feudalis, adiri potest Ecclesiasticus, ut debitum ei finem imponat. Ratio est, quia potestas laica in Republ. Christian. subordinata est spirituali *c.* 6. *de M. & O.* eique ratione peccati, & conscientiæ subest; ergo si laicus negligat justitiam administrare, Ecclesiasticus, eum compellere, & negligentiam supplere potest; sicut exigente justitia, Papa quandoque principum negligentiam supplere solet. E contra, quia potestas Ecclesiastica non subjicitur sæculari, laicus negligentiam Ecclesiastici supplere nequit. Plura de his Reiff. a *n.* 45. Barbos. *tit. de Constit. n.* 7.

8. Q. VII. *An abbates electi, & confirmati, quos Episcopus, ter humiliter requisitus, benedicere renuit, possint exercere officium abbatiale, proprios monachos benedicendo, minores conferendo* &c.? De jure Com. affirmative ex privilegio Alex. III. *c.* 1. *h. t.* nam talis negligentia Episcopi, & benedictio suppletur ab ipso Jure; cum benedictio abbatum non sit ordinatio, vel consecratio; tum quia abbas sacerdos, licet regulariter non possit suis subditis conferre ordines, nisi sit benedictus ab Episcopo, tamen eos conferre potest ex privilegio, & delegatione juris. Hinc solvitur *cap.* 11. *de ætat. Can. quoniam n.* 69. Neque privilegium hoc sustulit Bened. XIII. const. incip. *Commissi*, sed solum abusus sustulit, & observari præcepit formam statutam *cap.* 1. *h. t.* sub pœna suspensionis ab officio per annum ipso jure incurrenda. In eadem constit. declaravit privilegium suscipiendi hanc benedictionem a quocumque catholico antistite tunc procedere, dum Ordinarius diœcesanus ter humiliter requisitus renuit benedicere. In §. *universos* sub pœna interdicti ab usu Pontificalium per annum vetat, ne Episcopi benedicentes quidquam, licet modicum, etiam comestibile, recipere audeant ante, vel post benedictionem.

☞ *Ex eadem const. dicti abbates, licet perpetui solum ratione administrationis, tenentur, ut supra suscipere benedictionem sub pœna suspensionis ab officio per annum ipso jure incurrendæ, intra annum a die eorum electionis computandum. Ab hoc onere eximuntur dumtaxat illi, quibus a S. Sede concessum est hoc exemptionis indultum directe, non vero per communicationem cum aliis Ordinibus hac exemptione gaudentibus. Item eximuntur ii, quibus ab eadem S. Sede indultum est, ut vel a suis superioribus regul. aut ab eorum prælatis delegatis benedictionem sumere possint: vel a d. S. Sede speciatim concessum est, ut statim electi, habeantur pro benedictis a Papa.* ☜

Hactenus de modis, quibus personæ Ecclesiasticæ promoventur ad dignitates, nunc a seq. titulo usque ad 22. agetur de ordinationibus Clericorum, & impedimentis ordinandorum.

TITULUS XI.

De temporibus Ordinationum, & qualitate Ordinandorum.

De hac materia agitur in Sexto *h. t.* In Decreto *dist.* 21. 23. 24. & *d.* 49. 50. 51. 59. 60. 78. & in causa 9. *q.* 1. 2. & causa 15. *q.* 8. In Trid. *sess.* 7. *c.* 9. 10. 11. *de refor. sess.* 21. *c.* 2. *de ref. sess.* 23. *de Sacram. Ord. & c.* 3. *& seqq. usque ad* 18.

1. Nota, ordinationem hic active accipi pro actione, qua Episcopus tribuit ordinato potestatem aliquam circa Eucharistiam; ista vero potestas dicitur *Ordo*, seu ordinatio passive.

§. I.

De Ordinationibus Clericorum.

2. Q. I. *An prima tonsura sit Ordo proprie talis?* Affirmat Fagn. Pichler, & alii, sed cum Comm. TT. & veriori Canon. ℞. negative. Prob. 1. ex *Canon.* 1. *d.* 77. ubi Cajus Papa enumerando ordines, nullam mentionem facit primæ tonsuræ, uti nec Sylvester Papa in Synodo Romana relata in *Can.* 5. *d.* 93. & Trid. *sess.* 23. *c.* 2. primam tonsuram expresse distinguit ab omnibus ordinibus minoribus, & majoribus; subditque septem ordines ab ipso Ecclesiæ initio sua habuisse nomina, & ministeria. Ex his sumitur *arg. ab auctoritate negativa*: Pontifices, & concilia in materia doctrinali dicunt septem esse ordines; ergo tonsura non est octavus ordo. Ratio est, quia ordo est potestas circa ministerium altaris; sed per primam tonsuram nulla similis potestas confertur, sed præcise laicus assumitur in sortem Domini, & elevatur ad statum Clericalem.

Obj. *Can.* 1. *d.* 21. novem ordines enumerantur, & prima tonsura venit nomine *Psalmistatus* 2. *cap.* 11. *de ætate, & qualit.* dubium fuit resolutum, quod per primam tonsuram ab abbatibus conferatur Clericalis ordo; non potuit autem dubitari de ordine improprie tali, cum hoc notum sit omnibus.

℞. ad 1. Isidorus, cujus auctoritas utique cedere debet auctoritati Pontificum, & conciliorum, in *cit. Canon.* 1. enumerat solum varios gradus, & officia Clericorum, non vero ordines, ut sunt sacramenta: alioquin duodecim essent ordines, cum ibi dicat, quod ordo Episcoporum sit quadripartitus. Quod psalmistatum concernit, ex toto jure probari nequit, nomine ejus venire primam tonsuram. Est ergo Psalmistatus officium simplex cantoris, etiam non Clerici, ut clare colligitur ex *Canon.* 20. *d.* 23. Dum vero adscribitur proprie Clericis, est officium speciale lectoris, non vero ordo distinctus a lectoratu: quo sensu bene explicatur *cit. c.* 1. & alii Cann. similes, cum nihil referat, an verbum divinum legatur, an canteur? *Ad* 2. nimis probat; alioquin Conc. Trid. ignorasset hanc decisionem, & theologi nostræ sententiæ in materia dogmatica tam crasse errarent contra definitionem Pontificiam. Frustra igitur adversarii fingunt sibi, tale dubium fuisse propositum, cum nihil aliud quæsitum fuerit, nisi hoc: an, & qui abbates ex privilegio septimæ synodi suis monachis, & novitiis conferre possint hanc tonsuram? quod dubium non fuit irrationabile, sed cum Episcopis controversum. Vide Gonzal. in *d. c.* Hic adhuc objici solent *Canon. Cyprian.* 21. *q.* 2. *c.* 2. *d.* 44. *Can. si quis* 27. *d.* 1. *c.* 2. *de Pœnis in* 6. circa depositionem, & degradationem, & plura similia; sed plus non probant, nisi primam tonsuram esse ordinem late talem, ut sumitur pro statu Clericali, & dispositione ad veros ordines.

3. Q. II. *An ordines minores, & majores, & Episcopatus sint sacramenta.* ℞. 1. Presbyteratus, & Episcopatus adæquate acceptus, prout includit Sacerdotium, est verum novæ legis Sacramentum, ita de fide ex Trid. *sess.* 23. *Canon.* 3. Diaconatum, Subdiaconatum esse Sacramenta ordinis communissima docet sententia, & idipsum de minoribus quatuor affirmat communior fundata in Trid. *sess.* 23. *cap.* 2. *& Canon.* 2. ℞. 2. Episcopatus substantialiter non distinguitur a Sacerdotio, sed tantum extensive, & per modum complementi: ita verior sententia fundata in *citat. Trid. sess.* 23. *cap.* 2. ubi tantum septem ordines numerantur: nam potestas conficiendi corpus Christi est maxima, cui deinde per subsequentes ordinationes accedit potestas ligandi, & solvendi, confirmandi, & ordinandi. Hoc, & non plus probant argumenta contraria ducta ex Trid. *sess.* 23. *c.* 4. ibi: *docet insuper Canon.* 6. & 7. *& Canon.* 1. *d.* 21. &c.

4. Q. III. *Quis minister sit validæ ordinationis?* ℞. 1. De potestate ordinaria est solus, & omnis Episcopus consecratus, Trid. *sess.* 23. *Canon.* 7. nam simplex Sacerdos non habet complementum perfectivum Sacerdotii, vi cujus jure ordinario ordinare possit, sed Episcopus, cujus character plene completus est ad valide exercendos omnes actus ordinis Sacerdotalis. Nec obstat, quod in antiquis Canon. ordinationes ab Episcopis simoniacis, excommunicatis, & aliter impeditis factæ, dicantur *irritæ*: nam irritæ solum sunt quoad exequutionem, quia ab his ordinatus, suspensus est ab exercitio ordinum, licet ceteroquin validæ sint quoad substantiam ordinis suscepti. ℞. 2. De potestate extraordinaria, seu ex privilegio, & delegatione Papæ minores ordines conferre potest simplex sacerdos; uti Cardinales in Ecclesiis suorum titulorum, Abbates regul. ab Episcopo benedicti jus exercendi Pontificalia habentes; quibus tamen potestas ista restricta est a Trid. *sess.* 23. *cap.* 10. *de reform.* ut non alios, sed suos tantum Religiosos ordinare possint, nisi consensus Episcopi accederet, cum restrictio ista facta sit in gratiam Episcoporum.

Vide Elencho II. n. CLXIX.

Insuper ex delegatione Papæ Abbates, & alii simplices Sacerdotes conferre possunt Subdiaconatum.

5. Q. IV. *Quis Episcopus sit minister licitæ ordinationis?* ℞. Solus Episcopus proprius, & de ejus licentia, vel privilegio Papæ alienus *Canon. nullus* 9. *q.* 2. Trid. *S.* 23. *c.* 8. *de reform.* ibi: *unusquisque autem a proprio Episcopo ordinetur.* Proprius dicitur 1. *Episcopus originis*, ex cujus diœcesi aliquis oriundus est, licet per accidens parentibus peregre agentibus in alio loco natus sit, quia tunc fictione juris censetur natus in domicilio parentum *l.* 3. *C. de municipib.* Orti in loco nullius diœcesis pertinent ad Episcopum viciniorem. Infideles baptizati ad Ecclesiam, in qua baptizati sunt. Vagi de quorum origine non constat, subiicere se possunt cuicumque Episcopo. Barbos. 2. *Episcopus domicilii*, in cujus diœcesi aliquis verum domicilium fixit animo perpetuo ibi manendi, cum ita fiat subditus Episcopi. At quasi-domicilium non sufficit, & ideo studiosi alienigenæ in loco accademiæ ordinari non possunt. 3. *Episcopus beneficii*, in cujus diœcesi aliquis verum beneficium in titulum habet, cum ratione beneficii ei subdatur *cap.* 3. *h. t. in* 6. Episcopi speciale privilegium habent a Trid. *sess.* 23. *c.* 9. *de refor.* ut familiares suos non subditos, qui per triennium cum eis sunt commorati, ordinare possint, dummodo statim de beneficio eis provideant. Item nonnulli Regulares privilegia papalia habent suscipiendi ordines a quocumque Episcopo catholico, ut infra dicetur.

Circa familiares Episcoporum vide Elencho VI. n. XXVIII.

6. Q. V. *Quis possit dare litteras dimissorias ad alienum Episcopum?* ℞. I. Papa, & Episcopus confirmatus. II. Capitulum, sede vacante, in casibus solum a Trid. expressis *sess.* 7. *c.* 10. *de ref.* quas infra annum sedis vacantis non potest dare nisi illi, *qui beneficii Ecclesiastici recepti, sive recipiendi occasione arctatus est*, hoc est, qui actu habet beneficium, vel jus ad illud acquisivit per electionem, nominationem, aut præsentationem, & beneficium tale exigit aliquem ordinem; secus capitulum subjacere debet interdicto, & ordinatus in minoribus nullo gaudet privilegio; in majoribus vero ipso jure suspensus est ab exequutione ordinum. Circa Prælatos vide Trid. *sess.* 23. *c.* 10. *de ref.* At post annum vacationis Vicarius capituli dat dimissorias, ut declaravit Cong. Episc. & Reg. 1604. *die* 12. *Januar.*

Ex eodem decreto capitulum post electionem Vicarii capitularis, ad quam post dies octo a vacatione sedis devenire debet juxta Trid. sess. 24. de ref. c. 16. non potest per se ipsum dictas dimissorias concedere, tam arctatis intra annum, quam non arctatis post annum; sed per solum Vicarium, ad quem privative, non cumulative cum capitulo hujusmodi jurisdictio spectat, ut ex altero ejusdem Cong. decreto in Neritanen. 17. Sept. & Hydruntina 1. Oct. 1655., etiamsi electus fuisset cum hac, vel alia restrictione facultatis; quam capitulum nequit coarctare, neque sibi reservare, prout sæpius respondit eadem Sacr. Cong. Monacel. tom. 1. tit. 1. formul. 2. n. 16.

III. Vicarius generalis Episcopi sine speciali mandato non potest dare dimissorias *c.* 3. *h. t. in* 6. hæc tamen potestas in nostris regionibus plerumque committi solet eidem Vicario.

7. Q. VI. *Quid observandum circa dimissorias?* ℞. 1. Gratis concedi debent; notarii tamen in illis locis, in quibus salarium non habent, vel non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, decimam aurei partem, seu octo grossos germanicos accipere possunt, Trid. *sess.* 21. *cap.* 1. *de ref.* 2. Dimissoriæ generaliter datæ præsentari possunt cuicumque Episcopo catholico; datæ vero specialiter ad certum Episcopum, ei præsentari debent pro impetranda ordinatione. 3. Hæ, quamdiu non revocantur, durant; & cum sint gratiæ adinstar, morte concedentis non expirant.

§. II.

De Temporibus Ordinationum.

8. Q. I. *Quo tempore ordinationes sint faciendæ?* ℞. 1. Prima Tonsura quocumque anni tempore, die, ac hora, etiam extra missam conferri potest, ut ex Pontificali Rom. & generali consuetudine. ℞. 2. Minores ordines conferri possunt non tantum in consuetis ordinationibus, sed etiam quovis die dominico, aut festo, hora matutina, nisi aliud consuetudo habeat, etiam sine jejunio, aut sacrificio ordinantis *cap.* 1. & 3. *hoc tit.* & *Pontif. Rom.* Nomine autem *Festi*, ut declaravit S. Congr. teste Fagn. *cap.* 3. *hoc tit. numer.* 42. proprie illud intelligitur, quod in foro a populo celebratur: sed attenta consuetudine practice tutum est minores conferri posse die festo duplici saltem de præcepto.

Non possunt autem conferri post prandium, v. g. feria sexta ante diem sabbati quatuor temporum, nisi adsit contraria immemorabilis consuetudo, quæ licet tolerari possit, expedit tamen, ut Episcopus se conformet Rituali Romano tit. de Minor. Ordin. ut rescripsit Congr. Conc. in Portallegren. 13. Ap. 1720. in Thes. Resol.

℞. 3. Ordines de jure com. conferri non possunt, nisi in sabbatis 4. temporum, sabbato *Sitientium* dominicam passionis præcedente, & sabbato *sancto*, servato jejunio, & intra missam *Can. fin. d.* 75. *c.* 1. 3. *h. t.* & Trid. *sess.* 23. *c.* 8. *de ref.* contraria autem consuetudo penitus reprobatur *c.* 2. *h. t.* Quod si ex aliqua causa ordinatio omnium absolvi non potuit sabbato, fieri potest die dominica, continuato jejunio Ecclesiastico; ita tamen, ut hi, qui pridie unum sacrum ordinem susceperunt, non possint die dominica alterum suscipere *Canon.* 4. *d.* 75. quia dies sabbati, & dies dominica matutina fictione juris censentur una dies. Privilegiatus autem quoad tempora, & interstitia potest sequenti dominica suscipere alterum sacrum ordinem; quia hic fictio cedere debet veritati, cum die dominica re vera sit alia a die sabbati. ℞. 4. Consecratio Episcopi regulariter fieri debet die dominica, vel in natalitiis Apostolorum. *Canon. fin. d.* 51. *Canon.* 1. & 5. *d.* 75. servato ritu in Pontificali præscripto. Ad consecrationem Episcopi præter unum principalem consecratorem requiruntur duo assistentes Episcopi *Canon.* 7. *d.* 23. non tamen jure divino, cum hoc sufficienter non probetur, sed jure Comm. Ecclesiastico, in quo nec Metropolitanus, utpote inferior, dispensare potest: quo sensu procedunt *Canon.* 5. *d.* 68. *c.* 6. 7. *h. t.* Papa autem concedere potest, ut Episcopus ab uno solum Episcopo consecretur, assistentibus duobus Abbatibus, vel personis in dignitate Ecclesiastica constitutis; sicut S. Pium V. concessisse testatur Barb. nam assistentia duorum, vel plurium Episcoporum non videtur excedere ritum accidentalem, ut colligitur ex *Canon.* 1. *Apostolorum* & *c.* 7. *h. t.* Nec obstat *Canon.* 5. *d.* 68. & Epist. Joann. III. ad Epp. Germaniæ, & Galliæ ubi dicitur: *eum non esse Episcopum, qui minus, quam a tribus Episcopis factus fuerit*: nam hi, & similes textus non negant characterem Episcopalem ab uno Episcopo conferri posse, sed præcise ita consecratum quoad usum, & exercitium ordinis Episcopalis non esse Episcopum asseverant, nisi dispensatio papalis accedat. Sic communior sententia, donec aliter a S. Sede decidatur.

9. Q. II. *Quid sint interstitia ordinationum* ? ℟. Sunt certa intervalla, seu termini temporis, qui inter susceptionem unius, & alterius ordinis ex juris dispositione intercedere debent. Et quidem 1. pro suscipiendis minoribus nulla requiruntur interstitia, sed eadem die prima tonsura cum minoribus conferri potest, & solet. 2. Inter minores, & Subdiaconatum interstitium est unius anni; nisi aliud consuetudo habeat, vi cujus etiam alicubi eodem die Subdiaconatus cum minoribus conferri solet, cum talis consuetudo a Trid. non reprobetur. 3. Similiter inter unum, & alterum ordinem sacrum interstitium est unius anni: quia vero circa Episcopatum nihil constitutum est, suscepto Presbyteratu die Sabbati, statim sequenti die Dominico consecratio Episcopalis suscipi poterit: ita hæc omnia traduntur in Trident. *Sess.* 23. *cap.* 11. & *seqq. de ref.* Annus autem iste non computatur mathematice, sed Ecclesiastice, v. g. a quadragesima ad quadragesimam &c. Ratio horum interstitiorum est, ut Clerici in inferiori ordine diligenter se exerceant, majus vitæ meritum, & doctrinam sibi comparent. 4. Duo sacri ordines eodem die non sunt conferendi, ne quidem Regularibus, non obstantibus quibuscumque privilegiis, ac indultis, *cit. Trid. cap.* 13. *ibid.* conformiter *cap.* 13. & 15. *hoc tit.* Ex his patet aliud esse, *interstitia*, & *statuta tempora ordinationum*: nam per illa intelligitur certum temporis intervallum inter unum, & alterum ordinem intercedens; per ista vero intelliguntur certi dies, quibus ordinationes fieri debent.

10. Q. III. *Quis dispensare possit in interstitiis* ? ℟. Papa, Legati Apostolici secundum limites suæ potestatis, Episcopi, ac capitulum, sede vacante, ex Trid. *Sess.* 23. *c.* 13. *de ref.* cum suis subditis; imo & cum Religiosis exemptis, qui quo ad gratias dispensationum subjicere se possunt Episcopo. Hæc tamen potestas non extenditur ad dispensationem extra statuta tempora, nisi Episcopus specialem facultatem habeat etiam in his dispensandi. Causæ dispensandi sunt: 1. Si ordinandus est Referendarius utriusque Signaturæ familiaris Papæ, Canonicus cathedralis, aut collegiatæ, magister, aut licentiatus sac. Theologiæ vel sac. Canonum. 2. Si beneficium ordinem talem requirat. 3. Si penuria est sacerdotum etiam regularium. 4. Si iter nimis prolixum sit ad locum ordinationis. 5. Ob solatium Patris, & Matris excedentium annum 50. ex declaratione S. Cong. &c.

11. Q. IV. *In quo loco facienda sit ordinatio*? ℟. 1. In propria diœcesi, extra quam Episcopus sine expressa licentia Ordinarii nec ordines, nec primam tonsuram conferre potest: nam in Trid. *Sess.* 6. *c.* 5. *de refor.* Episcopo prohibetur generaliter exercitium Pontificalium in aliena diœcesi.

☞ *Hac eadem ratione prohibitum est sex Cardinalibus Episcopis suburbicariis promovere ad ordines suos subditos in Urbe absque expressa licentia ejusdem Urbis Vicarii, non obstante quod ordinariam suam residentiam Romæ habeant: & moderna contraria opinio, utpote falso fundata in fictione juris, quod scilicet capella palatii eorumdem Cardinalium Romæ existentis censeretur per fictionem juris adhærere ipsorum Episcopatui, reprobata est a Bened. XIV. tamquam contraria Conc. Trid. Constit. Alex. VII.* Apostolica 7. *August.* 1662. *& praxi inconcussæ, ut ex ejusdem epistola typis data, incipien.* Nell' ultima udienza, 15. *Feb.* 1753. *ad Emin. Guadagni Urbis Vicarium, quæ asservatur in secretaria ejus tribunalis de mandato Pontificis lib. Decretorum d. anni pag.* 56. ☜

Si locus exemptus est, & nullius diœcesis, sufficit licentia prælati exempti: si vero locus exemptus est in diœcesi, sed non de diœcesi, requiritur licentia non tantum prælati exempti, sed etiam Ordinarii loci. Barbos. & praxis. ℟. 2. Ordines majores conferendi sunt in Ecclesia cathedrali, vel alia digniori, præsentibus Canonicis, vel aliis Clericis, Trid. *Sess.* 23. *cap.* 8. *de ref.* nisi consuetudo aliud habeat; minores vero in quocumque decenti loco, *Can.* 6. *d.* 75.

12. Q. V. *Quid juris servandum in ordinatione Regularium*? ℟. Servandam esse formam præscriptam in Decreto Clem. VIII. *De mandato* 15. *Maji* 1596. in quo statuuntur hæc præcipua: 1. Prælati regulares dare possunt suo subdito itidem regulari idoneo litteras commendatitias, non tamen ad alium quam Episcopum diœcesanum, in cujus territorio monasterium situm est. 2. Si diœcesanus abest, vel non est habiturus ordinationes, possunt dare subdito dictas litteras ad quemcumque Episcopum extraneum, in quibus exprimatur hæc causa absentiæ; vel non futuræ ordinationis: dummodo concessio litterarum de industria non differatur in tale tempus absentiæ, vel non futuræ ordinationis. 3. Sic dimissus examinandus est ab Episcopo ordinaturo quo ad doctrinam. 4. Subditur pœna; *quod qui non fecerint, officii, & dignitatis, seu administrationis, ac vocis activæ, & passivæ privationem, ac alias arbitrio ejusdem SS. D. N. Papæ reservatas, pœnas incurrent.* Hoc Decreto non stringitur prælatus plenissime exemptus cum clero, & populo; sed is ad quemcumque catholicum Episcopum dare potest dimissorias: si vero tantum nullius est diœcesis, subditi ejus ordinabuntur ab Episcopo viciniore, Barbos. *lib.* 1. *jur. Eccl. c.* 33. *n.* 61. *& seqq.*

13. Q. VI. *An Regulares habentes privilegium apostolicum recipiendi ordines a quocunque catholico Antistite, comprehendantur sub hoc decreto clementino*? Salvo Sedis apostolicæ judicio ℟. negative; ita Piasec. Barbos. Reiff. Pirhing. & communiter DD. S. J. & alii: nam in *cit. decr.* nulla fit mentio, aut revocatio privilegii hujusmodi; ergo nihil prohibet illud stare per *cap.* 1. *de Const. in* 6. tum quia privilegium a Papa concessum debet aliquid speciale operari *c.* 25. *de V. S.* ibi: *privilegium non esset lex privata, nisi aliquid specialiter indulgeret*; sed privilegium ordines recipiendi a quocumque catholico Antistite, saltem illud, quod post decretum concessum est, nihil speciale operaretur, ut de se patet, ergo. Tale privilegium datum est S. J. a Greg. XIII. Constit. incip. *Pium, & utile* §. 3. sed cum clausula incommunicabilitatis: at sine tali clausula datum fuit Ordini S. Joannis Hierosolymitani a Pio IV. Constit. 9. incip. *Circumspecta*, §. 62. postea confirmata per Pium V. Greg. XIII. Sixtum V. Greg. XV. & Clem. VIII. ut refert Barbos. *parte* 2. *de Offic. & pot. Ep. alleg.* 4. *n.* 65. Item ab eodem Clem. VIII. post dictum Decretum, *ann.* 1596. *die* 23. *Nov.* simile privilegium absque clausula incommunicabilitatis concessum est Congregationi S. Joannis Evangelistæ in Portugallia, ut se vidisse testatur Portel. in Dub. Regg. *ver. Ordo*; atque ita nullum dubium est hæc privilegia competere omnibus Regularibus communionem privilegiorum habentibus; qualem etiam habet Scholarum Piarum Religio a Greg. XV. Const. *Ad uberes* 1622. *die* 15. *Oct.* plenissime confirmata a Clem. IX. Constit. *Ex injuncto* 1669. *die* 23. *Oct.* §. *nos prospero.*

Dices: Bened. XIII. in Concilio Romano *tit.* 5. *de Tempp. Ord. c.* 1. declarat privilegia suscipiendi Ordines a quocumque catholico Antistite non aliter intelligi concessa, nisi cum clausula: *servata forma decreti Clemen. VIII.* & *tit.* 21. *de Regul.* præcipit Superioribus hoc decretum servare ad unguem; ergo privilegium hoc Societati Jesu, & aliis Ordinibus concessum novissime restrictum est ad formam decreti Clementini: imo in effectu revocatum, cum nihil speciale operetur. ℟. Cum hoc concilium Romanum non fuerit generale, sed Provinciale congregatum ex Episcopis inter Capuanam Provinciam, & Pisanam existentibus, ut ex bulla indictionis d. Conc. decreta illius non stringunt nisi subditos Provinciales, quibus hoc Conc. promulgatum est. Unde statutum illud *cit. c.* 1. licet stringat Regulares illius Provinciæ ob speciales rationes pro ea militantes, non tamen stringit Regulares in nostris Provinciis, sed hi privilegiis muniti adhuc hodie tuto, & licite ordinari possunt a quocumque catholico Episcopo, donec aliter a sancta Sede pro tota Ecclesia declaratum fuerit; atque ita non obligantur ad servandam formam decreti clementini. Ita hæc responsio deducitur ex generali doctrina de obligatione conciliorum Provincialium, salvo semper judicio sanctæ Sedis.

14. Q. VII. *An dictum privilegium Societ. Jesu concessum, si adhuc hodie in suo vigore est, non obstante clausula incommunicabilitatis, communicetur alii Regularibus communionem privilegiorum habentibus*? Negant communiter DD. Societ. Jesu, sed verius cum aliis ℟. affirmative. Ita Rodriq. Dian. Donat. Reiff. & alii, quorum sententiam bene ex clausulis effi-

efficacibus probat *cit. Reiff. tit. de privil. n.* 64. Et missis aliis, probatur ex recentiori Const. Alex. VIII. *Inscrutabili 28. Jul. 1690.* qua Pontifex iste Ordini FF. B. M. de Mercede Redempt. Capt. concedit privilegia omnium Ordinum, *præcipue Clericorum regularium infirmis ministrantium, pauperum Matris Dei, ac Scholarum Piarum, necnon Societati Jesu* &c. concessa, *quibuscumque verborum expressionibus, & tenoribus in genere, vel in specie, ac particulariter, & quavis alia sint speciali nota digna, difficilisque concessionis, & quæ in generali concessione non veniunt* &c. Ex his videre licet non posse desiderari, ut quid amplius, & efficacius positum fuisset ad participandum privilegium recipiendi ordines a quocumque catholico Antistite. Et quia in hac Alexandrina Bulla nulla fit restrictio, dubium esse nequit, quin privilegium istud Societ. Jesu, non obstante clausula incommunicabilitatis, omnibus aliis Regul. communionem privilegiorum habentibus communicetur. In praxi autem parum refert, sive privilegium hoc communicetur, sive non, cum aliis Ordinibus simile privilegium absque clausula incommunicabilitatis concessum sit, ut non sit opus refugere ad privilegium Gregorianum Societ. Jesu concessum.

Dices cum P. Pichler. tit. de privil. n. 13. Dispositiones generales non derogant specialibus, sed dispositiones in aliis Bullis communicationem concedentibus sunt generales, ergo non derogant clausulæ incommunicabilitatis, nisi addatur: *non obstante tali clausula:* sed ℟. in *cit. Const.* Alex. VIII. dispositionem esse specialem, & individualem, ut nemo non videt, cum clausulæ istæ æquivalenter, imo synonymice in sensu juridico importent hanc clausulam: *non obstante clausula incommunicabilitatis.*

15. Q. VIII. *An certum sit, hodie Regularibus competere privilegia apostolica suscipiendi sacros ordines extra tempora?* ℟. Affirmative, ut ex pluribus Bullis probat fuse Reiff. hic an. 41. & ne inter Episcopos, & Regulares dubia, & controversiæ remanerent, idipsum declaravit Bened. XIII. in Conc. Rom. *tit.* 5. *de Tempp. Ord. c.* 2. ibi: *Cum privilegia ipsa in suo robore persistant, nec iis derogatum esse constet, decernimus proinde Regulares eosdem absque novo indulto Apostolico tuto posse extra tempora ordinari.*

¶ *Circa Regularium ordinationes ex Constit. Bened. XIV.* Impositi 27. *Sept.* 1747. *attendenda sunt sequentia.*

I. Pœnas omnes statutas tam contra Superiores regulares, quam contra promotos, & Episcopos promoventes transgressores decreti Clem. VIII. incurri ipso facto absque alia declaratione.

II. In litteris dimissoriis inseri debere authenticum testimonium Vicarii generalis, vel Cancellarii, vel Secretarii Episcopi diœcesani, quod ipse, vel absit, vel non de proximo sit habiturus ordinationes statuto tempore; alias dictæ litteræ nullius sint roboris, sub pœnis ipso facto incurrendis contra Episcopos alienum subditum sine legitimis dimissoriis ordinantes impositis.

III. Regulares non teneri ostendere dimissorias Ordinariorum propriæ originis.

IV. Privilegia suscipiendi Ordines a quocumque illis solis Regularibus suffragari, quibus post Trid. nominatim, atque directe, non vero per communicationem concessa fuerint; & hæc indulta non censeri, nisi vel post ipsius Trident. confirmationem re ipsa fuerint concessa; vel quatenus antea concessa, & postea confirmata esse asserantur, hujusmodi confirmationes in forma specifica cum litterali veteris indulti insertione, ejusque expressa innovatione factæ dignoscantur: ac..... alterius generis confirmationes, quæ in forma communi nuncupantur, nemini ad prædictum effectum suffragari.

V. Privilegia recipiendi ordines extra tempora Regularibus indulta non arctare Episcopos diœcesanos ad eos ordinandos extra tempora, vel dimittendos ad ordinationem alibi suscipiendam: de cujus privilegii existentia idem judicium habendum esse, ac de illo suscipiendi ordines a quocumque, non obstante citata declaratione Bened. XIII.

§. III.

De Qualitatibus Ordinandorum, & pœnis male Ordinantium, ac Ordinatorum.

16. Q. I. *Quid requiratur in ordinando ad validam ordinationem?* ℟. Præter debitam materiam, & formam, ac intentionem legitimi ministri, requiritur in ordinando de jure divino, ut sit *mas;* cum mulier in Ecclesia ne quidem loqui possit 1. *cor.* 14. ut sit *baptizatus;* cum baptismus sit janua sacramentorum; & si adultus est, de jure naturali requiritur intentio saltem habitualis suscipiendi ordinem, *arg. c.* 3. *§. item de bapt.* quia adulti recipere debent sacramenta modo humano. Metus autem, si quis interne consentiat in sui ordinationem, non impedit valorem illius.

¶ *Ex concordi autem Theologorum, & Canonistarum suffragio ordinatio infantium, etiam ad sacros ordines, valida est, licet illicita; dummodo alias nullo essentiali defectu laboret, quoad materiam, formam, & intentionem in ordinante. Sic tamen ordinati non subjiciuntur obligationi servandi castitatem, aliisque oneribus ab Ecclesia impositis, nisi adulta ætate suam ordinationem expresse, vel tacite ratam habeant: quamvis remaneant suspensi ab exercitio ordinum susceptorum, donec perveniant ad ætatem a sacris Canonibus præstitutam, ut ex responsione Bened. XIV. in instructione super dubiis ad ritus Ecclesiæ, & nationis Cophtorum* Eo quamvis 4. *Maii* 1745. §. 20. *& seqq.*

Ex decreto Cong. Conc. relat. ab eodem Pontif. in tract. de synod. diœcesan. lib. VIII. c. 10. *sacerdos, qui ad Episcopum patenam cum ostia, & calicem cum vino porrigentem ad alia distractus non accessit, licet omnes consuetas manuum impositiones acceperit, iterum ordinandus est sub conditione: sicuti & ordinatus laborans aliquo Canonico impedimento cum prævia generali protestatione Episcopi, se non habere intentionem ordinandi quemcumque ad se accedentem aliquo impedimento laborantem, si dubium sit, an illius intentio directa fuerit ad talem præcise ordinatum. Si vero intentio alligata fuerit ipsi (de qua tamen interrogandus semper esset Episcopus) tunc iterum absolute ordinandus est, ut idem Pontifex ostendit citat. lib. VIII. c.* 11. *n.* 2. *ex sententia Cong. Concilii.*

Circa iterationem vero ordinationis quoad promotos ad aliquos ordines ritu græco, deinde ritu latino ad reliquos promovendos, attendenda est dispositio ipsius constitutionis. Et si pastoralis 6. *Maii* 1742. *de dogmatibus, & ritibus ab Italo-Græcis tenendis §.* 7. *de Sacramento Ordinis numer.* 7. *ibi*-Si quis ritu græco Clericus, & lector tantum fuit initiatus, atque ex benignitate Sedis Apostolicæ obtinuit, ut majores ordines latinis cæremoniis sibi conferantur, is antequam Subdiaconus ordinetur, tres minores ordines omissos debet ritu latino suscipere. Si vero præter lectoris ordinem ad Subdiaconatum etiam græco ritu ascendit, & ex dispensatione itidem Apostolica facultas sibi facta sit ceteros ordines ritu latino suscipiendi, antequam inter Diaconos cooptetur, ex minoribus ordinibus exorcistatum tantummodo supplere cogitur, cum per Subdiaconatum græco ritu collatum acolythatum, & ostiariatum recepisse censeatur. Idem dicendum de eo, qui una cum reliquis inferioribus ordinibus Diaconatum, aut etiam Presbyteratum græce suscepit, & latino postea ritu ad sacrum Presbyteratus respective ordinem, aut Episcopatum promovendus sit ex Apostolica concessione, nimirum exorcistatus ordinem in ipso, antequam Presbyter ordinetur, aut Episcopus consecretur, esse supplendum.

17. Q. II. *Quid requiratur in ordinando ad licitam ordinationem?* ℟. 1. Ut habeat usum rationis. *c. fin. h. t. in* 6. 2. Ut habeat legitimam ætatem, quæ pro prima tonsura, & 4. minoribus non est a jure definita; at pro Subdiaconatu requiritur annus 22. pro Diaconatu 23. & pro Presbyteratu 25. Trid. *sess.* 23. *c.* 12. *de ref.* per quod corrigitur *Clem. fin. de ætat.* Sufficit autem ex communi sententia, si anni isti sint inchoati. 3. Ut sit in statu gratiæ, cum ordo sit Sacramentum vivorum. 4. Ut sit confirmatus, Trid. *sess.* 23. *c.* 4. *de ref.* multi tamen DD. tenent omissionem confirmationis ante ordines non excedere veniale.

5. Ut

5. Ut sit cœlebs, seu non conjugatus *c. fin. h. t. in 6.* nisi de consensu uxoris volentis Religionem intrare, aut continentiam vovere. 6. Ut non sit neophytus, seu recens ex paganismo, aut judaismo conversus ad fidem *Canon. 9. d. 61.* nisi aliud videretur Episcopo. 7. Ut sit bonæ famæ, *Canon. infames 6. q. 1.* idque propter dignitatem status Clericalis 8. Ut sit litteratus, habendo congruam scientiam ordini recipiendo. 9. Ut sit subditus Ordinanti vel ratione originis, domicilii, aut beneficii; vel ratione triennalis familiaritatis, vel ratione dimissoriarum, ut supra dictum, 10. Ut promovendus ad sacros ordines habeat *titulum mensæ*, hoc est, provisionem de honesta, & perpetua sustentatione, ne in opprobrium status Clericalis mendicare cogatur, Trid. *sess. 21. cap. 2. de reform.* Ut non sit irretitus aliqua censura, aut irregularitate ex delicto, aut defectu orta, ut dicetur.

18. Q. III. *Quotuplex sit titulus mensæ?* ℞. triplex: 1. *Titulus beneficii* quoad jus reale actu in titulum, seu perpetuum obtenti, & pacifice possessi, ex quo congrua sustentatio habeatur. Et hic est proprie titulus, cujus vicem subeunt alii tituli. 2. *Titulus patrimonii*, seu bonorum stabilium, immobilium, & frugiferorum, ex quibus annui redditus proveniant ad sustentandum Clericum, ac proinde ab eo alienari, vel obligari nequeunt. Si communitas integra, vel Princeps, aut potens dominus cautionem in scriptis offerat pro alendo Clerico, si is inhabilis reddetur, sufficit pro titulo mensæ ex communi praxi. 3. *Titulus paupertatis Religiosæ*, quem dat Religio obligans se ad sustentandum suum Clericum Regul. *Can. 1. d. 70.*

Ex Constit. Bened. XIV. Universalis *29. Augusti 1741. prohibentur Clerici quicumque ibi* - Sub nomine alienandi utilitatem, & commodum percipiendi fructus, vel alio quovis titulo, prætextu, & colore vendere, ac distrahere suorum respective beneficiorum redditus, & proventus, vel ad vitam, vel ad longum tempus, recepta ab emptore per unam, vel plures solutiones pecuniarum quantitate, quam ipsi beneficiati per ejusdem temporis, vel vitæ spatium probabiliter consequi potuissent, sub pœna excommunicationis, & nullitatis actus, & omnium inde consequutorum, aliisque pœnis inflictis, præscriptis, & statutis contra alienantes bona Ecclesiæ.

19. Q. IV. *Quæ sint pœnæ male ordinantium, & male ordinatorum?* ℞. 1. Conferens primam tonsuram non habenti legitimam ætatem, vel conjugato, aut illitterato, ab ejus collatione ipso jure per annum suspensus est *c. fin. h. t. in 6.* quæ dispositio non videtur extendenda ad collationem minorum, sed locus erit pœnæ arbitrariæ. Si vero scienter conferat sacrum ordinem non habenti legitimam ætatem, incurrit suspensionem ferendæ sententiæ a collatione omnium ordinum *c. 14. h. t.* Sic autem ordines sacros mala fide suscipiens, ipso jure suspensus est ab exequutione ordinis *ibid.* at bona fide suscipiens, adveniente legitima ætate, ministrare poterit in ordine suscepto. ℞. 2. Scienter ordinans alienum subditum, ipso jure per annum suspensus est a collatione ordinum *c. 2. hoc tit. in 6.* Trid. *Sess.* 23. *cap.* 8. *de reform.* & quia Trid. generaliter dicit *a collatione ordinum suspensos esse*, intelligi debet de collatione omnium ordinum, & non tantum male collatorum. Scienter autem sine dimissoriis ab alieno Episcopo ordinatus, manet suspensus, donec a suo Episcopo dispensetur, & absolvatur, Trid. *loc. cit.* ℞. 3. Ordinans in sacris Clericum sine titulo mensæ, eum alere debet donec ei provideat de beneficio competente; quod onus est reale transiens ad successorem *cap.* 4. & 16. *de Præb.* Si autem ordinatus finxit se habere titulum mensæ, probabilius incurrit suspensionem, neque ordinans tenetur eum alere Barb. *alleg.* 20. citans Const. Urb. VIII. incip. *Secretis.*

Ex decreto Congr. Conc. 27. Nov. 1610. relat. Instit. 26. Bened. XIV. declaratur; Clericum, qui adhibito dolo, confictoque titulo ordinatorem decepit, esse ipso jure suspensum, carereque ordinum exequutione.

℞. 4. Ordinans, & ordinatus extra statuta tempora de jure antiquo incurrunt suspensionem ferendæ sententiæ, ille quidem a collatione ordinum ita male collatorum, & superiorum, non vero inferiorum; iste vero ab exercitio ordinum istorum, non tamen inferiorum *c. 2. & 8. h. t.* at per Constit. Pii II. incip. *Cum ex Sacrorum* ita ordinatus ipso jure suspensus est; a qua tamen suspensione eum absolvere potest proprius Episcopus *c. 16. h. t.* Ob non servata interstitia nulla pœna a jure lata est, adeoque erit arbitraria. ℞. 5. Conferens duos ordines sacros eodem die, vel continuato jejunio duobus, suspenditur a collatione utriusque ordinis; ordinatus vero ab exercitio posterioris ordinis *c. 13. in fin. h. t.* Infligitur autem hic major pœna ordinanti, quam ordinato, quia major est illius culpa, utpote in quo major circumspectio requiritur. An vero suspensio ista sit latæ, an ferendæ sententiæ, lis est inter DD. ℞. 6. Ordinans in aliena diœcesi sine consensu Ordinarii, ipso jure suspensus est ab exercitio Pontificalium, & a collatione etiam primæ tonsuræ, cum & ista sit actus Pontificalis, Trident. *Sess. 6. cap. 5. de reform.* ab hac tamen pœna probabiliter excusat bona fides.

TITULUS XII.

De Scrutinio in ordine faciendo.

De hoc agitur in Decreto *Can. 2. & seqq. d. 23. & d. 24. & 51. Can. 5.* & in Trident. *Sess. 23. cap. 7. 12. 16. de reform.*

1. Nota, nomine *Scrutinii* hic non venire modum eligendi, sicut *c. 42. de elect.* nec examen catechizandorum, sicut *c. 2. de capell. monach.* sed examen ordinandorum super ætate, moribus, aliisque qualitatibus ad ordinationem necessariis. Tale scrutinium est triplex: primum fit a Parocho, vel ab alio deputato, qui Sacris initiandos publice in Ecclesia uno mense ante ordinationem proponit, inquirendo de illorum idoneitate, Trident. *Sess. 23. c. 5. de refor.* Hoc scrutinium in multis diœcesibus, præsertim Germaniæ non est in usu, sed sufficiunt litteræ testimoniales magistrorum. Secundum fit ab Episcopo, vel ejus Vicario, aliisque examinatoribus deputatis feria quarta ante ipsam ordinationem, vel quando Episcopo videbitur Trid. *Sess. 23. cap. 7. de reform.*

In Constit. Bened. XIV. Et si minime *7. Febr. 1742. monentur Episcopi, ut in hoc scrutinio potissimum inquirant circa scientiam doctrinæ christianæ; utque promovendi docere debeant, se in instruendis hac ipsa fidelibus adjumento fuisse Parochis.*

Tertium fit in ipsa ordinatione, dum Episcopus de ordinandis in Diaconos & Presbyteros interrogat Archidiaconum, aut sacellanum: *scis illos dignos esse?* & iste respondet: *quantum humana fragilitas nosse sinit, & scio, & testificor ipsos dignos esse ad hujus onus officii c. un. h. t.* & Pontif. Roman.

2. Q. I. *Quid inquiratur in scrutinio secundo?* ℞. 1. *Genus*, an ordinandus natus sit ex parentibus catholicis, ingenuis, legitimo toro conjunctis, an baptizatus. Origo ex neophyto, vel Judæo plerumque non obest. 2. Ætas legitima. 3. Titulus mensæ. 4. Persona, an sit irretita censuris, vel irregularitate. 5. Institutio, & mores, fides catholica, & alia, de quibus tit. præced. n. 17. Denique *doctrina*, quæ probanda est per actuale examen, cui omnes ordinandi etiam Regulares subjiciuntur Trid. *cit. Sess. 23. c. 12. de ref.* nisi specialiter sint exempti.

Vide notata Elencho VI. n. XLV.

3. Q. II. *An ordinandus teneatur in examine prodere suum defectum occultum, solo jure Ecclesiastico impeditivum ordinationis?* Negat Pichler, sed melius ℞. affirmative. Ita Abb. Konig. &c. nam talem obligationem satis indicant aperte Sac. Canones: enim *Can. 55. & 56. d. 50. & Can. 5. d. 81.* jubentur deponi, qui ordinationis tempore se non prodiderunt fuisse lapsos, aut pœnitentes, aut alio modo contra regulas Ecclesiasticas irrepserunt ad sacram militiam; depositio autem supponit culpam gravem. Ratio est, quia Episcopus habet jus interrogandi ordinandum, an aliquo defectu laboret? ergo interrogatus habet obligationem fatendi veritatem, alioquin Sac. Can. facile eluderentur in maximum dispendium disciplinæ Ecclesiasticæ: tum quia sequerentur plurima incommoda, si ex post facto talis defectus innotesceret. Nec in tali casu ordinandus cogitur se diffamare, quia abstinendo ab ordinatione, nullam infamiam incurret: favor autem

ordi-

ordinis non aliter ei conceditur, quam sub conditione habilitatis a jure requisitæ.

4. Q. III. *An Archidiaconus, privata notitia sciens aliquem indignum, in tertio scrutinio ab Episcopo interrogatus, possit respondere ordinandos dignos esse?* ℟. Affirmative: nam interrogatur, & respondet ut persona publica, sub qua ratione verum dicit ex notitia publica, quod scil. ordinandi sint publice digni, seu pro talibus habeantur. Si tamen defectus iste prius ei innotuit, tenetur admonere Episcopum, & ordinandum, si hæc admonitio profutura speratur; vel pro hac vice declinare munus præsentandi: at si defectu probationum nullum sperat effectum, nec officium præsentandi declinare valet, sequi poterit responsionem mox datam.

5. Q. IV. *Quæ sit pœna ordinantium, & ordinatorum sine scrutinio?* ℟. 1. Ordinans ignotum, de cujus idoneitate non constat, arbitrarie punitur: ordinans vero cum notitia impedimenti, privatur potestate ordinandi, *Canon* 55. *d.* 50. Ordinatus furtive sine scrutinio, suspendendus est ab exercitio ordinis *Can. fin. d.* 24. donec Episcopus cum illo dispenset. 2. Non detegens in examine suum defectum, si is postea detegatur, deponi jubetur, *Canon.* 55. *d.* 50. Ordinatio tamen furtive irrepentis est valida, nisi Episcopus expressam contrariam voluntatem haberet tales non ordinandi: quæ tamen non præsumitur, cum protestatio Episcopi sit tantum comminatoria, & cujusdam disciplinæ significativa.

☞ *A qua tamen protestatione præstat, ut Episcopus abstineat,* ne cum maximo totius christianæ Reipublicæ detrimento, & perturbatione dubii, atque incerti ministri sacris ministeriis addicantur, *ut optime monet Bened. XIV. lib. VIII. de Synod. diœc. cap.* 11. *n.* 1. *Vide addita tit. XI. de temp. ord. post n.* 15. ☜

TITULUS XIII.

De Ordinatis ab Episcopo, qui renuntiavit Episcopatui, vel excommunicato.

Agitur de hac materia *Can.* 18. *ventum* 1. *q.* 1. & *Can.* 24. & *seq.* 1. *q.* 7. & 9. *q.* 1.

1. Q. *Quid statuatur in h. t.* ℟. I. Episcopus, qui renuntiavit Episcopatui, cum desinat esse proprius, jure ordinario nullos ordines conferre potest, *arg. c.* 1. *h. t.* II. Qui renuntiavit *loco*, & *officio* simul, hoc est, abdicando se cura Episcopali, & derelinquendo titulum, ac dignitatem Episcopi, ex delegatione, & licentia proprii Episcopi conferre potest solum ordines minores, cum hos conferre valeant Abbates, & alii Sacerdotes ex delegatione, non tamen majores, cum hos conferre sit proprium Episcopi; is vero, qui renuntiavit loco, & officio, non dicitur amplius Episcopus.

☞ *Vide Elenc. II. n. CLXIX.* ☜

At si renuntiavit tantum loco, seu administrationi Episcopali, ex delegatione conferre potest ordines majores, cum adhuc retineat titulum, & dignitatem Episcopi *c.* 1. *h. t.*

III. Scienter ordinati ab Episcopo renuntiante loco, & officio, suspenduntur ab exequutione ordinum, donec dispensentur a Papa; at ignoranter ab eo ordinati, suspenduntur quidem, donec ab Episcopo proprio dispensentur. Hæc tamen suspensio non est proprie censura, sed quædam irregularitas, quæ etiam ab ignorante incurri potest. *ibid.*

3. IV. Ignoranter ordinati ab Episcopo excommunicato, suspenso, deposito, vel hæretico dispensari ad exercitium ordinum possunt a suo Episcopo successore excommunicati, aut depositi: imo probabiliter ab eodem Episcopo, ubi fuerit absolutus a censuris *cap. fin. h. t. Canon. ordinationes* 9. *q.* 1. at cum scienter ita ordinatis solus Papa dispensat. *arg. a* 5. *cap.* Ceterum ordinationes a quocumque vero Episcopo factæ, etiam a degradato, & hæretico, ceteris concurrentibus, sunt validæ, cum procedant a charactere Episcopali, licet dicantur irritæ, & nullæ quoad effectum, seu exequutionem ordinum susceptorum: quo sensu explicantur *Can.* 1. & *seqq.* 9. *q.* 1.

TITULUS XIV.

De Ætate, qualitate, & ordine Præficiendorum.

De hac materia agitur in Sexto, & Clem. *h. t.* In Decreto *d.* 21. 23. 24. &c. *d.* 49. 50. 51. 59. 60. 78. & in 9. *q.* 1. 2. & in 15. *q.* 8. In Trid. *sess.* 7. *c.* 3. *sess.* 22. *c.* 2. *sess.* 23. *c.* 6. *de ref. sess.* 25. *c.* 21. 22. *de Regg.* & *sess.* 25. *c.* 7. *de refor.*

Nota, Clericos ordinibus initiatos solere præfici beneficiis, & dignitatibus; ne vero inepti præficerentur, provisum est a Sacr. Canonibus, quæ ætas, qualitas, & ordo in præficiendis sint necessaria.

1. Q. I. *Quæ ætas requiratur in præficiendis?* ℟. 1. Ad Papatum nulla ætas est præfinita, decet tamen Papam esse in ætate, in qua Christus prædicare cœpit, scil. 30. annorum, quæ ætas requiritur in Episcopis *c.* 7. *de Elect.* at pro Cardinalatu ex Const. Sixti V. incip. *Postquam* non requiritur major ætas, quam quæ sufficit ad eorum ordinem Diaconatus, vel Presbyteratus, vel Episcopatus. 2. Ad Archidiaconatum vero, & alias dignitates inferiores Episcopatu, uti etiam ad beneficia curata, quibus principaliter annexa est cura animarum, requiritur annus 25. inchoatus. *c.* 7. *de elect.* Trid. *sess.* 24. *c.* 12. *de ref.* Ad alias vero dignitates, & personatus, quibus cura animarum non subest, vel non nisi accessorie, & secundario, sufficit, & requiritur annus 22. completus, cum Trid. *loc. cit.* dicat: *non sit minor* 22. *annis*. 3. Ad Canonicatus, præbendas, & portiones Ecclesiæ cathedralis sufficit ea ætas, ut infra tempus a jure præscriptum, hoc est, intra annum, recipi possit ordo sacer, quem talis Canonicatus, præbenda, aut portio requirit, *Trid. ibid.* In Germania ex consuetudine non requiritur Subdiaconatus in Canonico, nisi dum admittendus est ad actus capitulares cum voce activa, & passiva. 4. Ad beneficia simplicia inferiora, item ad Canonicatus Ecclesiæ collegiatæ etiam insignis, cum de his nihil speciale statuatur, sufficit an. 14. inchoatus, Trid. *sess.* 23. *c.* 6. *de ref.* nisi in fundatione minor, vel major ætas requiratur. Cum ætas ad beneficia præfinita sit a jure communi, nullus Papa inferior in ea dispensare potest *c.* 2. *h. t.* ubi institutio secus facta dicitur omnino viribus carere. At si ætas requiratur solum ex particulari statuto, poterit in ea Episcopus dispensare. In dubio antecedente promotionem, promovendus probare debet, se esse in legitima ætate, cum in ea fundet suam intentionem *l.* 44. *ff. de minorib. l.* 9. *C. de probat.* at in dubio consequente, ætas præsumitur in promoto; & impugnans promotionem probare debet, tempore promotionis non adfuisse legitimam ætatem.

2. Q. II. *Quæ qualitates requirantur in præficiendo?* ℟. Hæ duæ, *gravitas morum*, & *litterarum scientia* *c.* 7. *de elect.* sub quibus ceteræ continentur, quas in ordinando, & eligendo requiri suis locis dictum est. Unde iis casibus, quibus ob defectum alicujus qualitatis in eligendo redditur electio irrita, etiam irritam esse collationem communis DD. asserit. Juxta Triden. *sess.* 22. *c.* 2. & *sess.* 23. *c.* 18. circa finem ibi: *de cetero vero officia*, & *sess.* 24. *c.* 8. 12. 16. *de ref.* tanta in præficiendis requiritur scientia, ut Episcopi, scholastici, Archidiaconi, vicarii generales Episcoporum, Canonici pœnitentiarii, Prælati jurisdictionem in foro externo habentes sint magistri, vel licentiati Sacr. Theologiæ, vel Sac. Canonum, quia his maxime incumbit docere, & judicare secundum Sac. Canones. Quod tamen non ubique servatur, cum scientia ista per alios suppleri possit, ut proinde sufficiat scientia mediocris. Si vero Regularis promovendus est in Episcopum, non requiritur in eo gradus, & testimonium ab universitate datum, sed sufficit quod *a superioribus suæ Religionis similem fidem de doctrina theologica, aut Canonica habeat*, Trid. *cit. sess.* 22. *c.* 2. *de refor.* Ceteri proportionaliter suo beneficio scientiam sufficientem habere debent v. g. Parochus circa ea, quæ ad populum instruendum, & Sacramentorum administrationem sunt necessaria &c. Ceterum collatio facta prorsus illiterato, est ipso Jure nulla; facta vero minus litterato, est irritanda, cum sit contra Sac. Can. *c.* 17. & 22. *de elect.* nisi intra breve tempus beneficiarius necessariam sibi scientiam comparare vellet.

3. Q. III.

3. Q. III. *An ex fundatione, statuto, aut consuetudine in præficiendo requiri possint aliæ qualitates præter a jure com. statutas*? ℞. Affirmative: nam honestæ conditiones, & dispositiones circa præficiendos permittuntur a jure; sic Trid. *sess.* 24. *cap.* 12. *de reform.* ait: *ubi vero consuetudo laudabilior habet, ut plures, vel omnes* Canonici *sint Presbyteri, omnino observetur.*

4. An vero consuetudo, quæ viget in quibusdam Ecclesiis cathedralibus præsertim Germaniæ, non recipiendi in Canonicos, nisi nobiles ceteroquin dignos, sit licita, & rationabilis? merito dubitant DD. Affirmant Pirghing. Schmalz. Pichler &c. Multi vero dicunt esse corruptelam, quam Papa tolerat ad majora mala evitanda. Greg. IX. talem consuetudinem antiquam inviolabiliter observatam in Ecclesia Argentinensi rejicit, subdendo rationem summa ponderatione dignam; *quod non generis, sed virtutum nobilitas, vitæque honestas gratum DEO faciunt, & idoneum servitorem, ad cujus regimen non multos secundum carnem nobiles, & potentes elegit, sed ignobiles, ac pauperes, eo quod non est personarum acceptio apud ipsum.*

5. Q. IV. *An sub gravi obligatione dignior præficiendus sit præ minus digno*? ℞. Affirmative, & opposita sententia damnata est ab Innoc. XI. *n.* 47. Prob. ex *Can.* 19. *d.* 63. ubi Leo Papa rescribit optimum esse præficiendum, & S. Hier. in *Can.* 15. *licet* 8. *q.* 1. recte ait eligendum esse Sacerdotem, seu Episcopum, *qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior:* & Trid. *Sess.* 24. *c.* 1. *de reform.* gravissime inculcat hanc obligationem, dicendo electores, & alios collatores, *alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, præfici diligenter curaverint.* Ratio est, quia, ut loquitur Trid. *sess.* 6. *c.* 1. *de reform.* Ecclesiasticum regimen est onus angelicis humeris formidandum; ergo ad illud eligendi sunt digniores, & quantum fieri potest dignissimi, tum quia eligendo minus dignum præ digniore Ecclesiæ multum nocetur, aperitur via ambitionis, inducitur periculum eligendi indignum, dum hoc ipso, quod quis non appareat indignus simpliciter, judicatur dignus: denique committitur *acceptio personarum*, quæ ex genere suo est peccatum mortale contra justitiam distributivam, cum attribuatur personæ aliquid præter proportionem dignitatis suæ, ergo. Vide S. D. 2. 2. *q.* 63. *a.* 2. & *seq.* & *q.* 185. *a.* 3. Porro ille dicitur *simpliciter dignus*, qui præditus est omnibus qualitatibus jure requisitis; & qui in his qualitatibus excellit, dicitur *dignior*: qui vero harum qualitatum aliqua caret, vocatur *indignus*. Est autem major dignitas desumenda, non præcise ex majori pietate, vel scientia, vel nobilitate, sed ex omnibus animi, & corporis dotibus, ita ut præficiendus melior, & utilior Ecclesiæ credatur futurus. Hæc doctrina procedit in præficiendis Episcopis, maxime Romano, Cardinalibus, Prælatis sæcularibus, & regularibus, curatis animarum, imo & simplicibus beneficiatis *c. un. ut Eccl. benefic.* licet promotio digni præ digniore, si raro fiat, ad beneficium simplex, non videatur excedere veniale.

6. Q. V. *An dentur aliqui casus, in quibus præficiatur dignus omisso digniore*? ℞. Affirmative, 1. si renuntiationes fiant ex causa permutationis, 2. si patronus laicus præsentet dignum, & idoneum; tunc enim Episcopus tenetur eum instituere, licet alioquin patronus peccet, Trid. *sess.* 24. *c.* 18. *de ref.* Episcopus autem, & patronus Ecclesiasticus, ubi concursus ad beneficia viget, tenentur ad digniorem, alioquin provisio erit subreptitia. *ibid.* 3. Elector ad impediendam electionem indigni potest suffragari digno præ digniore, quia sic magis procurat bonum Ecclesiæ, 4. Si excessus dignitatis in uno ex pluribus non sit valde notabilis, vel de eo dubitetur, quia tunc parum pro nihilo reputatur.

7. Q. VI. *An, & cui teneatur ad restitutionem, qui relicto digniore, præfecit Ecclesiæ minus dignum*? ℞. 1. Tenetur ad restitutionem, & reparationem omnium damnorum, quæ ex tali provisione obvenerunt: nam læsit justitiam commutativam, cum ex quasi contractu obligatus fuerit procurare majus bonum Ecclesiæ. 2. Ipsi autem digniori omisso, saltem extra concursum, & si dolo malo eum non impedit a consequutione beneficii, probabilius non tenetur ad ullam restitutionem: tum quia dignior non habuit ullum jus quæsitum actu: tum quia læsa solum est respectu illius justitia distributiva: restitutio autem est actus justitiæ commutativæ. S. D. 2. 2. *q.* 62. *a.* 1.

8. Q. VII. *Quis ordo requiratur in præficiendis*? ℞. 1. Ad beneficium quodcumque Eccl. prærequiritur in præficiendo saltem prima tonsura: nam per *c.* 6. *de Transact.* beneficii capax non est, nisi sit actu Clericus. Excipe Papatum, quia ad hunc electo opponi nequit, quod sit laicus *c.* 6. *de elect.* 2. Ad Cardinalatum requiritur ordo gradui proprius, cum Cardinales supremi sint Episcopi, medii Presbyteri, & infimi Diaconi. Sufficit autem, si intra annum talem ordinem suscipere possint. 3. Promovendus in Episcopum debet esse antea Subdiaconus saltem per sex menses *c.* 9. *h. t.* Trid. *Sess.* 22. *c.* 2. *de reform.* ceteros autem ordines intra tempus a jure præscriptum suscipere debet.

Vide Elencho VI. n. XXXIX.

4. Ad dignitatem, vel præbendam, cui cura animarum in foro interno, aut externo principaliter annexa est, requiritur Presbyteratus saltem intra annum suscipiendus *c.* 1. *h. t.* 5. Canonici cathedralis habentes vocem in capitulo, debent esse saltem Subdiaconi, vel Diaconi, & media pars Presbyterorum, Trid. *sess.* 24. *cap.* 12. *de reform.* In Germania autem dantur etiam Canonici primo tonsurati, aut minoristæ; qui licet vocem non habeant in capitulo, tamen habent stallum in choro, & exercere possunt actus extracapitulares, ut nominare ad beneficium &c. In ceteris præficiendis ad alia beneficia quoad ordines nihil speciale a jure determinatum est, sed observanda erit consuetudo, voluntas fundatorum &c.

Vide Addit. ad tit. 5. de Præb.

TITULUS XV.

De Sacra Unctione.

De hac agitur *d.* 64. 65. 95. *& d.* 1. *de Consecr.* per plures Cann. in Trident. *sess.* 7. *Can.* 1. *& seq. de confir. & sess.* 14. *cap. Visum est cum seqq. de sacr. extrem. unction.*

1. Nota titulum istum incidenter hic poni, quia in ordinationibus Clericorum unctiones adhibentur. Agitur autem hic non de unctione *interiori* per gratiam, sed de *exteriori*, quæ secundum ritum Ecclesiæ fit per oleum, aut simplex, aut balsamo mixtum, sed chrisma ab Episcopo benedictum. Unctiones sacramentales sunt quinque, scil. in consecratione Episcopi, in ordinatione Sacerdotis, in Sacramento Baptismi, Confirmationis, & extremæ Unctionis. Extrasacramentales sunt in coronatione Regum, dedicatione altarium, & Ecclesiarum, benedictione calicum.

2. Q. I. *Quo oleo quid ungendum sit*? ℞. 1. Papa chrismate ungitur in capite ad significandam personam Christi summi capitis, & Episcopus in capite, & manibus, 2. Sacerdos oleo simplici catechumenorum ungitur in manibus, & Reges in brachio dextro ad significandum Principatum. 3. Baptizandus ante baptismum ungitur in pectore, & scapulis oleo cathecumenorum; post baptismum vero chrismate in capite. 4. Confirmandus chrismate signatur in fronte. 5. Oleo infirmorum unguntur soli moribundi. 6. Ecclesia in dedicatione in parietibus, & calices in superficie unguntur chrismate; altaria vero prius oleo simplici, deinde chrismate in cornibus. *Canon.* 32. *d.* 1. *de Consecratione.*

3. Q. II. *An unctiones istæ sint de essentia baptismi, ordinis Episcopalis, & Sacerdotalis*? ℞. Negative; nam 1. tota essentia baptismi salvatur in ablutione per aquam elementarem, & verbis *ego te baptizo* &c. 2. Consecratio Episcopalis salvatur in impositione manuum cum sua forma, & ordinatio Sacerdotalis in traditione patenæ cum hostia, & Calicis cum vino in ordine ad verum Corpus Christi, & in impositione manuum in ordine ad Corpus Christi mysticum. Unde unctiones istæ sunt ritus solum accidentales, sub gravi tamen obligatione adhibendi: & si omissi sunt, supplendi, *c. un. h. t.* At unctio chrismatica in confirmatione, & unctio infirmorum sunt essentiales sacramento confirmationis, & extremæ unctionis, quia alias forma non verificaretur. Ceterum oleum simplex

est

est materia dubia confirmationis; adeoque in praxi sequenda est sententia tutior, docens chrisma esse de essentia confirmationis, conformiter Conc. Florentino in *Decr. union.* de quo plura theologi. Oleum autem catechumenorum, & infirmorum, licet diversas benedictiones habeant, substantialiter non differunt, adeoque unum usurpatum pro altero non vitiat unctionem.

4. Q. III. *An confectio chrismatis a Papa committi possit simplici Presbytero?* ℞. Negative, quia in Florentino benedictio chrismatis ab Episcopo facienda ponitur per modum substantialis requisiti. Quod ipsum probat traditio, & usus Ecclesiæ. Porro oleum istud debet esse proprie tale, seu olivarum, & tam hoc, quam chrisma, novum, seu hoc anno ab Episcopo benedictum. *Can.* 18. *de Consecr. d.* 3. In casu urgentis necessitatis potest adhiberi vetus, uti & in minori quantitate de oleo non benedicto affundi potest ad benedictum, cum major pars benedicta trahat ad se minorem non benedictam, ex Ritual. Rom. de extr. unct. & decr. Sac. Inquisitionis 23. Sept. 1682. Significat autem oleum nitorem conscientiæ, & balsamum odorem bonæ famæ *c. un. h. t.*

Confirmationis Sacramentum respectu baptizatorum a Presbyteris Græcis in Instructione Bened. XIV. ad Missionarios in universo Ægypto &c. Et quamvis 4. *Maji* 1745. §. 4. Quod attinet *declaratur, quod, quamvis Græcis incolis Italiæ, & Insularum adjacentium expresse vetita sit administratio confirmationis illico post baptismum ab eodem ministro facta, ex patientia tamen, & facilitate S. Sedis ab eodem Sacerdote in Oriente simultanee græcis confertur.*

In Constit. autem ejusdem Pontif. Etsi Pastoralis. 6. *Maji* 1742. *de Dogmatibus, & ritibus ab Italo-Græcis tenendis, atque servandis hæc statuuntur.* §. 3. *Ut Episcopi latini infantes, seu alios in suis diœcesibus baptizatos a græcis Presbyteris absolute chrismate in fronte consignatos confirment; sub conditione tamen, si verosimiliter dubitari possit, an ab Episcopis græcis ordinem baptismi juxta eorum Euchologium servantibus fuerint baptizati. Sic etiam confirmare debent, si ex dispensatione Apostolica Græcum aliquem ordinaverint baptizatum a Presbytero Græco in Italia, vel adjacentibus Insulis, similiter sub conditione, si rationabile dubium esse possit an ab Episcopo Græco fuerit baptizatus. Confirmatus vero a simplici Sacerdote non est cogendus, ut confirmetur ab Episcopo, si ex tali coactione scandala oriri possint; monendus tamen est a locorum Ordinariis, eum graviter peccare, si, cum possit confirmari, renuat, ac negligat. Ubi Græcus catholicus Episcopus haberi potest, latini Ordinarii curare debent, ut ab illo potius, quam a se, ut supra baptizati confirmentur* §. 4. *Ut Presbyteri Græci cogi nequeant alia olea præter chrisma ab Episc. latinis accipere; & prohibentur illud accipere ab Episc. schismaticis, & etiam a quocumque alio Episc. latino, seu Græco catholico, præter suum Ordinarium latinum. De extrema unctione vide Elench. VI. n. XX. & XXI.*

TITULUS XVI.

De Sacramentis non iterandis.

Agitur de hac materia in Decreto *d.* 68. *Canon.* 3. & *Canon.* 21. *Saluberrimum in fin.* 1. *q.* 7. & *Can.* 84. & *seqq. d.* 4. *de Consecr.* De reiterantibus baptisma est specialis *tit.* 9. *lib.* 5. In Codice *lib.* 1. *tit.* 6. in Trid. *sess.* 7. *Can.* 9.

1. Q. I. *Quot Sacramenta sint initerabilia?* ℞. Tria, quæ characterem imprimunt: *Baptismus, Confirmatio, & Ordo.* Si quid accidentale omissum est, cæremoniæ supplentur; si vero quid substantiale in materia, & forma non fuit adhibitum, Sacramentum de novo cum solitis cæremoniis conferri debet; quia non intelligitur iteratum, quod ambigitur esse factum *cap. fin. de Presb. non baptiz.* 2. Si in confirmatione non chrisma, sed oleum simplex est adhibitum, probabilius iteranda est in chrismate *c.* 1. *h. t.* quia re ipsa non iteratur, sed suppletur defectus substantialis. Idem dic si in ordinatione Sacerdotis omissa est manuum impositio, vel aliud quid substantiale. 3. Si Episcopus unctus est oleo, & balsamo artificiali, non est repetenda unctio: tum quia hæc non est de substantia consecrationis Episcopalis; tum quia ita respondit Sedes Apostol. de hoc consulta, teste P. Wiestner. n. 15.

Circa iterationem baptismi vide additiones meas tit. 42. *lib.* 3.

2. Q. II. *An consecratio, vel benedictio rerum iterari possit?* ℞. Regulariter loquendo negative: nam *c.* 2. *h. t.* talis iteratio prohibetur. Ratio est quia benedictio stabiliter adhæret rei, ergo quamdiu res manet, censetur manere benedictio. Unde 1. Sacrarum vestium benedictio non iteratur, nisi, destructa forma, vestes esse desinant. 2. Calix, detrito auro, non est reconsecrandus, cum priorem formam non amittat: ob quam rationem aliqui DD. putant calicem denovo in superficie deauratum non esse reconsecrandum; sed oppositum videtur verius, quia per deaurationem inducitur nova superficies contactiva Sanguinis Christi; ergo cum consecratio calicis fiat propter superficiem contactivam Sanguinis Christi, & superficies nova non consecrata adveniat, hæc consecranda est. Vide hic nostras resolutiones Canonicas. At contra, si Ecclesia consecrata dealbetur, non est reconsecranda, quia consecratio Ecclesiæ non fit propter contactum; ergo etsi nova superficies per dealbationem ei adveniat, non tollit priorem consecrationem. Plura de his *tit.* 40. *de consecrat. Eccl. lib.* 3.

3. Hactenus de ordinationibus: nunc de quibusdam impedimentis, seu defectibus ordinandorum, qui dicuntur irregularitates, de quibus generaliter *lib. V. tit. de pæn.* quique his versiculis comprehenduntur.

Infirmus, demens, vitiatus, fœmina, servus,
Infamis, novus, ignorans, baptismate peccans,
Ordineve; occidens, mutilans, bigamusque, nothusque,
Hæresis, obstrictus, pauper, puer, exulat aris.

Infirmus est, qui laborat morbo diuturno incurabili, ut epilepsia, seu morbo caduco, paralysi, furore &c. Nomine *fœminæ* venit hic hermaphroditus, præsertim si sexus fœmineus prævaleat. *Novus*, est neophytus recens baptizatus. *Peccans* baptismate, vel ordine, qui baptisma, vel ordinem reiterat, vel suspensus ordinem exercet, ut dicetur *lib. V.* Nomine *obstricti* venit obligatus ad ratiocinia. Nomine *pauperis* non venit pauper honestus, sed persona vilis contenta sub infamibus. Nomine *pueri* venit infans, non habens usum rationis. De ceteris, vel jam dictum, vel suis locis dicetur.

TITULUS XVII.

De filiis Presbyterorum ordinandis, vel non.

De his agitur in Sexto *h. t.* In Decreto *d.* 56. in Trid. *sess.* 25. *cap.* 15.

1. Nota, hanc rubricam esse unam de illis, quæ sunt strictiores nigro, seu textu supposito juxta illud: *Rubrum aliquando est amplius nigro*, & *nigrum aliquando est amplius rubro*: nam hic non tantum agitur *de filiis Presbyterorum*, sed etiam *de aliis illegitime natis ordinandis, vel non*, ut in aliis exemplaribus manuscriptis additur. Sunt autem *illegitimi*, qui nati sunt ex parentibus legitimo matrimonio non conjunctis. Tales sunt 1. *Naturales*, seu *nothi*, aut *bastardi*, qui nati sunt ex parentibus solutis, inter quos matrimonium consistere potuit tempore conceptionis, vel saltem nativitatis, aut intermedio. 2. *Spurii* de jure Can. dicuntur, qui nati sunt ex parentibus, inter quos matrimonium uno ex his tribus temporibus consistere non potuit propter aliquod impedimentum dirimens: & horum aliqui dicuntur nati ex damnato coitu, ut adulterio, & incestu; quod si incestus fuit in linea recta, nati ex sacrilegio propter solemne votum castitatis, & nati ex eo dicuntur *nefarii*. Quidam de jure civili dicunt etiam illos esse spurios, qui nati sunt, non ex concubina, sed alia meretrice. Denique jure Can. etiam illi habentur pro illegitimis, qui nati sunt ex parentibus matrimonio junctis, ex quibus tamen uterque, vel alteruter emisit votum solemne castitatis in Religione, aut sacro ordine.

2. Q. I. *Qui ob defectum natalium sint irregulares?* ℞. 1. Illegitime nati extra matrimonium *cap.* 1. *h. t. in* 6. nisi dispensentur. 2. Nati ex matrimonio legi-

legitime, sed geniti, postquam pater assumpsit sacrum ordinem cum licentia uxoris *c.* 14. *h. t.* cujus dispositio comprehensive ampliatur ad patrem Diaconum, & Subdiaconum propter votum solemne castitatis. At jure civili ita nati habentur pro legitimis in ordine ad hæreditatem, & jura filiorum.

3. Q. II. *Quomodo illegitimi habilitari possint ad ordines, & beneficia?* R. I. per subsequens matrimonium. II. per restitutionem natalium rescripto Papæ factam.

☞ Vide Fagnan. in cap. *Ad extirpandas* hoc eod. tit. n. 33. ☜

III. Per dispensationem IV. Per professionem Religiosam. Priores duo modi non habent ullam difficultatem, cum per illos filii evadant legitimi, ac si ex legitimo matrimonio nati fuissent. Circa duos posteriores aliqua hic resolvenda sunt.

4. Q. III. *Quis dispensare possit cum illegitimis?* R. 1. Ad ordines sacros, beneficia curata, dignitates, & personatus solus Papa dispensare potest, etsi illegitimitas sit occulta, *c. fin. h. t. & c.* 1. *eod. in* 6. nam inferior relaxare nequit jus Superioris, præsertim cum hoc districte prohibeatur *cit. c. fin.* Nec obstat Trid. *sess.* 24. *c.* 6. *de ref.* nam ibi conceditur Episcopo facultas dispensandi in irregularitatibus occultis ex proprio delicto ortis, non ex alienis, uti est irregularitas ex defectu natalium. Notat tamen Schmalz, Episcopum dispensare posse cum eo qui bona fide, ignarus suæ illegitimitatis, sacros ordines suscepit, in eis ministrare possit, modo impedimentum sit occultum. 2. Ad Ordines minores, & beneficia simplicia, quibus non est annexa dignitas, personatus, vel sacer ordo, uti annexus est Canonicatibus cathedral. dispensare potest Episcopus, & alii Prælati in suo territorio jurisdictionem quasi Episcopalem exercentes *c.* 1. *h. t. in* 6. Porro dispensatio super illegitimitate, cum sit odiosa, & exorbitans a jure communi, stricte est interpretanda. Unde in dispensatione *ad ordines* non veniunt majores, sed minores; ad *Episcopatum* non venit Archiepiscopatus; ad *beneficia* non veniunt curata, dignitates, personatus, Canonicatus cathedralis, sed simplicia &c. nam qualitates excellentiores sunt speciali nota dignæ; ergo non veniunt, in dispensatione, nisi exprimantur.

☞ *Cum in litteris dispensationis ad sacros ordines apponatur clausula a Sede Apost.* Dummodo paternæ incontinentiæ imitator non sit - *Ex decr. Cong. Conc.* 23. *Decemb.* 1596. *relat. a Benedicto XIV. lib. XIII. de synod. c.* 24. *n.* 22. *huic non aliter per Episcopum exequutorem satisfit* - quam in quærendo, quod nihil bonis moribus indignum compererit - *Quod si integro decennio dispensandus probe vixit, debet exequi litteras dispensationis, quamvis prius incontinentiæ nomine suspectus esset. Sed hoc casu debet Episcopus accuratius inquirere ad diluendam prioris vitæ suspicionem.* ☜

5. Q. IV. *Ad quid professio religiosa habilitet illegitimos?* R. 1. Ad omnes ordines etiam Sacros *Can.* 1. *d.* 56. *& c.* 1. *h. t.* ibi: *nisi fiant monachi*, puta secuta professione: nam hunc favorem meretur status Religiosus. 2. Professio non habilitat illegitimum ad Prælaturas, & dignitates *cit. c.* 1. *h. t.* ibi: *prælationes vero nullatenus habeant*. At capitulum generale, vel provinciale ex concessione Sixti IV. quam, non obstante revocatione Sixti V. renovavit Greg. XIV. potest cum Religioso illegitimo dispensare ad prælaturam. Vide Rodriq. *tom.* 1. *qq. Regg. q.* 15. *num.* 6. secus extra talia capitula dispensare in hoc jure communi potest solus Papa. 3. Item ex Constit. Greg. XIV. incip. *Circumspecta* 1590. idib. Martii §. 2. & 3. *vivente patre* filius illegitimus non potest in idem monasterium, vel eamdem Religionem admitti, ne paterni criminis memoria refricetur.

☞ *Vide Const. Clem. VIII.* In suprema *reducentis ad terminos juris Constitution. Sixti V. salvis tamen pœnis contra Superiores admittentes ad habitum, vel professionem illegitimos, non servata forma scrutinii ab eodem Sixto præscripta in prima sua Const.* Cum de omnibus. ☜

Q. V. *Quid disponatur speciale hic circa filios Presbyterorum?* R. 1. Filii illegitimi non possunt promoveri ad ullum beneficium, vel ex officio ministrare in illa Ecclesia, in qua pater eorum habet, vel antea habuit beneficium quodcumque; promoti vero inde amovendi sunt *c.* 2. 3. 4. 15. 16. *h. t.* & Trid. *sess.* 25. *c.* 15. *de ref.* ubi ratio datur: *ut paternæ incontinentiæ memoria locis Deo sacratis longissime arceatur*. 2. Filii legitimi Presbyterorum, qui ex matrimonio ante sacrum ordinem inito procreati sunt, possunt in eadem Ecclesia simul, vel successive obtinere diversa beneficia *c.* 12. *h. t.* at in eodem beneficio filius immediate non potest succedere patri, nisi mediet extranea persona, Trid. *sess.* 25. *c.* 7. *de ref.* ut evitetur hæreditaria successio sacris constitutionibus odiosa, & Patrum decretis contraria. De his successionibus vide Barbos. Garc. &c.

☞ *Ex decretis Congr. Conc. relat. a Bened. XIV. lib. XIII. de Synod. diœc. cap.* 24. *Filius illegitimus patris jam defuncti neque potest audire confessiones in Ecclesia, quam pater uti Parochus obtinuit. Quod locum habet, etiam si Parochiam, intermedia persona, obtinuerit. Non prohibetur autem, quominus possit esse capellanus amovibilis, ubi pater fuit pariter capellanus amovibilis. Item pater legitimus potest obtinere etiam immediate beneficium filii illegitimi defuncti. Insuper nepos legitimus ex patre illegitimo progenitus capax est beneficii quod avus antea possedit. Capax pariter est beneficii filius legitime natus ex patre naturali legitimato.*

Ex Constit. S. Pii V. 27. *Jan.* 1571. Quæ Ordini *Clerici prohibentur scribere hæredes suos filios illegitimos, aut quidquam tam ex Ecclesiæ redditibus, quam ex patrimonialibus bonis proveniens iisdem testamento relinquere, eorumque filiis, ac descendentibus, consanguineis, & affinibus, sive dicti filii illegitimi superstites sint, sive ante obierint. Probat tamen Pontifex cit. cap. n.* 21. *his filiis deberi alimenta non minus ex bonis patrimonialibus, quam ex redditibus Ecclesiasticis: & quoad eorum consanguineos Pii Constit. intelligendam esse tantum de legato iis eo consilio relicto, ut in eorumdem filiorum illegitimorum commodum cedat. Vide Passarin. de Electlion. cap.* 15. *num.* 231. *& seq.* ☜

7. Q. VI. *An expositi, & hi, de quorum legitimis natalibus dubitatur, habendi sint pro legitimis, ut sine dispensatione ad ordines admitti possint?* R. Affirmative. Ita Menoch. Barbof. & alii contra Covarruv. Garc. &c. nam in dubio fortior est præsumptio pro legitimitate: tum quia peccatum excludit, & concernit favorem prolis *c.* 14. *qui fil. legit.* tum quia onus probandi transfert in adversarium *c.* 5. 11. *eod.* tum quia legitime nati sæpe exponuntur, vel ob paupertatem parentum, vel ob aliam causam.

TITULUS XVIII.

De Servis non ordinandis, & eorum manumissione.

Agitur de hac materia in *Decr. d.* 54. Plena vero notitia de servis petenda est ex jure civili in Institution. *lib.* 1. *tit.* 4. *& seqq.* In Pandectis *lib.* 1. *tit.* 5. 6. *lib.* 40. *per tot.* In Codice *lib.* 6. *tit.* 1. *usque ad* 8. *lib.* 7. *tit.* 1. *usque ad* 20.

1. *Nota*, pro intellectu h. t. *servos* in sensu juridico esse homines, qui ex constitutione gentium dominio alieno contra naturam subjiciuntur §. 2. *Inst. de jur. pers.* His propinqui sunt *servi adscriptitii*, qui glebæ, seu fundo colendo adscripti, & personaliter obligati sunt, *& originarii*, qui ex adscriptitiis oriuntur; utrique dicuntur *homines proprii*. At *famuli conductitii*, qui pro mercede operam suam locant, re ipsa liberi sunt. Quia vero apud christianos ob reverentiam nominis christiani, & fidei, servitus fere universaliter cessavit, brevibus hic me expediam.

2. Q. I. *An servi, item adscriptitii, & originarii, ordinari possint?* R. Negative; ita rubrica generalis *h. t.* & *Can.* 1. *& seqq. d.* 54. nam servitus dedecet statum clericalem, & ordinatio præjudiciosa est dominis. Idem dic de liberto obligato ad obsequia personalia, nisi ea dominus remittat *Can.* 7. *d.* 54. In quo jure communi præter Papam alius dispensare nequit. 2. Minorista sine consensu domini ordinatus, ei restituendus est, & manet servus *c.* 2. *h. t.* Si Episcopus scienter sacros ordines contulit servo, tenetur domino dare duos alios servos æque bonos, vel eorum æstimationem: secus

cus si nescivit esse servum; tunc enim ordinatus ad idem præstandum tenetur *can.* 19. *d.* 54. & si satisfacere nequit, subdiaconus, vel diaconus deponitur, & redactus in servitutem domino restituitur: Presbyter vero ob honorem sacerdotalem in gradu permanet, sed amissione peculii mulctatur *Can.* 9. *d.* 54. Quod si ordinatio, sciente, & non contradicente domino, facta est, ordinatus evadit liber *Can.* 20. *d.* 54. quia ex dispositione juris præsumitur absolute a domino manumissus.

3. Q. II. *Quid juris, si servus religionem profiteatur, inscio domino*? ℞. Si monasterium ignoravit esse servum, intra triennium tenetur eum restituere domino repetenti, fide tamen accepta de immunitate *Can. fin.* 17. *q.* 2. restitutus autem manet obstrictus votis. At si Prælatus scivit esse servum, hic non restituitur, sed Prælatus tenetur pro eo satisfactionem præstare secundum boni viri arbitrium: professus vero evadit liber, & ordinari potest.

TITULUS XIX.

De obligatis ad ratiocinia ordinandis, vel non.

1. Agitur de hac materia in Decreto *d.* 51. & 53. Illi autem dicuntur obligati ad ratiocinia, qui tenentur ad reddendas rationes propter alienorum bonorum administrationem, vel *publicam*, uti curiales regni, & communitatum, vel *privatam*, uti tutores, curatores, exequutores testamentarii &c.

2. Q. I. *An obligati ad ratiocinia publica, vel privata antequam his satisfaciant, ordinari possint*? ℞. Negative *c. un. h. t.* quod licet loquatur de procuratoribus, seu administratoribus, tamen propter identitatem rationis comprehensive extenditur ad eos, qui ex aliquo officio, vel negotiatione seculari aliis obstricti sunt, ut miles *Can. un. d.* 53. vasalli obligati ad obsequia personalia *arg. Can.* 2. *credo* 31. *q.* 3. Ratio sic statuendi fuit, ne Ecclesia variis exinde litibus vexetur, & quia talium ordinatio esset principalibus in præjudicium. Compositis autem rationibus, vel si aliter solvi nequit, cessis bonis, non prohibentur administratores ordinari, uti nec alii debitores per se loquendo, si quid ex alio titulo debeant, ut mutuo, conducto &c. cum id nullo jure caveatur. Nec obstat *leg.* 6. §. 1. *ff. de muner. & honor.* quia jure civili irregularitas ad ordines induci non potuit.

☞ *Licet cessio bonorum facta fuerit absque ignominia, & absque eo quod cedens bonis pileum viridem, aut aliud ignominiæ signum deportaverit, ideoque infamis dici nequeat juxta Baldum ad textum in lege*, Debitores-*Cod. de* quibus causis infamia irrogatur, *non est tamen ordinandus ob periculum, quod bona post cessionem ipsi assignata titulo patrimonii sacri a creditoribus occupentur: per cessionem enim bonorum quis minime liberatur ab ære alieno, si ad pinguiorem fortunam devenerit; cum juxta textum in cap.*-Pervenit-de fidejussor. *a creditoribus ex defectu bonorum propriorum Clerici occupari possint nedum fructus patrimonii, sed etiam beneficii, & præbendæ, relicta tamen congrua; ut his innixa rationibus resolvit Congreg. Concil.* 23. *Jun.* 1725. *in Atrien. ut in Thesau. Resolut.*

Id etiam cautum est in cap.-Odoardus-de solut. *quo statuitur, ne clericus propter æs alienum in carcerem detrudatur, nec excommunicetur; sed ut præstet idoneam cautionem de solvendo, si ad pinguiorem fortunam devenerit: nec oportet ad effectum hoc beneficio fruendi, ut bonis cedat; ne scilicet clericali statui ignominia irrogetur, juxta Abbatem in d. cap.*-Odoardus-*n.* 8. *Ancaran. n.* 7. *Fagnan. n.* 58. *de solut. & Bellet. disquisit. Clericorum par.* 1. *de Clerico debitore* §. 1. *num.* 35. *ex quibus colligitur, quod cessio bonorum infamiam importet non juxta hominum opinionem tantum, sed etiam juxta sensum Ecclesiæ.*

Vide notata in summariis lib. II. tit. 8. *de dilation. post cap.* Exposuit 4. *& lib. III. tit.* 23. *de solut. post cap.* Odoardus 3.

3. Q. II. *An officia, & administrationes Clericis permissæ impediant susceptionem ordinum*? ℞. Negative: nam quod Clericis est permissum, statum Clericalem impedire non debet, cum circa hoc jus non extet prohibitorium: unde ordinari possunt. 1. Principum cancellarii, consiliarii, imo & causarum civilium auditores. 2. Administratores bonorum Ecclesiæ, vel alterius piæ causæ. 3. Tutores, curatores & procuratores miserabilium personarum, ut pupillorum, viduarum &c. 4. Habentes tutelam legitimam agnatorum. Cum obligatis ad ratiocinia solus Papa dispensare potest; sed non solet ob præjudicium principalium.

TITULUS XX.

De corpore vitiatis ordinandis, vel non.

Agitur de hac materia in Decreto *d.* 49. & 55. Est autem hic titulus alius a tit. *de Clerico ægrotante, vel debilitato*: in illo enim tractatur, an Clericus ægrotus amittere debeat beneficium actu obtentum; in hoc autem disponitur, an habens vitium corporis possit ordinari, vel in suscepto ordine ministrare.

1. Q. I. *Qui corpore vitiati sint irregulares, quos non decet ad statum Clericalem admittere*? ℞. *Mutilati*, seu carentes membro principali, uti est oculus, nasus, pes &c. vel si careant pollice, aut indice ad sacrificandum necessario: item qui in se ipsos sævientes ad injuriam Creatoris sibi digitum abscindunt, aut aliam partem; vel continentiæ, aut vocis causa se castrari voluntarie sinunt *c.* 6. *h. t. Can.* 4. & *seqq. d.* 55. Ad mutilatos autem non pertinent, qui in cunis, vel non voluntarie castrati sunt, vel qui partem digiti, aut alterius membri amiserunt; modo non adsit notabilis deformitas *c.* 1. & *seqq. h. t.* imo carens ungula pollicis, si adhuc fortis sit ad frangendam hostiam, licite promovetur ad Sacerdotium *c. fin. h. t.* 2. *Debilitati*, seu habentes membra aliqua inepta ad functiones ordinum, uti sunt *manci c.* 6. *h. t. pedibus capti*, ut ad altare stare nequeant *Can.* 57. *dist.* 1. *de Cons.* surdi; & muti, cæci utroque oculo, vel sinistro tantum, seu Canonico, carentes digitis Canonicis; abstemii, qui omnino non possunt vinum bibere &c. item omnes laborantes morbo incurabili, ut furiosi, amentes, arreptitii, seu a dæmone obsessi, lunatici, frequentem vomitum patientes, leprosi, paralytici, & epileptici, qui, cum vix unquam perfecte curentur, arcendi sunt ab ordinibus. 3. *Deformes*, seu laborantes notabili macula, defectu, aut excessu alicujus membri, ut sine horrore, aut risu conspici non possint, ut truncati naribus, aut auriculis, si capillus deformitatem non tegat, claudi, & gibbosi: si tamen claudicatio, & gibbus non affert notabilem deformitatem, non obest ordinationi. Item monstruosi, ut gigantes, nani, duo capita, quatuor brachia, sex digitos, vel tres, aut quatuor in una manu habentes, hermaphroditi, & quicumque alii ita deformes, ut horrori sint intuentibus.

☞ *Quoad defectum staturæ parvæ nihil præcise in jure statutum legitur; est enim tantum generalis regula, quod ille defectus causet irregularitatem, qui congruum ordinis exercitium impedit; aut qui notabilem deformitatem, horrorem præseferentem, & ad risum moventem affert: cum de cætero & Paulus Apostolus adeo parvæ fuerit staturæ, ut Jo. Chrysost. eum appellaverit tricubitalem; sic S. Hieronymus, sic S. Antoninus, qui propterea hoc diminutivo nomine appellatus fuit, ut legitur apud Theophilum Raynan. tom.* 13. *in opere, cui titulus*-Laus Brevitatis-*pag.* mihi 485. *Verum, an hic defectus aut impediat ordinis exercitium, aut risum, vel horrorem afferat, judicium pertinet ad Ordinarium ex decreto Cong. Conc.* 12. *Jul.* 1721. *in Marsicana in Thes. Resol.*

De omnino cæco Bened. XIV. Instit. Eccl. 34. §. 2. *probat ex decretis ejusdem Cong. neque ad primam tonsuram admitti posse.* ☜

2. Q. II. *An vitium corporis ordinibus susceptis superveniens inducat irregularitatem*? ℞. Non inducere simpliciter, sed tantum secundum quid, scil. quoad illum actum ordinis, quem sine periculo, vel ob magnam deformitatem sine scandalo, & irreverentia, ordinatus exercere nequit. Sic Sacerdos, amisso digito Canonico, potest confessiones audire, concionari &c. *c.* 2. *de Cler. ægrot.* ibi: *ipsum autem ceteris officiis Sacerdotalibus fungi minime prohibemus.* Excipe, nisi vitium corporis oriatur ex proprio delicto, cui annexa est irregularitas simpliciter talis, ut si Clericus se mutilaret *Can.* 4. *d.* 55. & *c.* 5. *ne Clerici.*

3. Q. III.

3. Q. III. *Quis super irregularitate ex vitio corporis orta judicare, determinare, & dispensare possit?* ℞. 1. In dubio, an deformitas, & alius defectus corporeus sit sufficiens ad inducendam irregularitatem, judicare, & determinare est Episcopi *c.* 2. *h. t. Can.* 3. *d.* 33. ibi: *per discretionem Episcopi*: quod probabilius procedit etiam quoad Regul. exemptos ordinandos; quia Episcopus non tenetur eos ordinare, si judicet vitium corporis adeo esse grave, ut licite non valeant ad ordines admitti. Rodriq. Nav. Reiff. &c.

4. ℞. 2. In vitio ordinibus susceptis superveniente, etiam Prælatus Regularis saltem exemptus judicare, & determinare potest, an inducat, vel non irregularitatem. Reiff. Schmalz. & alii communiter: nam per *c.* 3. *de priv. in* 6. Prælatus Reg. in suos Religiosos habet jurisdictionem ordinariam, & quasi Episcopalem, ergo ipsius est judicare, & determinare, an defectus corporeus generet scandalum, vel irreverentiam, ob quam Religioso vel simpliciter, vel saltem in publico prohibeatur exercitium ordinis. Sacerdotes epileptici, seu caduco morbo laborantes, si perfecte curati sunt, admitti possunt ad celebrationem missæ; si vero liberati non sunt, sed raro casum epilepticum patiuntur, privatim celebrare poterunt, adjuncto eis Sacerdote, qui missam in defectu perficere possit. Schmalz. & alii. Pro facienda experientia liberationis assignatur unius an. spatium *Can.* 3. *d.* 33. nisi ex medicorum judicio aliud videretur.

5. ℞. 3. Directe dispensare in hac irregularitate corporis solus Papa potest: non tamen solet, sed plerumque rescribit Ordinariis, ut ipsi dispensent, si non est tanta deformitas, quæ scandalum, & gravem irreverentiam generet, *c.* 2. *h.t.* Episcopus in vitio notorio de jure communi non dispensat, sed solum declarat, an vitium impediat susceptionem, vel exequutionem ordinis. At si vitium est occultum, dispensare potest in irregularitate ex Trid. *sess.* 24. *c.* 6. *de reform.* quod idem possunt Prælati Regul. cum Religiosis subditis vi Privilegiorum, Rodriq. Donat. Mirand. Compend. Privil. Minorum, Prædicat. S. J. &c.

TITULUS XXI.

De Bigamis non ordinandis.

Agitur de hac materia in Sexto *h. t.* In Decreto *d.* 26. 33. 34. & *Can. quicumque d.* 77. & 28. *q.* 3. in Trid. *Sess.* 23. *c.* 17. *in fin.*

1. *Nota bigamiam*, seu *digamiam* esse successivam matrimonii iterationem; & distingui a polygamia, quia hæc pluralitatem uxorum simultanee habet. Est autem in jure Can. bigamia triplex. *Vera*, dum vir successive cum duabus matrimonium contraxit, & consumavit. *Interpretativa*, dum vir re ipsa cum una contrahens, fictione, seu interpretatione juris censetur cum duabus contraxisse, & consumasse matrimonium, ut si viduam ducat &c. *Similitudinaria*, dum vir post susceptum sacrum ordinem, vel emissam professionem Religiosam, de facto (non de jure propter impedimentum dirimens) init, & consumat matrimonium cum una virgine.

2. Q. I. *An bigamia vera inducat irregularitatem?* ℞. Affirmative ex rubrica negativa *hoc tit.* & Apostolico præcepto 1. *Timoth.* 2. *oportet Episcopum esse unius uxoris virum*, quia Ecclesia propter eminentiam status Clericalis voluit, ut Episcopi, & alii Clerici significent perfectam unionem Christi cum Ecclesia, sponsi unici cum sponsa unica; sed bigamia consumata, qua caro dividitur cum pluribus affectu maritali, licet significet unionem Christi cum Ecclesia, non tamen significat perfectam, seu modo perfecto, tanquam unici sponsi cum unica sponsa, ut de se patet; ergo bigamia habet defectum hujus perfectæ significationis; & ex tali defectu oritur hæc irregularitas. Et quia defectus iste perseverat etiam post baptismum adultorum, necessario sequitur etiam illum fieri irregularem, qui in infidelitate duas uxores habuit, vel unam ante baptismum, & alteram post, ut decidit Innocent. Papa *Can.* 3. *d.* 26. & S. August. *Can.* 2. *ibid.* & *Can. acutius* 28. *q.* 3. quibus cedere debet auctoritas S. Hieron. oppositum sentientis *Can.* 1. *d.* 26. & *Can.* 1. *oportet* 28. *q.* 3.

Dices: 1. Unio Christi cum Ecclesia duas habet perfectiones: *virginitatem*, & *fœcunditatem* spiritualium filiorum, quia Christus virgo est, & Ecclesia virgo est, uterque tamen fœcundissimus spiritualium filiorum; ergo Clerici in matrimonio ante contracto debuissent esse virgines, & simul fœcundi; quod tamen non reperitur, nisi in matrimonio B. V. & S. Josephi. 2. Qui in infidelitate occidit auctoritate publica, vel privata, post baptismum non fit irregularis ex omnium sententia; ergo nec ille, qui prius duas uxores habuit. ℞. *ad* 1. Ecclesia ex suppositione, quod aliqui Clerici non sint virgines, requirit in eis monogamiam, ut saltem unam perfectionem *fœcunditatis* significent, scilicet Christi sponsi unici fœcundi cum Ecclesia sponsa unica fœcunda; cum matrimonium fœcundum, quale fuit B. Virginis cum S. Jos. naturaliter non sit compatibile cum virginitate. Plura de his vide in Bellarm. *Ad* 2. Neg. con. nam occidens in infidelitate nec deliquit contra lenitatem christianam, nec violavit legem Ecclesiasticam; adeoque nullam irregularitatem post baptismum exinde contrahit: e contra habens duas uxores defectum perfectæ significationis retinet, non secus ac defectum corporis ille, qui fuit cæcus, vel mancus; ergo suscepto baptismo, statim in eo oritur irregularitas ex defectu; sicut si infans natus est illegitimus, vel membro destitutus, qui defectus utique non purgatur per baptismum. Ex his plura similia solvuntur.

3. Q. II. *An, & in quibus casibus bigamia interpretativa inducat irregularitatem?* ℞. Affirmative in seqq. 1. Si quis viduam duxit, & cum ea matrimonium consumavit *Can.* 17. Apostolorum, *Can.* 2. *d.* 33. *c.* 3. *h.t.* 2. qui inivit alterum matrimonium, vel duo successive ex aliquo impedimento invalida, & illa affectu maritali consumavit *c.* 4. *h.t.* nam in his casibus vel non adest, vel propter affectum maritalem contrahentis a jure fingitur non adesse perfecta significatio Sacramenti. Ad hanc irregularitatem reducuntur alii duo casus, si quis duxit fornicariam a pluribus cognitam, vel cognovit uxorem suam adulteram *Can.* 11. 12. 15. *d.* 34. Causa hujus irregularitatis non est defectus significationis, cum nec fornicaria, nec adultera carnem suam affectu maritali diviserit in plures, ut supponitur; sed causa est sola indecentia specialis, quia ex judicio Ecclesiæ turpe est Clerico habuisse, vel habere uxorem fornicariam, vel adulteram; ob quam causam etiam is, qui duxit ancillam, seu servam, vel actricem comœdiarum, fit irregularis *cit. Can.* 15. *d.* 34. E contra quia virgini non est turpe habere virum Clericum, qui cum alia fornicatus est, ideo vir ex causa fornicationis, vel adulterii non fit irregularis *c.* 6. *h. t.* Cui non obstat *Can.* 2. *d.* 33. ubi dicitur irregularis, qui *unam quidem*, *sed concubinam matronam habuit*: nam sermo est de concubina a pluribus cognita; vel si jure antiquo concubinatus inducebat irregularitatem, ei derogatum est per *cit. c.* 6. *h.t.* Alia ratio, cur vir fornicarius non fiat; ducens vero meretricem fiat irregularis, adduci solet ex S. Thom. quia actiones specificantur a termino *ad quem*: ergo si mulier tanquam terminus *ad quem*, carnem suam divisit, etiam vir eam ducens, & cognoscens fingitur carnem suam divisisse. Sic ex opposito, si mulier esset capax ordinum, nubendo viro fornicario fieret irregularis. Quæ ex causa peccati hic opponi possent, non sunt efficacia; nam vir ex delicto commodum non reportat, sed propterea puniri potest; est autem immunis ab irregularitate, quia nullus est defectus significationis Sacramenti.

4. Q. III. *An bigamia similitudinaria inducat irregularitatem?* ℞. Affirmative *c. fin. h. t.* nam Clerici in sacris, & Religiosi professi per votum solemne castitatis contrahunt quoddam conjugium spirituale cum DEO, Ecclesia, & Religione; ergo si attentent contrahere matrimonium carnale, & illud consumare, merito ab Ecclesia notantur irregularitate bigamiæ *Can.* 24. & 32. *caus.* 27. *q.* 1. Nec obstat, quod tale matrimonium re ipsa sit nullum, adeoque non præstet impedimentum per *reg.* 52. *in* 6. nam quoad irregularitatem *in matrimoniis contrahendis*, *non juris effectus*, *sed animi destinatio attenditur*. *c.* 4. *h.t.*

5. Q. IV. *Qui immunes sint ab irregularitate bigamia?* ℞. 1. Qui contraxit sponsalia de futuro cum duabus,

duabus, etsi secuta fuerit copula fornicaria. 2. Qui duxit alteri desponsatam virginem. 3. Qui cum duabus contraxit de præsenti, sed cum una consummavit matrimonium: nam in his, & similibus casibus, cum caro non sit divisa affectu maritali, nec irregularitati bigamiæ est locus. Nec obstat *Can.* 9. & 10. *d.* 34. & *Can.* 4. *qualis* 30. *q.* 5. & *Can.* 2. *d.* 33. nam procedunt de muliere ab alio corrupta.

6. Q. V. *Quis dispensare possit in irregularitate bigamiæ?* ℟. 1. Papa quidem potest, sed non solet ob reverentiam præcepti Apostolici, nisi ex urgentissima causa. *c.* 2. 3. *h. t.* Nec obstat, quod Apostolus monogamiam requirat in Clericis: nam licet omnia in Sac. Scriptura expressa cadant sub fidem; non tamen omnia sunt juris divini, sed multa juris humani; uti illa, ne Episcopus sit percussor, ne bigamus &c. ℟. 2. Episcopus in irregularitate bigamiæ veræ, vel interpretativæ non potest dispensare ad ordines minores, & beneficia simplicia. Ita communior DD. ex jure novo Trid. *sess.* 23. *c.* 17. *in fin. de ref.* ubi hoc per expressam exceptionem, *dummodo non bigami*, prohibetur. Quod ipsum, teste Garcia, declaravit Sacr. Congreg. Concil. 30. *Januarii* 1589. & approbavit Sixtus V. conformiter *Can.* 59. *d.* 50. *c.* 2. *h. t.* quibus juribus cedere debet *Canon* 18. *d.* 34. Si tamen talis irregularitas occulta esset, in ea dispensare posset Episcopus, vide Trid. *sess.* 24. *cap.* 6. *de reform.* Ex his explicandus est S. D. qui scripsit ante Trid. *in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 3. *a.* 3. ℟. 3. In bigamia similitudinaria pura, si Clericus in Sacris, vel monachus attentatum cum virgine matrimonium consummavit, dispensare ad exercitium ordinum potest Episcopus, & Prælatus Regularis, *c.* 4. *de Cler. conjug.* & *c.* 1. *qui Cler. vel voventes*, ubi talis dispensatio permittitur post peractam pœnitentiam: nam hæc irregularitas non oritur ex defectu, sed ex delicto: in hac autem facilius dispensatur, quam in illa. Ceterum in supplicatione dispensationis exprimenda est qualitas bigamiæ, an *vera*, an *interpretativa*, an *similitudinaria* sit? non vero an supplicans sit trigamus, vel quadrigamus, cum æque irregularis sit bigamus, ac trigamus.

7. Q. VI. *Quæ sit pœna ordinantis bigamum, & bigami ordinati?* ℟. 1. Ordinans suspenditur a collatione ordinum, quos bigamo contulit, & a celebratione missæ per annum, *Can.* 2. *d.* 55. quæ tamen pœna est ferendæ sententiæ *c.* 2. *h. t.* ibi: *Ordinatores sint privandi potestate ordinum.* 2. Bigami ordinati privantur exequutione omnium ordinum, etsi uxor moriatur. *ibid.* 3. Minoristæ sæculares bigamiam veram, vel interpretativam contrahentes, privantur omni privilegio Clericali, & jurisdictioni sæculari subjiciuntur, *cap. un. h. t. in* 6. Constituti vero in sacris, privilegia Clericalia retinent, nisi degradentur, sed manent perpetuo suspensi *cit. cap.* 2. *hoc tit.* Idem dic de Regularibus, si contracta bigamia vera, vel interpretativa ordinati sunt.

TITULUS XXII.

De Clericis peregrinis.

De hac materia agitur in Decreto *d.* 71. 72. 73. ubi de dimissoriis & *d.* 98. item 7. *q.* 1. in Trid. *Sess.* 22. *c. quanta* §. *deinde* & *Sess.* 23. *c.* 16. *v. nullus de ref.*

1. Nota hunc titulum esse diversum *a tit. de Clericis peregrinantibus lib.* 2. nam in isto agitur de Clerico proficiscente Romam ex causa appellationis, vel visitandi sacra limina; at in præsenti agitur de Clericis vagis, & ignotis, an, & quomodo admittendi sint ad susceptionem, vel exequutionem ordinum.

2. Q. *Quid in h. t. statuatur circa Clericos peregrinos?* ℟. 1. Hi non sunt promovendi ad superiorem ordinem, nisi præter dimissorias adferant etiam *formatas*, seu ordinum susceptorum testimonium *c.* 1. *h. t.* ubi illius forma præscribitur. 2. Non sunt admittendi, etiam apud Regulares exemptos, ad divina celebranda, & sacramenta ministranda, nisi afferant *commendatitias*, ex quibus constet non tantum de legitima ordinatione, & carentia impedimentorum Canonicorum, sed etiam de moribus, & doctrina *cap.* 1. *hoc tit.* & *Can.* 7. *d.* 71.

☞ *Imo Episcopus prohibere potest Regularibus etiam cum censurarum inflictione, ne in suis Ecclesiis permittant Sacerdotibus sæcularibus exteris missam celebrare, nisi prius hi ab eodem Episcopo, visis eorumdem litteris commendatitiis, admissi fuerint, ut ex pluribus decretis Cong. Conc. relat. a Bened. XIV. Inst. Ecclesiis* 34. §. 1. *& lib. IX. de Synod. diœces. cap.* 15. *n.* 5. ☜

Tales litteras Episcopus tenetur dare, si petantur ex causa rationabili, ut propter salutiferam peregrinationem, domicilium, vel diœcesim mutandam.

☞ *Ita etiam decisum legitur a d. Cong.* 22. *Nov.* 1749. *in Segn. Decretorum, ut in thes. resolut.* ☜

Secus, si iter fiat ex levitate, & Episcopo insalutato; quo sensu procedit *Can.* 23. *si qui* 7. *q.* 1. & *Can.* 35. *d.* 5. *de consecr.* Quod si Clericus casu aliquo, v. g. per naufragium &c. amiserit dictas litteras, & per testes cum fama communi probaverit suam ordinationem, admitti poterit ad divina celebranda. Solum autem juramentum non sufficit, nisi ad privatim, & sine stipendio celebrandum, si nulla sit præsumptio falsitatis; quia tunc, si Sacerdos non est, non decipit populum, sed se ipsum *c.* 2. 3. *h. t.* Item circa tales peregrinos observanda sunt statuta particularia cujusque diœcesis. 3. Prælati Ecclesiarum Episcopo subjectarum sine ejus consensu non possunt conferre beneficia Clericis alienæ diœcesis, præsertim curata *c. fin. h. t.*

Postquam compilator egisset de ordinationibus Clericorum, & impedimentis ordinandorum, transit ad varia Clericorum officia, ut Archidiaconi, Archipresbyteri &c. Quia vero circa hæc officia plerumque attenditur consuetudo Ecclesiarum, & non jus commune, ideo breviter de his agam.

TITULUS XXIII. usque ad XXVII.

De Officio Archidiaconi, Archipresbyteri, Primicerii, Sacristæ, & Custodis.

Agitur de Archidiacono in Decreto *Can.* 1. *d.* 25. §. *ab Archidiacono Can.* 8. *d.* 74. *& Can. fin. d.* 94. de Archipresbytero *Can.* 1. *d.* 25. §. *Archipresbyter vero*, de primicerio ibid. & *Can.* 1. *d.* 21. *& d.* 91. de sacrista *cit. Can.* 1. *d.* 25. de custode *d.* 93.

1. Q. I. *Quid statuatur circa Archidiaconum?* ℟. 1. Archidiaconatus de jure communi est prima dignitas post Episcopalem *cit. Can.* 1. *d.* 25. *& c.* 7. *h. t.* ubi Archidiacono attribuitur jurisdictio pro foro externo. Licet enim Archidiaconus ordine sit inferior Archipresbytero, jurisdictione tamen, & dignitate est superior, & ideo dicitur *oculus*; *& Vicarius natus* Episcopi; definiturque, quod sit persona in Ecclesiastica dignitate constituta, vices gerens Episcopi in gubernanda diœcesi, omnemque curam habens circa Clericos, & eorum Ecclesias, *cit. c.* 7. *h. t.* Quomodo differat a Vicario generali Episcopi, infra *tit.* 28. dicetur. 2. In Archidiacono, tamquam Principe Diaconorum requiritur, & sufficit ordo Diaconatus: & quia plerumque curam animarum habet in foro externo, requiritur in eo annus 25. inchoatus, & scientia eminens magistri in Sacr. Theologia, vel Sac. Cann. Trid. *Sess.* 24. *c.* 12. *de ref.* 3. Officium, & potestas illius describitur *c.* 1. & *seqq. h. t.* causæ autem graviores subductæ sunt ei, & attributæ Episcopo per Trid. *Sess.* 23. *c.* 3. 18. 20. & *Sess.* 24. *c.* 5. *de refor.* ut visitare diœcesim, examinare ordinandos, judicare causas beneficiales, matrimoniales, concubinatus, & alias criminales. Hodie in quibusdam cathedralibus nec nomen est Archidiaconi: alicubi nomen quidem extat, sed non dignitas cum potestate, & jurisdictione.

2. Q. II. *Quid statuatur circa Archipresbyterum?* ℟. 1. Archipresbyter, seu Princeps Sacerdotum de jure communi est, qui regit ceteros Presbyteros in his, quæ sunt Sacerdotalis officii *c.* 1. *h. t.* aliter vocatur *decanus*: & quidem in Ecclesia cathedrali, vel collegiata est *decanus urbanus*, seu *civitatensis*, qui præest Clericis, & Parochis in civitate existentibus; extra vero est *decanus ruralis*, seu *foraneus*, qui præest Clericis extra civitatem Episcopalem degentibus. 2. Archipresbyteratus, seu decanatus non est dignitas proprie talis, cum ei non sit annexa jurisdictio fori externi. Quæ vero sit potestas, & officium Archipresbyteri consulenda est consuetudo locorum: quid autem possit, & debeat de jure comm. habetur *c.* 1. *& seqq. h. t.*

3. Q. III.

3. Q. III. *Quid statuatur circa primicerium*? ℞. 1. Primicerius primus in cera, seu tabula cerata inscribi solitus, est cantor, qui præest Diaconis, & inferioribus Clericis in docendo, cantando, & lectiones assignando. Aliter vocatur *scholasticus*, qui dignitatem proprie non habet cum jurisdictione fori externi, sed quandam præeminentiam cum administratione, & correctione *c. 1. hujus titul.*

4. Q. IV. *Quid statuatur circa sacristam, seu thesaurarium*? ℞. Sacrista est, qui immediatam curam habet sacri thesauri, ut calicum, candelabrorum &c. *cap. un. h. t.* De jure communi obtinet purum officium sine ulla jurisdictione, & præeminentia.

5. Q. V. *Quid statuatur circa custodem*? ℞. Custos est quasi minister sacristæ, cujus officium est custodire utensilia Ecclesiæ, dare signum pro divinis officiis, panem, & vinum, & alia ad altaris ministerium parare *c. 2. h. t.* Hodie officium custodis majori ex parte translatum est in æredituos.

TITULUS XXVIII.

De officio Vicarii.

De Vicario Parochi, & Papæ agitur *h. t.* de Vicario generali Episcopi *h. t. in Sexto*. Item in Decreto *Can. 22. in nona 16. q. 7.* & sparsim in *d. 93. & 94.* in Trid. *S. 6. c. 2. S. 7. c. 5. S. 21. c. 6. S. 25. c. 16. de refor.* ubi de Vicariis paroch. & *S. 24. c. 16. & 18. de refor.* ubi de Vicar. Episc. capituli, & paroch.

1. Nota 1. *Vicarium* in divinis, & beneficiis esse illum, qui in cura animarum, ac divinis ministeriis vices alterius gerit. Et hic vel est *perpetuus*, qui Canonice instituitur in aliqua Ecclesia, assignata sibi congrua portione quasi in titulum, seu pro semper, ut ad libitum, & extra casus a jure expressos inde amoveri nequeat: vel est *temporalis*, qui constituitur ad tempus, ita ut ad nutum constituentis amoveri possit.

2. Nota 2. *Vicarium jurisdictionis* in genere esse illum, cui commissa est jurisdictio. Et, omissis aliis Vicariis, hic agitur de Vicario Episcopi, qui duplex est. *Natus*, qui ex dispositione juris constituitur, & quasi nascitur talis, hoc ipso, quod creetur in certo officio, uti est Archidiaconus, attento jure communi. *Datus*, qui libere ab Ordinario constituitur. *Vicarii dati* sunt in duplici classe: alii, qui accipiunt ab Ordinario jurisdictionem diversam, ei tamen subordinatam; & hi proprie dicuntur delegati Episcopi; ut si Vicario foraneo aliqua jurisdictio committatur. Alii, qui accipiunt jurisdictionem eandem cum jurisdictione Episcopi, modo tamen limitato, & cum dependentia ab Episcopo; & hi dicuntur *Vicarii generales*: & quidem si vices gerunt in temporalibus tantum, dicuntur specifice *œconomi*, vel *administratores*, vel cum addito *Vicarii in temporalibus*; si vices gerunt tantum in spiritualibus, dicuntur cum addito *Vicarii generales in spiritualibus*: & ultra montes de stylo curiæ Rom. vocantur *officiales Episcopi*: si vero vices gerant in spiritualibus, & temporalibus simul, dicuntur sine addito *Vicarii generales*. Præter hos solet quandoque Episcopus habere *Vicarium in pontificalibus*, qui loco Episcopi actus pontificales exercet, ordinando Clericos &c. & vulgo dicitur *suffraganeus*: sed hic per se nullam jurisdictionem habet, nisi simul sit Vicarius generalis in spiritualibus, ut plerumque esse solet. Differunt autem Archidiaconus, & Vicarius generalis: nam Archidiaconus est Vicarius Episcopi natus, intitulatus, & perpetuus, habetque jurisdictionem diversam, ita ut a tribunali ejus appelletur ad Episcopum; e contra Vicarius generalis est Vicarius Episcopi datus, temporalis, ad placitum amovibilis, habetque eandem jurisdictionem cum Episcopo, licet modo limitato, ita ut ab illo appellari non possit ad Episcopum, ut suis locis dicetur.

3. Q. I. *Quid juris circa Vicarium perpetuum parochialem*? ℞. 1. Ex justa causa constitui potest Vicarius perpetuus; ut si Ecclesia unita est alteri principali, dignitati, collegio, vel alteri universitati; vel si rector per se ipsum non potest administrare, aut non decet; ut si Episcopatui unita esset pinguis parochia. 2. Vicarius nominandus est a rectore principali, & si est beneficium patronatum, de consensu patroni, *c. 1. h. t.* & quidem si Ecclesia Parochialis perpetuo annexa est monasteriis, capitulis, & aliis piis locis, regulariter nominandus, & præficiendus est Vicarius perpetuus, *c. 30. §. qui vero de præb.* nisi Episcopus judicaret potius præficiendum esse temporaneum, vel nisi Ecclesia unita esset monasterio pleno jure quo ad spiritualia, & temporalia, vel nisi antehac Ecclesia administrata semper fuisset per Regulares; tunc enim præfici possent Vicarii regg. ad tempus, Trid. *sess. 7. c. 7. de reform.* Const. S. Pii incip. *Ad exequendum*, in fin. 3. Rectori principali, & non Vicario, incumbit externa defensio Ecclesiæ, vindicatio jurium parochialium, fabricæ reparatio, administratio vicariæ, si ista vacet per mortem, vel resignationem &c. 4. In aliis fere omnibus Vicarius perpetuus æquiparatur parocho: & ideo instituitur ab Episcopo, *c. 3. h. t.* acquirit jus reale, seu titulum, non quidem *directum*, qui est penes rectorem principalem, sed *utilem*, seu quasi titulum portionis sibi assignatæ: curam parochialem libere exercet, ut non audeat se rector intromiscere, cum non sit actu, sed habitu parochus; substituere sibi potest Vicarium ad tempus, non in perpetuum, *cap. 4. h. tit.* ne duo Vicarii perpetui sint in eodem beneficio. Expirat officium Vicarii perpetui morte ejus, vel resignatione, vel depositione.

4. Q. II. *Quid juris circa Vicarium temporaneum*? ℞. 1. Constitui potest ex justa causa, ut si Ecclesia vacet per obitum rectoris, vel si rector ob aliqua impedimenta, ut negotia, studia, infirmitatem &c. non possit Ecclesiam administrare. Et quidem ipse parochus ad breve tempus unius, vel alterius septimanæ constituere potest Vicarium idoneum, pro longiori autem tempore requiritur consensus Ordinarii, Trid. *S. 23. c. 1. de refor.* 2. Vicario temporaneo competit potestas curæ pastoralis quasi ordinaria; licet multum similis sit delegatæ ad universitatem causarum: & ideo totam hanc potestatem non potest alteri committere, nisi hoc consuetudo, vel speciale mandatum permittat; bene vero unum, vel alterum actum coadjutori delegare potest. 3. Expirat officium vicarii temporanei revocatione; item morte rectoris principalis, vel alio modo inducente vacationem; vel si ipse vicarius renuntiet suo officio: unde post mortem rectoris non potest administrare, nisi licentiam Ordinarii habeat, vel nisi consuetudo id permittat pro interim, donec de alio Vicario provisum fuerit.

5. Q. III. *Quid juris circa Vicarium generalem in spiritualibus*? ℞. 1. Hic libere constituitur ab Episcopo cum, vel sine, consensu capituli; nisi diœcesis esset ampla; tunc enim Episcopus ad facilius expedienda negotia, teneretur unum, vel plures Vicarios constituere. Barbos. 2. Vicarii qualitates sunt, ut sit Clericus saltem primo tonsuratus, secularis, vel regularis, exceptis mendicantibus per *Clem. 1. de Regg.* ætatis annorum 25. inchoatorum, cum hos dignitas ejus, & jurisdictio exposcat, ut alias dictum *tit. de ætate*, pietate, scientia doctorali, & usu rerum idoneus, non conjugatus, non bigamus, & qui residere possit in civitate, aut loco sedis episcopalis. 3. Potestas illius extendit se ad omnia negotia substrata jurisdictioni Episcopali, exceptis gravioribus, quæ speciale mandatum requirunt *cap. 2. & fin. hoc tit. in 6.* uti sunt dare dimissorias pro ordinibus, conferre beneficia liberæ collationis ad Episcopum spectantia, admittere resignationes beneficiorum, Ecclesias unire, dividere, transferre, erigere, dispensare in irregularitatibus, votis, juramentis, observatione festorum, jejuniorum, statutorum diœcesanorum, absolvere a censuris, vel casibus Episcopo reservatis, gerere negotia ardua, ut visitare diœcesim, convocare synodum, tractare causas feudales, & criminales majores, restituere in integrum &c. hæc enim, & his similia specialiter reservata sunt Episcopo, licet de consuetudine præsertim Germaniæ multa ex his possit Vicarius generalis; ut cognoscere causas matrimoniales; dispensare in denuntiationibus, observantia festorum, jejuniorum &c. Quod si in mandato generali exprimatur aliqua causa specialis cum clausula: *& omnia alia, quæ speciale mandatum requirunt*, vi hujus clausulæ non potest majora expressis, sed vel æqualia, vel minora *arg. cap. 15. de ref. Clem. 2. de Procur.* nam per *reg. 81. in 6. in generali*

rali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veroſimiliter in ſpecie conceſſurus.

☞ *Poteſt etiam, impedito Epiſcopo, de ſpeciali ejus mandato celebrare ſynodum, ut probat Fagn. ex decr. Cong. Conc. cap.* Sicut olim *de accuſat. n.* 10. *&* 11. *ubi tam præſente, quam abſente Epiſcopo omnes præcedit indutus veſtibus, quibus per urbem incedit, ſi non eſt Protonotarius Apoſt. tunc enim uti debet veſtibus huic muneri propriis Bened. XIV. lib. III. de ſynodo diœc. cap.* 10. *n.* 2. ☜

6. Q. IV. *An poteſtas, ſeu jurisdictio Vicarii generalis ſit ordinaria?* Alciatus, Sot. Gomez. & alii dicunt eſſe delegatam, ſed cum communiori ℞. affirmative: nam juriſdictio a lege, vel Canone ratione proprii officii deſcendens eſt ordinaria *l.* 5. *&* 6. *ff. de juriſd.* ſed juriſdictio Vicarii generalis ratione proprii officii deſcendit ex Canone, puta ex *c.* 2. *h. t. in* 6. licet enim Epiſcopus nominet, & determinet perſonam, tamen non ille, ſed jus ipſum dat ei juriſdictionem, ergo: tum quia Epiſcopi, & Vicarii idem eſt auditorium, ſeu tribunal, & ideo a Vicario non appellatur ad Epiſcopum *c.* 2. *de conſuet. in* 6. *ne ab eodem ad ſe ipſum appellatio interpoſita videatur*, ergo utriuſque eadem eſt juriſdictio ordinaria, modo tamen diverſo: quia in Epiſcopo eſt principaliter, & illimitate quoad ſuam diœceſim, in Vicario autem eſt limitate, & dependenter ab Epiſcopo; & propterea ſublata juriſdictione Epiſcopi tollitur etiam juriſdictio Vicarii, utpote eadem. Ex his ſoluta manent *c.* 9. *de prob.* de juriſd. duorum in ſolidum, *Can.* 33. *cauſ.* 2. *q.* 6. *l.* 6. *ff. de juriſd. l.* 16. *ff. eod. l.* 1. 3. *ff. de off. ejus, cui mand.* Si quid tamen Epiſcopus committeret Vicario extra litteras mandati, id utique pertineret ad juriſdictionem delegatam.

7. Q. V. *Quibus modis expiret juriſdictio Vicarii generalis?* ℞. 1. Revocatione, cum ſit ad placitum Epiſcopi. 2. Morte, vel renuntiatione Vicarii. 3. Quotieſcumque juriſdictio Epiſcopi amittitur, ſuſpenditur, vel limitatur etiam juriſdictio Vicarii hoc modo ceſſat, cum eadem ſit cum juriſdictione Epiſcopi.

8. Q. VI. *Quid juris circa Vicarium capituli, ſede vacante?* ℞. 1. Intra octiduum a die vacationis cognitæ eligendus, vel prior confirmandus eſt, ſaltem ſi major pars capituli in eum conſpiret, licet non obſervetur forma *c.* 42. *de elect.* præſcripta pro electione Prælatorum perpetuorum. Ita de jure novo Trid. *Seſſ.* 24. *c.* 16. *de ref.* idque ſtatutum eſt ad evitandam confuſionem, & plura incommoda, quæ naſci ſolebant ex communi totius capituli adminiſtratione. 2. Poteſtas Vicarii capituli extendit ſe etiam ad ea, quæ, ſede plena, indigent ſpeciali mandato, dummodo ſpectent ad juriſdictionem capituli; hæc enim eſt mens *cit. Trid.* niſi forſan capitulum exciperet unam, vel alteram cauſam, & eam comitteret ſpeciali delegato; in quo caſu nulla confuſio timenda foret. 3. Juriſdictio Vicarii capituli expirat, dum novus Epiſcopus confirmatus poſſeſſionem adeptus eſt, qui etiam ab illo, & ceteris officialibus rationem adminiſtrationis exiget *cit. Trid.* At capitulum Vicarium a ſe electum revocare non poteſt, niſi de conſenſu S. Cong. Epiſc. & Regg. bene vero ſi Vicarius datus eſt a Metropolitano ob negligentiam capitularium, ut teſte Barb. declaravit S. Cong. quia non in hac, ſed in illa revocatione timentur incommoda ſecutura. Ceterum ipſe Vicarius, licet ex cauſa renuntiare poſſit ſuo officio, regulariter tamen totam ſuam juriſdictionem non poteſt committere alteri, ſicut nec Vicarius Epiſcopi *arg. c.* 4. *h. t.* niſi in caſibus a jure, vel Principe permiſſis, uti in caſu infirmitatis, & ſimili *arg. c.* 1. *h. t. in* 6.

☞ *Vide notata Elencho II. n. XLVI. & lib. II. tit.* 9. *poſt n.* 1. ☜

Præmonitio.

Pro intelligendis ſeqq. titulis præſcienda ſunt quæ traduntur in jure civili ad *tit. de juriſdictione*, & *de officio judicis*. Hic ſufficiat ſolam terminorum explicationem afferre.

9. Unde I. *Juriſdictio* a jure dicundo dicta eſt poteſtas publica juris dicundi, ſeu de cauſis controverſis judicandi, ordinata ad communem ſubditorum gubernationem, & utilitatem, *l.* 1. §. 4. *ff. de ſuſpect. tutorib.* ubi vocatur *officium juris dicundi*: & differt a dominio, ſeu jure proprietatis, quia hoc eſt poteſtas privata ordinata ad bonum privatum domini, qualiter etiam in bonum privatum ordinatur poteſtas patria, tutoria, magiſterialis, œconomica, & hujuſmodi.

10. II. Juriſdictio humana dividitur 1. in *Eccleſiaſticam fori externi, & interni* pro perſonis, & cauſis ſpiritualibus, & Eccleſiaſticis temporalibus: & *politicam* pro cauſis, & perſonis ſecularibus, & mere temporalibus. 2. *In voluntariam*, quæ ſine ſtrepitu judiciali exercetur in volentes, ut eſt in Canonicis ordinatio, collatio beneficiorum, diſpenſatio &c. in politicis adoptio, manumiſſio &c. & *in contentioſam*, ſeu *coactivam*, quæ plerumque cum ſtrepitu judiciali, aut impoſitione obligationis exercetur in invitos, ut leges ferre, judicare, punire &c. *Contentioſa* ultra territorium judicis proprium ſe non extendit *c. fin. de Conſt. in* 6. *cum extra territorium jus dicenti non pareatur impune*. Voluntaria regulariter ubique exerceri poteſt, excepto exercitio Pontificalium *c.* 7. *de off. leg.* Trident. *Seſſ.* 6. *c.* 5. *de ref.* 3. *In ordinariam*, quæ ratione proprii officii competit, & plerumque ex jure deſcendit, ut in Epiſcopo &c. & *delegatam*, quæ non ex officio, ſed ex ſola Superioris commiſſione competit: & quidem ſi commiſſio eſt ad univerſitatem cauſarum, ſeu ad omnes cauſas ejuſdem, vel diverſi generis, ut matrimoniales, & beneficiales, dicitur proprie *juriſdictio mandata l.* 1. §. 1. *ff. de judic.* ſi vero commiſſio eſt ad unam, vel plures cauſas ſingulares, dicitur ſpecifice *juriſdictio delegata l.* 5. *C. de jud.* licet in communi uſu juriſdictio *mandata*, & *delegata* ſynonymice uſurpentur. 4. In *perſonalem* quæ perſonæ officium gerenti conceditur, ejuſque oſſibus inhæret, & cum ea extinguitur, ſeu non tranſit ad ſucceſſores; & *realem*, ſeu *territorialem*, quæ alicui loco inhæret, ut caſtro, & tranſit ad quemcumque ſucceſſorem talis loci. *Realis* affixa officio tranſit ad ſucceſſorem officii. 5. In *ſimplicem, imperium merum*, & *mixtum*, licet Zoes ſimplicem negat. *Juriſdictio ſimplex* eſt poteſtas cognoſcendi, & decidendi cauſam abſque imperio, hoc eſt, ſine jure exequendi, & coercendi inobedientes. Cum vero poteſtas talis fere inutilis, & inefficax eſſet, raro pura conceditur, ſed ſemper aliquid admixtum habet de imperio, & coercitione *l. fin. ff. de off. ejus, cui mand.* quia juriſdictio ſine modica coercitione nulla eſt. *Imperium merum* eſt poteſtas gladii ad animadvertendum in facinoroſos *l.* 3. *ff. de juriſd.* cujus tres ſunt actus: *mors naturalis* per decapitationem &c. mors civilis per maximam capitis diminutionem, ſeu ſervitutem, deportationem &c. & graviores pœnæ non capitales, ut amputatio manuum, ſtatio ad numellas &c. In foro Canonico, in quo etiam datur gladius ſpiritualis, recte ad imperium merum revocatur excommunicatio, depoſitio, degradatio, & aliæ graviſſimæ pœnæ. *Imperium mixtum* eſt poteſtas cognoſcendi, decidendi, & exequendi cauſas civiles cum modica coercitione. Quare dicatur imperium *merum*, & *mixtum* conſule Lexicon Kahl, Zoes, & Engl. *tit. de off. jud. n.* 16. *Merum imp.* a practicis vocari ſolet *judicium ſanguinis*, & *juriſdictio alta; mixtum* vero *juriſdictio baſſa*, ſeu inferior, & barbare *Vogteia*. Qui autem jura reſervata Principi, ſeu *regalia* referunt ad imperium merum, eos dicit Zoeſius ſomniare: melius igitur dicentur pertinere ad juriſdictionem altam generaliter ſumptam, ſeu *dominium altum*, vi cujus Princeps aliquid facit ex caſibus publicis, ut transferendo dominia, privando juribus quæſitis &c. 5. Juriſdictio alia eſt *privativa*, ſeu *ſeparata*, quæ ita competit uni, ut excludat alterum. Sic judicare ſpiritualia competit judici Eccleſiaſtico privative ad laicum; alia *concurrens*, ſeu *cumulativa*, quæ competit pluribus ut ſingulis; ita tamen, ut quiſque in ſolidum poſſit judicare, niſi præveniatur ab altero: alia *communis*, quæ competit pluribus ut univerſis; ita ut unus ſine altero procedere nequeat.

11. III. Judex eſt perſona legitima habens publicam poteſtatem cognoſcendi, & terminandi cauſas controverſas litigantium ſecundum leges, & probatas conſuetudines *pr. In. de offic. jud.* nam totum officium judicis conſiſtit in cognitione, & deciſione, ſeu terminatione cauſæ. Differt autem judex ab arbitrio compromiſſario, quia iſte poteſtatem privatam habet a partibus.

12. IV.

12. IV. Judex varie dividitur: 1. In *jurisdictionalem*, qui præest jurisdictioni, seu qui jus, aut sententiam partibus dicere potest; & *notionalem*, cui sola notio, seu cognitio causæ committitur absque potestate sententiandi. Talis erant *judices pedanei*, ita dicti, quod ad pedes altioris tribunalis in inferiori subsellio assiderent; vel minoris momenti causas, non pro tribunali, sed pede plano judicarent. In horum locum hodie subintrarunt commissarii, auditores legatorum, & similes, qui prævie causas examinant, ut rem omnem referant ad suos principales. 2. In *supremum*, cui competit summa potestas in judicando, uti est Papa, cujus jurisdictio vocatur *potestas clavium*, Imperator, & alii summi Principes, quorum jurisdictio vocatur *majestas*, seu major potestas. *Subalternum*, cui competit jurisdictio summæ potestati subordinata. *Ordinarium*, qui ratione proprii officii habet jurisdictionem. *Delegatum*, qui habet jurisdictionem ex commissione.

TITULUS XXIX.

De officio, & potestate judicis delegati.

Agitur de hac materia in Sexto, & Clem. *h. t.* in Decreto *Canon.* 1. *& seq. d.* 94. *& Can. igitur* 25. *q.* 2. *& Canon. de qua causa* 2. *q.* 4. in Trident. *Sess.* 14. *c.* 5. *Sess.* 25. *c.* 10. & alibi sparsim. In Pandectis *lib.* 1. *tit.* 16. ubi de legatis proconf. *& tit.* 21. *& l.* 2. *tit.* 1. *lege* 5. 6. 16. 17. In Codice *lib.* 1. *tit.* 50. *lib.* 3. *leg.* 5. *cum seq. auth. & l. fin. tit.* 3. 4. *eod.*

1. Nota 1. Delegare in genere est alteri in suum locum substituto vices suas committere: hic autem specifice delegatio est commissio jurisdictionis, Unde *judex delegatus* est, qui jurisdictionem exercet non vi magistratus, seu ex proprio officio, sed ex commissione juris, vel hominis ordinariam jurisdictionem habentis. Differt a *judice ordinario*, quia iste vi sui magistratus, seu officii jurisdictionem habet, ut Episcopus; a *Vicario generali*, quia iste, licet vices agat alterius, tamen ordinariam jurisdictionem eamdem habet cum Episcopo; a *mero exequutore*, quia merum ministerium, & non jurisdictionem habet.

2. *Nota* 2. Delegatum varie dividi: 1. In *delegatum juris*, qui ab ipso jure commissionem accipit, qualiter Episcopus in multis casibus contra exemptos procedit, ut delegatus Sedis Apostolicæ, delegatione accepta a jure, ut Trid. *Sess.* 5. *c.* 2. *Sess.* 25. *c.* 4. *de Regg. Clem. un. de Suppl. negl.* &c. & *delegatum hominis*, qui a judice ordinario accipit commissionem, ut a Papa, Episcopo &c. & quidem si a supremo principe superiorem non recognoscente delegationem accipiat, dicitur *delegatus Principis*; si ab alio judice, dicitur *delegatus inferioris* 2. In *delegatum specialem*, cui una, vel altera causa committitur, & *delegatum universalem*, seu *ad universitatem causarum*, cui vel absolute omnes causæ, vel saltem omnes in certo genere committuntur, ut omnes causæ decimarum &c. quod si restrictio causarum fiat ad certas personas, v. g. ad Titium, & Cajum, probabilius non est delegatio universalis, sed specialis, cum proprie non sit commissio generis, utpote restricta ad determinatas personas singulares. 3. In *delegatos personales*, dum commissio fit personæ, & cum persona expirat; & *delegatos reales*, dum jurisdictio committitur officio, seu dignitati. Et quidem si commissio fiat sub nomine proprio, regulariter censetur *personalis*, v. g. tibi Petre &c. si autem fiat principaliter sub nomine officii, censetur *realis*, v. g. *Episcopo Olomucensi committimus* &c. sive addatur nomen proprium, sive non; & hæc transit ad successorem in eodem officio. 4. In *delegatos primo*, quibus primum ab ordinario judice; & *subdelegatos*, quibus a primo delegato jurisdictio committitur.

3. Q. I. *Qui, & ex qua causa delegare possint*? ℞. 1. Non tantum summi, sed etiam inferiores judices delegatum suæ jurisdictionis constituere possunt, Ita textus generales *l.* 5. 16. 17. *ff. de jurisd. & c.* 7. *de off. ord. in* 6. ubi dicitur Episcopum vel per se, vel *per alium*, hoc est, delegatum in quolibet loco suæ diœcesis posse pro tribunali sedere; nam per *reg.* 68. *in* 6. quod quis potest per se ipsum, potest etiam per alium. Neque ad delegandum requiritur imperium summum, sed sufficit minus: quo sensu explicatur *l.* 13. *ff. de jurisd. l.* 12. *ff. de judic.* At judex inferior sine consensu Principis non potest totam suam jurisdictionem transferre in alterum, quia hæc non esset delegatio, sed abdicatio officii. ℞. 2. Delegatus principis, ut Imperatoris &c. potest subdelegare, *c.* 3. 28. *& fin. h. t. & l.* 5. *C. de jud.* ibi: *nisi a Principe judex datus fuerit & l. un. C. qui pro sua jurisd.* nam eminentia Principis, quem delegatus repræsentat, suadet, & exigit potestatem hujus subdelegationis; nisi expresse electa sit industria personæ propter arduitatem causæ, vel restrictio ponatur: *per te ipsum*, *personaliter* &c. At contra delegatus inferioris regulariter non potest subdelegare. Ita *citt. ll. & c.* 62. §. *fin. de appell.* ibi: *cum non nisi delegatus a Principe causam alii valeat delegare*, ut scil. evitetur multitudo delegationum. Excipe nisi primus delegans id permittat, vel nisi delegatus sit ad universitatem causarum, qui æquiparatur judici ordinario. Et hoc sensu procedit *l.* 12. *ff. de judic.* ibi: *is quoque, cui mandata est jurisdictio, judicem dare potest, ut sunt legati proconsulum.* Nudum autem ministerium, seu articulus aliquis non jurisdictionalis a quocumque delegato committi potest. ℞. 3. Causa, ob quam delegatio fieri potest, est multitudo negotiorum, infirmitas, vel aliud impedimentum, vel alia quæcumque, etiam propria commoditas, cum circa hoc nihil præcipiatur, licet ad honestatem delegationis saltem in delegato causa justa videatur requiri *c.* 3. *h. t.*

4. Q. II. *Qui constitui possint delegati*? ℞. Omnes, qui specialiter non prohibentur: nam edictum de delegatis est prohibitorium in materia generaliter permissa. Et quidem præter eos, qui a natura prohibentur, ut infantes, amentes, surdi, muti, & impuberes discreto judicio destituti, specialiter jure positivo prohibentur *infames*, *servi*, *fœminæ*, *senatu moti*, *excommunicati*, *Can.* 1. *infamis* 3. *q.* 7. *l.* 12. *ff. de jud. c.* 24. *de re jud.* item ætate annorum 20. expletorum necdum pollentes. Si tamen partes consentiant in eum, qui annum 18. egressus est, vel si Princeps scienter illum constituit delegatum, valet delegatio. Ita decidit Greg. IX. *c.* 41. *h. t.* nam Princeps censetur cum tali dispensare. Alienus subditus potest, non tamen invitus cogitur suscipere delegationem. Quæ qualitates requirantur in delegato Papæ, aut Legati Pontificii, dictum est in *tit. de rescript.* Conditiones in delegato requisitas enumerat Host. *h. t. n.* 3.

Liber, *mas*, *gnarus*, *cui sit mens*; *integra fama*.
Ætas, *qui subsit*, committitur huic bene causa.

5. Q. III. *Quid juris, si causa pluribus sit delegata*? ℞. 1. Si commissa est pluribus simpliciter, ut universis, alter sine altero procedere nequit; alias processus est nullus, neque convalescit, si alii deinde approbent *c.* 16. *&* 21. *h. t. & l.* 39. *ff. de re jud.* nam jurisdictio residet in omnibus simul sumptis, ergo alter sine altero procedere nequit: nec processus iste, utpote ab initio nullus, tractu temporis per subsequentem ratihabitionem firmatur per *reg. non firmatur in* 6. *& l.* 20. *ff. de R. J.* 2. Si commissa est pluribus ut singulis in solidum, alter sine altero procedere potest; & eo casu locus est præventioni inter delegatos *c.* 8. *h. t. in* 6. nec alter se immiscere potest, nisi ille, qui processum inchoavit, infirmitate, vel alia causa præpendiretur. *ibid.* Tunc autem censetur jurisdictio singulis in solidum concessa, dum Princeps rescribit sub hac forma, ut *omnes*, *vel duo*, *vel unus procedat*.

6. Q. IV. *Quæ causæ sint delegabiles*? ℞. 1. Regulariter omnes, quæ ad jurisdictionem ordinariam delegantis spectant, sive in prima, sive in secunda instantia *c.* 11. *de offic. ordin.* licet de jure civ. *Auth. ad hæc C. de jud.* Judex inferior ad quem appellatum est, per se ipsum cognoscere debeat de causa appellationis, ℞. 2. Judex Principe inferior non potest delegare alteri causas meri imperii, nisi in casu justi impedimenti, ut absentiæ, infirmitatis &c. Ita de jure civ. *l.* 1. *pr. ff. de off. ej. cui mand.* ubi celeber est textus Papiniani: *quæcumque specialiter lege, vel SCto, vel constitutione Principum tribuuntur, mandata jurisdictione non transferuntur*; sed causæ meri imperii non competunt judici inferiori vi magistratus, seu jure ordinario, sed ex speciali commissione legis, ut ibidem subdit JCtus, ergo. At causæ mixti imperii regulariter sunt

ſunt delegabiles, exceptis iis, quæ judici competunt ex ſpeciali commiſſione legis, ut præſtare auctoritatem alienationibus minorum &c. *l.* 2. *ff. eod.* Hæc de jure Romano, quod in multis locis mores immutarunt, cum hodie merum imperium plerumque ſit pars jurisdictionis ordinariæ.

7. ℞. 3. Epiſcopus, & alii Prælati delegare poſſunt cauſas, quæ in foro Can. dicuntur meri imperii, ut degradatio, depoſitio, excommunicatio &c. nam cauſæ iſtæ pertinent ad ordinariam jurisdictionem Epiſcopi, nec oſtendi poteſt ſpecialis commiſſio juris, ergo nihil prohibet eas delegari; imo talem delegationem clare innuit *c.* 7. *de off. ord. in* 6. *c.* 2. *de off. vicar. in* 6. *Clem.* 1. §. *propter de heret.* ℞. 4. Prælatus Papa inferior non poteſt laico delegare cauſam Eccleſiaſticam, etſi ei adjungat Clericum, *c.* 12. *de foro comp. c.* 2. *de judic.* quia laicus, ſecluſo privilegio Apoſtol. non eſt capax jurisdictionis ſpiritualis.

8. Q. V. *Quid ſit officium, & quæ obligatio delegati?* ℞. Licet officium, & poteſtas frequenter in uſu confundantur; in hoc tamen differunt, quod officium ſignificet quaſi actum ſecundum, quid judex teneatur facere: poteſtas vero ſignificet actum primum, quid facere poſſit. Delegatus vi officii ſui tenetur 1. expectare, donec ſibi præſentetur mandatum delegationis, *c.* 12. *de appell.* cum jurisdictionem non habeat, niſi ex mandato. 2. mandatum iſtud tenetur exhibere partibus litigantibus in forma authentica, vel in ſimili tranſumpto *c.* 31. *h. t. c.* 24. *de Reſcript.* nam delegatio eſt facti contingentis, ergo probari debet: & quidem a delegato Principis per litteras authenticas, a delegato inferioris ſaltem per teſtes *ibid.* & *l.* 1. *C. de mand. princip.* 3. diligenter obſervare debet fines mandati, & formam in eo præſcriptam, *c.* 22. *de reſcr. l.* 5. *diligenter ff. mandat.* cum totam jurisdictionem habeat ex mandato. In ceteris omnibus obſervare debet ea, quæ ſunt judicis, ut admittere probationes, & exceptiones juſtas; frivolas vero rejicere, deferre appellationi, niſi cauſa commiſſa ſit cum clauſula: *remota appellatione.* Quorſum a delegato appellandum ſit, dicetur *tit. de appellat.*

9. Q. VI. *Quanta ſit poteſtas delegati?* ℞. Tanta, & non major, quam in mandato delegationis exprimatur, nam delegatus vices delegantis gerit *cap.* 11. *h. t.* ergo id ſolum poteſt, quod continetur in mandato; ſaltem implicite, ſine quo mandata jurisdictio exerceri nequit. Unde in ſpecie poteſt ea, quæ ſunt judicis propria, ut partes citare, contumaces coercere, actorem ab excommunicatione abſolvere, vel ſimpliciter, vel ad reincidentiam, ſpoliatum reſtituere, de ſua competentia cognoſcere, cum jurisdictio delegantis ſit certa; & alia facere, quæ ad cauſæ deciſionem ſunt neceſſaria, cum hæc omnia commiſſa cenſeantur. Ita ſparſim *h. t. c.* 1. 4. 5. 11. 21. &c. Denique delegatus Principis ſententiam a ſe latam poteſt exequi, dummodo delegans exequutionem ſpecialiter ſibi non reſervaverit, *c.* 7. 26. *h. t. c.* 4. *de for. compet.* nam commiſſio abſolute facta includit omnia neceſſaria ad plenam terminationem cauſæ, inter quæ etiam eſt poteſtas exequendi ſententiam. Quod ſi delegatus Papæ non poſſit, vel non velit exequi ſententiam a ſe latam, exequutionem ejus demandare poteſt ordinario judici, cum ille ſit ſuperior in hac cauſa *cit. c.* 7. *h. t.*

☞ *Delegatus autem ab ordinario non poteſt ſuam ſententiam exequutioni demandare, ſed ipſe ordinarius illam debet exequi cap. ſi quis de for. compet. ibique Gloſſ.* V̸. Ipſius. ☜

10. Q. VII. *An ordinarius teneatur exequi ſententiam delegati Apoſtolici, licet ſciat eſſe injuſtam?* ℞. Affirmative, ut deciſum eſt *c.* 28. §. *quia vero h. t.* tum quia ordinarius, utpote merus exequutor, tenetur obedire præcepto Superioris, & cum ei cognitio non ſit permiſſa, non debet diſcutere illius ſententiam, an juſta, vel injuſta ſit, *l.* 3. *C. ſi adverſ. rem judic.* tum quia ſic exequendo non peccat, ſed præciſe facit id, quod ordo juris depoſcit, ne alioquin res judicatæ paſſim diſcutiantur, & calumniis objiciantur; condemnatus vero ſibi imputet, quod a tali ſententia non appellaverit, cum pro judice ſtet præſumptio juſtitiæ. Excipe, niſi ſententia eſſet *notorie injuſta*, quia tunc ceſſat præſumptio juſtitiæ pro judice; vel *invalida* contra jus, quia tunc delegatus non mandat ut judex. Item ſi ordinarius impetravit liberationem a tali exequutione, *cit. c.* 28. vel ſi non eſt exequutor merus, ſed mixtus valens cognoſcere de impedientibus, vel minuentibus exequutionem. Ex his ſolvitur *c.* 5. 7. *de reſcr. c.* 2. *de crim. falſ. l.* 5. 7. *C. de jur. fiſc. c.* 44. *de ſent. excom.* Vide noſtras Reſol. Can.

11. Q. VIII. *Quomodo expiret officium delegati?* ℞. 1. Revocatione delegationis legitime inſinuata delegato, *c.* 24. *de reſcr. l.* 58. *ff. de judic.* ubi JCtus ait: *judicium ſolvitur vetante eo, qui judicare juſſerat*, ſive ſit res integra, ſive non integra, ut patet ex hoc textu. Delegatus autem in eo caſu, quo totam ſuam jurisdictionem tranſtulit in alterum, re non integra ſubdelegationem revocare nequit *c.* 37. *h. t.* 2. Lapſu temporis præfixi, niſi partes in favorem ſuum præſtitutum prorogarent tempus *c.* 4. & 24. *h. t.* 3. Finito negotio, ſive bene, ſive male ſententia lata eſt, *cap.* 9. *h. t. l.* 9. *C. quom. & quand. jud.* quia delegatus jam functus eſt ſuo officio. Excipe delegatum ad univerſitatem cauſarum, cujus jurisdictio manet, ſicut ordinaria. 4. Pronunciatione, ſeu interloquutione, qua delegatus pronunciat ſibi non competere jurisdictionem in hac cauſa, v. g. quia reſcriptum eſt invalidum, ſi pars litigans ab hac ſententia non appellet, *c.* 38. *h. t.* quia tunc delegatus cenſetur functus ſuo officio. At ſi pars appellavit, delegatio non extinguitur, ſed tantiſper ſuſpenditur, donec articulus appellationis finiatur *c.* 34. *de præb.* 5. Recuſatione delegati, per ſententiam ab arbitris electis latam firmata, *c.* 5. *h. t. in* 6. Excipiuntur tamen in *cap.* 4. *h. t. in* 6. tres caſus, in quibus cauſa ſuſpicionis, & recuſationis non tractatur coram arbitris. 6. Morte delegati, ſi delegatio fuit perſonalis *l.* 57. *ff. mandati*: realis autem delegatio facta dignitati, ſeu officio tranſit ad ſucceſſorem *c.* 14. *h. t.* cum dignitas non moriatur *cap.* 5. *de reſcript. in* 6. In dubio præſumenda eſt potius perſonalis, quam realis, quia delegatio eſt odioſa, adeoque ſtrictæ interpretationis. 7. Morte delegantis re integra, *cap.* 30. *h. t.* & *l.* 6. *ff. de juriſd.* Præter hos principales modos dantur alii leviores, quibus jurisdictio delegati expirat, ut ſi dati ſunt plures delegati communiter, & unus eorum moriatur, vel incidat in impotentiam juris, aut facti, *c.* 42. *h. t.* &c.

12. Q. IX. *Quando res deſinat eſſe integra?* ℞. Ut res deſinat eſſe integra, & ita perpetuetur jurisdictio delegati, ſufficit, & requiritur citatio ſaltem in decretum citatorium redacta. Ita com. Canoniſt. contra quoſdam legiſtas, qui requirunt litis conteſtationem. Prob. ex *c.* 20. *gratum hoc tit.* ubi Urban. III. reſcribit delegatum, citatione facta, poſſe, & debere in cauſa procedere, *cum citatione facta negotium ſit captum*. Ratio eſt, quia ut res deſinat eſſe integra, & jurisdictio delegati perpetuetur, ſufficit, & requiritur ſaltem unicus actus intrinſecus, & ſubſtantialis judicii in partes exercitus; ſed citatio in decretum redacta eſt talis actus, ut de ſe patet, & habetur *c.* 11. *de Probat.* ibi: *videlicet citationes*, ergo. Iſta autem citatio debet eſſe valida, quia quod nullum eſt, nullum producit effectum: non tamen neceſſario requiritur, ut fuerit parti præſentata, quia jurisdictio contentioſa non exercetur in præſentatione, ſed confectione decreti citatorii. Actus autem anteriores, ut conſtitutio notarii, loci pro judicio, ſubdelegatio, & ſimiles non ſufficiunt ad perpetuandam jurisdictionem delegati, cum per eos non exerceatur actus aliquis ſubſtantialis judicii.

Obj. 1. *c.* 19. *h. t.* requiritur litis conteſtatio ad perpetuandam jurisdictionem delegati. 2. Tunc res deſinit eſſe integra, quando judicium inchoatum eſt; ſed per litis conteſtationem, ſeu lapidem angularem inchoatur judicium, ergo.

℞. *ad* 1. ne inter *c.* 19. & 20. *h. t.* admittatur contrarietas, ut eam admittunt Abb. Dec. Felin. & alii, dicendum eſt, quod in ſecunda parte *cit. c.* 19. litis conteſtatio accipiatur latius, ſeu ampliative, prout includit citationem, vel quod Lucius III. alternativam, utpote dubiam ibi omiſerit, non exprimenda — *ante litis conteſtationem, vel citationem*, adeoque alternativa iſta ſupplenda ſit ex *ſeq. cap.* 20. ubi dubium hoc videtur reſolutum. Hæc interpretatio ſubtilis, licet modicum violenta ſit, tamen ob auctoritatem communiorem DD. ad evitandam correctionem jurium

in

in eodem tit. retinenda est, utpote licita per *l.* 2. §. 16. & *l.* 3. §. 13. *ff. de V. J. E. Ad* 2. Judicium stricte acceptum, ut dicit instantiam a lite contestata usque ad sententiam definitivam, omnino incipit a litis contestatione; at judicium late, & integraliter sumptum, ut dicit totum tractum, & processum forensem incipit a citatione, & definit in exequutione. Ne autem res dicatur integra, sufficit judicium fuisse cœptum hoc secundo modo per citationem: quo sensu explicatur *l.* 15. *ff. rem rat. haber. Nov.* 112. *c.* 2. §. 1. *si vero* &c. Nec urgent *lib.* 16. 17. *ff.* & *lib.* 20. 22. *C. de Procurat.* nam procedunt de procuratore, quod non fiat dominus litis, nisi post litem contestatam, quod ultro fatemur.

13. Q. X. *An gesta a delegato ignorante mortem delegantis sint valida?* puta si delegans mortuus sit re integra. Affirmant Innoc. Sanch. *lib.* 8. *de matr. disp.* 28. *n.* 4. & alii, sed ℟. in rigore juris negative. Ita Gloss. in *c.* 20. *h. t. v. maxime*. Gonzal. ibid. *n.* 9. & 10. cum citt. nam in *cit. c.* 20. ad hoc ut delegatus valide procedat, requiritur negotium saltem citatione fuisse quasi cœptum, ergo: tum quia jura clare dicunt morte delegantis expirare jurisdictionem delegati, ut *c.* 30. *h. t.* ibi: *mandatum re integra morte mandatoris expiravit* & *c.* 36. *de Præb.* ibi: *illa quidem expirat omnino*. Ratio est, quia ignorantia mortis non potest tribuere jurisdictionem *l.* 15. *ff. de jurisdict.* & in his, quæ alias de jure sunt nulla, nihil operatur ignorantia, *l.* 32. *ff. de acr. her. l.* 23. *ff. de Q. & A.* Opposita tamen sententia sustinetur de æquitate per *l. Barbarus ff. de off. Præt.*

Dices: gesta subdelegati ignorantis mortem delegati valent, ergo & gesta delegati. ℟. N. con. nam subdelegatus operatur in virtute primi delegantis, qui supponitur vivere; delegatus autem, mortuo delegante, in nullius virtute operari potest.

14. Q. XI. *Qui sint Judices conservatores?* ℟. Sunt ii, qui dantur a Papa, vel alio summo Principe ad defendendum aliquos ab injuriis, & violentiis manifestis absque indagine judiciali, *c.* 1. & *fin. h. t. in* 6. unde conservatoris, qui debet esse persona in dignitate Ecclesiastica constituta, pro defendendis Clericis, vel Regg. officium est, jura pristina tueri adversus manifestas violentias. Plura de his vide in Rodriq. *tom.* 1. *qq. Regg. q.* 65. *per* 20. *art.*

☞ *Circa conservatores vide notata Elencho VI. numer. XXXII.* ☜

TITULUS XXX.

De Officio Legati.

Agitur de hac materia in Sexto *h. t.* In Decreto *dist.* 21. *c.* 2. *d.* 94. & 97. *per tot.* & *Canon 7. in prim.* 2. *q.* 1. & *Can.* 39. *pervenit* 11. *q.* 1. In Trid. *sess.* 24. *c.* 20. *v. Legati* & *sess.* 22. *c.* 7. *de refor.* ubi præcipitur observari *c.* 3. *Romana de appell. in* 6. Item ex Pandectis congruit *tit. de offic. Procon.* & *tit. de off. Præsidis*, & ex Codice *tit. de mandatis princip.*

1. Nota 1. Legatum Apostolicum, de quo hic agitur, in genere esse illum, qui a Papa mittitur ad certam Provinciam cum potestate administrandi negotia Ecclesiastica. Et quidem si legatio ista sine jurisdictione, legatus est merus *Internuntius*, *Orator*, seu ut vulgo dicitur ex Italico *Ambasciatore*; si vero est cum jurisdictione gubernandi Provinciam, legatus est *judex* ordinaria præditus potestate, licet in eo, quod vices mittentis agat, imitetur, *delegatum*, atque ita medius sit inter legatum, & ordinarium.

2. Nota 2. Legatos judices esse in triplici classe: nam 1. sunt *legati a latere*, seu Cardinales Papæ tanquam capiti a latere assistentes, qui mittuntur a Papa in gravioribus, & extraordinariis negotiis, ut ad præsidendum Concilio, ad pacem inter Principes componendam &c. 2. *Legati missi*, seu *Nuncii Apostolici*, qui de ordinario mittuntur ad gubernandam certam Provinciam, uti est Nuntius Apostolicus Viennæ &c. 3. *Legati nati*, quorum dignitati perpetuo annexum est munus legationis, ac proinde hoc ipso *nascuntur* legati quod creentur in tali dignitate. Cujusmodi sunt Archiepiscopi, Salisburgensis in Germania, Rhemensis in Gallia, Toletanus in Hispania, Pragensis in Boemia &c. plerumque sunt Primates regnorum. Jam circa constitutionem, & potestatem legatorum.

3. Q. I. *Quo modo constituantur legati Apostolici?* ℟. Legatus a latere, & missus constituitur mandato Papæ: seu litteris legationem continentibus, *c.* 2. *h. t. in* 6. Et quia legatio est facti, probari debet per litteras ab eo qui asserit se legatum missum *arg. c.* 31. *de off. Del.* & *l.* 1. *C. de mand. princ.* Cardinali autem ob prærogativam suæ dignitatis merito creditur, nisi quid speciale sibi commissum afferat; tunc enim de hoc ipso per litteras authenticas docere debet, licet in praxi raro talis probatio exigatur. Legatus autem natus eo modo constituitur, quo creatur in dignitate habens annexum jus legationis.

4. Q. II. *Quid quisque legatus possit, vel non possit?* ℟. Generatim loquendo, quisque loco Papæ exercere potest jurisdictionem ordinariam in fideles suæ Provinciæ. In specie autem ad legatos pertinet: 1. Reformare mores etiam in Episcopis, quibus sunt Superiores, 2. Deducere in usum Constitutiones Papales, vel si Provinciæ minus congruant, de hoc Papam informare. 3. Concedere statuta perpetua more Proconsulum, & præsidum Provinciarum, quæ durant etiam legatione finita *c. fin. h. t.* denique ea omnia facere quæ potest Ordinarius in sua Provincia, nisi specialiter sint excepta *c.* 2. *eod. in* 6. Econtra Legatus non potest cognoscere causam commissam delegato Apostolioo, quo in hac est inferior, nec immiscere se causæ translatæ ad Sedem Apostolicam, nec transferre Episcopos, unire, vel dividere episcopatus, constituere Primatem, vel alia facere, quæ specialiter Sedi Apostolicæ reservata sunt, *c.* 2. 3. 4. 5. *h. t.* Item non potest adiri in prima instantia, nisi pro casibus specialiter sibi delegatis, Trid. *sess.* 24. *c.* 20. *de ref.* quo restringitur *c.* 1. *h. t.* ☞ *Ex constit. Bened. XIV.* Concreditum 12. *Junii* 1748. *Legati Apostolici in Provinciis ditionis Ecclesiasticæ nequeunt concedere in emphyteusim, aut feudum bona cameræ Apost. devoluta. Neque restitutiones in integrum adversus caducitates incursas, aut purgationes moræ: nec condonationes, aut compositiones super responsionibus non solutis. Possunt tamen concedere renovationes, expleto termino convento in prioribus investituris; sicuti & consensum præstare in alienationibus bonorum, quatenus eorum utilibus possessoribus facultas ipsa alienandi, idest per contractus inter vivos nuncupatos in alios transferendi concessa est, ut in ducatu Ferrariensi: sub iisdem tamen pactis, & conditionibus semper faciendis, quibus iidem primi utiles possessores tenebantur; & dummodo hujusmodi alienationes non fiant in fraudem ipsius Cameræ, & ad pervertendam, atque frustrandam dictorum bonorum, seu jurium devolutionem, quæ ob deficientiam successorum in investituris comprehensorum, & ad eas vocatorum, imminere dignoscatur.* ☜

5. Q. III. *Quæ sit prærogativa, & potestas legati a latere?* ℟. 1. Hic mox ut egreditur a residentiali civitate Papæ more Proconsulis utitur specialibus insignibus, cum quibus ingreditur civitates, & oppida sub baldachino, clero, & populo solemniter eum deducente. Talia insignia sunt vestis purpurea cum veste linea, seu byssina superiore, palafredus seu equus albus phaleratus, frænum, calcaria deaurata &c. Host. Barb. & alii. 2. Ubique extra urbem absolvere potest percussores Clericorum ab excommunicatione Canonis, *c.* 9. *h. t.* ubi hæc potestas aliis Legatis restringitur ad Provinciam suam, ejusque subditos. Quia vero in his extensio non est facienda, Legatus a latere non videtur posse absolvere ab aliis censuris reservatis. 3. In Provincia sua exercet jurisdictionem ordinariam cumulative, seu concurrenter cum aliis Ordinariis, ita ut quæcumque beneficia conferre possit, etiam juris Patronatus Ecclesiastici, *cap.* 1. 2. *hoc tit. in* 6. exceptis beneficiis juris patronatus laici *cap.* 28. *de jure patron.* Electivis Ecclesiarum cathedralium, litigiosis, Papæ reservatis, & ob negligentiam Regg. exemptorum ad Episcopum devolutis, *Clem.* 1. *de suppl. negl.* ubi supplere talem negligentiam specialiter attribuitur Episcopo; uti etiam beneficiis non vacantibus, quorum reservatio prohibetur Trident. *sess.* 24. *c.* 19. *de refor.* 4. Legatus a latere confirmare potest electiones Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum exemptorum, *c.* 36. §. *fin. de elect. in* 6. nisi obstent specialia concordata,

sicut Germaniæ, ubi Legatus Cardin. nec confirmat electiones, nec confert beneficia, nisi vacent mensibus Papalibus, & alias pertineant ad collationem Sedis Apostolicæ. 5. Jurisdictio Legati Card. extendit se etiam ad exemptos, juxta Gloss. *c. 1. h. t.* non tamen ad dispensandum in ætate ad ordines, vel beneficia, vel in gradibus consanguinitatis, & aliis impedimentis, nisi hoc specialiter committatur. 6. Legatus Card. vi consuetudinis concedere potest indulgentias 100. dierum, de jure autem communi tantum 40. dierum *c. 14. de pœnit.* 7. Exercet legationem suam privative ad alios Legatos, ita ut in præsentia Legati Card. conticescat jurisdictio Nuntii Apostolici *c. 8. h. t.*

6. Q. IV. *Quæ sit potestas Nuncii Apostolici?* ℞. Est ordinaria in sua Provincia concurrens cum jurisdictione aliorum Ordinariorum *c. 2. h. t. in 6.* non tamen se extendit ad conferenda beneficia *c. 1. eod.* bene vero ad absolvendum suæ Provinciæ subditos ab excommunicatione Canonis *c. 9. h. t.* Amplior potestas desumenda est ex litteris, seu mandato Apostolico, quo specialia quædam concedi solent.

7. Q. V. *An Nuncius Apostolicus vi clausulæ; cum potestate legati a latere, possit simpliciter ea omnia, quæ Legatus Cardinalis?* Affirmant Garcias, Konig, Zoes, Pichler, & alii; sed probabilius cum Barb. Reiff. &c. ℞. negative: nam *c. 1. h. t. in 6.* Legatis non Cardinalibus, *quantumcumque plenam legationem obtineant*, negatur potestas conferendi beneficia, quæ tamen competit legatis a latere: tum quia in generali clausula, seu concessione non veniunt ea, quæ speciali nota sunt digna *reg. 81. in 6.* & ideo Vicarius constitutus cum clausula: *ut possit omnia, quæ Episcopus*, non potest ea, quæ specialiter potest Episcopus; ut conferre beneficia, graviora negotia tractare, ergo. *Dices:* ergo dicta clausula nihil operatur, cum tamen verba privilegii aliquid speciale operari debeant *c. 2. de privil. in 6.* ℞. N. illationem; nam clausula ista operatur relative ad contenta specialia in mandato, & vi illius Nuntius Apostolicus potest omnia, quæ sunt æqualia, vel minora expressis, non tamen majora, utpote speciali nota digna *arg. c. 15. de rescript.*

8. Q. VI. *Quæ sit potestas Legati nati?* ℞. Per se non est major, quam potestas dignitatis Archiepiscopalis, cui perpetuo annexa est legatio, nisi ex speciali gratia Sedis Apost. amplior potestas ei concedatur *c. 9. h. t.* ut ordinandi extra tempora, & non servatis interstitiis, absolvendi ab hæresi, cum pauperibus dispensandi in quarto, vel tertio gradu consanguinitatis; absolvendi ab excommunicatione Canonis &c.

9. Q. VII. *Quibus modis expiret potestas Legatorum?* ℞. Potestas Legati nati est perpetua, utpote dignitati annexa, neque amittitur a Legato, nisi amissa dignitate. At potestas Legati a latere, & missi expirat, revocatione, lapsu temporis, desertione Provinciæ animo non revertendi, & morte ipsius Legati. Morte autem Papæ legantis non expirat *c. 2. h. t. in 6.* cum sit potestas ordinaria simpliciter data, licet Papa moriatur, antequam Legatus ingressus sit Provinciam.

TITULUS XXXI.

De Officio Judicis ordinarii.

Agitur de hoc in Sexto, Clementin. & Extrav. com. *h. tit.* In Decreto *d. 21. c. 2.* & *seqq. d. 22. per tot. & 3. q. 7. & 9. q. 3. & 10. q. 1. 2. 3. & 18. q. 2. & 3. q. ult. c. interea, & c. fin. 3. q. 5.* In Triden. *sess. 5. c. 1. 2. de ref. sess. 6. c. 3. 4. sess. 7. c. 5. 6. 7. sess. 13. c. 1. sess. 14. c. 3. 4. sess. 21. c. 4. 6. 8. sess. 22. c. 3. 9. 10. sess. 24. c. 4. 7. 8. 10. de refor. & sess. 25. c. 9. 11. de Regg. sess. 25. c. 1. & seq. de refor.* In Codice *lib. 1. tit. 3. 4. Nov. 83. & 123.*

1. Nota 1. Judicem ordinarium juxta rubricam *hoc tit.* esse Prælatum, qui ratione perpetuæ, & stabilis dignitatis, seu ex proprio magistratu jurisdictionem obtinet in suo territorio. Hinc licet Legatus ordinariam jurisdictionem habeat, quia tamen non habet perpetuam vi certi magistratus, non pertinet ad hunc titulum. Differt autem *Ordinarius* a *diœcesano*, sicut genus a specie, cum diœcesanus sit Episcopus, Ordinarius vero latius pateat, neque veniat nomine diœcesani, nisi subjecta materia aliud suadeat, ut hic advertit Abbas.

2. Nota 2. Inter judices ordinarios unum esse *summum*, uti est Papa in tota Ecclesia, ceteros vero *subalternos:* ex quibus alii sunt *majores*, ut Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, & Episcopi, alii *minores*, seu *inferiores*, ut Archidiaconi, & Prælati regg. Parochus autem tantum secundum quid est judex ordinarius, puta pro foro interno, non externo. Hic agemus de potestate Papæ, Episcoporum, & his majorum; de potestate autem Prælatorum regg. commodius agetur *lib. III. tit. de Regg.* & de Parocho *tit. de Parochiis.*

3. Q. I. *Quotuplex distinguatur potestas in Papa?* ℞. Quadruplex: ut Episcopi Romani, ut Patriarchæ Occidentis, & Episcopi universalis, œcumenici, seu summi Pontificis Ecclesiæ, & ut Principi politici in terris Rom. Ecclesiæ. Rursum in Papa, sicut in alio Principe, consideratur potestas *ordinaria, specie*, quæ regulariter a jure communi, ejusque ordinem sequitur, & potestas *absoluta*, seu *plenitudo Apostolicæ potestatis*, quæ est supra omne jus commune, quod Papa relaxare, aut tollere potest: item vi hujus potestatis, seu dominii alti ex justis, & publicis causis potest dominia transferre ab uno ad alterum, jura quæsita tollere, ultimas voluntates commutare, jus naturale, & divinum indirecte, seu ex parte materiæ relaxare in his, in quibus Ecclesia communiter tenet Papæ divinitus talem potestatem datam esse, v. g. ad irritanda vota etiam Religiosa, ad dissolvendum matrimonium ratum, ad dispensandum in residentia curatorum &c. Hic tamen adverte non dici potestatem *absolutam*, ut Papa, vel alius Princeps pro placito suo, quidquid libet, possit, omnia susque deque faciendo, jura naturalia, & divina invertendo, ut innocentes occidendo, subditos sine justa, & gravissima causa suis juribus, & rebus spoliando &c. nam hæc non esset *plenitudo potestatis*, sed ut quidam dicunt, *plenitudo tempestatis*, cum Deus Principi, sive Ecclesiastico, sive politico potestatem dederit ad regendum, & curandum bonum commune, non vero ad dissipandum, spoliandum, & perdendum.

4. Q. II. *Quid Papa possit vi sua potestatis?* ℞. 1. Papa, ut Episcopus Rom. habet jurisdictionem ordinariam in districtu Romano, quam exercet per Cardinalem urbis Vicarium. 2. Papa, ut Patriarcha Occidentis est judex ordinarius omnium Archiepiscoporum occidentalium. 3. Papa, ut Episcopus universalis Ecclesiæ habet jurisdictionem ordinariam pro toto orbe christiano, immediate sibi a Christo datam *Matth. 16. quodcumque ligaveris &c. Joann. ult. pasce oves meas.* Et vi hujus potestatis condere potest leges Ecclesiasticas pro tota Ecclesia, estque infallibilis in decidendis controversiis fidei, & morum, sive intra, sive extra Concilium generale, si ut doctor œcumenicus, fideles doceat, juxta orationem, & prædictionem Christi: *Luc. 22. rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* De qua materia fuse agunt Theologi præsertim polemici. 4. Papa, ut Princeps politicus est summus judex ordinarius in terris Romanæ Ecclesiæ dominio temporali subjectis, easque per suos ministros gubernat, sicut alii Principes seculares.

5. Q. III. *Quam jurisdictionem habeant S. R. E. Cardinales?* ℞. In Ecclesiis suorum titulorum habent jurisdictionem ordinariam, non tam ex Jure, quam privilegio; adeoque visitare possunt Ecclesias, & Clericos sibi subjectos, eorum causas etiam criminales cognoscere, leges ferre, & alia, quæ ad jurisdictionem Episcopalem spectant exercere; ut beneficia suarum Ecclesiarum conferre, quatenus eis permittunt regulæ Cancellariæ Apostolicæ. Præterea officium Cardinalium est, eligere Papam, in regenda Ecclesia eum adjuvare, schisma circa plures Pontifices dubios tollere convocatione Concilii generalis &c. Papa tamen mortuo, jurisdictio Papalis non devolvitur ad Collegium Cardd. *Clem. 2. de Elect.*

6. Q. IV. *Quam jurisdictionem habeant Patriarchæ?* ℞. Patriarchæ majores, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Jerosolymitanus, in toto Regno, seu territorio Patriarchali habent jurisdictionem ordinariam in Archiepiscopos sibi subjectos: quæ tamen jurisdictio hodie quiescit, cum Ecclesiæ Patriarchales sint in manibus infidelium, solo nomine, & titulo, seu dignitate remanente in Ecclesia. Ceteri Patriarchæ minores, qui ex indulgentia Papæ, vel invete-

rata consuetudine nomen Patriarchale obtinuerunt, nullam specialem potestatem de jure communi habent, ut Patriarcha Venetus, Aquilejensis, Æthiopiæ, & Indiarum &c.

7. Q. V. *Quam jurisdictionem habeant Primates?* ℞. Primates, qui majoribus metropolis præsident, potissimum in quatuor suam jurisdictionem exercent: 1. confirmant electiones Episcoporum non exemptorum, nisi concordata obsistant, 2. audiunt querelas contra Archiepiscopos *cap.* 46. *si Clerus* 11. *q.* 1. 3. a sententia Archiepiscoporum appellatur ad eos. 4. supplent eorum negligentiam in collatione beneficiorum. Hodie autem causæ majores criminales contra Archiepiscopos, & Episcopos reservantur Sedi Apostolicæ; minores vero decidendæ sunt a Concilio Provinciali, vel judicibus ab eo deputatis, Trid. *Sess.* 24. *cap.* 5. *de reform.*

8. Q. VI. *Quam jurisdictionem habent Archiep.?* ℞. 1. Præter jurisdictionem diœcesanam in proprios subditos, habent etiam jurisdictionem ordinariam metropoliticam in tota sua Provincia, h. e. in Suffraganeos, seu Coepiscopos suæ Provinciæ, & in subditos eorum, *Can.* 2. *per singulas* 9. *q.* 3. Porro vi hujus potestatis Archiepiscopus confirmat electiones suorum Suffraganeorum, eosque consecrat, nisi jure speciali aliud statuatur, sicut in Germania per concordata. 2. Vocat Suffraganeos ad concilium Provinciale, & de causa absentiæ eorum cognoscit, Trid. *Sess.* 24. *c.* 2. *de ref.* 3. Cogit illos ad officium suum præstandum, servata forma *c.* 2. *de off. deleg. in* 6. causas tamen criminales contra illos non cognoscit, *cit. Trid. Sess.* 24. *c.* 5. *de refor.* 4. Visitat Provinciam suam, & procurationes a visitatis percipit, servata forma *c.* 1. *de Censib. in* 6. 5. Supplet negligentiam Suffraganeorum in collatione beneficiorum *c.* 3. *de suppl. negl.* in constitutione œconomi *Can.* 3. *cum simus* 9. *q.* 3. in absolutione excommunicatorum secundum formam *c.* 8. *h. t.* in exequutione ultimarum voluntatum &c. 6. Transeundo diœceses suorum Suffraganeorum curat sibi præferri crucem, celebrat in Pontificalibus, populo benedicit ubique, etiam in locis exemptis ex privilegio *Clem.* 2. *de privil.* concedit indulgentias 40. dierum *c.* 14. *in fin.* & 15. *de pœnit.* 7. In subditos Suffraganeorum jurisdictionem non habet, nisi in certis casibus a jure expressis *c.* 11. *h. t.* & *Can.* 7. *nullus* 9. *q.* 3. ne jurisdictio Episcoporum, & ordo disciplinæ Ecclesiasticæ confundatur.

9. Q. VII. *Qui sint illi casus in quibus Metropolitanus jurisdictionem exercere potest in subditos Suffraganeorum?* ℞. seqq. præcipui: 1. Delicta notoria quæ in visitatione Provinciæ libere corrigere potest *c.* 1. §. *sane de Cens. in* 6. uti etiam confitentes audire, & absolvere *c. fin. eod.* & *c.* 1. *de pœnis in* 6. 2. Casus appellationis, dum subditi a sententia sui Suffraganei appellant ad Metropolitanum *c.* 1. *de off. Leg. c.* 9. *h. t. c.* 3. *de appell. in* 6. 3. Si Clericus agit contra Episcopum, modo non sit causa criminalis, Metropolitanus judicat in causa civili; si vero Episcopus agit contra Clericum, eligendi sunt arbitri *Can.* 46. *si Clericus* 11. *q.* 1. 4. Punire potest eos, qui injuria notoria suam jurisdictionem impediunt, vexando nuntios &c. *c.* 1. *de pœnit. in* 6. 5. Potest Canonicos cessantes a divinis, præsertim si id faciant in contemptum sui Episcopi, punire, & compellere ad officium suum etiam per censuras *c.* 13. §. *cæterum h. t.* 6. Potest Metropolitanus alicui prohibere prædicationis officium in tota sua Provincia, adeoque etiam in Ecclesiis suorum Suffraganeorum; imo malefactorem extra Provinciam relegare *c.* 11. *de priv.* & *c.* 2. *de arbitr.* Ceterum Metropolitanus has, & similes causas ad se delatas cognoscere debet in sua diœcesi, vel in ea, ex qua causæ delatæ sunt, nisi consuetudo aliud habeat, vel partes in alium locum consentiant, & adsit licentia Ordinarii *c.* 5. *h. t. in* 6. ut scil. litigantes releventur a laboribus, & expensis. Vide hic Gloss. *c.* 11. *h. t.* Barbos. & alios fusius de potestate Archiepiscopi scribentes.

10. Q. VIII. *Quæ potestas, & quo jure competat Episcopis?* ℞. 1. Episcopo consecrato competit potestas ordinis; & quidem jure divino vi consecrationis, & characteris Episcopalis, quam potestatem exercet in vestibus Pontificalibus, confirmando, ordinando, consecrando &c.

11. II. Episcopo, etiam tantum confirmato, competit potestas jurisdictionis, qua constituitur judex ordinarius suæ diœcesis, ita ut præsit clero, & populo, totiusque disciplinæ Ecclesiasticæ curam gerat. Hinc dicitur *Episcopus* latine *Superintendens*, seu *speculator* per excellentiam in jure Canonico, quia in suo districtu summam curam cleri, & populi habet; alioquin Episcopus generice significat quemcumque inspectorem, qui alicui negotio præest, sicut in jure civili dicuntur *Episcopi panum l. fin.* §. 7. *ff. de munerib.* ibi: *item Episcopi, qui præsunt pani &c.*

12. 3. Potestas jurisdictionis competit Episcopis mediate, & originative jure divino, quatenus Christus in Ecclesia sua instituit ordinem hierarchicum constantem Episcopis, Presbyteris, & aliis ministris, Trid. *Sess.* 23. *Can.* 6. at immediate, & formaliter potestas ista jurisdictionis competit eis jure humano Ecclesiastico, ut communis tenet contra Petr. Soto, de Castro, & alios: nam omnis jurisdictio Ecclesiastica derivatur a Petro, ejusque successore Romano Pontifice, tanquam summo Principe Ecclesiastico, & Vicario Christi, ut frequenter insinuant sacr. Canones; ergo ceteris Episcopis jurisdictio competit immediate, & formaliter jure humano Ecclesiastico. Ant. prob. ex *Can.* 1. *d.* 22. ubi Nicolaus I. ait: *Omnes sive Patriarchii cujuslibet apices, sive Metropoleon primatus, aut Episcopatuum cathedras, vel Ecclesiarum cujuslibet ordinis dignitates instituit Romana Ecclesia, illam vero solus fundavit* Christus &c. Idem habetur *cap.* 2. & *seqq ibid.* & *Canon* 18. *v. Episcopatus* 24. *quæst.* 1. ubi Ecclesiæ particulares dicuntur procedere ab Ecclesia œcumenica Romana, tanquam radii a sole, rami a radice, rivuli a fonte, & *cap.* 4. *de auctor.* & *usu pall.* Innoc. III. dicit reliquos Episcopos *vocatos esse in partem solicitudinis, non in plenitudinem potestatis*, quia juxta *Canon.* 12. *qui* 2. *quæst.* 6. Ecclesia prima reliquis Ecclesiis vices suas credidit largiendas &c. Id ipsum docet S. D. 2. 2. *quæst.* 39. *art.* 3. dicens potestatem ordinis haberi indelebiliter per consecrationem, adeoque jure divino; potestatem vero jurisdictionis per simplicem injunctionem hominis, seu jure humano. Ratio est a posteriori, quia Romanus Pontifex Episcopos instituit, confirmat, transfert, Episcopatus erigit, dividit, unit, & exigente causa jurisdictionem Episcoporum tollit; quæ omnia sunt signa, quod jurisdictio ista a Papa derivata sit in Episcopos.

Dices. Juxta *cit. Can.* 18. *ceteri Apostoli erant cum Petro pari consortio præditi & honoris, & potestatis;* Episcopi autem succedunt ceteris Apostolis: ergo habent potestatem a Christo datam, & conf. de jure divino, secundum illud *Actor.* 20. *v.* 28. ibi: *in quo Spiritus Sanctus vos posuit Episcopos regere Ecclesiam DEI.* ℞. S. Cypr. clare ibi probat Ecclesiam esse unicam ab unico fundamento, cui dixit Christus: *tu es Petrus* &c. ac proinde par ista potestas principaliter fuit in Petro, & derivative, seu per delegationem in ceteris Apostolis, ut docet S. Leo relatus in *Canon* 7. *ita d.* 19. Imo dato, quod potestas Apostolorum fuerit juris divini, exinde non sequitur aliis Episcopis eandem, & eodem modo communicari potestatem; alias in toto orbe prædicare possent, sicut Apostoli. Nec obstat textus *cit. Act.* 20. & alii similes, quia plus non probant, quam potestatem Episcoporum, & Presbyterorum esse juris divini originative, & mediate, cum Spiritus Sanctus dicatur facere, quod facit Ecclesia a Spiritu Sancto directa juxta illud *Ephes.* 4. *DEUS posuit quosdam Apostolos, alios doctores* &c.

13. Q. IX. *In quo consistat potestas Episcoporum?* ℞. Potissimum in duplici *lege, diœcesana,* & *jurisdictionali, arg. c.* 18. *h. t.* quas leges varii varie explicant apud Fagn. *cit. c.* Præplacet interpretatio Glossæ, juxta quam *lex diœcesana* est, quæ concernit ea, quæ consistunt *in recipiendo*, seu *in dulci passione*, hoc est, quæ Episcopus ab aliis recipere de jure potest: *lex jurisdictionalis* est quæ concernit ea, quæ consistunt *in agendo*, seu *dando*, dum Episcopus per actionem suam aliis quidpiam conferre debet. Enumerantur fere omnia ad utramque legem spectantia *c.* 16. *h. t.*

14. Unde ℞. 2. Ad *legem diœcesanam* spectant 1. *Cathedraticum*, seu pensio duorum solidorum, seu aureorum quotannis solvenda in synodo, ob quod etiam *synodaticum* dicitur.

☞ *Hoc neque immemorabili contraria consuetudine præ-*

scribitur ex decreto Cong. Conc. 6. Junii 1693. in Lavellen. cathedrat. lib. 43. decretor. pag. 261. & debetur de omnibus beneficiis etiam simplicibus, exceptis capellaniis laicalibus, & ad nutum amovibilibus, ut ex altero ejusdem Cong. decr. 29. Apr. 1731. in Maceraten. Et si nemo uni, eidemque Ecclesiæ inservientium suam distinctam possideat præbendam, sed singuli sustententur ex massa communi, tunc unicum debetur ab omnibus ex eadem massa persolvendum, ut sancitum est a Benedicto XIII. in Conc. Rom. 1725. tit. 8. cap. 4. ubi etiam assignatur taxa pro unoquoque beneficio.

Ad cathedraticum tenentur etiam Confraternitates Canonice erectæ habentes propriam Ecclesiam, non vero si habeant simplicem tantum capellam in honorem Sanctorum, sub quorum titulo sunt erectæ ex decretis d. Cong. 24. Jul. 1734. in Firman. & 20. Mart. 1745. in Urbevetan.

Et quamvis solvi consueverit in synodo, solvi tamen debet quotannis, licet hæc non celebretur, cum debeatur Episcopo a die adeptæ possessionis suæ Ecclesiæ, ut ex tribus aliis decret. præfatæ Congreg. relatis a Bened. XIV. lib. V. de synod. diœc. cap. 7. num. 7. si vero esset consuetudo legitime præscripta illud non solvendi, nisi in synodo, licet absolute præscribi nequeat, potest tamen hæc consuetudo minuere onus hujusmodi solutionis; ita, ut non debeatur pro singulis annis, in quibus synodus non est coacta, ut probat idem Bened. cit. cap. num. 8. *ibi* — Siquidem eo ipso, quod aliquando, & in aliqua etiam minima quantitate est solvendum, jam servatur honor debitus cathedræ Episcopali, contra quam dumtaxat præscribi non potest.

Contra eos, qui sunt in more illud solvendi ex decreto particularis Congr. deputatæ a Clem. XII. 5. Oct. 1731. relato dicto c. 7. n. 9. unica sufficit citatio cum præfixione termini quinque dierum ante expeditionem mandati exequutivi, qua præmissa, ad exequutionem procedi potest absque alia nova citatione.

3. *Subsidium charitativum*, seu moderata pensio ob justam causam Clericis imposita, & Episcopo solvenda. 4. *Quarta decimationum*, seu quarta pars decimarum Episcopo danda, quæ hodie exolevit. 4. *Quarta mortuariorum*, seu *funeralium* debita Episcopo ex legatis, & oblationibus funeralibus Ecclesiæ relictis. ☞ Hæc, quæ debetur in vim *cap. Requisisti* 15. *de testam.* imitatur naturam cathedratici, iisdemque prorsus subjacet juris regulis, quæ in illius solutione servantur *sunt verba Bened.* XIV. *loc. cit. n.* 10. ☜

5. Tertia pars oblationum. 6. *Procurationes*, seu *moderata victualia* Episcopo visitanti debita, quamvis seu accessoria visitationis, commodius referantur ad legem jurisdictionis. 7. *Convocatio ad synodum*, saltem ut est convocatio, cui subditi parere debent: nam quatenus est judicium in synodo, pertinet ad legem jurisdictionis. Jam si quis præter hos casus jure expressos, afferat aliquid pertinere ad legem diœcesanam, probare tenetur, cum Episcopus pro jurisdictione sua per totam diœcesim habeat intentionem fundatam in jure *cit. c. 16. h. t.*

15. ℞. 3. Ad legem jurisdictionalem spectant omnia alia, quæ Episcopus ita facere potest in sua diœcesi, sicut Papa in tota Ecclesia, exceptis iis, quæ Papæ specialiter reservantur, & quæ determinata sunt in jure communi, cui Episcopi subjiciuntur. Hinc Episcopus condere potest statuta pro sua diœcesi, eam visitare, judicare, & punire delicta ad forum Ecclesiasticum pertinentia, prædicare, sacramenta administrare, Clericos ordinare, in beneficiis instituere, in dedicatione Ecclesiæ indulgentias unius anni, & in anniversario dedicationis 40. dierum concedere, & hujusmodi. Ceterum Episcopus cum omnibus suis Clericis cumulativam habet potestatem pro foro externo, & interno, ita ut inter Archidiaconum, vel Parochum & Episcopum locus sit præventioni, nisi quis ex privilegio, vel legitima præscriptione obtineat jurisdictionem privative, seu excluso Episcopo *c. 18. de præscript.*

16. Q. X. *Quæ Ecclesiæ teneantur lege diœcesana, & jurisdictionali?* ℞. 1. Ecclesiæ seculares utraque lege tenentur de jure communi, nisi jure speciali probent suam exemptionem.

17. ℞. 2. Ecclesiæ regulares, seu monasteria etiam Episcopo subjecta, de jure communi eximuntur a lege diœcesana, idque in favorem Religionis, *Can. 1. si ex laicis* 10. *q.* 1. & *Can. 8. inter* 10. *q.* 3. ibi: *monasterium tamen basilicis ab hac solutionis pensione sejunctis*, & *arg. c.* 18. *h. t.* excipiuntur capellæ, & Parochiæ, etiam monasteriis incorporatæ, quæ substant legi diœcesanæ, *c.* 16. *h. t.* Insuper Regulares tenentur accedere synodum, procurationes dare Episcopo visitanti: & si mos est, pendere quartam funeralium, licet priora duo multi referant ad legem jurisdictionalem.

18. ℞. 3. Ecclesiæ regulares omnes de jure communi tenentur lege jurisdictionali Episcopi. Ita *Can.* 12. *qui vere* 16. *q.* 1. ibi: *qui per civitates singulas, seu possessiones in monasteriis sunt, placet nobis Episcopo esse subjectos*, & *Can.* 17. *monasteria* 18. *q.* 2. At de jure speciali, seu privilegio Apostolico plerique Ordines regg. exempti sunt a jurisdictione Episcoporum, ita ut Prælati in suos Religiosos obtineant jurisdictionem quasi Episcopalem *c. 3. de priv. in 6.* Hac exemptione gaudet etiam nostra Scholarum Piarum Religio ex Const. Greg. XV. incipien. *Ad uberes fructus* 1622. *die* 15. *Octobris* & Innoc. XI. incip. *Nuper pro parte* 1684. 13. *Martii*. Dantur tamen certi casus, præsertim a Trid. expressi, in quibus Religiosi exempti subjiciuntur jurisdictioni Episcoporum, tamquam Sedis Apostol. delegatorum, de quibus *tit. de Regul.*

TITULUS XXXII.

De Officio Judicis.

Agitur de hac materia in Decreto *Can.* 2. §. *si vero* 3. *q.* 7. in Trid. *Sess.* 24. *c.* 20. *Sess.* 25. *c.* 3. & 10. *de reform.* In jure civili *lib.* 4. *Instit. tit.* 17. In Pandectis *lib.* 1. *tit.* 11. 12. 14. *lib.* 2. *tit.* 1. 2. *lib.* 5. *tit.* 1. sparsim *lib.* 42. *tit.* 1. sparsim in Codice *lib.* 1. *tit.* 39. 40. 45. 48. 49. 53. *lib.* 3. *tit.* 1. 2. 3. 13. *Nov.* 8. 82.

1. Nota officium judicis esse munus publicum cognoscendi & definiendi res in judicium delatas. Officium hoc est duplex: *nobile*, & *mercenarium*. *Nobile*, seu per se stans, est, quod exercetur a judice vel motu proprio ad nullius actionem, vel parte quidem implorante, actionem tamen stricte talem non habente. Hoc officium exercet judex, vel *adjuvando jus commune*, ut dando pauperi advocatum, vel *corrigendo*, seu *impugnando jus commune*, hoc est juris rigorem temperando, non tamen contra claram definitionem juris, ut rescindendo contractum de jure validum. *Mercenarium* est, quod exercetur a judice ad instantiam actoris, strictam actionem habentis contra reum. Dicitur autem *mercenarium* non a mercede proprie, quasi judex pro mercede judicaret; hoc enim sordidum est in judice, sed metaphorice a mercenariis, & famulis; quia sicut mercenarii deserviunt domino, faciendo opus eo modo, quo præcipitur, ita judex deservit actioni, judicando eo modo, quo merita causæ postulant.

2. Q. I. *Quis constituere possit judicem cum jurisdictione ordinaria?* ℞. Hunc constituere potest supremus Princeps, lex, seu Canon, & etiam consuetudo legitime præscripta. Et quidem 1. Papa in foro Ecclesiastico constituit judices ordinarios Patriarchas, Episcopos, Legatos suos, Officiales Curiæ Rom. Prælatos Ordinum regg. Item Papa, & quilibet alius Summus Princeps politicus judices seculares ordinarios creare potest, idque ob summam potestatem; nullus vero alius inferior, nisi jure regalium obtinuerit talem potestatem, qualem habent Electores, & Principes Imperii in suo territorio Superiorem non recognoscentes. Unde licet Elector Ecclesiasticus non possit creare judices Ecclesiasticos ordinarios, nisi quos constitui jus commune jubet, tamen ut Princeps secularis constituere potest judices ad causas profanas cum potestate ordinaria. 2. *Lege*, vel *Canone* illi constituuntur judices, quibus, facta legitima determinatione, lex ipsa seu Canon concedit jurisdictionem ordinariam; uti sunt vicarius generalis Episcopi, aut capituli, Sede vacante, Archidiaconus, magistri, seu tribuni a collegiis electi, uti in collegio mercatorum, opificum &c. 3. *Consuetudine* constitui potest judex etiam cum imperio mero, seu jure gladii, saltem si consuetudo sit immemorialis, quæ æquiparatur

ratur privilegio, *cap.* 4. *de off. Legat. cap.* 26. *de V. S.* ibi; *ex antiqua conſuetudine* &c. idque fieri poteſt vel *privative*, excluſo quocumque alio, vel *cumulative* cum aliis, ut locus ſit præventioni.

3. Q. II. *Quis poſſit judex conſtitui*? ℞. Omnis, qui natura, aut lege non prohibetur, *l.* 12. *ff. de judic. Can.* 1. *infamis* 3. *q.* 7. Et quidem natura prohibentur impubes, furioſus, ſurdus, & mutus, quia deſtituuntur qualitatibus ad judicandum neceſſariis. *Cæcus autem judicandi officio fungi* poteſt, præſertim ſi eo functus eſt ante cæcitatem *l.* 6. *ff. de judic.* minor 25. annis, ſi annum decimum octavum exceſſit; non quidem ab inferiori, niſi de conſenſu partium, bene vero a principe judex conſtitui poteſt *l.* 57. *ff. de re judic. Princeps enim, qui ei magiſtratum dedit, omnia gerere decrevit.* Lege prohibentur infames, ſenatu moti propter turpitudinem, feminæ, & ſervi *cit. Canon. infamis l.* 2. *ff. de judic.* excipe illuſtres feminas, ut reginas, principes &c. publice, & notorie excommunicati *c.* 24. *de ſent. & re jud.* Denique monachi, & Religioſi ſine licentia Prælati; acta tamen eorum valerent, cum poteſtatis judicialis non ſint incapaces, ſicut ſervi.

☞ *Ex conſtit. Bened. XIV.* Romanæ 21. *Decem.* 1745. *Nullus ex judicibus ditionis Eccleſiaſticæ interponere poteſt decretum voluntariæ juriſdictionis in contractibus mulierum, minorum, & impuberum, niſi laurea doctorali in aliqua publica, & approbata ſtudiorum univerſitate ſit inſignitus, ſub pœnis ipſo facto incurrendis nullitatis decreti, & infamiæ reſpectu ipſius judicis, & perpetuæ inhabilitatis ad quæcumque officia, & magiſtratus, aliiſque afflictivis Sed. Apoſt. arbitrio infligendis. Ubi vero deſit judex laicus ſic laureatus, decreta hujuſmodi interponenda ſunt ab Epiſcopo, ſive ab illius generali Vicario, vel alio loci ordinario judice Eccleſiaſtico; etiamſi agatur de bonis laicalibus, & inter mere laicos. Romæ vero interponenda ſunt tantum a judicibus ordinariis, & quidem per ſe ipſos; ideſt* 1. *A Cardinali Vicario, ejuſque Viceſgerente, & Locumtenente in civilibus.* 2. *A Gubernatore, & ejus Locumtenente in civilibus.* 3. *Ab Auditore generali Cam. Apoſt., & duobus ejus Locumtenentibus in civilibus.* 4. *A Senatore, ac duobus ejus Collateralibus.* 5. *A pauperum advocato pro ſolis pauperibus, & domi ſuæ tantum, vel in carceribus; & gratis omnino, etiamſi aliquid ſponte ipſi detur. Inſuper pro validitate hujuſmodi decretorum exprimenda ſunt in inſtrumento utilitas contractus, & jura, ſeu ſcripturæ, ex quibus evincitur talis utilitas; interpoſito judicum juramento ſuper viſura dictorum jurium a ſe facta, ſub pœna judicibus, & eorum notariis impoſita, refectionis damnorum directe, & inſolidum cum altera parte contradicente, & nullitatis contractus, non obſtante quocumque juramento a mulieribus, minoribus, & impuberibus interpoſito.* ☜

4. Q. III. *In quibus caſibus judex exerceat ſuum officium mercenarium, & nobile*? ℞. 1. Tunc exercet mercenarium, dum non ex mera æquitate, ſed ex jure ſtricto aliquid præcipit, prohibet, vel permittit in judicio: item dum ſuper actione, ſeu jure ſtricte debito profert ſententiam definitivam, aut interlocutoriam, uti etiam ſuper fructibus, damnis, ſumptibus, aliiſque acceſſoriis. Sic accidit in petitione hæreditatis, judicio familiæ herciſcundæ, mutui, depoſiti &c.

5. ℞. 2. Judex tunc exercet officium nobile *ex motu proprio*, dum auctoritatem ſuam interponit, nulla parte implorante, ſed ſolius publicæ utilitatis cauſa, ut 1. Ferendo leges, inquirendo in crimina, & criminoſos, *c.* 24. *de accuſat.* 2. Coercendo ſævitiam dominorum in ſervos, & ſubditos, etiam his non petentibus *l.* 6. §. 2. *ff. de off. Præſid.* 3. Interdicendo prodigis adminiſtrationem rerum ſuarum *l.* 1. *ff. de curator. furioſ.* 4. Pupillis, viduis, furioſis, & ſimilibus perſonis dando tutores, curatores, defenſores, advocatos, *c.* 1. *h. t.* 5. Exequendo ſententiam latam: nam juxta *l.* 55. *ff. de re jud. judex poſteaquam ſemel ſententiam dixit, poſtea judex eſſe deſinit*, puta quoad officium mercenarium in hac cauſa, *ſemel enim male, ſeu bene officio functus eſt*, ut amplius neque de expenſis pronuntiare, & ſententiam corrigere valeat; ergo exequutio ſententiæ eſt actus officii nobilis.

6. ℞. 3. Judex tunc exercet officium nobile ad implorationem partis, dum implorans nullam habeat actionem ſtricto jure competentem; æquum tamen eſt ei ſuccurri per judicem, ut reſtituendo minorem, qui improvide rem ſuam vendidit *cap. fin. h. t.* compellendo patrem, ut agnoſcat filium, & ei alimenta præbeat, *l.* 4. *ff. de judic.* vel ut det dotem congruam filiæ *l.* 19. *ff. de ritu nuptiar.* &c. Imo quandoque, licet adſit actio, poteſt quis implorare officium judicis, cum hæc via extraordinaria ſæpius melior ſit, quam ordinaria, v. g. ut Judex jubeat adverſarium deſiſtere a gravamine, turbatione &c. Porro litis conteſtatio tunc tantum eſt neceſſaria, dum imploratur officium Judicis principaliter, & contra certam perſonam *c. fin. h. t.* quia talis imploratio vim habet actionis. Si autem imploretur officium incidenter poſt, vel ante ingreſſum cauſæ, non opus eſt ſpeciali conteſtatione litis, cum ſufficiat illa, quæ in cauſa principali habetur.

7. Q. IV. *Ad quid teneatur judex vi ſui officii, & obligationis*? ℞. Judex graviſſime obligatur ad juſte judicandum, & cavendum ea omnia, quæ juſtitiam pervertere poſſunt. Unde inter ea, quæ cavere debet, ſunt: 1. Ne perſonas reſpiciat, quia per *reg.* 12. *in* 6. *in judiciis non eſt acceptio perſonarum habenda.* 2. Ne prava paſſione, ut ira, odio, amore, vel amicitia flectatur, & procedat ad judicandum. 3. Ne munera accipiat, de quo infra. 4. Ne in propria cauſa jus ſibi dicat, niſi eſſet ſupremus judex *c.* 12. *de judic.* Inter ea vero, quæ judex facere tenetur, ſunt: 1. Ut non perfunctorie, ſed diligenter cauſam examinet *Can.* 11. *judicantem*, 30. *q.* 5. 2. Ut in judicando ſequatur jura, non vero propriam voluntatem, *Can.* 3. *d.* 4. 3. Ut ſuppleat ea, quæ ex officio ſuo, ſeu præcepto juris ſupplenda ſunt, *c.* 1. *h. t.* 4. Ut ſententiam proferat ſecundum merita cauſæ. Quæ ex his diſcuſſione egent, in ſeqq. reſolventur.

8. Q. V. *An judex licite accipere poſſit munera, xenia, & ſportulas*? Munera ſunt dona in quantitate notabili, quæ ab aliqua parte ſponte offeruntur judici. *Xenia* ſunt dona in modica quantitate, & plerumque dantur in eſculentis, & poculentis uno, aut altero die conſumptibilibus. *Sportulæ* ſunt certa quota pecuniæ, quæ æqualiter ab utraque parte litigante judici offertur. Nomen retinet continentis, quia *ſportula* proprie eſt capſa pecuniæ, ſeu vas, in quo obſonia, & cœnæ ferebantur, atque ita metonymice *ſportula* accipitur pro ipſa pecunia, vel obſonio. Lex. Calv.

9. ℞. 1. Acceptatio munerum eſt prohibita judici jure divino, & humano. Ita *Exod.* 23. *v.* 8. *non accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & ſubvertunt verba juſtorum*: quæ ratio moralis ab ipſo Deo aſſignata, recte oſtendit acceptionem munerum etiam jure naturali prohiberi propter periculum pervertendi juſtitiam, cui ſe exponit judex acceptans munera. In jure Can. *c.* 10. *de vita, & honeſt. Cler.* ſevere præcipitur, ut judices ad iniqua munera oculos non inclinantes, gratis judicent, *cum nec juſtum judicium judici vendere liceat, & venales ſententiæ ab ipſis etiam ſecularibus legibus reprobentur*, puta in *l.* 18. *ff. de off. Præſid.* ubi Modeſtinus ait: *Plebiſcito continetur, ut ne quis Præſidum munus, donum caperet, & Auth. novo jure C. de pœna judicis*, prohibetur acceptio munerum ſub pœnis ibi expreſſis. Ratio hujus prohibitionis fuit univerſale periculum ſubvertendæ juſtitiæ, & faciendi ſententias venales; ſiquidem munera potenter excæcant, & rectitudinem judiciorum impediunt; ac proinde jura iſta, utpote in materia gravi, & publica, graviter in conſcientia obligant. Porro judex tenetur in conſcientia ad reſtitutionem munerum acceptorum *l.* 3. *& ſeqq. ff. ad l. jul. repetund. & l.* 3. 4. *C. eod. & cap.* 11. §. *ſi quid de reſcr. in* 6. *ſi quid autem contra conſtitutionem præſentem receperit, ad ipſius reſtitutionem integram teneatur; nulla eorum, quibus reſtitutio facienda fuerit, remiſſione ullatenus profutura eidem.* Et quidem reſtitutio facienda eſt danti ante ſententiam in caſu, quo Judex munera accepit per modum pretii pro exequutione adminiſtrandæ juſtitiæ, quæ pretio emi non poteſt; & in caſu, quo dans non obtulit munera ſponte, ſed ad redimendam vexam, quia timuit judicem vel nimis ſegnem futurum in exequutione ſententiæ, vel iniquum in ea ferenda. Extra hos caſus, an Judex, qui, non

obſtan-

obstantibus muneribus, juste processit, teneatur ad restitutionem acceptorum ante sententiam, dubitant Doctores. Affirmativa videtur probabilissima ex *citt.* juribus; negativa tamen non est improbabilis: tum quia leges istæ non faciunt mentionem fori interni, in quo donatio per se valuit; tum quia restitutio ista sapit naturam pœnæ, quæ ante sententiam non debetur. Quod si judex per sententiam condemnetur ad restituendum triplum accepti, & duplum promissi, ut statuitur *cit. Auth. novo jure*, restitutio fit fisco, & non danti, utpote eadem turpitudine laboranti.

10. ℞. 2. Judex licite accipere potest moderata xenia. Ita *cit. c.* 11. §. *insuper de rescript. in* 6. ibi: *nisi forsan esculentum, & poculentum mera liberalitate oblatum, quod paucis consumi possit diebus*, & *cit. l.* 18. *ff. de off. præsid.* & *l.* 6. §. 3. *ff. de off. procon.* ubi JCtus ex Epist. Severi, & Antonini Impp. ait: *vetus proverbium est: neque omnia, neque quovis tempore, neque ab omnibus: nam valde inhumanum est a nemine accipere, sed passim vilissimum est, & omnia avarissimum*; & in fine *sed nec xenia producenda sunt ad munerum qualitatem*. Ratio est, quia xenia, cum modica sint, & humanitatis causa sponte offerantur, non videntur sufficere ad pervertendum animum judicis. Nec obstat *nov.* 8. *in fin.* ibi: *nihil penitus accipientes*, nam prohibentur sola munera, & xenia excessiva, quæ ad munerum qualitatem ascendunt.

11. ℞. 3. Judex de jur. Can. non potest licite recipere sportulas. Ita *c.* 10. *de vit. & honest.* & *cit. c.* 11. §. *insup. de Rescr. in* 6. nam tales sportulæ non sunt necessariæ judici Ecclesiastico ordinario, cum iste suos redditus deputatos habeat; neque delegato, qui regulariter est Clericus beneficiatus habens congruam sustentationem; ergo uterque abstinere debet sportulis, utpote quandam speciem mali præseferentibus. Permittitur tamen in *cit. c.* 11. ut judex, si in gratiam litigantium iter agere debeat, expensas moderatas itineri exigere possit, uti & salarium pro assessore, si quo indiget, & de suis proventibus eum alere non potest. At de jure civili judex delegatus (non ordinarius utpote habens salarium a principe constitutum) potest a partibus sportularum nomine exigere pro suo labore duos aureos in principio, & alios duos in fine litis, *Nov.* 82. *c.* 9. modo lis transcendat centum aureos.

12. Q. VI. *Quid judex in judiciis supplere teneatur?* ℞. Ea solum, quæ sunt juris, si vel omissa, vel minus dicta sint a litigantibus, vel eorum advocatis, ita *c.* 1. *h. t.* & *l. un. C. ut, quæ desunt advocatis partium, judex suppleat*: nam ea, quæ sunt juris, per se spectant ad officium judicis; ergo ab eo omitti non debent, sed suppleri. Unde judicis est examinare libellum, & ineptum rejicere, deferre juramentum calumniæ, dare dilationes, actorem excommunicatum ab agendo repellere *c.* 12. *de except.* inquirere probationes ex ipsa causa ortas &c. At contra judex regulariter non supplet ea, quæ facti sunt, cum judex non debeat agere id, quod est partium, ut exceptiones objicere, testes, instrumenta, & alias probationes producere, prolationem sententiæ petere &c. Excipe, nisi immineat periculum animæ, sicut in matrimonialibus, vel nisi factum sit notorium, vel testes notorie indigni, vel nisi favor publici boni, causæ piæ, aut miserabilium personarum exigat, ut judex suppleat etiam ea, quæ facti sunt.

13. Q. VII. *An judex teneatur judicare secundum jus rigorosum in se clarum, & certum?* ℞. Affirmative, etsi contraria sententia mitior videatur sibi probabilior, & æquior, ita *Can.* 3. *d.* 4. ibi: *cum leges fuerint institutæ, & firmatæ, non licebit judici de ipsis judicare, sed secundum ipsas*, & *c.* 1. *de Constit.* ibi: *nemo in judiciis Ecclesiasticis suo sensu, sed Canonum auctoritate ducatur*. Idem statuitur in jure civili *l.* 13. *C. de sent. & interloc.* ubi judici præcipitur, ut non ex consultationibus, vel sententiis aliorum, sed ex legibus jus dicat, *cum non exemplis, sed legibus judicandum sit*, & juxta *l.* 1. §. 4. *ff. ad SC. Turpill.* & *l.* 15. *pr. ff. ad Municip. facti quidem quæstio in arbitrio est judicantis, pœna vero persequutio, seu id, quod juris est, non ejus voluntati mandatur, sed legis auctoritati reservatur*. Ratio est, quia judex, utpote inferior, legem justam, etsi duram, & rigorosam, non potest tollere, vel relaxare; alias quisque judex ob privatam existimationem facile a legibus recederet; ergo judicare debet secundum legem rigorosam, modo sit certa, & in se clara, *quod quidem perquam durum est, sed ita lex scripta est*, *l.* 12. *pr. ff. qui & a quib. manum.* Excipe, nisi lex rigorosa esset obscura, & incerta, vel contra eam daretur lex mitior, vel probabilius constaret de mente legislatoris, quod talem casum noluerit comprehendi sub hac lege.

Dices: *l.* 90. *ff. de R. J. in omnibus quidem, maxime tamen in jure, æquitas spectanda est*, & *l.* 8. *C. de judic. placuit in omnibus rebus præcipuam esse justitiæ, æquitatisque, quam stricti juris rationem*; ergo judex suadente æquitate potest, imo debet judicare contra juris stricti rigorem. Sic olim Prætores judicabant corrigendo, & temperando juris rigorem. ℞. Hos, & similes textus procedere de illis casibus, qui in lege dura, & rigorosa non sunt expresse, & clare decisi, sed rationabile est dubium, an hic, vel ille casus contineatur sub lege; & tunc æquitas rigori juris præferenda est, ut eam sæpius prætulerunt JCti, & Prætores, hac interpretandi facultate præditi: e contra si casus est clare decisus in lege rigorosa, non licet ab ea recedere etiam prætori, *cit. l.* 12. *pr. ff. qui, & a quib.* & *l.* 12. *ff. de bonor. poss.* ubi prætor non potest dare bonor. possessionem ei, cui lex prohibet eam accipere, sed mitigare talem legem soli principi reservatur *l.* 1. *C. de LL.* Ex his plura alia solvuntur *l.* 183. *ff. de R. J. l.* 7. §. 1. *ff. de J. & J. l.* 11. *ff. de in jus voc. l.* 85. & 90. *ff. de in integr. rest. l.* 2. *ff. de const. pecun. l.* 15. *ff. de recept. l.* 79. *ff. de jure dot. &c.* Et sic etiam explicandum est illud brocardicon: *Summum jus, summa injuria*.

14. Q. VIII. *Quam sententiam ex probabilibus teneatur judex amplecti?* ℞. 1. Judex non tenetur sequi sententiam communem, dum opposita ex gravioribus fundamentis apparet ei vere probabilior, cum eligendo probabiliorem, propius accedat veritati judiciorum. ℞. 2. Judex in causa civili tenetur sequi partem probabiliorem quam probabilem, seu in partem illam inclinare, pro qua stant potiora merita causæ. Ita hodie certa sententia, & oppositam damnavit Inn. XI. *n.* 2. *Probabiliter existimo judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem*: nam judex judicare ex quasi contractu tenetur secundum merita causæ; ergo pro illa parte sententiare debet, quæ habet probabiliora, seu potiora merita causæ. At in criminalibus, in quibus requiruntur probationes luce meridiana clariores, potius favendum est reo, etsi partes illius sint minus probabiles, quia præstat nocentem absolvere, quam innocentem condemnare. ℞. 3. Si utraque pars est æque probabilis, quod in praxi raro accidet, judex non potest accipere pecuniam, ut sententiam in favorem unius præ altero ferat, quia hoc modo venderet sententiam, seu actum justitiæ, nullo pretio temporali æstimabilem. Oppositum damnavit Alex. VII. *nu.* 26. cui non obstat *c.* 24. *de offic. deleg.* nam in eo permittitur judici esse gratiosum quo ad arbitraria, in quibus nullum est periculum, & præjudicium tertii. Quare si omnia sint æqualia, sententia ferenda est pro reo possessore, vel qui possessionem antiquiorem, & titulatam probaverit, vel judex pronunciabit secundum interdictum: *uti possidetis, ita possideatis*.

15. Q. IX. *An judex ex scientia publica probatorum, & allegatorum condemnare possit reum, quem certa privata notitia scit innocentem?* Negant universaliter tam in civilibus, quam in criminalibus Abbas, Besold. Gormaz, Pichler, Schmier. Affirmant in causis civilibus, & minoribus criminalibus, sed negant in majoribus, ubi agitur de pœna mortis, vel mutilationis, Lessius, Laym. Haunold. Reiff. Schmalz. & alii. Utraque hæc sententia valde est probabilis. Affirmant etiam in criminalibus capitalibus S. D. Sanchez, Covar. Clar. Azor, & plurimi alii TT. Canonistæ, & Criminalistæ, quorum sententia non minorem habet probabilitatem. Unde cum tertia sententia.

℞. *Affirmative*, si nullum superfit remedium liberandi innocentem. *Prob.* 1. *arg. principali*: Deus reipublicæ dedit potestatem publicam puniendi reos legitime convictos independenter a privata notitia judicis, & consequenter, auferendo talibus reis jus vitæ conservandæ, omnia judicia criminalia secundum leges facta

cta ſubduxit a præcepto: *non occides Can.* 9. §. *quaſdam* 23. *q.* 5. ergo judex licite condemnat reum legitime convictum, ſive privatim ſciat, ſive neſciat eſſe innocentem. Prob. ant. ex *c.* 17. *Deuter.* ubi Deus ad ſubſtantiam judicii criminalis tria præcipua requirit: *nunciationem*, ſeu querelam, *inquiſitionem diligentem*, ſeu exactam teſtimoniorum, & defenſionum diſcuſſionem, & *veritatem* judicialem ex duobus, aut tribus teſtibus elicitam *v.* 6. *in ore duorum, aut trium teſtium peribit, qui interficietur*. Nullibi vero mentio fit privatæ notitiæ judicis, alioquin Deus dicere debuiſſet: *in conſcientia privata judicis, & in ore duorum, vel trium teſtium* &c. ergo Deus reipublicæ dedit poteſtatem puniendi reos independenter a privata notitia judicis. 2. Hoc ipſum probatur ex *Can.* 4. *judicet.* 3. *q.* 7. ubi S. Ambroſio dicitur: *bonus judex nihil ex arbitrio ſuo facit, & domeſticæ propoſito voluntatis, ſed juxta leges, & jura*, hoc eſt, ſecundum allegata, & probata *pronunciat, nihil paratum, & meditatum domo defert: ſed ſicut audit, ita judicat*. Eadem repetit S. Aug. ſuper pſalter. *bonus judex*, inquiens, *nihil ex arbitrio ſuo facit, ſed ſecundum leges, & jura pronunciat*. Qui, & ſimiles textus manifeſte innuunt, publicam poteſtatem judicis eſſe prorſus independentem a privata ſcientia, utpote non pertinente ad judicia *cap.* 2. *de off. Ordinar.* 3. Judex, in omnium ſententia, non poteſt condemnare reum legitime convictum, licet privatim certo ſciat eſſe vere nocentem, quia ſcilicet privata ſcientia impertinens eſt ad informandum publicum officium judicis; ergo e contra judex licite condemnat reum ſecundum leges convictum, licet privatim ſciat innocentem, quia ſcientia publica ex duobus, vel tribus teſtibus hauſta, de ſe eſt ſufficiens ad informandum publicum officium judicis. Nec video ſolidam diſparitatem in eo, in quo ponitur paritas, ſed quidquid dicatur, in idem redit; an ſcilicet publica poteſtas a Deo data, neceſſario concordare debeat cum privata ſcientia judicis, & ab ea regulari? ſi non ergo vera eſt noſtra ſententia dicens poteſtatem judicialem abſolvendi, & condemnandi datam eſſe a Deo dependenter a ſcientia publica, non privata; ſi ita, ergo neque judex abſolvere poteſt reum non convictum, quem privatim certo ſcit nocentem, cum ſententia ipſius non concordaret cum privata notitia, ſed reſpectu hujus falſa, & mendax foret. Ex hoc argumento primo conſtat poteſtatem publicam judici datam eſſe dependenter a ſcientia publica, & generaliter ſubductam fuiſſe a præcepto *non occidendi*: unde adverſariis tria reſtant probanda: 1. quod poteſtas judicialis in aliquo caſu pendeat a ſcientia privata: 2. quod ſcientia publica judicis neceſſario concordare debeat cum privata: 3. quod præſens caſus non contineatur ſub generali poteſtate judiciali, ſed relictus ſit ſub præcepto non occidendi. Uno ex his probato, cetera ſequuntur.

Prob. 2. *argumento indirecto*. Ideo judex non poſſet condemnare reum legitime convictum, quem privatim ſcit innocentem, quia ſententiando directe, & per ſe occideret innocentem in ſe talem, ſed non occidit directe, & per ſe: tum quia judex adhibet omnem diligentiam, & ſolicitudinem ad reum liberandum, adeoque directe non vult eum occidere; tum quia ſententiando, per ſe intendit exercere actum officii publici, ad quem obligatur vi querelæ, & probationis legitimæ, licet ex tali actu per accidens ſequatur mors innocentis, ſicut belli dux impetere poteſt mœnia, turres, & naves inimicorum, licet exinde ſequatur mors multorum innocentium; tum quia reum publice convictum, non tam judex, quam ipſa lex condemnat *l.* 1. §. 4. *ff. ad SC. Turpill.* lex autem non injurat, ſed teſtes falſi directe occidunt, ut ait S. D. 2. 2. *qu.* 64. *ar.* 6. *ad* 3. ergo talem reum judex condemnare poteſt citra periculum homicidii. 2. Judex, & exequutor æquiparantur in hoc puncto, an contra ſcientiam privatam liceat facere actum judicialem? cum in utroque ſit idem periculum peccandi; ſed exequutor poteſt, imo tenetur exequi ſententiam, quam privatim ſcit eſſe injuſtam, modo ſit juſta juridice, ut expreſſe decidit Innoc. III. *c.* 28. §. *quia vero de off. deleg.* ergo & judex ferre poteſt ſententiam juridice juſtam, licet privatim ſciat eſſe injuſtam, & conſ. neuter peccat, aut occidit, cum uterque directe aliud non agat, niſi id, quod ordo juris depoſcit.

Prob. 3. *argumentis levioribus*; judex vi auctoritatis divinæ conſtituitur perſona publica, cujus ſcientia debet eſſe publica, voluntas publica, & poteſtas publica; ergo ſi per ſuam imprudentiam, vel negligentiam nihil committat contra proceſſum judiciarium, condemnando reum publice convictum, licite agit ut perſona publica, cum ut talis melius agere non poſſit ſecundum jura; non ſecus ac judex, qui privatim ignorat reum eſſe innocentem, ne dicamus, quod judici ignoranti ſua ignorantia det jus ad condemnandum reum in ſe innocentem. 2. Si judex in dato caſu non poſſet condemnare reum, eadem nocumenta ſequerentur ex impunitate talium reorum, quæ alias ſequuntur ex impunitate vere nocentium, cum reſpublica non cenſeatur læſa per civem, niſi ut publice convictum: inſuper ſequeretur corruptio judicum privatam ſcientiam innocentiæ pro conniventia allegantium: denique ſequeretur quod in publico judicio judex obligaretur ſtare magis uni ſui ipſius teſtimonio, quam plurium aliorum, ergo. Huic ſententiæ magnam auctoritatem conciliat S. Thomas 2. 2. *qu.* 64. *ar.* 6. *ad* 3. & 2. 2. *q.* 67. *ar.* 2. *per tot.* cum fuſo commentario Cajetani, & Seraphini. Ceterum ut judex hac ſententia uti poſſit, prius adhibere debet omnia poſſibilia remedia ad reum liberandum: ut a principio ex juſta cauſa rejiciendo accuſationem, vel eam remittendo ad judicem ſuperiorem, ſeverius, & particularius examinando teſtes, vel citra ſcandalum præbendo occaſionem, vel diſſimulando, ut reus fugiat; & ſi eſt princeps, ſeu judex ſubalternus habens jus aggratiandi, gratiam reo faciendo: quibus omnibus adhibitis vix moraliter poſſibilis eſt caſus, in quo vere innocens condemnetur. Si tamen totus populus peteret juſtitiam, quo caſu ceſſat jus aggratiandi, princeps non valens liberare reum, poſſet tuto ſequi noſtram ſententiam, ne alias regno ſpolietur. Vide *Cajet. loc. cit.*

Obj. 1. *cit. cap.* 17. *v.* 4. *Deuter.* inter ceteras conditiones, etiam ponitur veritas: *& verum eſſe repereris*: ſed ſi judex certo ſcit reum eſſe innocentem, nunquam *verum* reperiet; nam falſa teſtimonia verum crimen fabricare nequeunt. 2. Quod publica ſcientia judicis poſtponenda ſit certæ veritati privatæ, ipſe DEUS docet *Exod.* 23. *non ſuſcipies vocem mendacii, non ſequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquieſces ſententiæ, ut a vero devies — inſontem, & juſtum non occides*. 3. Judex conformari debet judicio divino, *quia DEI judicium eſt, Deut.* 1. *v.* 17. ſed in noſtro caſu judex non conformatur judicio divino, in quo reus habetur omnino innocens, ergo. 4. Allegata, & probata per teſtes plus non faciunt, quam fidem, & præſumptionem, imo totum hoc judicium eſt pure exiſtimatum, ut nemo ſanus negare poteſt, cum probationes dicant delictum eſſe, quod re vera non eſt, ſed fides, præſumptio, & exiſtimatio cedere debet certæ veritati, quam judex habet de innocentia rei: neque enim eſt credibile DEUM velle, ut judex ſententiet pro falſitate ſibi nota contra certam veritatem; ergo judex in hoc caſu non poteſt ſequi fidem probationum.

℞. *Ad* 1. Textus iſte, ut ante dictum, procedit de veritate judiciali, & publica ex duobus, aut tribus teſtibus elicita: neque enim intelligi poteſt de veritate naturali, & phyſica, quæ in judiciis fere ſemper eſt impoſſibilis, cum etiam mille teſtes phyſicam certitudinem non faciant. *Ad* 2. Textus iſte Pilato, & judicibus ei ſimilibus obtrudi debet, dum acquieſcunt multitudini tumultuanti, & nihil juridice probanti, ſed ex invidia, & odio inſontes ad mortem poſcenti: ſecus teſtimoniis conformibus, quæ publice non infirmantur ut falſa, acquieſcendum eſt; cum judex judicare debeat, non ſecundum ea, quæ ſunt, ſed ſecundum ea, quæ audit in judicio. *Ad* 3. Non eſt omnimoda paritas: nam Deus non judicat ex teſtimoniis, ſeu ſcientia aliena, ſed ex ſua propria ſcientia, & poteſtate: e contra judex judicat ex teſtimoniis, ſeu ſcientia aliena, & poteſtate publica, adeoque publicæ ſcientiæ, & non ſuæ conformari debet. *Ad* 4. C. maj. & neg. min. licet enim exiſtimatio publica cedere debeat veritati publicæ, ſi hæc in judicio afferatur, non tamen cedit veritati privatæ, quæ minime pertinet ad judicia, cum Scriptura dicat, quod in ore duorum, vel trium teſtium ſtabit omne verbum. Cetera argumenta ex his ſolvun-

solvuntur, ut *c.* 44. *de sent. excom. c.* 1. *de sent. & re jud. in* 6. *l.* 6. §. 1. *ff. de off. præsid.* & quæ affert Cajet. *loc. cit.* Fateor tamen secundam sententiam esse tutiorem, & magis piam.

TITULUS XXXIII.

De Majoritate, & Obedientia.

Agitur de hac materia in Sexto, & Extrav. *h. t.* in Decreto *dist.* 21. 22. 93. 96. & 8. *q.* 4. & 9. *qu.* 3. *Canon. Episcopo* cum seqq. & *Canon.* 34. *d.* 5. *de consecr.* In Trid. *sess.* 25. *c.* 6. *v. Episcopis* & sess. ead. *c.* 17. *de ref.* & *sess.* 25. *c.* 13. *de Regul.*

1. *Nota*, hunc titulum per modum complementi subjici prioribus, eo quod inter judices, & personas Ecclesiasticas detur inæqualitas, ut alius alio sit excellentior, seu major. *Majoritas* ergo in præsenti est quædam excellentia unius personæ comparatæ cum altera. Ad majoritatem jurisdictionis sequitur obedientia, quam minor debet majori, exhibendo ei reverentiam, ejus mandata observando, eique in judicio parendo.

2. Q. I. *An sacerdotium sit majus imperio*? ℞. Affirmative, ita Innoc. III. *cap.* 6. *h. t.* ubi sacerdotium comparat soli, & animæ, imperium vero lunæ, & corpori: nam Christus Dominus in Republ. Christiana potestatem temporalem subjecit spirituali, utpote digniori. Et ideo recte dixit Deus Sacerdoti: *Ecce constitui te super gentes, & regna, Jerem.* 1. Unde reges, & principes subjecti sunt in spiritualibus non tantum Papæ, sed etiam suis Episcopis tanquam pastoribus.

3. Q. II. *Qui sint gradus majoritatis in ordine Ecclesiastico*? ℞. Seqq. 1. Papa antecellit omnes in Ecclesia; tanquam Pastor universalis. 2. Cardinales Episcopi, Presbyteri, & Diaconi ex dispositione Bonif. VIII. & Clem. V. quibus etiam Urban. VIII. 1630. *die* 10. *Junii* titulum *eminentiæ* attribuit, cum alias dicti fuerint *Illustrissimi*. 3. Patriarchæ, Alexandrinus, Antiochenus, Jerosolymitanus, & Constantinopolitanus, qui deinde tribus prioribus prælatus est. 4. Primates, Archiepiscopi, & Episcopi. Prælati, & tandem ceteri Clerici. 5. In diœcesi primum locum obtinet Episcopus: hunc de jure communi sequitur Vicarius generalis, Archidiaconus, Archipresbyter, & alii Canonici: sede autem vacante Vicarius sequitur decanum, qui primam dignitatem obtinet in Ecclesia cathedrali. At de consuetudine præsertim Germaniæ Vicarius, si Canonicus est, obtinet locum sui Canonicatus: si vero non est Canonicus, sequitur Canonicos: deinde veniunt Canonici collegiati, decani rurales, Parochi, & reliquus Clerus secularis. 6. Clerum secularem excipit Clerus regularis, in quo de jure præcedentiam habent Canonici, & clerici regg. tum monachi, ac denique mendicantes. De consuetudine sæpe aliud observatur. 7. In concursu cleri secularis, & regularis Abbates, & Prælati regulares præcedunt Canonicos etiam cathedralis solitarie incedentes, quia his præeminent jurisdictione, licet consuetudo aliud habeat in certis locis. Si autem Canonici collegialiter incedant cum suo Episcopo, præcedentiam habent ante Abbates, & Prælatos regulares, quia hoc modo repræsentant Ecclesiam cathedralem, quæ dignior est abbatiali; hæc vero post Episcopalem dignior est aliis dignitatibus, & Ecclesiis. *Can.* 12. *si quis* 16. *q.* 7.

☞ *Ad Papæ majoritatem spectat, quod omnes per universum orbem Episcopi statutis temporibus a Sixto V. Constit.* 15. Romanus Pontifex - *ex veteri Ecclesiæ more Can.* 4. *juxta dist.* 93. *visitare debent limina Apostolorum, & suarum Ecclesiarum statum referre juxta Instructionem S. Cong. Conc. impressam in appendice tomi II. bullarii Benedict. XIV. pag.* 1. *quæ comprehendit etiam Archiepiscopos, Primates, & Patriarchas. Ad hujusmodi visitationem teneri etiam Episcopos Titulares, ac etiam administratores datos alicui Episcopo in legitima ætate nondum constituto, non vero coadjutores, probat idem Bened. lib. XIII. de synod. diœc. c.* 6. *n.* 5.

Sixti Constit. confirmavit dictus Benedict. 23. *Novembr.* 1740. *Constitut.* Quod Sancta - *eamque extendit ad omnes, & quoscumque Abbates, Priores, Præpositos, aliosque quocumque nomine ac titulo insignitos, etiam S. R. E. Cardinales, tam seculares, quam regulares, jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, jam promotos, & promovendos; qui antequam suorum monasteriorum, seu Ecclesiarum possessionem adipiscantur, juramentum præstare debent juxta formulam in d. Const. descriptam, in manibus Cardinalis Decani, si præsentes sint in curia, sin minus in manibus Nuncii aut Legati Apostol. & si hic absens fuerit, in manibus alicujus Episcopi, aut Archiepiscopi eorum arbitrio eligendi, se ejusmodi visitationem personaliter peracturos, ac de sibi commissa monasteriorum, & Ecclesiarum procuratione relationem Romano pro tempore existenti Pontifici reddituros singulis trienniis, a die captæ possessionis incipiendis, si sint Itali, vel ex Insulis, & provinciis Italiæ adjacentibus: reliqui vero quinto quoque anno: quibus respective temporibus completis, repetere toties quoties tenentur, sub pœnis Papæ reservatis ipso facto incurrendis ab omittentibus prædictas relationem, & visitationem; videlicet ab ingressu Ecclesiæ, & administratione tam spiritualium, quam temporalium, nec non a perceptione fructuum monasteriorum, seu Ecclesiarum, interim exigendorum ab Episcopo, vel Archiepiscopo viciniore monasterio, aut Ecclesiæ nullius; & insumendorum in opus fabricæ, seu ornamentorum Ecclesiæ emptionem, prout magis exegerit necessitas.*

Si vero legitime impediti fuerint, jurare debent, se prædicta omnia adimpleturos per nuncium in dignitate Ecclesiastica seculari, vel regulari constitutum, qui sit de gremio suorum monasteriorum, vel Ecclesiarum; aut per aliquem Sacerdotem secularem, vel regularem; qui tamen docere debent de impedimento legitimis probationibus Cardinale S. Congreg. Concilii præfecto exhibendis.

Circa hanc visitationem quo ad omnes Episcopos, vide late scripta a Fagnan. c. 4. Ego N. Episcopus *de jure juran.* ☜

4. Q. III. *Quem majoritatis gradum obtineant Proto-Notarii Apostolici*? ℞. 1. Proto-Notarii, seu primi Notarii *participantes*, sunt personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ speciale officium in curia romana obtinentes; erantque olim septem per septem urbis regiones deputati ad conscribenda gesta martyrum; hodie vero sunt duodecim ex Constitut. Sixti V. incip. *Rom. Pontifex* & alia: *Laudabilis*, quorum officium est adnotare ea, quæ in publicis Consistoriis geruntur, & conficere instrumenta authentica, si rogentur. Hi ex privilegio dicti Pontificis exempti sunt a jurisdictione cujuscumque Ordinarii: post Episcopos proximum dignitatis locum obtinent, & facultatem creandi doctores, & notarios publicos, legitimandi spurios ad successiones hæreditarias, arma deferendi, testandi de bis mille ducatis proventuum Ecclesiasticorum.

☞ *Ex Constit. Bened. XIV.* Inter conspicuos - 29. *Aug.* 1744. §. 23. *Nequeunt promovere absentes ad gradus doctoratus; præsentes vero in urbe, non nisi sex in singulos annos, servatis conditionibus ibidem præscriptis* ☜

℞. 2. *Proto-Notarii honorarii*, seu *titulares*, seu *non participantes* sunt, qui præcise honorem hujus nominis obtinent cum certis privilegiis; ut deferendi rochetum, & mantelletum coloris nigri, vel violacei, utendi pileo super suis insignibus, exequendi litteras apostolicas &c.: & hi præferuntur quidem aliis Clericis nullam dignitatem obtinentibus: non tamen prælatis regularibus, ut Generalibus, provincialibus, & localibus; cum hi ob jurisdictionem fori externi sint proprie dignitates Ecclesiasticæ. Plura de his vide apud Barbosam *lib.* 1. *c.* 13. *jur. Ecclesiastic. univer.*

5. Q. IV. *Ex quibus titulis præeminentia inter Clericos pares acquiratur*? ℞. 1. Ex titulo *altioris ordinis*, vi cujus Sacerdos præferendus est Diacono, *c.* 15. *h. t.* sed hoc non observatur inter Canonicos, qui præcedentiam desumunt ex antiquitate ob consuetudinem approbatam *c. fin. de consuet. in* 6. 2. Ex titulo *dignioris ordinantis*, ut ordinatus a Papa reliquis præferatur *c.* 7. *h. t.* 3. Ex titulo *prioritatis temporis*, qualiter seniores parochi præferuntur junioribus *c.* 1. *h. t.* 4. Ex *privilegio*, sicut Patriarchatus Constantinopolitanus tribus prioribus prælatus est in Concil. Constantinop. I. *Can.* 5. qui Canon, prius ab Ecclesia Romana rejectus, deinde tamen approbatus est *cap.* 23. *de privil.*

☞ Cir-

Circa præcedentiam, tam inter Canonicos, Parochos, ceterosque cleri secularis, quam inter Canonicos regulares, monachos, & mendicantes in processionibus, & synodis, nec non confratres confraternitatum vide fuse allata a Ferraris Prompta Bibliotheca in opere, & supplemento verbo Præcedentia, *& signanter Constit. Greg. XIII. & Urban. VIII. ac quamplura decreta S. Congr. Rituum ibidem relata.*

Circa præcedentiam inter Regulares utriusque sexus ejusdem Ordinis, hæc semper desumenda erit a die professionis, & non receptionis habitus, Cong. Episcop. & Reg. in Ravennaten. 12. *Sept.* 1588. *& in Augustinianor. Lombardiæ* 7. *Jan.* 1654. *Si duo simul admissi fuerint, vel ad habitum, vel ad professionem, etiamsi admissio facta fuerit in alio monasterio, ille præcedet, qui prius in capitul. acceptatus fuerit, quamvis quis vellet cedere juri suo, non obstante qualibet contraria consuetudine, quæ declaratur abusus d. Cong. in Neapolitana* 23. *Novem.* 1592. *in Mexicana* 3. *Jan.* 1594. *in Anconitana* 14. *Jun.* 1592. *In Assisien.* 13. *Martii, &* 3. *Octob.* 1603. *relat. a Ferraris loc. cit. Et Cong. Conc. pro monialibus* 1608. *in Paduana relat. a Barbosa in summa Apostol. decis. verbo* Præcedentia *n.* 29. *Ratificans professionem nulliter emissam, præcedet a die ratificatæ professionis Cong. Conc.* 1. *Octob.* 1672. *in dub. præcedentiæ relat. a Card. Petra comment. ad Const.* 8. *Eugen. IV. n.* 17. *Professus bona fide ante tempus præcedet a fine* 16. *annorum, Cong. Episc. in Basylianensium* 13. *Nov.* 1648. *relat. a Ferraris loc. cit. Laicus factus Clericus ex dispensatione Apostol. præcedet a die professionis Clericalis, eadem Congr. relat. a Ferraris ibidem.*

6. Q. V. *Quis sit judex litis de præcedentia in processionibus, comitationibus funerum, & similibus actibus?* R. 1. Ad tollenda scandala Episcop. amicabiliter componit lites istas, etiam inter exemptos, remota appellatione, Trid. *S.* 25. *c.* 13. *de Regg.* 2. Si agatur petitorio de jure præcedentiæ, lis pertinet ad judicem Ecclesiasticum partis conventæ, quia tale jus est spirituale saltem connexive: at si agatur possessorio meri facti, & pars conventa sit secularis, poterit etiam judex laicus decidere hanc quæstionem meri facti, cum de se sit temporalis; puta circa actus, quibus acquiritur quasi possessio præcedentiæ, turbatur, amittitur, aut retinetur. 3. Compositio inter Clericos de superioritate, & subjectione litigantes non est facienda, nisi vocatis iis, quorum interest *c. fin. in* 6. ne cuiquam præjudicium fiat.

Ad Episcopum etiam, & eo absente, ad Vicarium generalem privative spectat processiones publicas indicere, horam præscribere, dirigere, & ordinare, de consilio tamen capituli, non obstante quacumque contraria consuetudine, etiam immemorabili: ejusque mandato parere tenentur magistratus, & ceteri, qui ad illas accedere debent. Nec Parochus extraordinarias facere potest sine licentia Episcopi, ut ex pluribus decretis Sacr. Cong. Rituum, & Conc. relat. ab eod. Ferraris verbo Processio.

7. Q. VI. *Quid juris circa obedientiam?* R. 1. Obedientia debetur Papæ a tota Ecclesia, Episcopo a diœcesanis etiam Regibus, Cardinalibus a Clericis sibi subjectis, Prælatis regularibus a suis Religiosis, & a Clericis, si quos sibi subditos habent, Abbatissis a monialibus, & Clericis sibi subjectis, *cap.* 2. 3. 4. 6. 11. 12. *h. t.* 2. Clerici curati tempore investituræ tenentur Episcopo præstare juramentum obedientiæ; non tamen alii Clerici simplices, nisi aliud haberet consuetudo, vel subditi contumaciter se subtraherent ab obedientia *c.* 3. 10. *h. t.* 3. Si concurrat major, & minor potestas contraria præcipiens, parendum est majori superiori respective, hoc est, qui majorem jurisdictionem habet in subditum *Can.* 2. *d.* 8. *in fin.* ibi: *sicut enim in potestatibus societatis humanæ major potestas minori ad obediendum præponitur, ita Deus omnibus, & Can.* 97. *qui resistit* 11. *quæst.* 3. S. Aug. docet magis obediendum esse proconsuli, quam curatori; & magis Imperatori, quam proconsuli. Nec obstat *Can.* 5. *cum seq.* 9. *q.* 3. *& c.* 11. *de off. ordin.* nam procedunt de superiore majore absolute, non respective ad subditum.

8. Q. VII. *Quæ sint pœnæ inobedientium?* R. 1. Non obedientes constitutionibus Canonicis, incurrunt notam inobedientiæ, hoc est, quamdam infamiam facti, pœnitentia delebilem *cap.* 5. *h. t.* 2. Nolentes ex contumacia obedire decretis Episcoporum, & aliorum Prælatorum, subjici debent excommunicationi *c.* 2. *h. t.* nam contemptor potestatis meretur ab ea ligari.

Hactenus de personis, & judicibus Ecclesiasticis: in seq. titulis Compilator ad imitationem juris civilis præmittit quædam præparatoria, seu præambula ad judicium, de quo libro seq. Porro ista præparatoria sunt: 1. *Treuga, pax, pacta, & transactiones*, quibus lis componi potest absque strepitu judiciali. 2. Advocatorum, procuratorum, & syndicorum officium, quo litigantes juvantur. 3. Rescissiones, & restitutiones in integrum, quæ ob læsionem, vel aliam causam certis personis conceduntur. 4. Denique arbitraria, quia jus omnibus indulget coram judice, vel arbitro litigare.

TITULUS XXXIV.

De Treuga, & Pace.

Agitur de hac materia in Extrav. Com. *h. t.* in Decreto *dist.* 90. & *Canon.* 25. *illi* 24. *q.* 3. In Pandectis *lib.* 49. *tit.* 15. *leg.* 5. *&* 19.

1. Nota, *Treugam* esse vocem barbaram ex idiomate longobardico derivatam, vel ex germanica voce *Treu*, quod fidem significat. *Treuga*, quoad rem, est securitas personis, & rebus præstita ad tempus, bello necdum finito: & per ultimas particulas differt a *pace*, quæ est securitas de se in perpetuum, bello totaliter finito, & extincto. *Treuga* aliter vocatur *induciæ*, seu *armistitium*; licet aliqui discrimen ponant in hoc, quod treuga in longius, & induciæ in brevius tempus concedantur, *l.* 19. §. 1. *ff. de captivis* ibi: *induciæ sunt, cum in breve, & præsens tempus convenit, ne invicem se lacessant*. Treuga latius accepta significat inducias in quacumque discordia extramilitari interpositas: hic autem potissimum agitur de treuga militari, seu tempore belli interposita; & cum objectum illius sit suspendere bellum, pacis vero illud sopire, & extinguere, prius aliqua quæsita de bello, tum de treuga, & pace hic proponentur.

2. Q. I. *Quid, & quotuplex est bellum?* R. 1. Est discordia principum, aut rerum publicarum Superiorem non recognoscentium, vim, & arma sibi mutuo inferentium, S. D. 2. 2. *q.* 42. *ar.* 1. Ex qua definitione patet discrimen belli a *rebellione*, quæ est discordia inter principem, & rempubl. sibi subjectam; a *seditione*, quæ est discordia inter partem, & partem civitatis, aut populi; a *rixa*, & *duello*, quæ sunt discordia inter paucos privatos. 2. Bellum est duplex: *Defensivum*, quo vis, aut injuria illata, aut proxime inferenda propulsatur. *Offensivum*, seu *aggressivum*, quo damnum illatum reparatur, aut vindicatur. Utrumque de se est licitum, ut probant plurima exempla Sacr. Scripturæ in Abrahamo, Moyse, Josue, Machabæis &c. & insinuat Apostolus *Rom.* 13. *v.* 4. ibi: *non enim sine causa gladium portat* &c.

3. Q. II. *Quid requiratur ad justitiam belli?* R. tria 1. Auctoritas summi principis; quia indicere bellum non pertinet ad privatam personam. 2. *Justa causa* moraliter certa saltem principi, licet militibus de illa non constet, *Canon.* 4. *quid culpatur* 23. *qu.* 1. ita ut illi, qui impugnantur, ob culpam gravem, pro qua aliter satisfacere nolunt, mereantur talem impugnationem; ut quia injuste detinent alienas terras, quia gravem injuriam regi, vel Religioni catholicæ intulerunt &c. 3. *Recta intentio* bellantium, ut non odio, aut vindicta, sed amore justitiæ, & boni communis pugnent ad bonum promovendum, vel malum vitandum. Quo spectat etiam observantia legum bellicarum, ut veneno arma, fontes, & annona non inficiantur, amuleta magica non adhibeantur, Ecclesiæ non expilentur, obsides, & innocentes directe non occidantur, imo nec bellantes post partam victoriam; cum talis occisio amplius non sit necessaria, nisi aliqui ex hostibus ob speciale delictum promeriti sint ultimum supplicium. Ita com. DD. cum S. D. 2. 2. *q.* 40. *ar.* 1. & *seqq.* ubi etiam contraria argumenta solvuntur, & Cajet. *ibid.* Ceterum stratagematis, & insidiis, quæ sine falsitate fiunt, licitum est in bello uti, S. D. *ibid.* *a* 3. Plura de bello vide in P. Laym. &c.

4. Q. III. *An Treuga conventionalis, quæ initur ab utraque parte præliantium, observanda sit?* R. Affirmative: nam talis treuga, prout constat pacto mutuo, est juris naturalis: quia nihil *tam congruum fidei humanæ, quam ea, quæ inter eos placuerit servari l. 1. pr. ff. de pact.* prout vero importat modum gentibus usitatum, quo ab hostilitate cessatur, pertinet tregua ad jus gentium. *Canon. 9. d. 1.* Jus autem naturale, & gentium observandum est etiam hosti, nisi iste prius fidem frangeret, tunc enim fides esset frangenda eidem. Unde quidquid capitur tempore induciarum, non fit capientium. His non obstant *Exod. c. 12. v. 35. judic. c. 3. v. 20. lib. 2. reg. c. 10. & 4. reg. 10. v. 18.* item *Canon. 2. dominus 23. q. 2. c. 28. de jurej.* ibi: *in alterius præjudicium, & l. 1. §. 3. ff. de dolo malo, l. 25. ff. de captiv. l. 5. §. 5. ff. de re milit. l. 2. C. de commerc. & mercator.* &c. nam in locis istis non approbatur perfidia contra fidem datam, sed solum permittitur dolus bonus, seu solertia, & stratagemata licita: neque reprobantur pacta quæcumque, sed illa solum, quæ contrariantur bono publico; sicut pacta Osnabrugensi a reprobata sunt a Sede Apostolica. Ceterum treuga conventionalis solvitur cessante conditione apposita, lapsu temporis, & perfida violatione alterius partis.

5. Q. IV. *Quando locum habeat treuga legalis, seu Canonica a sacris Canonibus introducta?* R. 1. Treuga Canonica temporalis, qua cessatur a bellando, servanda est ab adventu Domini usque ad octavam Epiphaniæ, a septuagesima usque ad octavam Paschæ; & per annum ab occasu solis feriæ quartæ usque ad ortum solis feriæ secundæ propter mysteria his diebus peracta. 2. Treuga Canonica perpetua, quæ sine dierum discrimine currit, conceditur Clericis, Religiosis, rusticolis, mercatoribus, & Legatis, quamdiu vacant agriculturæ, mercimoniis, & legationibus. Hæc omnia statuuntur in *c. 1. & fin. h. t.* sed consuetudo jam fere totam treugam Canonicam abrogavit.

6. Q. V. *Quomodo pax acquiratur?* R. 1. *Terminatione belli*: nam juxta *Canon. 3. noli. 23. q. 1. non pax quæritur, ut bellum excitetur, sed bellum geritur, ut pax acquiratur.* 2. *Pactis publicis* inter principes. 3. *Interposita auctoritate superioris*, qualiter Papa inter principes christianos partim rogando, partim ex justa causa jubendo, conciliare solet pacem. Si vero publica sint diffidia inter cives, princeps eos cogere potest ad pacem, & compositionem *l. 13. ff. de off. præsid. Nov. 17. c. 2.* quia hoc exigit bonum publicum. At si lis privata sit, partes cogi nequeunt ad transactionem, & compositionem *Nov. c. 24. fin.* ne cui jus suum tollatur, nisi causa esset valde intricata, vel nulla foret spes controversiæ finiendæ, aut grave malum inde timeretur, *arg. cit. l. 13.*

7. Q. VI. *Quid princeps possit in tractatu pacis?* R. 1. Si pax aliter obtineri nequit, princeps vi dominii alti potest quæpiam damna subditis suis illata remittere, vel eorum bona hosti cedere: nam hic bonum publicum præferendum est privato; æquitas tamen suadet, ut princeps, & alii cives concurrant ad reparationem damnorum, quæ unus, vel alter patitur pro bono pacis. At bona Ecclesiarum princeps laicus cedere nequit hosti sine legitimo consensu Papæ, & Episcoporum. 2. Si princeps inchoavit bellum injustum, tenetur in conscientia ex suis bonis reparare omnia damna, quæ subditi ratione talis belli patiuntur: nam in hoc casu est injustus damnificator. 3. Si tyrannus nollet aliter pacem, & liberationem civitati concedere, nisi ad certam mortem extradito sibi innocente, in probabili sententia Lessii, Lopez, wiggers, & aliorum, potest respublica talem innocentem extradere tyranno: tum quia talis innocens obligatur pro salute patriæ se offerre tyranno; tum quia in hoc casu respublica præcise ex intentione suæ salutis, & conservationis extradit innocentem, cujus mors est illi præter intentionem, & per accidens; tum denique quia valde credibile est, quod Deus reipubl. pro hoc casu dederit potestatem ad innocentem tradendum, non secus ac gerendi bellum cum certo mortis periculo, ergo. Opposita sententia forsan videtur probabilior; quia non licet cooperari peccato tyranni, sicut neque propter liberationem patriæ licet tyranno extradere fœminam, qua certo abusurus est, de quo *lib. 5. tit. 12. n. 9.*

TITULUS XXXV.

De Pactis,

De his agitur in Sexto *h. t.* In Decreto *22. qu. 4.* in Trid. *sess. 25. c. 16. de Regg.* in Pandectis *lib. 2. tit. 14.* in Codice *lib. 2. tit. 3.* Item in Pand. *lib. 50. tit. 12. de pollicitationib.*

Hic recolenda sunt quæ traduntur *tit. ff. de Pactis*, ex quibus utiliora solum seligam.

1. Nota 1. Pactum generalissime accipi pro conventione quacumque; strictissime vero pro conventione gratuita super re certa, hoc est, animo donandi. Hic in media significatione potissimum accipitur, & definitur, quod sit *duorum, pluriumve in idem placitum consensus*, puta ad aliquid faciendum, vel non faciendum, dandum, vel non dandum *l. 1. §. 2. ff. h. tit.* Differt a *pollicitatione*, seu nuda promissione; quia hæc constat unius tantum promittentis consensu absque ulla acceptatione; a *contractu stricte tali*; quia iste parit obligationem civilem, seu actionem efficacem; a transactione, tanquam genus a specie.

2. Nota 2. Pactum varie dividi: 1. in *publicum*, quod fit circa causas publicas: ut sunt fœdera, induciæ &c. & *privatum*, quod fit circa causas privatas. 2. in *expressum*, quod fit claris verbis, aut signis, & *tacitum*, quod fit aliquo facto indicante consensum pacticium. Sic creditor restituens vel lacerans chirographum debitoris, tacite paciscitur de non petendo debito *l. 2. ff. h. tit.* 3. in *reale*, quod fit super aliqua re, & *personale*, quod fit præcise in gratiam personæ. Sic pactum de debito nunquam repetendo, est *reale*; pactum vero de non repetendo a te solo, est *personale*, cum ab hæredibus tuis debitum peti possit. 4. In *promissorium*, quo promittitur aliquid dandum, vel faciendum; & *liberatorium*, quo quis liberatur ab obligatione prius contracta. 5. Pactum præcipue dividitur in *nudum*, seu *simplex*, & *vestitum*, seu *legitimum*, aut *civile*. *Nudum* est, quod in sola paciscentium conventione consistit; & quia stat in nudis finibus placiti absque ullo addito, quo adjuvetur, & quasi vestiatur, ideo etiam dicitur *nudum*; ut si Titius Cajo promittat decem, vel ædificationem, & Cajus hanc promissionem acceptet. *Vestitum* est, quod præter conventionem partium habet extrinsecum adminiculum juris, aut causam, ratione cujus parit obligationem efficacem: Nomine *causæ* intelligitur *res*, quam unus dat, vel *factum*, quod unus paciscentium præstat, ut alter obligetur vicissim aliquid dare, aut facere, super quo conventum est: v. g. do tibi equum, ut mihi negotium expedias Pragæ; vel expedis mihi negotium, ut ego vi pacti tradam tibi equum. Hoc pactum ideo vocatur *legitimum*; seu *civile*, quia lex, seu jus civile ei assistit, illudque confirmat *l. 6. ff. h. t.*

3. Nota 3. pacta vestiri quinque præcipuis modis, 1. *Specifico nomine contractus*; dum pactum transit in contractum nominatum, ut stipulationis, emptionis, conductionis &c. 2. *Interventu causæ*, hoc est traditione rei, seu præstatione facti, dum pactum ex una parte impletur, & plerumque transit in contractum innominatum. 3. *Connexione* cum contractu nominato, dum pactum in continenti adjicitur contractui; ut vendo tibi domum cum pacto, ut unam partem ejus incolere possim. Ita hi tres modi exprimuntur *l. 7. §. 1. 2. 5. ff. h. t.* 4. *Juramento*, si pacto addatur *l. 7. §. 2. ff. de operis libert.* nam jus utrumque juramento hanc vim tribuit, ut efficaciter obliget, & actionem pariat, idque ob reverentiam nominis divini: & ideo *c. 28. de jurej.* dicitur toties esse servandum, quoties sine dispendio animæ servari potest. 5. *Speciali auxilio, & assistentia legis*, dum lex speciale privilegium dat alicui pacto, ut ex illo oriatur actio civilis: cujusmodi pacta sunt quatuor præcipua: *pacta sponsalitia, promissio dotis acceptata, simplex donatio*, hoc est, promissio de donando, seu donatio non completa per traditionem; & *pactum constituti*, quo quis promittit solutionem debiti proprii, vel alieni alia die, & loco alio.

4. Q. I. *Qui pacisci possint?* R. Generaliter omnes, qui specialiter non prohibentur; cum pacisci sit de genere permissorum. Prohibentur autem *natura*, qui usu ratio-

rationis ad consensum necessario carent; ut infantes, amentes, furiosi extra lucida intervalla, ebrii theologice, surdi, & muti simul, si consensum signis externis exprimere non possint. *Canone* prohibentur Prælati super rebus Ecclesiæ alienandis sine solemnitatibus Canonicis, de quibus *lib.* 3. *tit.* 13. item Monachi, quia velle, & nolle proprium non habent *c. fin. de sepult. in* 6. nisi adesset consensus Superioris, vel pactum fieret pro monasterio, vel circa actionem personalem facile a Religioso implebilem; ut si promitteret orare pro altero. *Lege* prohibentur. 1. *Impuberes*, seu *pupilli*, & *minores* in præjudicium suum: nam licet pacisci possint, alios obligando, & sibi acquirendo, attamen sine auctoritate tutoris, & curatoris aliis obligari nequeunt. De qua re Legistæ pluribus agunt ad *tit. In. & ff. de auctor. tutor.* 2. *Prodigi* juridice, quibus a magistratu interdicta est administratio suorum bonorum *l.* 6. *ff. de V. S.* 3. Filiusf. circa bona profectitia, & adventitia sine consensu patris; cum illorum proprietas, & istorum ususfructus cum administratione ad patrem pertineat, *l. fin. C. de bonis, quæ liber:* at circa castrensia, vel quasi castrensia filius libere pacisci potest; cum respectu eorum habeatur pro patrefamilias *l.* 4. *ff. de castrensi pecul.* 4. *Servus in præjudicium domini:* tum quia servus, utpote civiliter mortuus, non est capax obligationis civilis, bene vero naturalis *l.* 14. *ff. de O. & A.* tum quia *melior conditio nostra per servos fieri potest, deterior fieri non potest l.* 133. *ff. de R. J.* 5. Regulariter alter pro altero pacisci nequit, nisi ad hoc mandatum habeat, vel subjectus sit ei, pro quo paciscitur: nam alteri per alterum non acquiritur §. 5. *Inst. per quas personas cuique acq.* ibi: *per extraneam personam nihil acquiri potest.*

5. Q. II. *An pollicitatio, hoc est, nuda promissio sine acceptatione sit obligatoria?* R. Negative: nam ad promissionem ut obligatoriam, requiritur mutuus consensus *l.* 1. §. 3. *ff. h. t.* sed sine acceptatione non est mutuus consensus, ut de se patet; ergo. Unde promissio non acceptata pro placito promittentis revocari potest, non tantum si interna, sed etiam si externa sit præsenti facta: neque sola taciturnitas habetur pro consensu, nisi aliud ex circumstantiis, & signis exterioribus colligatur. His non obstat *c.* 6. *de voto l.* 1. *pr. l.* 3. §. 1. *l.* 4. *ff. de pollicitat. c.* 17. *de jurej.* nam promissio Deo facta per votum, vel juramentum statim acceptatur a Deo; uti & promissio facta civitati, & reipublicæ ob certam causam, v. g. pro ædibus reficiendis &c. statim ab ipso jure supplente consensum civitatis acceptatur, atque ita vim pacti habet obligatorii de jure naturali.

6. Q. III. *An pactum nudum, seu promissio acceptata, producat obligationem naturalem in conscientia præstandi id, quod promissum est?* R. Affirmative: ita *c.* 1. & 3. *h. t.* ubi pacta quantumcumque nuda dicuntur servanda, & opere complenda, & *l.* 1. *pr. ff. h. t.* Ulp. ait: *Hujus edicti*, puta de pactis servandis, *æquitas naturalis est*; *quid enim tam congruum fidei humanæ, quam ea, quæ inter eos placuerunt, servare.* Ratio est, quia ad obligationem naturalem sufficit consensus liber, & serius de re licita præstitus, a jure non irritatus, ergo. Unde etiam Papa, & princeps, licet legibus suis soluti sint, tamen pactis obligantur de jure naturali, cui utique subjiciuntur. His non obstat *l.* 7. §. 14. & 16. 18. *ff. h. t. l.* 61. *eod. & cap.* 4. & *seqq. h. t. & l.* 5. *C. de postul. l.* 15. 19. *C. h. tit.* nam hæc, & similia loca procedunt de pactis a jure reprobatis, & irritatis.

7. Q. IV. *An pacta nuda producant obligationem civilem, & actionem in foro externo?* Affirmant de jure Canon. Abb. Lessius, Vall. Fagnan. *c.* 1. *h. t. a num.* 15. Baldus & alii. Negant Innoc. Gonzal. *c.* 1. *h. t. a n.* 8. Zoes, & multi alii, cum quibus. R. negative: ita de jure civili *l.* 7. §. 4. *ff. h. t.* ibi: *igitur nuda pactio obligationem non parit, sed parit exceptionem:* idem statuitur *l.* 45. *eod. & l.* 10. 21. 28. *C. eod.* jus autem Canonicum nullibi clare contrarium decernit, licet *c.* 1. & 3. *h. t.* dicat pacta esse servanda, sicut id ipsum dicit prætor *l.* 7. §. 7. *ff. eod.* ex quo non colligitur obligatio civilis, sed naturalis, ob quam jus Canon. ad impediendum peccatum concedit denunciationem evangelicam, vel implorationem officii nobilis, vi cujus judex Ecclesiasticus compellat partes ad pacta servanda. Ratio est, quia pacta nuda frequenter, & sæpe incaute fiunt; ergo ne tribunalia innumeris litibus prægraventur, merito jus denegavit actionem ex pactis nudis: quæ ratio etiam locum habet in foro Canonico, cum & sacr. Canones abhorreant multitudinem litium; & ideo ob læsionem infra dimidium non concedunt actionem *c.* 3. & 6. *de empt. & vend.* Ex his resolvuntur *c.* 1. & 3. *h. t.* ibi: *aut conventus:* nam reus *conveniri* dicitur sive per actionem strictam, sive per implorationem officii judicis, ut conscientiis consulatur *c.* 13. *de judic.* Nec obstant *c.* 1. *de judic. c.* 1. *de prob. cap.* 9. *de præb. Can.* 3. *quia* 12. *q.* 5. & *c.* 9. & 28. *de jurej. cum Can.* 12. *juramenti* 22. *q.* 5. nam in his locis sermo est de pactis legitimis. Hæc ita de jure scripto: at de hodiernis moribus, quibus formulæ stipulationum exoleverunt, omnis seria promissio, & pactum deliberatum vim habet stipulationis, & consequenter parit obligationem, & actionem civilem.

8. Q. V. *An pacta nuda habeant aliquos effectus in foro externo?* R. Affirmative: nam 1. pariunt *exceptionem* contra pacisentem *cit. l.* 7. §. 4. *ff. h. t.* Sic Cajo petenti centum creditos, quos ille promisit se non petiturum, opponere potes exceptionem pacti de non petendo. 2. Pariunt *compensationem*, quæ naturam exceptionis imitatur, ut si debeas Cajo centum ex mutuo, & ille tibi centum debeat ex pacto, unum debitum cum altero compensare potes, *l.* 6. *ff. de compensat.* ubi Ulp. ait: *etiam quod natura debetur, venit in compensationem.* 3. Impedit *debiti soluti repetitionem l.* 51. & 64. *ff. de condition. indeb.* ut si Cajo solvisti centum ex nudo pacto debitos, solutum repetere non potes. 4. Fidejussor accedens pacto, efficaciter obligatur *l.* 1. & *l.* 16. §. 3. *ff. de fidejussor. & mand.* ubi Ulp. ait: *fidejussor accipi potest, quoties est aliqua obligatio civilis, vel naturalis, cui applicetur.*

9. Q. VI. *Super qua materia, seu objecto pacta fieri possint?* R. Super omni re honesta, & possibili, & in commercio humano existente, cui jus specialiter non resistit. Item super omni facto proprio, possibili, & honesto; non tamen super facto alieno, quod non est in arbitrio promittentis, nisi præcise promittatur cura, & industria procurandi, ut alter agat. Ex his patet non valere pactum de trahendo libro magico, hæretico, vel rebus sacris ad usum malum, vel de dando foro, platea, & aliis rebus in commercio humano non existentibus. Item inutile est pactum de rebus incertis, & genericis; ut substantiæ, corporis, viventis animalis, cum tali pacto satisfieri possit dando muscam, vel culicem. At de genere infimo determinato (logicis dicitur species) pactum fieri potest, ut de dando bove, equo &c.

10. Q. VII. *Quæ pacta reprobentur a jure Canonico?* R. seqq. 1. Pactum, quo beneficium Ecclesiasticum pecunia resignatur, v. g. ut expensæ solvantur. 2. Pactum de succedendo post mortem Prælati in ejus Ecclesia. 3. Pactum dandi majorem pensionem pro consequutione Ecclesiæ. 4. Pactum præjudiciosum Ecclesiæ parochiali, ne decimæ, vel sepulturæ ad eam pertineant. 5. Pactum quodcumque circa spiritualia, simoniam, vel aliam turpitudinem redolens. Ita *c.* 4. 5. 6. 7. & *fin. h. t.* Huc pariter referuntur omnia pacta, quæ peccatum continent, vel ad illud provocant; ut pactum de fornicando, de remittendo crimine futuro; secus est de remissione delicti præteriti &c. E contra valent pacta, quæ Superiores regulares locales de consensu capituli localis ineunt cum rectoribus Ecclesiarum, v. g. ut certi parochiani non recipiantur ad sepulturam Ecclesiæ regularis, & alia hujusmodi; modo de se sint licita, & honesta *c.* 1. & *fin. h. t. in* 6. & quia talia pacta valent, etsi nullus adfuerit consensus Provincialis, aut Generalis. Verum Prælatos locales oportet esse cautos, ne quid simile attentent sine consensu majorum Superiorum.

11. Q. VIII. *Quæ pacta reprobentur a jure civili?* R. seqq. 1. Pactum advocati cum cliente super quota litis *l.* 53. *ff. h. t. l.* 5. *C. de postulando*, quia invitat advocatum ad delinquendum, & fallaciter in judicio agendum. 2. Pactum medici cum ægroto super aliqua re *l.* 3. *ff. de extraord. cognit.* quia hoc sapit quamdam extorsionem. 3. Pactum super hæreditate viventis: & quidem non valet pactum initum cum testatore

de succedendo illi; cum ei auferat libertatem testandi jure publico concessam *l. 61. ff. de V. O.* & *l. 15.* & *fin. C. h. t.* neque valet pactum inter duos de successione, seu hæreditate tertii inter se dividenda *cit. l. fin. C. h. t.* quia continet votum captandæ mortis, nisi vivens testator consentiat, *ibid.* Denique non valet pactum de non succedendo, seu renuntiatio hæreditatis *l. fin. ff. de suis & legit. l. 3. C. de codicill.* ubi non obstante renuntiatione, filia ab intestato patri succedit: nam tale pactum renuntiatorium retrahit liberos ab obsequio paterno, ad quod plurimum spes successionis allicit. Hæc ita de jure scripto. At de moribus, præsertim Germaniæ, ubi ex actis hæreditariis tristes eventus non timentur, communiter approbantur pacta super successionibus, & renuntiationibus hæreditatum, maxime inter personas illustres. Gail. Zoes, & alii, ut praxis probat.

12. Q. IX. *An pacta a jure civili reprobata, & irrita convalidentur apposito juramento?* ℞. Affirmative, dummodo talia pacta non sint contra bonos mores naturales, nec contra bonum publicum, aut jus tertii. Ita *cap. 28. cum contingat de jurej.* ubi præcipiuntur servari, *juramenta sine vi, & dolo sponte præstita, quæ in alterius præjudicium non redundant, nec observata vergunt in dispendium salutis æternæ.* Hinc valent pacta jurata super alienatione rerum dotalium, *ibid.* super renuntiatione hæreditatis, *c. 2. h. t. in 6,* &c. & ita in utroque foro judicandum esse decernit Bonifac. VIII. *c. 2. de jurej. in 6.* Plura de his in *lib. 2. tit. de jurej.* Cetera de substantialibus, naturalibus, & accidentalibus pactorum, referuntur ad materiam contractuum lib. III.

TITULUS XXXVI.

De Transactionibus.

Agitur de hac materia in *Canon. fin. 5. q. 1. inff.* & *C. h. t.*

1 *Nota*, transactionem esse præcipuam speciem pactorum, eamque accipi, vel *late* pro quacumque compositione negotii, etiam non litigiosi, vel *stricte* conformiter huic titulo; & sic definitur, quod sit *de re dubia, & lite incerta pactio non gratuita*, cum utrinque onus importet *aliquo dato*, vel *promisso*, *retento*, vel *remisso*, *cap. 7. h. t. l. 1. ff.* & *l. 38. C. eod.* Et quamvis transactio ex parte materiæ sit *distractus*, utpote litem dubiam dirimens; quia tamen importat conventionem ultro, citroque obligatoriam, merito dicitur *contractus*; & quidem *innominatus*, qui hoc modo explicatur: *abstineo a lite, ut des tantum*, vel *tantum do, ut a lite abstineas;* idque speciale habet, quod, ea facta, pœnitere non liceat, *l. 16. C. h. t.* Est autem transactio, vel *realis*, qua gravatur res, vel personalis, qua gravatur persona; illa, non ista transit ad successorem rei.

2. Q. I. *Qui transigere possint?* ℞. Omnes, & soli, qui rerum suarum, vel alienarum liberam potestatem administrandi, & alienandi habent, cum transactio sit species alienationis *l. 1. §. 6. ff. si quid in fraud. patr.* Prohibentur autem transigere *de jure naturali* usu rationis carentes, ut infantes &c. *de jur. Canon.* Religiosi sine consensu Superioris, & prælati super rebus Ecclesiæ absque solemnitatibus Canonicis *c. 3. 8. h. t. de jur. civil.* pupillus, & minor in suum damnum, tutores, & curatores super immobilibus, vel mobilibus pretiosis, syndici, administratores civitatis, & procuratores sine speciali mandato, vasallus super re feudali, pater super bonis adventitiis filii emancipati, hæres gravatus super fideicommisso, & quidam alii, de quibus Civilistæ ad *tit. ff. de transaction.*

2. Q. II. *Quæ sit materia transactionis?* ℞. Omnis res dubia, & litigiosa, super qua lis mota est, vel moveri potest. In specie transactio de jure Can. non permittitur. 1. *De re spirituali*, aut *huic annexa*, cum interventu temporali pro spirituali; ut super jure decimarum, beneficii Ecclesiastici, super jure patronatus, super spirituali subjectione *c. 2. 3. 7. 9. 10. h. t.* nam transactio, dato temporali pro spirituali, est simoniaca. Super his tamen licita est gratuita, & amicabilis compositio, nullo temporali interveniente *c. 7. h. t.* exceptis beneficiis Ecclesiasticis, in quibus prohibetur omnis pactio onerosa absque auctoritate legitimi Superioris *c. 4. 5. 6. h. t.* tum ne detur vitiosus ingressus in beneficia, tum ut omnis species simoniæ evitetur. 2. Transigi nequit super matrimonio dissolvendo *c. fin. h. t.* quæ dispositio non extenditur ad sponsalia, utpote ex natura sua solubilia. De jure civili prohibetur transactio 1. Super *alimentis futuris* sine auctoritate judicis, ne is, qui alendus est, necessariis ad vitam careat *l. 6. ff. h. t. l. 8. C. eod.* ubi permittitur transactio super alimentis præteritis, cum pro his dicta ratio non militet. 2. Super crimine publico, saltem non capitali, uti etiam super adulterio *l. 18. C. h. t.* ne talia crimina perniciosa maneant impunita. At super crimine privato, & publico capitali, uti & super crimine falsi permittitur transigere *cit. l. 18. C. h. t.* & *l. 1. ff. de bonis eor. qui ante sent.* ibi: *Principes ignoscendum censuerunt ei, qui sanguinem suum qualiter redemptum voluit.* 3. Super relictis testamento, vel codicillo, nisi cognita sint verba testamenti, aut codicilli *l. 6. ff. h. t.* 4. Super hæreditate viventis *l. 4. C. de postliminio revers.* Denique transigi nequit de re certa, & de re judicata, *l. 1. ff. h. t.* & *l. 23. ff. de condict. indeb.*

4. Q. III. *Quæ sit forma transactionis?* ℞. Forma substantialis in eo consistit, ut transactio fiat non gratis, sed *aliquo dato, vel retento, promisso, vel remisso c. 7. h. t. l. 38. C. eod.* ubi rescribitur: *transactio nullo dato, vel retento, seu promisso, minime procedit.* Accidentalis autem forma consistit in eo, quod transactio fiat pure, vel sub conditione, extra, vel intra judicium ante sententiam latam; imo etiam post hanc latam in certis casibus admittitur transactio; ut si ab ea appellatum est, vel si contra eam, aut rem judicatam princeps admittat supplicationem, vel restitutionem in integrum *l. 32. C. h. t.* Ceterum judex regulariter non potest partes cogere ad transactionem, nisi res sit nimis intricata, & periculum armorum, & rixarum immineat.

5. Q. IV. *Qui sint effectus transactionis?* ℞. Seqq. præcipui. 1. *Terminatio causæ controversæ*; ita ut transactio vim habeat rei judicatæ, neque revocari, aut rescindi possit, parte altera invita, *l. 5. C. h. tit.* 2. *Peremptio probationum in contrarium*; ita ut neque instrumenta deinde reperta quidquam prosint contra transactionem *cap. 1. h. t.* 3. Si transactio firmata sit rei traditione, aut stipulatione, parit actionem civilem; secus exceptionem litis finitæ *l. 17. C. h. t.* 4. Transactio generalis extenditur ad omnia sub genere contenta; specialis vero tantum ad expressa, & his accessoria, seu necessario connexa, modo nihil dolo tractatum sit *lib. 35. ff. de pactis* & *lib. 27. §. 4. C. de pactis.*

6. Q. V. *Ex quibus causis transactio rescindi possit?* ℞. Ex seqq. 1. Ex causa doli, vel metus injusti, quo transactio extorta est *l. 3. 19. 42. C. h. t.* nam actione, vel exceptione doli, aut metus submoveri potest omnis pactio. 2. Ex causa falsi instrumenti, etiam bona fide producti *cit. l. 42.* quia defuit consensus in rem dubiam transigendam, cum falsitas non reddat causam dubiam 3. Ex causa erroris substantialis *l. 15. ff. de jurisd.* 4. Ex causa gravis læsionis illatæ pupillo; vel alteri personæ gaudenti beneficio in integrum restitutionis *tit. C. si adversus transact.*

7. Q. VI. *An rescindi possit transactio utrinque bona fide inita, si per illam major læsus est ultra dimidium?* Negat Gloss. in *c. 6. de empt.* Bald. Menoch. Gail, Schmalz. & alii, quorum sententia usu, & praxi tribunalium firmata est. Affirmant Bartol. Abbas, Fach. Engl, Pirhing, Reiff. cum quibus ℞. affirmative. Prob. ex *l. 5. si superstite. C. de dolo malo*, ubi filiæ emancipatæ, quæ per transactionem bona fide cum patre initam immodice læsa est, conceditur actio in factum contra patrem: puta ut vel læsio reparetur, vel transactio rescindatur: tum quia dolus ex proposito, & dolus facti, seu re ipsa interveniens, æquiparantur in jure in ordine ad reparandam læsionem *l. 36. ff. de V. O.* ibi: *idem est, etsi nullus dolus intercesserit stipulantis, sed ipsa res in se dolum habeat;* atqui in læsione ultra dimidium dolus re ipsa adesse præsumitur *l. 17. §. 1. ff. quæ in fraud. creditor.* ergo. Ratio est, quia in venditione conceditur rescissio ob læsionem ultra dimidium *l. 2. rem C. de rescind.*

rescind. vend. quia hoc *humanum est*, ne alter ex alterius jactura locupletetur; quæ ratio etiam militat pro nostro casu, ergo. His non obstat *l.* 78. §. *fin. ff. ad SC. Trebell.* a sens. contr. *l.* 19. 20. & 29. *C. h. t. l.* 65. §. 1. *ff. de condict. indebit.* nam jura ista intelligenda sunt pro casu, quo nullus dolus, vel error, etiam re ipsa commissus est in transactione; vel si quis scienter ob bonum pacis transigat, etsi lædatur; cum volenti non fiat injuria. Hæc ita in theoria: quia vero in praxi difficile est probare læsionem, cum ista non desumatur absolute ex re, sed per comparationem ad incertum eventum litis, & victoriæ; ideo transactio ob læsionem majoris rarissime rescindi poterit.

TITULUS XXXVII.

De Postulando.

Agitur de hac materia in Decreto *Canon.* 2. *infames.* 3. *q.* 7. & *Canon.* 7. 8. *de pœnit. d.* 1. In Pandectis *lib.* 3. *tit.* 1. In Codice *lib.* 2. *tit.* 6. 7. 8. 9. 10. 11.

1. *Nota* 1. Postulationem in præsenti accipi pro advocatione, seu officio advocati, qui aliter vocatur *orator*, *causidicus*, seu *patronus causæ*: & definitur, quod sit persona legitima pro altero præsente in judicio assistens, ejusque causam legitime secundum jura defendens. Differt a procuratore: quia advocatus est persona jurium perita, fungitur munere publico, & honorabili, pro præsente postulat; & si causam male agat colludendo cum adversario, tenetur de prævaricatione *l.* 1. *C. de advocat. diversf. judicior.* e contra procurator est persona non necessario jurium perita, sed solum diligens, & industria, fungitur de se munere privato, & vili, pro absente agit, & si causam male procuret, tenetur actione mandati *l.* 8. *ff. mandati.*

2. *Nota* 2. Advocatos esse varios 1. Sunt *publici*, qui in causis fisci, & aliis publicis operam præstant *tit. C. de ad. fisc. privati*, qui in causis privatorum patrocinantur. 2. *Ordinarii*, seu *jurati*, aut *immatriculati*, qui juramento præstito, publica magistratus auctoritate ad officium postulandi deputantur, & albo advocatorum inseruntur, *Extraordinarii*, qui stabiliter auctoritate magistratus non sunt deputati, sed quasi extra ordinem munus advocandi exercent. 3. *Voluntarii*, qui a partibus rogati sponte agunt; & *necessarii*, qui etiam inviti coguntur a judice patrocinium causæ suscipere; ut si judex egeno det advocatum, *c.* 1. *de off. judic.*

3. Q. I. *Qui possint advocare*? ℞. Generaliter omnes, qui nominatim non prohibentur: nam edictum de postulando in Pandectis *h. t.* propositum, est prohibitorium in materia generaliter permissa, ergo. Prohibentur autem edicto prætoris in primo ordine minores 17. annis, & surdi, qui pro nullo postulare possunt, *l.* 1. §. 3. *ff. h. t.* In secundo ordine fœminæ, cœci, & turpitudine notati, qui pro aliis postulare nequeunt, *ibid.* §. 5. & *seqq.* In tertio ordine infames, & de publico crimine; ut repetundarum, vis, ambitus, & simili convicti; qui tantum pro certis personis postulare valent; ut pro parente, patrono, & conjunctis, *ibid.* §. 8. *usq. ad fin.* Præterea repelluntur *servi*, quia juris civilis communionem non habent, *l.* 32. *ff. de R. J. hæretici*, & *infideles*, *l.* 15. *C. de Episcop. aud. l. fin. C. h. t. jurium imperiti l.* 2. *C. h. t. judex*, & *arbiter* in eadem causa, quam judicant, *l.* 6. *pr. C. h. t. fiscus*, vel *respublica*, vel *potentiores* contra privatum, *tit. C. ne liceat potentior.* & *tit. ne fiscus*, *vel respubl.* 2. Per sententiam judicis a postulando removeri possunt, qui pacti sunt super quota litis, vel a judice jussi noluerunt advocare *l.* 5. 7. *C. h. t.* vel qui colluserunt cum adversario *arg. l.* 1. & 5. *ff. de prævaricat.*

4. Q. II. *Qui jure Canon. prohibeantur postulare*? ℞. 1. Excommunicati, *c.* 8. *de sent. excom. in* 6. 2. Monachi sine consensu Prælati *c.* 2. *h. t.* & *Canon.* 35. *Monachi* 10. *q.* 1. ubi limitatio ponitur, nisi utilitas monasterii talem advocationem exposceret; exceptis tamen Mendicantibus, qui pro nulla utilitate sui monasterii advocare possunt, etiam de licentia Prælati *Clem.* 1. *de V. S.* 3. Clerici seculares omnes in causa sanguinis, vel mutilationis ob periculum irregularitatis, *c.* 9. *ne Cler. vel Monach.* licet pro reo advocare non videatur esse prohibitum. Item contra propriam Ecclesiam, vel proprium Episcopum *c. fin. h. t.* nisi quis postularet in causa propria, vel pro persona miserabili. 4. Sacerdotes postulare possunt pro se ipsis, personis conjunctis, aut miserabilibus, & pro causa suæ Ecclesiæ *cap.* 1. & *fin. hoc tit.* Diaconi, & Subdiaconi insuper possunt postulare in quibuscumque causis etiam civilibus coram judice Ecclesiastico; minoristæ autem coram judice etiam seculari in quibuscumque causis, præter causam sanguinis, & mutilationis, *cit. cap.* 1. *hoc tit. a sens. contr.* ubi minoristis prohibetur advocatio coram judice seculari tantum in eo casu, quo stipendiis Ecclesiasticis sustentantur.

5. Q. III. *Quod sit officium*, *& obligatio advocati*? ℞. 1. Est discernere causam, ne falsam, & injustam suscipiat, sed vere probabilem, ne cliens damnificetur, & pars altera molestetur. Non oberit autem, si causa oppositæ partis ab initio appareat probabilior; tum quia cliens intentare potest causam vere probabilem, non obstante majori probabilitate alterius; tum quia in decursu judicii sæpe multa evadunt probabiliora, quæ ab initio minus probabilia videbantur, Gutier. Haunol. contra Sotum. 2. In agendo advocatus solerter indagare debet merita causæ, servare modestiam, veritatem sine fallaciis, fidelitatem, & constantiam, ne causam susceptam deserat, nisi evaderet improbabilis. Unde vitabit superfluas allegationes, frivolas, & frustratorias dilationes, & exceptiones; & multo magis collusiones cum adversario. 3. Suo salario contentus erit: & ideo nec paciscetur super quota litis, nec super palmario, seu certo pretio in casum victoriæ solvendo, *lib.* 5. *C. hoc tit.* cum etiam pactum de palmario invitet advocatum ad fallaciter procedendum in causa, propter victoriam obtinendam. Evicta autem causa, nihil prohibet aliquid accipere palmarii nomine. 4. Durante lite, non licet advocato contrahere cum cliente, ut emendo, conducendo *l.* 6. *C. hoc tit.* ne cliens videatur cogi ad contrahendum. 5. Denique non licet ei alienas lites modico pretio emere; alioquin non aget, nisi ad quantitatem datæ pecuniæ *l.* 22. *C. mandati*, & *cap. fin. de alienat. jud.* ne hoc modo detur occasio suscitandi lites innumeras.

6. Q. IV. *An*, *& quando advocatus obligetur ad restitutionem*? ℞. 1. Si causam injustam scienter suscepit; tunc enim tenetur compensare damna parti læsæ illata, S. D. 2. 2. *q.* 71. *ar.* 3. *in corp.* 2. Si post diligentem considerationem sincere non aperuit clienti, quanta sit probabilitas causæ, & spes victoriæ: alioquin si falsa promissione, & inani spe illum lactavit, tenetur clienti ad refusionem sumptuum; quia injuste illum damnificavit, Laym. & alii com. Vide S. D. 2. 2. *cit. q.* 71. *per tot.* Ceterum advocatus, qui paratus est semper suscipere causam, sive justa, sive injusta sit, non debet, nec potest a confessario absolvi; quia hæc prava voluntas, cum sit continuatum peccatum, impedit debitam dispositionem ad valorem absolutionis requisitam.

7. Q. V. *Quæ sint privilegia advocatorum*? ℞. Personalia sunt. 1. *Nobilitas* competens advocatis in dicasterio supremo principis *l.* 7. *C. h. t.* 2. Immunitas a pœnis ignominiosis, ut fustigatione, suspendio, *l.* 16. 18. ~~& *fin.*~~ *ff. de pœn.* 3. Immunitas a tortura, & carcere communi *l.* 8. *C. de qq.* 4. usus vehiculi in loco, ubi princeps residet, *arg. l. un. C. de honorar. vehicul.* 5. Communicatio in privilegiis militum *arg. l.* 14. *C. h. t.* exceptis iis, quæ ob ignorantiam militibus concessa sunt. *Realia* sunt: 1. Immunitas ab oneribus, & muneribus realibus, ac personalibus, *l.* 6. *C. de profess. & med.* 2. Exemptio ab onere hospitandi, *ibid.* 3. Beneficium competentiæ, ne ultra honestam sustentationem solvere cogantur, *l.* 6. *&* 18. *ff. de re jud.* 4. Prælatio filiorum ad officium advocati *l.* 5. §. 5. *C. de advocationib. diversf. judicum.* Sed hæc privilegia hodie multum attrita sunt.

TITULUS XXXVIII.

De Procuratoribus.

Agitur de hac materia in Sexto, & Clem. *h. t.* In Decreto *diſt.* 89. *&* 5. *q.* 3. *& c.* 1. *infamis* 3. *q.* 7. *& Can.* 3. *cum* 9. *q.* 3. In Inſtitutionib., Pandect. & Codice *tit. de procuratoribus*, *& tit. mandati*.

1. Nota 1. Procuratorem, quaſi *pro alio curatorem*, eſſe illum, qui aliena negotia mandato domini adminiſtrat *lib.* 1. *ff. hoc tit.* Differt a negotiorum geſtore, quia iſte ſine mandato aliena negotia gerit: a *tutore*, *& curatore*, quia iſti ex teſtamento, lege, aut a judice deputantur ad res pupilli, aut minoris adminiſtrandas.

2. Nota 2. Procuratorem varie dividi: nam 1. Eſt *verus*, qui legitimum domini mandatum habet; & *falſus*, qui vel nullum mandatum habet, vel inſufficiens, aut jam revocatum *l.* 24. *C. h. t.* 2. *Judicialis*, ſeu *ad lites*, qui ad judicium; & *extrajudicialis*, ſeu *ad negotia*, qui ad negotia extra judicium agenda conſtituitur. 3. *Principalis*, qui immediate a domino, & *ſubſtitutus*, qui a procuratore principali conſtituitur. 4. *In rem alienam*, qui negotium agit in utilitatem domini; & *in rem ſuam*, qui negotium ſibi a domino ceſſum in utilitatem ſuam agit quo caſu actio directa, v. g. mutui exercetur nomine domini cedentis; actio vero utilis nomine procuratoris ceſſionarii. 5. *Specialis*, qui ad certum negotium; & *generalis*, qui ad omnia negotia deputatur: & hic vel eſt *generalis cum libera*, hoc eſt, cum plena poteſtate adminiſtrandi omnia, quæ domini ſunt; & ideo dici ſolet *plenipotentiarius*: vel *generalis ſimpliciter* ſine tali clauſula, qui tantum poteſt ea, quæ ſibi commiſſa ſunt in mandato.

3. Q. I. *Qui poſſint conſtituere procuratorem*? ℞. 1. Generatim omnes, qui ſpeciatim non prohibentur; cum edictum circa procurationes ſit prohibitorium in materia generaliter permiſſa, *l.* 33. & 43. *ff. h. t.* Et quidem procuratorem ad negotia conſtituere poteſt quilibet, qui rerum ſuarum, vel alienarum adminiſtrationem habet, ut dominus, tutor, filiusf. quoad caſtrentia, & ſervus quoad bona peculiaria *cit. l.* 33. *pr.*

4. ℞. 2. Conſtituere procuratorem ad lites poſſunt tantum illi, qui ſunt domini litis, & per ſe ipſos agere poſſunt; ut *domini majorennes*, *Prælatus* in cauſa non ardua; ſi vero ardua ſit requiritur conſenſus capituli *arg. c.* 6. *de juram. calum. Univerſitas*, tamquam domina, & perſona ficta *c.* 7. *h. t.* Si vero in communitate aliqui ſint excommunicati, vel alias inhabiles, horum auctoritate non debet procurator conſtitui; multo minus in mandato eorum nomina exprimi, ſed ſolorum habilium, *cap. fin. h. t.* Denique procurator, cum citius non fiat dominus litis, niſi lite jam conteſtata, tunc, & non ante conſtituere poteſt ſubſtitutum; niſi hoc ipſum ſit ei prohibitum vel expreſſe, vel tacite ob gravitatem negotii, pro quo electa eſt induſtria perſonæ *c.* 1. *h. t. in* 6. *& c. fin. eod.* Ad negotia autem extrajudicialia procurator regulariter poteſt ſibi alium ſubſtituere *cit. cap.* 1. §. *procurator.* cum plerumque in his negotiis non vertatur tantum præjudicium, quantum in judiciis.

5. ℞. 3. Procuratorem ad lites dare prohibentur, 1. *Servus*, niſi de ſtatu ſuo litiget *l.* 33. §. 1. *ff. h. t.* 2. *Filiusfam.* exceptis illis cauſis, in quibus ipſemet agere poteſt; ut circa caſtrenſe peculium, circa injuriam ſibi illatam, *l.* 8. *ff. h. t.* 3. *Minor* ſine auctorit. curatoris, exceptis cauſis ſpiritualibus, in quibus habetur pro majorenni, & pupillus ſine auctoritate tutoris *c. fi. de jud. in* 6. 4. *Tutor*, *curator*, *ſyndicus* ante litem conteſtatam, cum citius non fiant domini litis, licet actorem conſtituere poſſint *ante litis* conteſtationem *l.* 11. *C. h. t.* 5. *Captus ab hoſtibus*, cui actorem, non vero procuratorem conſtituere conceditur *l.* 15. *ff. ea quib. cauſ. major.* quia captus non eſt ſui juris. 6. *Excommunicatus*, cui non ad agendum, ſed præciſe ad defendendum conceditur procurator *c. fin. h. t.* 7. *Religioſus Clem.* 3. *h. t.* niſi pro ſe agat, v. g. contra Prælatum.

6. Q. II. *An dominus in caſu impedimenti compelli poſſit ad conſtituendum procuratorem*? ℞. Affirmative, ſi impedimentum eſt perpetuum, vel diu duraturum; ne jus alterius pereat, aut lædatur: at ſi eſt temporale, & brevi ceſſaturum, nemo regulariter cogi poteſt ad conſtituendum procuratorem; niſi aliud habeat conſuetudo; ſicut in Camera imperiali, ubi omnia aguntur per procuratores.

7. Q. III. *Qui conſtitui poſſint Procuratores*? ℞. 1. Generatim omnes, qui ſpecialiter non prohibentur, cum hoc ſit de genere permiſſorum. ℞. 2. Præter infantes, & uſu rationis carentes, nec ad lites, nec ad negotia procuratores fieri poſſunt *milites l.* 9. *C. h. t.* ne a caſtris avocentur; niſi agant in rem ſuam vel nomine cohortis ſuæ: item minores 17. annis *c.* 5. *h. t. in* 6. ℞. 3. Procuratores ad lites conſtitui nequeunt. 1. *Servi lib.* 33. *pr. ff. h. t.* 2. *Banniti*, & rei criminis capitalis, donec ſuam innocentiam probent *l.* 6. *C. h. t.* 3. Redimentes alienam litem, vel ſuper quota litis paciſcentes *arg. l.* 5. *C. de poſtul.* 4. *Potentiores tit. C. ne lic. potent.* quia præſumuntur ſua potentia velle opprimere adverſarium, 5. *Excommunicati* cum non habeant perſonam ſtandi in judicio *c.* 8. *de probat.* 6. *Religioſi*, niſi de conſenſu Prælati in cauſa monaſterii *Clem.* 3. *h. t.* 7. *Clerici* in caſibus, quibus eis non permittitur advocatio. 8. *Fœminæ l.* 54. *ff. & l.* 4. *C. h. t.* quia officium procuratoris virile eſt, & a pudore fœminei ſexus alienum *l.* 18. *C. eod.* Excipe, niſi fœmina agat in rem ſuam, vel pro parentibus inhabilibus, vel pro defenſione libertatis, vel pro filiis, quorum tutrix eſt, vel pro juribus monaſterii, ſi Abbatiſſa eſt, *l.* 41. *ff. h. t. l.* 3. §. 2. *ff. de liberal. cauſ. c.* 67. *de appell. c.* 4. §. *quia vero de confir. util.* ibi: *eamdem Abbatiſſam procuratorem ipſius duximus ſtatuendam.* 9. *Infames* infamia juris, aut facti de jure Canon. *Can.* 1. *infamis perſona nec procurator eſſe poteſt*, *nec cognitor*: quæ diſpoſitio præſertim de hodiernis moribus, recipitur etiam in foro civili, cum §. *fin. Inſt. de excep.* loquatur ſolum de infamia dubia. 10. *Minor* 25. *annis* de jure Can. *c.* 5. *in fin. h. t. in* 6. ibi: *ad judicia tamen niſi major.* 25. *annorum fuerit*, *deputari nequibit.* At de jure civili ſufficere 17. annos docent Perez, Zoes, Kees, & alii. Sed probabilius certa diſpoſitio juris Canon. ſervanda eſt etiam in foro civili, ut volunt VVeſemb. Schmier cum citt. nam juxta *l.* 51. *ff. h. t. Minor* 25. *annis defenſor idoneus non eſt*, ne ſcilicet redeatur judicium eluſorium, minore reſtituto: ſed etiam ſi minor eſſet procurator, judicium reddi poſſet eluſorium, ſaltem in caſu, quo principalis lapſus facultatibus non eſſet ſolvendo: tum quia minores non habent legitimam perſonam ſtandi in judicio *l.* 2. 3. *C. qui leg. perſon.* & ideo filiusf. minor repelli debuiſſet a procuratoris officio, niſi patrem abſentem defendiſſet ex pietate, & commiſeratione *l.* 12. *C. h. t.* ergo. Nec obſtat §. 5. *In quibus ex cauſis*; nam favore libertatis conceditur, ut ſervus minor manumiſſus ad officium procuratoris admittatur.

8. Q. IV. *An filiusf.*? *an abſens*? *an duplex procurator conſtitui poſſit*? ℞. *Ad* 1. Affirmative, ex *c.* 14. *h. t. l.* 8. *ff. eod.* quia filiusf. ex omni contractu obligari poteſt. *l.* 39. *ff. de O. & A.* ſi quid tamen nocumenti pater exinde ſentire deberet, neceſſarius eſſet ejus conſenſus. *Ad* 2. Affirmative, modo abſens ratum habeat mandatum *l.* 1. §. *fin. ff. h. t.* imo ſi primum renuit, mutata voluntate recipere poteſt mandatum *c.* 7. *h. t.* niſi in caſum voluntatis alius a domino fuiſſet deputatus. *Ad* 3. Affirmative *c.* 6. *h. t. in* 6. *l.* 32. *ff. h. t.* & quidem ſi plures conſtituantur ſinguli in ſolidum, locus eſt præventioni; ſi communiter, ſeu univerſi in ſolidum, alter ſine altero non aget, niſi judex ob celerem expeditionem unum ex iis eligat, *cit. c.* 6. §. *ſane h. t. in* 6. Si plures diverſis temporibus conſtituti ſunt, regulariter poſterior præfertur priori, niſi aliud ex mandato procuratorio colligatur, *l.* 31. §. *fin. ff. h. t.*

9. Q. V. *Qua forma*, *& modo conſtituatur Procurator*? ℞. Mandato procuratorio legitime confecto ſecundum ſtylum cujuſque curiæ; ita ut contineat nomen conſtituentis, conſtituti, adverſarii, cauſæ, judicis, & neceſſarias clauſulas juramenti de calumnia, cautionis de rato, & indemnitate &c. diem, & annum cum aliis conſuetis ſolemnitatibus. 2. Hoc mandatum per inſtrumentum, vel ſaltem per teſtes probatum, ita eſt neceſſarium procuratori, ut ſine eo non admittatur ad agendum: & acta judicii ſint ipſo jure nulla *arg. cap.* 4. *v. nos vero hoc tit.* quia procurator

sine mandato reputatur persona extranea, cui nulla est actio contra reum. Suppletur autem hoc mandatum, si quis agat domino præsente, & non contradicente, *l.* 18. *ff. mandati*, vel pro personis conjunctis *l.* 35. *ff. h. t.* vel pro uxore *c.* 12. *h. t.* & *l.* 21. *C. eod.* vel pro consorte ejusdem litis *l.* 2. *C. de consort. ejusd. lit.* vel pro juribus Ecclesiæ, si prælatus dilapidet bona, & negligat jura illius, *c.* 1. *de rest. spol.* & *c.* 6. *de reb. Eccl. alien.* Denique si defensor est rei absentis; tunc enim admittitur sine mandato; modo satisdet de judicato solvendo, vel de rato in casu, quo reus convenitur actione reali, *l.* 40. 64. 76. *ff.* & *l.* 12. *C. h. t.* nam ratio naturalis suadet, & publice interest absentes, etiam ignorantes per quemcumque idoneum defendi, ne ignari damnum patiantur, *l.* 33. *ff. de neg. gest.*

10. Q. VI. *In quibus negotiis, & causis constitui possit procurator*? ℟. Generatim in omnibus; quæ specialiter non excipiuntur; cum materia ista sit de genere permissorum; ergo concessum intelligitur, quod nominatim non prohibetur. Unde procurator dari potest in causis pecuniariis, liberalibus, temporalibus, spiritualibus, matrimonialibus, in litibus etiam futuris, in prima, & secunda instantia, ut passim hæc afferuntur *h. t.* in utroque jure. 2. In causis famosis, ubi infamia per se, & principaliter infligitur reo, admitti potest procurator; cum id nullo jure vetetur: uti etiam in causis criminalibus aliis, in quibus civiliter agitur ad pœnam pecuniariam, aut similem; cum exequutio non fiat in persona, sed in bonis, *c.* 5. *h. t. l.* 42. *ff. eod.* 3. In causa criminali criminaliter intentata, seu ad vindictam publicam; si imponenda est pœna relegationis, vel minor, admittitur procurator pro reo, non vero regulariter, si imponenda est pœna capitalis, vel major relegatione. Ita *l.* 1. *ff. an per alium causæ app. l.* 13. *ff. de publ. judic.* & *c.* 15. *de accusat. Ratio primi*, quia si reus fugiat, sententia non redditur elusoria; cum ipsa fuga exequi possit pœnam relegationis. *Ratio secundi* e contrario; quia in casu, quo reus fugeret, sententia capitalis, vel relegatione major, nullum haberet effectum: non quidem in procuratore utpote innocente, non in reo, utpote profugo, ergo. 4. Si reus personaliter comparere non potest in judicio, probabile est admitti posse procuratorem in causa capitali, non tantum ad allegandam causam absentiæ, & opponendas exceptiones dilatorias contra adversarium, judicem, & testes, sed etiam ad probandam, & defendendam ipsam innocentiam rei. Ita Fachin. Pirhing, Schmal. Zoes. *h. t. num.* 4. contra Gloss. *c.* 15. *de accus. v. criminali*. Prob. ex *l.* 3. *C. de accus.* ubi indistincte Alex. Imp. rescribit: *Reos capitalium criminum absentes etiam per procuratorem defendi, legibus publicorum judiciorum permittitur*. Idem docet JCtus *l.* 33. §. 2. *ff. h. t.* nam causa capitalis digna est commiseratione; ergo sicut in illa admittitur transactio *l.* 18. *C. de transact.* ita quoque admittendus est procurator ad defendendum. Ceterum, si procurator succumbat, etiam absentes condemnantur, & exequutio fit, quatenus potest etiam in pictura. *Clar.* 5. *sent.* §. *fin. q.* 45. Zoes, & alii. Quia vero hodie inscriptio in pœnam talionis sublata est, quilibet per procuratorem accusare potest; licet in praxi raro id accidat, cum nunc contra criminosos plerumque vigeat inquisitio. 5. Actor per procuratorem nequit intentare actionem cuilibet de populo competentem; quia ante litem contestatam non est ejus dominus *l.* 42. *ff. h. t.* reus vero eam excipere potest per procuratorem *l.* 5. *ff. de popular. act.* cum per illam plerumque pecunia, & interesse petatur.

11. Q. VII. *Quod, & quale sit officium procuratoris*? ℟. 1. Est diligenter negotia domini secundum formam mandati administrare *arg. l.* 1. *pr. ff. h. t.* 2. Hoc officium est gratuitum, quia *mandatum, nisi gratuitum sit, nullum est l.* 1. §. *fin. ff. mandati*. Alioquin si merces constituatur, non procurator, sed operæ locator est, *ibid. in fin.* finito autem officio, si quid remunerationis causa detur, non mutatur natura hujus contractus *l.* 6. 7. *ff. eod.* 7. Procurator idoneo mandato instructus hodie non satisdat, licet mero jure procurator actoris satisdare deberet de rato *l.* 1. *C. h. t.* at defensor rei mandato carens, si actio est personalis, tenetur dare satisdationem de judicato solvendo; si vero actio est realis, tenetur satisdare de rato habendo *l. fin. C. de consortib. ejusdem lit. l.* 39. §. 2. *cum seqq.* & *l.* 40. §. 2. 3. *ff. h. t.* nam sine satisdatione nullus est idoneus defensor rei alienæ.

12. Q. VIII. *Quæ, & quanta sit potestas procuratoris*? ℟. Generatim tanta, quanta in litteris mandati continetur *l.* 10. *C. h. t.* & quidem 1. Procurator judicialis potest litem contestari, qua contestatione facta, fit dominus litis, & sententia in illum fertur de jure scripto civili *l.* 23. *C. h. t. l.* 1. *C. de sent. & interloc.* licet de consuetudine in camera imperiali, & aliis tribunalibus sententia ferri soleat in dominum principalem. De jure Can. sententia ferri potest vel in personam procuratoris, ut *c.* 6. *de Relig. domib. c.* 2. *de capell. monach.* vel in personam principalis, ut *c.* 6. *de in integr. rest. c.* 14. *de censib.* Exequutio autem fit in bonis domini, nisi procurator *in rem suam* datus fuisset, vel ad defensionem se obtulisset, data satisdatione de judicato solvendo, vel rato habendo *l.* 61. *ff. h. t.* 2. Procurator appellare potest a sententia contra dominum lata *c.* 11. *h. t.* cum appellatio pertineat ad primam instantiam. At prosequi appellationem regulariter non tenetur procurator invitus, ut communis sententia tenet ex *c.* 14. *h. t.* ibi: *licet appellationem prosequi non tenetur invitus*, nisi aliud convenisset: nam prosequutio appellationis, cum pertineat ad aliud judicium in alio loco exercendum, regulariter non continetur in tenore mandati. 3. Procurator actoris datus *ad agendum*, vi hujus mandati censetur datus ad respondendum, seu defendendum *arg. l.* 33. *ff. h. t.* quia agere est principale, & respondere accessorium. At procurator rei datus *ad agendum*, respondere nequit: cum hoc sit principale; convenire autem potest procuratorem actoris, propter connexionem causæ, *cit. l.* 33. §. 4. *ff. h. t.* 4. Procurator constitutus generaliter ad negotia, vi talis mandati censetur etiam constitutus ad lites, ut colligitur ex *cap.* 6. *hoc tit. in* 6. nam licet *negotia* in stricta significatione opponantur litibus, tamen in ampla, & adhuc propria significatione continent sub se lites *l.* 5. *C. de jurisd. omn. judic.* ergo negotia generaliter expressa, generaliter intelligenda sunt de judicialibus, & extrajudicialibus, per *l.* 8. *ff. de publician. in rem act.* Excipe illa, quæ mandatum speciale requirunt, hæc enim non potest procurator generalis; ut deferre juramentum litis decisivum, transigere, compromittere in arbitros, debitum remittere, donare, & similia, quæ recenset Glossa *cap.* 11. *h. t. v. portitoribus*, nisi procurator generalis sit *cum libera*, quæ clausula æquivalet mandato speciali *l.* 1. §. 1. *ff. h. t.* quamvis *donatio* ne quidem sub hac clausula venire videatur. 5. Si in mandato generali exprimantur quædam specialia cum clausula *expediendi cetera, quæ speciali mandato indigent*, poterit procurator his similia, vel minora, non autem majora, *c.* 4. *h. t. Clem.* 2. *eod.*

13. Q. IX. *Ex quibus causis excipi possit contra procuratorem*? ℟. Ex quatuor præcipuis: 1. *Ex parte constituentis*, quia caruit potestate constituendi 2. Et ex parte constituti, quia non est idoneus ad officium procuratoris ratione ætatis, excommunicationis &c. 3. *Ex parte causæ*, quia hæc procuratorem non admittit. 4. Ex parte formæ, quia non habet mandatum sufficiens.

14. Q. X. *Quæ gesta procuratoris obsint, vel prosint domino principali*? ℟. 1. Gesta contra fines mandati non nocent domino *l.* 10. *C. h. t.* quia procurator diligenter custodire debet fines mandati, & ultra non excedere. 2. Si procurator non excessit fines mandati, omnia ipsius gesta ad processum judiciarium pertinentia imputantur domino, licet aliquid dolo, aut culpa male gestum, aut omissum sit, *cit. l.* 10. *C. hoc tit. cap.* 2. §. *nos igitur de in integr. restitut.* Unde nocetur domino, si procurator in præfixo termino non comparuit, si testes, & alias probationes, aut exceptiones non produxit, si fatalia appellationum labi sivit, si confessionem necessariam, seu a judice imperatam erronee fecit, nisi dominus eam revocaverit &c. nam hæc omnia tenebatur facere dominus per se, vel per alium: cum ergo nec per se, nec per alium fecerit, ei imputandum est, ut propterea sententia non rescindatur. 3. Si procurator extra illa, quæ respiciunt processum judiciarium, deliquit, ut

ut circa pœnam, vel impoſitionem mulctæ, id non nocet domino: quo ſenſu procedit *l. un.* §. 2. *ff. ſi quis jus dic.* ubi Ulp. ait: *ſi procurator tuus, vel tutor, vel curator jus dicenti non obtemperaverit; ipſe punitur, non dominus, vel pupillus.* 4. Dominus vi mandati agere poteſt *actione directa*, ut procurator, finito negotio, aut lite, rationem geſtorum reddat, actiones acquiſitas cedat *l.* 46. §. 4. *ff. h. t.* præſtet dolum, & omnem culpam, adeoque & leviſſimam *l.* 11. 13. *C. mandati*, quod ſingulare eſt propter induſtriam tacite promiſſam. Si vero procurator non ſit ſolvendo, æquitas naturalis dictat domino concedendam eſſe in integrum reſtitutionem. E contra procurator circa id, quod in gratiam domini impendit, gerendo negotium, aut litem, convenire poteſt dominum *actione contraria mandati*, etſi negotium citra culpam procuratoris non habuerit bonum exitum, *l.* 46. §. 5. 6. *ff. h. t. c.* 6. *eod.* quia officium ſuum nemini debet eſſe damnoſum, *l.* 7. *ff. teſtam. quemadm. aper.*

15. Q. XI. *Quibus modis expiret officium procuratoris?* ℟. 1. *Mutuo conſenſu conſtituentis*, & conſtituti, etiam re non integra, per *reg.* 1. *in antiq.* 2. *Morte procuratoris*, cum procuratio non transeat ad hæredes *l.* 27. *ff. mandati l.* 57. *ff. de judic.* 3. *Morte conſtituentis*, re adhuc integra ante litem conteſtatam *l.* 26. *ff.* & *l.* 15. *C. mandati*. Prælatus autem Eccleſiaſticus, etiam re non integra, non tenetur ſtare contractui, & mandato anteceſſoris, niſi adfuerit conſenſus capituli, *Clem. fin. h. t.* quia Prælatus de ſe ſolo non poteſt quidquam diſponere in tempus mortis. 4. Si ipſe dominus ante, vel poſt litem conteſtatam veniat, & per ſe, excluſo procuratore, cauſam agat, *c.* 2. & 8. *h. t. in* 6. 5. Exoneratione, ſeu renuntiatione officii procuratorii, & quidem poſt litem conteſtatam de conſenſu domini; niſi ſuperveniret infirmitas, inſperata negotia, inimicitia cum principali; quibus caſibus non opus eſt conſenſu domini, *l.* 8. 9. 10. *ff. h. t.* 6. *Revocatione*, & quidem ſine cauſa, ſi res eſt integra; ex cauſa vero juſta, ſi negotium jam eſt cœptum, aut lis conteſtata, cujus procurator factus eſt dominus. Porro revocatio iſta non ſortitur ſuum effectum, niſi procuratori debite ſit intimata, & ſimul perſonæ, cum qua negotium geritur; in judicio autem alternative judici, vel adverſario, & ſimul procuratori, *c.* 3. 4. *h. t. c.* 2. *eod. in* 6. *l.* 16. 17. *ff. h. t.* nam harum perſonarum intereſt ſcire revocationem debite factam eſſe, adeo ut acta procuratoris ante intimationem revocationis omnino valeant. Excipe matrimonium, beneficium Eccleſiaſticum, officium patrini in baptiſmo, & confirmatione ad contrahendam cognationem ſpiritualem, & alios ſimiles actus, in quibus requiritur conſenſus verus, & vere perſeverans, non autem ſufficit fictus; tunc enim revocatio mandati, etſi non pervenerit ad notitiam procuratoris, ſtatim ſortitur ſuum effectum, & actus contra illam geſtus eſt nullus, *cap. fin. h. t. in* 6. *Clem. un. de renuntiat.* 7. Denique finitur officium procuratoris, finita inſtantia, lata ſententia definitiva, aut peracto negotio; cum mandatum ultra non porrigatur.

16. Q. XII. *An, & quomodo geſta falſi, ſeu revocati procuratoris ſint invalida?* ℟. Eſſe invalida poſt oppoſitam exceptionem, ſive illam dominus, ſive pars adverſa opponat ante, vel poſt ſententiam. Ita *c.* 4. *in noſtra in fin. h. t.* ibi: *qua probata, judicium nullum, & nullius momenti controverſiæ reputantur:* nam procurator revocatus repelli poteſt, tanquam extranea perſona, cui nullum jus eſt agendi. At contra, ſi nec dominus, nec pars adverſa contra falſum procuratorem excipiat, convalidantur omnia ejus geſta per ratihabitionem partium, quæ retrotrahitur, & mandato æquiparatur, *l.* 56. *ff. de judic.* Sic dominus appellans contra ſententiam in falſum procuratorem latam, cenſetur geſta ejus approbare *l.* 3. §. *falſus ff. rem rat. haberi*, alioquin non appellare, ſed exceptionem falſi procuratoris opponere debuit, per *cit. cap.* 4. *hoc tit.*

Hic nota procuratori affines eſſe *defenſorem*, *actorem*, *& negotiorum geſtorem*. *Defenſor* eſt, qui tantum in litibus abſentis rei ſine ullo mandato cauſam in judicio defendit, præſtita cautione de judicato ſolvendo, vel rato habendo. *Actor* eſt, qui in caſu neceſſitatis, vel impedimenti, interpoſito decreto judicis, conſtituitur a tutore, curatore, vel alio adminiſtratore, & negotia domini periculo tutoris, aut adminiſtratoris, gerit, §. *fin. in. de curator. l.* 24. *ff. de Adminiſtr. tutor. l.* 11. *C. h. t.*

Negotiorum geſtor eſt, qui abſentis, & ignorantis negotia gerit abſque ullo mandato. Atque id a Prætore introductum eſt ex æquitate, ne abſentium negotia deſerantur. Hinc oritur duplex *actio prætoria negotiorum geſtorum: directa* competens domino contra negotiorum geſtorem ad reſtituendum, quod geſſit, vel reparandum, quod male ex dolo, vel culpa levi fecit, aut omiſit: *contraria* competens geſtori contra dominum ad reſarciendum id, quod in negotii geſtione de ſuo impendit, *l.* 2. *ff. de negot. geſtiſ.*

TITULUS XXXIX.

De Syndico.

Agitur de hac materia *Can.* 12. *qui vere* 16. *q.* 1. In Pandectis *lib.* 3. *tit.* 4. & *lib.* 50. *tit.* 4. *leg.* 18. §. 13.

1. *Nota*, ſyndicum eſſe procuratorem a corpore, ſeu univerſitate conſtitutum communi mandato, ad pertractandas omnes cauſas, & lites univerſitatis, hoc eſt, capituli, collegii, civitatis, vel alterius corporis. Ex qua deſcriptione colliguntur omnia præcipua requiſita ad ſyndicum, puta ut conſtituatur a communitate, ſeu corpore, mandato communi, ſeu decreto ordinis *l.* 3. *ff. quod cujuſque univerſ.* generaliter ad omnes cauſas judiciales, cum poteſtate ampla, quæ competit procuratori generali *cum libera l.* 1. §. 1. & *l.* 6. §. 1. *ff. eod.* niſi in mandato ei reſtringatur: donare tamen, & liquida debita remittere non permittitur ſyndico. Differt autem ſyndicus a *procuratore* ſpecifice ſumpto; quia hic cauſas privatorum agit; ab *actore publico*, quia iſte ad unam, vel alteram certam cauſam conſtituitur; a *fiſcali*, ſeu *procuratore fiſci*; quia iſte ſolas cauſas criminales, multas, & pœnas fiſco, ſeu univerſitati debitas perſequitur, ſyndicus plerumque civiles: ab adminiſtratore Cameræ, & *curatore univerſitatis*; quia ille præeſt rei nummariæ, iſte negotiis extrajudicialibus; ſyndicus vero judicialibus. Fere omnia, quæ dicta ſunt de procuratore, proportionaliter applicanda erunt ſyndico.

2. Q. I. *An laicus in cauſis ſpiritualibus conſtitui poſſit ſyndicus? & Religioſus in cauſis ſui monaſterii?* ℟. *ad* 1. Affirmative ex *c.* 1. *de Procurator. in* 6. cum hoc nullo jure prohibeatur: nam licet laicus in cauſis ſpiritualibus non poſſit eſſe judex etiam delegatus, vel adminiſtrator Eccleſiæ, vel elector perſonæ Eccleſiaſticæ, cum hæc omnia ſint officii Eccleſiaſtici, & ſpiritualis; poteſt tamen miniſterialiter, & nomine principalis cauſas ſpirituales in judicium deducere: ſiquidem ad hoc nulla juriſdictio, aut poteſtas ſpiritualis requiritur; ergo. *Ad* 2. Affirmative, præſertim, ſi id exigat neceſſitas, & utilitas monaſterii, *Can.* 35. *monachi* 16. *q.* 1. *c.* 2. *de poſtulando:* nam Religioſus idoneus a capitulo electus in ſyndicum nullo jure arcetur a munere ſyndicali ad cauſas forenſes peragendas. Nec obſtat *cap.* 1. *ne Cler. vel monach. cap.* 2. *de in integr. reſtit. cap. unic. hoc tit.* nam jura iſta procedunt ſolum de honeſtate, & decentia, quia *expedit pro parvo incommodo a ſtrepitu cauſarum ſervos Dei eſſe quietos.*

3. Q. II. *An ſolus Prælatus revocare poſſit ſyndicum?* ℟. Regulariter loquendo affirmative: nam juxta *cap.* 21. *de reſcr.* Prælatus ex officio ſuo tenetur congregationis ſuæ negotia procurare; ergo ipſe ſolus poteſt revocare ſyndicum, & actiones per ſe intentare. Nec obſtat, quod ſyndicus conſtituatur de conſenſu capituli: nam, ne monaſterium lædatur, merito plus requiritur ad conſtitutionem, quam revocationem ſyndici. Excipe, niſi Abbatis, & capituli negotia eſſent diſcreta: tunc enim ſyndicus a capitulo conſtitutus, ab eodem revocandus foret *arg. cit. c.* 21. *de reſcript.*

TITULUS XL.

De his, quæ vi, metuſve cauſa fiunt.

Agitur de hac materia in Sexto *h. t.* In Decreto 15. *q.* 6. & 20. *q.* 3. & 23. *q.* 5. 6. In Pandectis *l.* 4. *tit.* 2. ubi

ubi rubrica concipitur a primis verbis edicti prætorii: *Quod metus causa gestum erit*, ratum non habebo. In Codice *lib.* 2. *tit.* 20. *de his, quæ vi, metusque causa gesta sunt*.

1. Nota 1. Hic non agi de *vi*, seu inversione *publica*, quæ fit armis, & similibus instrumentis; neque de vi privata, dum res alicujus invaduntur sine armis: nam de his agitur *tit. ff. de vi, & vi armata*, & *tit. ad l. juliam de vi privata*; neque hic agitur de vi *ablativa*; qua res mobilis aufertur, neque de *turbativa*, qua quis turbatur in sua possessione; neque de *inquietativa*, qua quis inquietatur in usu rei suæ; neque de *expulsiva*, qua quis ex possessione dejicitur: nam contra primam datur actio vi bonorum raptorum; contra secundam interdictum *uti possidetis*, respectu immobilium, vel *utrubi*, respectu mobilium; contra tertiam interdictum, *quod vi, aut clam*; contra quartam interdictum *unde vi*, de quibus agunt Legistæ ad *tit. de Interdictis*: sed agitur de *vi compulsiva*, qua quis compellitur ad aliquid faciendum, quod alias non faceret. In quo sensu *vis est majoris rei impetus, qui repelli non potest*, *l.* 2. *ff. quod metus caus.* & dividitur in *absolutam*, seu *præcisam*, quæ ita compellit ad actum, ut omnem liberum consensum impediat; ut si quis invitus cogatur genuflectere idolo &c. & *conditionalem*, seu *secundum quid*, quæ compellit quidem ad actum, sed non nisi sub conditione, si quis libere consentiat; adeoque relinquit voluntarium simpliciter, & causat solum involuntarium secundum quid: ut si quis metu mortis adoret idolum. Hæc *vis* specifice dicitur *metus*. Jam si in præsenti *rubrica* vis a metu distinguitur, *vis* accipi debet pro absoluta, inferente necessitatem contrariam voluntati, *l.* 1. *ff. d. t.*

2. *Nota* 2. metum ab Ulp. *cit. l.* 1. definiri, quod sit mentis trepidatio instantis, vel mox futuri periculi causa; seu passio animi fugientis aliquod malum sibi imminens; sive inferatur a causa necessaria extrinseca, aut intrinseca, ut naufragio, morbo; sive a causa creata libera, ut ab homine minante aliquod malum. Dividitur autem metus in *gravem*, & *levem*. *Gravis* est, qui sufficit, ut animum, etiam fortem, dimoveat a proposito; & ideo aliter vocatur *cadens in virum constantem*, seu *probabilis*; uti est timor mortis, mutilationis, servitutis, gravis infamiæ, stupri inferendi, amissionis omnium bonorum &c. *l.* 3. *in fin. & seqq. ff. d. t. Levis*, seu *vanus*, aut *improbabilis* est, qui non sufficit, ut animum fortem a proposito dimoveat; & ideo *non cadit in virum constantem*. Ista autem *gravitas*, & *levitas* non est spectanda absolute, sed comparative ad personam inferentem, & patientem: nam quod respectu viri est leve, respectu pueri, aut fœminæ potest esse grave. Uterque iste metus vel est *juste incussus*, cui patiens causam dedit; ut si judex criminoso minetur carcerem, flagellationem &c. vel *injuste incussus*, cui innocens nullam causam dedit; ut si latro minetur mortem, nisi pecunia numeretur. Agetur hic de firmitate, & obligatione actuum metu gestorum, & de remediis contra metum.

3. Q. 1. *An gesta per vim absolutam sint de jure naturali nulla*? ℞. Affirmative cum S. D. 1. 2. *q.* 6. *ar.* 5. & com. nam in his deest voluntarium simpliciter, cum vi coactus magis pati, quam agere videatur. Hinc dicit Ulp. *l.* 1. *ff. quod met.* quod vis absoluta inferat necessitatem contrariam voluntati: ut si quis violenter ducatur ad templum idolorum. Nec obstat *c.* 2. *h. t.* ibi: *quæ metu, vel vi fiunt, debent in irritum revocari*, seu rescindi: nam ut patet ex contextu, sermo ibi est de vi conditionali, quæ nihil differt a metu.

4. Q. II. *An, & quomodo gesta ex metu gravi sint valida*? ℞. 1. Si metus incussus est a causa necessaria intrinseca, vel extrinseca, gesta ex tali metu sunt omni jure valida: nam causa necessaria non injuriat, & ideo valet votum, quod quis metu morbi, aut naufragii emisit.

5. 2. Si metus a causa libera juste incussus est, gesta ex illo sunt omni jure valida; cum metus juste incussus nullam inferat injuriam patienti, sed iste sibi imputare debeat, quod causam metui dederit *l.* 21. *ff. d. t.* ubi mulieris datio, vel promissio valet facta ex metu, quod propter commissam ingratitudinem redigenda sit a patrono in servitutem. Nec obstat *l.* 7. *in fin. eod.* nam ibi adultero metus injuste incussus est ab iis, qui privata auctoritate eum occisuri erant; secus esset si metus juste a Judice incuteretur.

6. 3. Si metus a causa libera injuste incussus est, gesta ex tali metu sunt valida de jure naturali: nam hoc jure ad valorem actus sufficit consensus simpliciter voluntarius; sed metus, licet causet involuntarium secundum quid, relinquit tamen consensum simpliciter voluntarium, & liberum; ergo. Nec obstat ratio *injuriæ illatæ*; nam voluntarium simpliciter stare potest cum injuria, licet spontaneitas in actu deficiat.

7. Q. III. *An actus ex metu gravi injuste incusso gesti regulariter sint ipso jure positivo validi*? Negant Sotus, Molina, & pauci cum his, affirmant Gloss. *c.* 2. *h. t.* Sylv. Abbas, Zoes, Laym. & alii communiter, cum quibus ℞. affirmative: nam tales actus in utroque jure dicuntur rescindendi, ergo mero jure valent, cum id, quod invalidum est, rescindi proprie non possit. Probo antecedens ex *c.* 2. *h. t.* ibi: *quæ metu, vel vi fiunt, de jure debent in irritum revocari*, *l.* 1. *ff. quod metus*, ubi Ulp. affert edictum prætoris: *ait prætor: quod metus causa gestum erit, ratum non habebo*, hoc est rescindam, seu cassabo; siquidem remedia prætoria non dantur contra actum jure nullum, cum sufficiat ordinarium remedium nullitatis, ut patet ex *l.* 16. §. 3. *ff. de minor.* ibi: *generaliter probandum est*, seu tenendum, *ubi contractus non valet, pro certo prætorem se non debere interponere*. Huc etiam faciunt *l.* 9. §. 3. 4. *l.* 21. *in fin. l. fin.* §. 1. 2. *ff. quod met.* & *l.* 5. *& fin. C. de his, quæ vi*, metum passis, rescisso actu, conceditur restitutio in integrum. Ratio est, quia sine claro textu juris non est recedendum a jure naturali *l.* 28. *ff. de LL.* non ratione *involuntarii secundum quid*, quia cum hoc stat voluntarium simpliciter sufficiens ad valorem actus, modo cetera non desint; non *ratione injuriæ* metum passo illatæ, quia injuria ista facile reparatur, concessa actione, vel exceptione, *quod metus causa*; imo metum passo favorabilius est actum valere, quam non valere: nam si deinde appareat actum istum esse sibi commodum, ei stare potest; si incommodum, agere poterit ad rescissionem, ergo. Unde contractus, vota simplicia, resignationes jurium, & alii actus metu gesti mero jure valent, donec rescindantur per judicem competentem. His non obstant *c.* 14. *de sponsal. c.* 28. *de jurej. l.* 116. *ff. de R. J. l.* 14. §. 3. *ff. quod metus, l.* 22. *eod.* nam ex his non colligitur nisi involuntarium secundum quid, & actus irritus quoad effectum, quia rescindi potest, in *l.* 6. §. *fin. ff. de acq. hæred.* aditio hæreditatis ideo fuit invalida, quia ficta, ibi: *fallens adiit hæreditatem*.

8. Q. IV. *Qui actus metu gravi injusto gesti sint invalidi de jure positivo*? ℞. 1. Professio Religiosa *c.* 1. *h. t.* 2. Matrimonium *c.* 14. *de sponsal.* 3. Absolutio a censura, & revocatio sententiæ infligentis censuram *c. un. h. t. in* 6. quæ dispositio non videtur extendenda ad ligationem per censuram. 4. Collatio jurisdictionis, & ejus prorogatio *l.* 2. *pr. ff. de judic.* 5. Præstatio auctoritatis tutoriæ *l.* 1. §. 1. *& l.* 17. *ff. de auct. tut.* sed nullitas ista videtur oriri ex defectu consensus, dum tutor, coactus esse præsens, non consentit. 6. Promissio, & constitutio dotis *l.* 21. §. 3. *ff. quod met.* 7. Promissio, & traditio rerum Ecclesiæ *Can.* 1. *si quandoque*, 15. *q.* 6. 8. Datio libertatis *l.* 9. *&* 13. *ff. qui & a quib.* 9. Gesta cum injuste detento in carcere *l.* 22. *ff. quod met.* licet Bartolus dicat, talia gesta solum esse rescindenda. 10. Probabiliter testamentum, & testium testamentariorum coacta præsentia *l.* 1. *C. de SS. Eccl. l.* 20. §. *fin. ff. qui testam. fac.* nam in his actibus jura positiva voluerunt adesse plenam libertatem, quam utique metus tollit.

9. Q. V. *Quæ nascatur obligatio ex actibus metu gestis*? ℞. 1. Respectu metum inferentis nascitur obligatio stricta, & firma, cum metum inferens plene consenserit; at respectu metum passi est obligatio infirma; cum facile tolli possit remedio prætorio, de quo in *seq. q.* 2. Si metus levis incussus est, in foro saltem interno metum passus non tenetur stare contractui, ut docent Sylv. Costar. Schmal. contra Medin. & Poncium: nam metum inferens facit injuriam metum passo, & quod hac via acquisivit, tenetur restituere in conscientia; ergo metum passus non obligatur in foro interno; imo etiam in foro externo succurritur ei

ei per implorationem officii judicis. Nec obstat, quod *vani timoris justa nulla sit excusatio* per *l.* 184. *ff. de R. J.* nam licet nulla sit excusatio de rigore juris positivi, tamen remedium est de jure naturali, præcipiente removeri injuriam, quam quis alteri intulit.

10. Q. VI. *Quæ juris remedia competant metum passo?* R. 4. Si actus metu gestus, est unus ex illis, qui a jure irritantur, competit ordinarium *remedium nullitatis*, & conf. quidquid ex tali metu datum, & acceptum est, restitui debet. 2. Si actus metu gestus ipso jure valet, & jam completus est traditione rei, competit metum passo *actio prætoria*, *quod metus causa*, ut rescisso actu, res tradita restituatur: si vero actus, seu contractus non est completus traditione, competit metu passo *exceptio*, *quod metus causa*, qua repellatur petens sibi dari ex metu promissum, *l.* 12. *pr. ff. h. t.* §. 1. *In. de except.* sit exemplum, dedisti Cajo ex metu mortis equum, agere potes contra Cajum actione, *quod metus causa*, ut rescissa donatione, equum cum fructibus restituat: si vero non dedisti, sed tantum ex metu promisisti, Cajo equum donatum, seu promissum petenti opponere potes *exceptionem metus*, qua illum repellas a petendo. Porro actio metus, licet principaliter sit personalis, utpote ex delicto orta, imitatur tamen actiones reales, ita ut res metu data a quocumque possessore repeti possit, & ideo dicitur *in rem scripta*. Vide Legistas ad §. 25. 27. *inst. de action.* & *l.* 9. §. *fin. ff. quod met. caus.* Abbas, & Host. concedunt metum passo tertium remedium, scil. *vindicationem utilem*, si rei datæ fuit dominus. 3. Ut actio metus procedat, debet metus legitime probari: nam factum, vel delictum non præsumitur, sed probandum est *l.* 51. *ff. pro socio.* Probatur autem per testes, etiam domesticos, & familiares, uti & per præsumptiones violentas; si autem tantum unicus est testis, & res non est magni præjudicii, probatio compleri debet per juramentum, *c. fin. de jurej.*

11. Q. VII. *An metu gesta rescindi possint, si metus indirecte solum incussus est ex alio fine, non vero directe ad extorquendum actum?* v. g. æger ex metu mortis cedit, aut vendit hortum medico, quia iste, alias ex officio ad curandum obligatus, non vult curam ejus suscipere; vel si miles dei pecuniam ei, qui injuste vult eum prodere apud inimicum. Negant Covar. Less. Sanch. Perez, & alii; sed probabilius, & æquius affirmant Lugo, Palatios, Wiestner, Schmalz. cum quibus R. affirmative: nam edictum de metu *l.* 1. *ff. quod metus*, latum est ob injuriam metum passo illatam; sed talis injuria infertur, sive metus directe, sive indirecte incutiatur, ut de se patet, & exemplum habetur *leg.* 7. §. 1. *eod.* ergo locus est edicto, & rescissioni actus. Si vero actus ex natura sua est irrescindibilis, uti matrimonium, & professio religiosa, ipso jure est irritus, etsi fiat solum ex metu indirecte incusso *cap.* 1. *h. t.* Nec obstat *cap.* 17. *de regul.* nam ibi metus incussus est ex causa necessaria, scilicet *nimia ægritudine*, quæ non injuriat. Idem dic, si tertius metum intulit *l.* 14. §. 3. *ff. quod metus c.* 15. *de Sponsal.* nisi tertius nullo modo in metum influxisset, uti venditor, a quo emis gladium ex timore, ne a Cajo occidaris.

12. Q. VIII. *An ob metum reverentialem concedatur rescissio?* R. Regulariter loquendo negative, ex *Can.* 8. *puella* 20. *q.* 1. *& l.* 26. *ff. de pignorib.* nam sola reverentia filiorum erga parentes, uxoris erga maritum, subditi erga dominum, per se non inducit, nisi metum levem, & facile superabilem; alioquin plurimi contractus a filiis, uxoribus, & subditis initi cassandi forent. Excipe, nisi concurrant gravia adminicula; ut indignatio, rixæ, asperitas vultus, preces importunæ, & armatæ &c. tunc enim metus reverentialis fit gravis, & consequenter reddit actum rescissioni obnoxium.

13. Q. IV. *An, & quomodo metus excuset ab observantia præceptorum?* R. 1. Non excusat ab observantia præceptorum negativorum juris naturalis, ut de non fornicando &c. nam Deo, & natura præcipiente, talia præcepta obligant arctissime semper pro semper; & ideo puella, etsi instaret periculum mortis, non potest licite consentire in fornicationem, sed aggressorem violentum pudicitiæ repellere tenetur: si tamen vim absolutam patiatur absque interno consensu, castitas ei duplicabitur ad coronam. Præcepta autem affirmativa juris naturalis præcipientia actum fieri, plerumque non extenduntur ad casum magni periculi; ut sanctificare diem dominicum, alere parentes &c. dummodo aliquid positive contrarium eis non fiat; sic enim in nullo casu licet contrarie inhonorare parentes. 2. Metus gravis regulariter excusat ab observantia legis divinæ positivæ, & humanæ: sic enim præceptum circumcisionis per 40. annos Israelitas non obligavit; & David in necessitate comedit panes propositionis; & catholicus in partibus hæreticis potest comedere carnes die veneris ex metu, ne proditus malum grave patiatur; dummodo exinde non sequatur contemptus Religionis catholicæ. Excipe, nisi specialis causa, & reverentia exposcat observantiam præcepti. Sic non licet consecrare Eucharistiam sub una specie, sine admistione aquæ, sine sacris vestibus, præsertim stola &c.

TITULUS XLI.

De in integrum restitutione.

Agitur de hac materia in Sexto, & Clementin. *h. t.* In Decreto 7. *q.* 1. 2. & 35. *qu.* 9. & *Canon.* 10. *ideo*, 2. *q.* 6. in Institutionib. §. 6. *de action.* in Pandectis *lib.* 4. *tit.* 1. 2. 3. 4. 6. in Codice *lib.* 2. *tit.* 22. *usque ad* 55.

1. *Nota* 1. Compilatorem nostrum a specie transire, seu ascendere ad genus: nam priori *tit.* actum est de rescissione, seu in integrum restitutione ex causa metus; hic vero in genere agitur de illa, & hoc modo describitur: *Restitutio in integrum est remedium extraordinarium a Prætore introductum, quo notabiliter læsus ob æquitatem naturalem reducitur in eum statum, in quo fuit ante læsionem.* Ita Com. ex *l.* 1. & *seqq. h. t.* nam, quia ex una parte rigor juris civilis nullam actionem concedebat; ex altera vero parte æquitas naturalis suadebat læsis succurrendum esse, merito Prætor introduxit hoc remedium, deinde a sacr. Canonibus receptum, & approbatum *hoc tit.* Ex data definitione colligitur discrimen restitutionis ab appellatione, revisione, supplicatione apud principem, reductione ad arbitrium boni viri, a syndicatus remedio competente contra judicem dolo malo judicantem, & lædentem: nam in his intenditur reformatio sententiæ judicialis, vel compensatio damni illati; at per restitutionem intenditur reductio in pristinum statum, sive læsio facta sit in judicio, sive extra judicium.

2. *Nota* 2. Conditiones ad restitutionem requisitas esse 1. *Ut actus de se sit validus*; nam ex actu invalido competit remedium ordinarium *nullitatis*: & aliunde, si actus jure non valet, Prætor non debet se interponere *l.* 16. §. 3. *ff. de minor.* 2. *Ut læsio sit notabilis* ultra modicum, sive notoria, sive per testes probata; nam de modico non curat Prætor: cognita autem læsione, non per casum, sed dolum, culpam, aut inconsultam facilitatem facta, succurrit per restitutionem, *l.* 3. 4. *ff. h. t.* 3. *Ut adsit legitima causa*, uti est metus gravis injuste incussus, dolus accidentalis dans causam contractui, fragilitas ætatis minoris, absentia, & alia justa causa, ut infra dicetur. 4. *Ut sit negotium civile*: nam in criminalibus non est locus restitutioni, quia *malorum mores infirmitas animi non excusat. l.* 1. *C. si advers. delict.*

3. Q. I. *Quibus competat in integrum restitutio?* R. 1. *Minoribus* ob fragilitatem ætatis *l.* 1. *ff. de Minor.* nam hujus ætatis est *fragile*, *& infirmum consilium*, *& multis captionibus suppositum*, *multorum insidiis expositum*. Jure minoris gaudent Ecclesiæ, seu loca pia, *cap.* 1. 3. *h. t. respublicæ l.* 4. *C. quib. ex caus. maj. l.* 3. *C. de jure reipubl.* princeps quoad bona regni, seu coronæ, cum repræsentet totam rempubl. non tamen quoad bona propria. Ratio hujus privilegii est, quia Ecclesiæ, & respubl. quæ se ipsas administrare non possunt, frequenter læduntur negligentia, & prodigalitate administratorum; ergo merito eis succurritur hoc remedio. 2. *Hæredibus minorum l.* 6. *ff. hoc tit.* & *l.* 18. *in fin. de minor.* nam licet hoc privilegium ratione personæ sit concessum, multum tamen de reali participat ratione damni in rebus. At fidejussoribus minorum regulariter non conceditur, ne creditor suo fine, & assecuratione frustretur

stretur, *l.* 13. *ff. de minor. l.* 1. 2. *C. de fidejuss.* 3. Majoribus hoc beneficium conceditur ex justa causa; uti est absentia reipubl. causa, detentio in vinculis, servitute, hostium potestate, impedimentum infirmitatis, pestis, & aliæ causæ in edicto relatæ; & generaliter ex clausula: *si qua alia mihi justa causa esse videbitur*, *l.* 1. *ff. ex quib. caus. major.* Ceterum licet restitutio competat Ecclesiis, non tamen Prælatis, & Clericis quo ad sua bona patrimonialia, cum id nullo jure expressum sit. Nec obstat *cap.* 4. *de immun. Eccl.* & *auth. item illa C. de Episc. & Cleric.* nam privilegium exemptionis a foro laicali non est extendendum ad restitutionem, *arg. l.* 14. *ff. de LL. c.* 9. *de privil.*

4. Q. II. *In quibus casibus minor non restituatur*? ℞. 1. Si minor dolo malo agat, vel simulet se majorem esse, ut alterum ad contrahendum alliciat *l.* 9. §. 2. *ff. de minor.*, *l.* 2. *C. si minor se major.* ubi ratio additur: *quia errantibus, non etiam fallentibus minoribus publica jura subveniunt.* 2. Si major factus ratum habuit, quod in minoritate gessit, *l.* 1. 2. *C. si major fact. rat.* 3. Si contractum sponte juramento firmavit, *cap.* 28. *de jurej. auth. sacramenta*, *C. si advers. vendit.* nam omne juramentum servandum est, dum non vergit in dispendium animæ, & præjudicium tertii. 4. Si minori res casu pereat, *l.* 11. §. 4. *ff. de minor.* ubi rationem dat Ulp. *quia non eventus damni restitutionem indulget, sed inconsulta facilitas.* 5. Si minor veniam ætatis impetravit, *l.* 1. *C. de his, qui ven. ætat.* 6. In matrimonio, & professione Religiosa; quia in his, ex natura sua indissolubilibus, minor habetur pro majorenni, licet quoad dotem, & alia accidentia restitutio detur, *l. un. C. si advers. dot.*

5. Q. III. *An minor restituatur contra minorem*? ℞. 1. Si unus minor est lædens, & alter læsus, vel unus certat de damno vitando, & alter de lucro captando, in hac dispari causa restitutio competit læso, & certanti de damno vitando *l.* 11. §. *fin. ff. de minor.* nam hoc beneficium concessum est læsis, non vero lædentibus. Unde non est hic locus regulæ: *Privilegiatus adversus æque privilegiatum non utitur privilegio*, cum lædens non sit privilegiatus, sed læsus. 2. Si causa est par, & uterque privilegiatus certat de lucro captando, vel uterque de damno vitando, favendum est possessori per *reg.* 65. *in* 6. unde si minor inconsulte credidit pecuniam alteri minori, & is eam prodige consumpsit, minor creditor non restituitur adversus minorem debitorem, *l.* 11. §. *pen. ff. de minor.* Idem observatur in Ecclesiis: nam si una Ecclesia repudiavit legatum, & altera illud acceptavit, melior est conditio acceptantis, & possidentis; alioquin Ecclesia læsa restituitur contra lædentem *c.* 3. *h. t.*

6. Q. IV. *An major habens rem, seu causam communem cum minori restituatur*? ℞. Cum distinctione: si res est individua, ut idem castrum, idem bonum feudale &c. major restituitur cum minori *arg. l.* 10. *ff. quemad. servit. amitt. l.* 4. §. 3. 4. *ff. si servit. vind.* quia privilegiatus trahit ad se non privilegiatum. At si causa, & res sit dividua, seu commodam divisionem patiens; ut si major centum, & minor centum inconsulte crediderunt eidem debitori, solus minor restituitur, quia prætor non majoribus, sed minoribus ob fragilitatem ætatis consultum voluit, *l.* 1. §. 2. *ff. de minor.* Idem dic, si concurrat Ecclesia cum altero non privilegiato.

7. Q. V. *Quod sit discrimen inter restitutionem majoris, & minoris*? ℞. Minor læsus sine alia causa restituitur ex officio judicis, licet adsit remedium ordinarium, & curator intervenerit: *l.* 1. 2. 3. *C. si tutor, vel curat. interv. l. fin. ff. h. t.* e contra major læsus restituitur solum ex causa legitima ad instantiam suam, deficiente remedio ordinario, & curatore non interveniente; alias contra hunc procedit actio mandati. *ibid.*

Hæc de personis gaudentibus beneficio restitutionis. Nunc de casibus, in quibus illa competit: cujusmodi enumerantur plures in Pandectis *h. t. & tit. de minor. & tit. ex quibus causis maj.* & præsertim in Codice *lib.* 2. *tit.* 27. *& seqq.* ut adversus rem judicatam, venditionem, donationem, libertatem, transactionem, solutionem, dotem &c. ubi casus isti legi poterunt; hic præcipuos examinabimus.

8. Q. VI. *An Ecclesia ex contractu læsa, ultra, vel infra dimidium pretii restituatur*? ℞. *Ad* 1. Affirmative: nam ideo restitui non posset, quia adest remedium ordinarium ex *l.* 2. *rem. C. de rescind. vend.* quo agitur alternative vel ad supplendum pretium, vel ad rescissionem contractus; sed hæc ratio non obstat: nam Ecclesia, vel minor, relicto remedio ordinario, eligere potest remedium extraordinarium restitutionis, dum hoc pinguius, & facilius est *l. fin. ff. h. t. l.* 2. 3. *C. si tutor.* facilius autem est probare læsionem immodicam, quam læsionem ultra dimidium, ergo. ℞. *ad* 2. Affirmative: ita Pinell. Fachin. Schmalz. & alii, contra Abb. Covar. Less. Laym. &c. docentes non dari restitutionem in casu, quo minor non est læsus in substantia rei, v. g. alienatæ; sed tantum agi posse ad supplementum pretii. Prob. ex *l.* 27. §. 1. *ff. de minor.* ibi; *si minore pretio, quam oportet, vendiderit adolescens, emptor quidem juberi debebit prædia cum fructibus restituere.* Idem docet Paulus *l.* 24. §. 4. *eod.* & Alex. III. *c.* 1. *h. t.* ubi possessiones Ecclesiæ laicis sub modico censu concessas jubet ad jus, & proprietatem Ecclesiæ redire. Ratio est, quia Ecclesiæ, vel minori læso jus indistincte concedit restitutionem; hæc autem læsum constituit in pristino statu. Nec obstat *l.* 12. §. 1. *ff. de jure dot.* nam ibi ob amorem conjugalem speciale quid statuitur, ut mulier, etiam minor, in æstimatione servi circumventa, contenta sit vel restitutione servi, vel supplemento pretii: sed hoc non trahitur in consequentiam *l.* 14. *ff. de LL.*

9. Q. VII. *An Ecclesia restitui possit contra sententiam a Papa latam*? ℞. Affirmative cum Abb. Zoes &c. contra Host. Covar. &c. Prob. ex *c.* 5. *h. t.* ubi talis restitutio conceditur, addita ratione: *quia sententia Romana Sedis non negatur posse in melius commutari, cum aut subreptum aliquid fuerit, aut ipsa pro consideratione ætatum, & temporum seu gravium necessitatum dispensative quidquam ordinare decrevit.* Idem de minori docet Ulp. *l.* 18. *ff. de minor.* ubi limitatio ponenda est, ut restitutio ista non petatur prætextu injustitiæ, sed ex causa erroris proprii, lapsus ætatis, aut aliæ simili, & quidem ab ipso Papa, seu principe *cit. l.* 18. Similiter restitutio ob has causas peti potest adversus tres sententias conformes; & multo magis adversus confessionem delicti factam in jure, si confessio ista fuit falsa, vel voluntaria sine legitimo præcepto judicis; secus autem si minor legitime interrogatus verum delictum confessus est *l.* 37. *ff. de minor.* His non obstat; quod appellatio non detur a sententia Papæ: nam appellatio fieri debet ad majorem; Papa vero, & principe non datur major judex: e contra restitutio contra sententiam peti potest ab eodem judice.

10. Q. VIII. *An Clericus minor restitui possit contra resignationem beneficii inconsulte factam, re non integra, dum beneficium jam est collatum alteri*? Negant Accurs. Host. Gloss. *c.* 14. *de restitut. spol.* Layman. & alii: sed probabilius affirmant Molina, Gomez, Zoes. Schmal. &c. cum quibus ℞. affirmative: nam juxta generale beneficium *l.* 1. *ff. de minor.* minor restitui potest contra proprium factum, ex quo graviter læsus est, etsi res non sit integra: ut patet ex *l.* 9. *pr. ff. eod.* ubi minor restituitur adversus distractionem pignorum & *l.* 49. *eod.* ubi *distractio per in integrum restitutionem revocatur*; ergo & Clericus minor in hoc casu restitui potest, cum nullibi reperiatur exceptus. Nec obstat *l.* 24. §. 2. *ff. de minor.* nam ibi minor agit de lucro captando hæreditatis repudiatæ, & hoc ei non conceditur, re non integra; secus si agat læsus de damno vitando per *citt. LL.*

11. Q. IX. *An Religiosus ex justa causa restitui possit adversus lapsum temporis quinquennii, si intra hoc non reclamavit contra professionem*? ℞. Affirmative; ita communior contra Flaminium. Prob. ex clausula edicti, *si qua justa causa l.* 1. *ff. ex quib. caus. maj.* ubi majoribus indistincte conceditur beneficium restitutionis ex justa causa. Et ita servatur in praxi Curiæ Roman. ubi Papa, vel S. Congreg. cognita prius nullitate professionis, saltem cognitione summaria, & justitia impedimenti, ob quod Religiosus reclamare non potuit, ut quia metus toto quinquennio duravit, concedere solet talem restitutionem ad effectum reclamandi. Nec obstat Trid. *Sess.* 25. *cap.* 19. *de Regul.* nam ibi solum negatur post quinquennium actio ordinaria,

seu directa reclamatio contra professionem; non vero actio extraordinaria per restitutionem a jure indulta contra lapsum temporis, quo non potuit reclamari ob justum impedimentum. Idem dic de fœmina, quæ per sesqui annum reclamare non potuit contra matrimonium.

12. Q. X. *An ignorantia facti sit majori causa sufficiens ad restitutionem contra usucapionem?* Affirmant Bartol. Galess. & alii: sed probabilius negant Fach. Zoes. wiestner &c. cum quibus ℞. negative. Prob. ex *l. fi. C. de præscr. long. temp.* ubi Imp. decidit præscriptionem currere ignorantibus: ibi: *nulla scientia, vel ignorantia, ne expectanda, altera dubitationis inextricabilis oriatur occasio, & l.* 4. 8. *C. de præscr.* 30. *an. & c.* 6. *de præscr.* quadragenaria præscriptione omnis actio tollitur, ergo & tollitur, seu extinguitur restitutio in integrum; alias usucapiones rarissime fierent securæ, & firmæ; cum quisque facile dicere posset, contra se invincibiliter ignorantem usucapionem cœptam, & completam esse; quod non esset aliud, nisi novas, & inextricabiles lites suscitare.

Dices: Ignorantia facti non debet nocere domino *l.* 8. *ff. de J. & F. I.* hic autem noceret. 2. *l.* 4. *ff. eod. juris ingnorantia in usucapione negatur prodesse; facti vero ignorantiam prodesse constat.* 3. Præscriptio est in pœnam negligentium *l.* 2. *C. de annal. except. c.* 5. *de præscr.* sed invincibiliter ignorans non est negligens; ergo justam habet causam petendi restitutionem adversus usucapionem.

℞. *ad* 1. Ne ignorantia noceret dominis, sufficienter a jure provisum est per constitutionem legitimi temporis, intra quod si non inquirant de rebus suis a jure præsumuntur eas negligere, & ideo vi dominii alti principis contra eos procedit usucapio, ut amplius ignorantia eis suffragari non debeat. *Ad* 2. JCtus loquitur de ignorantia facti circa titulum: ut si quis emeret a minore, quem existimavit esse majorem; & hæc ignorantia ei prodest ad usucapiendum: at ignorantia usucapionis non prodest ad impetrandam restitutionem contra usucapionem; alias frustraneæ essent usucapiones, cum fere semper rescindi deberent. *Ad* 3. Præscriptio per se principaliter est ob bonum publicum; secundario in pœnam negligentiæ sive veræ, sive a jure præsumptæ.

Jam de forma restitutionis, quæ in tribus consistit: 1. ut petatur a judice competente. 2. modo debito. 3. tempore a jure statuto.

13. Q. XI. *A quo judice petenda sit restitutio in integrum?* ℞. 1. De jure com. a judice illius, contra quem petitur *l.* 2. *& fin. C. ubi, & apud quem cognitio*, ex regula generali: *actor sequitur forum rei c.* 8. *de for. compet. l. fin. C. ubi in rem.* Excipe Ecclesiam, quæ læsa a laico, restitutionem petere potest vel a judice seculari rei, vel ab Ecclesiastico *c.* 11. *de reb. Eccl. alien.* Hodie, teste Zoesio, inferiores judices cognoscunt solum de veritate causæ, & precum; restitutio vero fit a summo principe, seu supremo ejus dicasterio 2. Delegatus specialis, nisi ei causa restitutionis sit commissa, non restituit; quia excederet fines mandati; neque delegatus universalis contra sententiam a se latam, cum in ea causa functus sit officio. Vide *l. fin. C. ubi & apud quem.* nisi forsan restitutio incidenter petatur per *l.* 3. *C. de judic.*

14. Q. XII. *Quis modus servetur in causa restitutionis?* ℞. 1. Si restitutio petitur directe, & principaliter, imploratur nobile officium judicis: causa petendi legitime cognoscitur, citato adversario, & lite contestata. Et quidem si major restitutionem petat, cognosci debet non tantum læsio, sed & justa causa, quam utramque major probare tenetur. At minor solum probat minorennitatem, & læsionem; qualitatem autem causæ discernet judex, an in ea restitutioni sit locus. 2. Si restitutio proponatur indirecte, & incidenter, ut sit minor ex contractu læsus, postquam conventus est ab actore, excipiat contra talem contractum, judex causæ principalis cognoscet de causa restitutionis, tanquam accessoria; licet alioquin de illa principaliter intentata cognoscere non posset. Ita habet trita regula ex *l.* 3. *C. de judic.* desumpta, quod *judex causæ principalis, sit etiam judex causæ cum illa incidentis.*

15. Q. XIII. *Intra quod tempus petenda sit restitutio?* ℞. 1. De jure novo intra quadriennium continuum ex Constit. Justiniani *l. fi. C. de tempp. in integ. restitutionis*, ubi corrigitur jus antiquum concedens unum annum utilem *l.* 19. *ff. de Minor.* cum talis annus difficillimæ fuerit computationis. Est autem *tempus utile*, in quo computantur soli dies juridici, quibus agere licet: *continuum* vero est, in quo computantur dies naturales, vel potius civiles 24. horarum, sive sint juridici, sive non juridici. Jam quadriennium istud per se est *continuum*, quia currit non-feriatis, & feriatis diebus, per accidens est *utile*, quia non currit juste impedito. 2. Hoc tempus computatur minori post expletum annum vigesimum quintum; Ecclesiæ, & reipublicæ a die cognitæ læsionis; majoribus a die, quo cessat causa justi impedimenti, ut absentiæ, infirmitatis &c. Ita Com. ex *cit. l. fin.* 3. Respublica, & Ecclesia ex speciali privilegio restituitur post quadriennium in certis casibus, in quibus ob negligentiam administratorum censetur impedita fuisse, ut si læsio sit enormissima *cap.* 11. *de reb. Eccl. alien.* si Prælatus lædens toto illo tempore vivat, vel frequentes sint mutationes Prælatorum; quia tunc Ecclesia non habet legitimum defensorem; si fraus, vel collusio intervenit, vel aliud justum impedimentum, *cap.* 1. *h. t. in* 6. Hoc tamen privilegium non extenditur ad minores, cum pro his majorennitatem adeptis non militet eadem ratio, quæ pro Ecclesiis, 4. Accessio temporis, vel ejus transmissio varie pro varietate hæredum computatur: & quidem, si minor succedat minori, quadriennium computatur ab anno 25. expleto; si major majori, tantum a die aditæ hæreditatis habebit, quantum antecessori superfuit; si minor succedat majori, quantum huic supererat, tantum temporis habebit minor adepta majorennitate: si denique major succedat minori, integrum habet quadriennium ab adita hæreditate *l.* 5. *C. de tempp. in integr. rest.* 5. Intra hoc quadriennium non tantum petenda, sed & finienda est causa restitutionis *Clem. un. h. t. cit. l. In. C. eod.* nisi mora nulla esset in petente, sed in judice, testibus remotis; vel nisi adesset consensus adversarii pro ulteriori termino.

16. Q. XIV. *Qui sit effectus restitutionis?* ℞. 1. Restitutio *petita* id operatur, ut ea pendente, omnia permaneant in eodem statu; ita ut neque sententia exequutioni mandari possit, *c.* 6. *h. t. l. un. C. in int. restit. postulata.* At restitutio *obtenta* omnia redintegrat, & in pristinum statum reducit, ita ut unus non habeat damnum, neque alter referat lucrum *l.* 24. §. 4. *ff. de minor.* Unde si laicus in fundo ab Ecclesia empto fecit expensas utiles, eas repetet, imo fundum quasi jure pignoris tamdiu retinere potest, donec expensæ solvantur *c.* 1. *h. t. l.* 39. *in fin. ff. de minor.* Hoc de redintegratione rei principalis; de fructibus autem restituendis major est difficultas. Hinc 2. Si res Ecclesiæ, vel minoris alienata est contractu gratuito, v. g. per donationem, res cum fructibus restituenda est, cum læsio facta sit in utroque: ita Com. 3. Si res alienata est contractu oneroso, v. g. per venditionem, fructus percepti, & consumpti non sunt restituendi, præsertim si emptor exinde non est factus locupletior *arg. l.* 4. §. 2. *ff. fin. regund.* nam titulo dominii sunt percepti, & consumptione bona fide facta plene acquisiti. A fortiori fructus triennio præscripti non sunt restituendi, cum pleno, & irrevocabili dominio acquisiti sint per usucapionem, *l. un. C. de usucap. transfor.* 4. Fructus extantes non præscripti probabilius cum re ipsa restituendi sunt. Ita Abb. Covar. Reiff. a *n.* 127. & alii contra Molinam. Lessium, Laym. Schmalz. &c. docentes fructus non esse restituendos in casu, quo minor læsus est non in quantitate pretii (tunc enim proportionaliter restitutio esset facienda) sed in ipsa substantia rei, quia non expediebat eam alienari Prob. ex claris textibus *l.* 24. §. 4. *ff. de minor. si in vendendo fundo circumscriptus restituetur; jubeat Prætor emptorem fundum cum fructibus reddere*, ubi Glossa addit: *etiam cum iis, quos percipere potuit, & l.* 27. §. 1. *eod.* ibi: *item ex diverso si minore pretio, quam oportet, vendiderit adolescens: emptor quidem juberi debebit prædia cum fructibus restituere; juvenis autem eatenus, ex pretio reddere, quatenus ex ea pecunia locupletior est*, ubi uterque JCtus docet fieri debere restitutionem fructuum. Item Prob. ex *cap.* 1. *hoc tit. & cap. pen. de reb. Eccl. alien.* ubi ex possessionibus Ecclesiæ colonis relinquuntur fructus pro sumptibus, & la-

& laboribus compensandis, ergo alii fructus excedentes summam sumptuum restituendi sunt. Ratio est, quia restitutio reducit in pristinum statum; ergo fundus cum fructibus ita restituendus est, ac si non fuisset in dominio emptoris.

Dices: 1. Fructus rei pertinent ad dominum rei, sed emptor, persoluto justo pretio, est dominus rei; ergo. 2. Æquitas suadet, ut servetur in tali contractu æqualitas; sed hæc in eo consistit, quod sicut fundo empto sui fructus, ita pretio dato sui fructus correspondeant; si vero minor ex pecunia nullos fructus percepit, sibi imputare debet, ergo fructus ex neutra parte restituendi sunt, cum non supponatur læsio facta in fructibus, sed in solo fundo quoad substantiam.

℞. ad 1. Dist. maj. pertinent revocabiliter, & tacite conditionate, si fundus non restituatur, conc. maj. irrevocabiliter, & absolute, neg. min. *Ad* 2. Cum pecunia ex se sit sterilis, proprie non parit fructus, adeoque non totaliter æquiparatur fundo.

TITULUS XLII.

De alienatione judicii mutandi causa facta.

Agitur de hac materia in Decreto *Can. fin.* 11. *q.* 1. In Pandectis *lib.* 4. *tit.* 7. In Codice *lib.* 2. *tit.* 55.

1. Nota, post remedium restitutionis hic proponi aliud remedium prætorium contra alienationes judicii mutandi causa factas. Fit autem alienatio ista, dum quis metu litis sibi impendentis, sive titulo oneroso, sive lucrativo rem dolose in alium potentiorem, vel alterius fori transfert, ut propter difficultatem hunc conveniendi durior reddatur conditio adversarii. Ita sumitur ex *l.* 1. 2. 3. *ff.* & *c. fin. h. t.* Quod quia iniquum visum est prætori, merito contra tales alienationes proposuit edictum relatum in *l.* 8. §. 1. *ff. hoc tit.*

2. Q. I. *Quæ actio competat contra alienationes judicii mutandi causa factas?* ℞. 1. Jure digestorum competit *actio in factum: directa*, si alienata est proprietas; *utilis*, si alienata est possessio, intra unum annum utilem proponenda contra alienantem ad interesse, puta, quanti nostra interest alium adversarium non habere, *l.* 1. 3. §. 4. *ff. h. t.* jure Codicis *l. un. hoc tit.* competit læso *actio in rem*, ut, si ita expedit, convenire possit possessorem rei in se alienatæ. 2. Requisita harum actionum sunt, ut alienatio fiat dolo malo inter vivos, animo vexandi adversarium, cujus intersit alienationem non fuisse factam: item, ut fiat ante litem cœptam; alioquin, hac incœpta, res afficitur *vitio litigiosi*, ut amplius alienari nequeat, ut docetur *tit. ff. de litigiosis*, & in *libr. seq. tit. ut lite pendente nihil innovetur.*

3. Q. II. *An remedium præsentis edicti non tantum sit contra reum, sed etiam contra actorem, qui dolose actionem suam transtulit in alium judicii mutandi causa?* ℞. Affirmative, sive cessa sit actio realis, sive personalis: nam edictum prætoris est generale, & *c.* 2. *h. t.* expresse loquitur de actionibus cessis in præjudicium rei.

4. Q. III. *Quid jus Canonicum speciale statuat circa tales alienationes?* ℞. 1. Ut rescripta, quæ alias non extenduntur ad personas non expressas, extendantur ad eum, in quem res alienata est, ut tam iste, quam alienans coram eodem delegato conveniri valeant *c.* 1. *h. t.* 2. Ne Clerici permittant rem, vel actionem dolose in se transferri, quo durius laicos pertrahant ad forum Ecclesiasticum, *c. fin. h. t.* Si autem dolus, & avaritia Clericorum absit, nihil prohibet, quin a laicis in Clericos fieri possit cessio rerum, & actionum.

TITULUS XLIII.

De Arbitris.

Agitur de hac materia in Sexto *h. t.* In Decreto *Can.* 33. *& seqq.* 2. *q.* 6. *& Can.* 1. *infamis* 3. *q.* 7. In Trid. *sess.* 14. *c.* 5. *v. quid si de ref.* In Pandectis *lib.* 4. *tit.* 8. In Codice *lib.* 2. *tit.* 56.

Nota 1. hæc tria distinguenda esse, *arbiter*, *arbitrator*, *& mediator*, seu *amicabilis compositor*. *Arbiter* est vir bonus, & idoneus, a jure, vel ex conventione partium electus, qui rem controversam instar judicis cognoscit, & per sententiam suam, seu laudum terminat. *Arbitrator* est, qui a partibus electus plerumque causam extrajudicialem sine ordine juris ex sola æquitate decidit. *Mediator* est, qui a partibus requisitus, amicabiliter causam illarum componit, non tam sententiando, quam consilium præbendo; ac proinde non tenentur sequi decisionem illius.

Nota 2. Arbitrum alium esse *juris*, alium *compromissarium*. *Arbiter juris*, seu *necessarius* est, qui ab ipso jure pro certis casibus constituitur; ut in causa suspicionis contra judicem *c.* 39. *de offic. deleg.* in causa Episcopi cum Clerico sibi subjecto litigantis, *Can.* 46. *si Clericus* 11. *q.* 1. in causa discordiæ delegatorum Papæ *c.* 14. *de rescr.* &c. & hic arbiter juris, fere nihil differt a judice. *Arbiter compromissarius*, seu *voluntarius* est, qui ex privata voluntate partium constituitur. Convenit cum judice in hoc, quod in arbitrando observet ordinem judiciorum; quia arbitria redacta sunt ad formam judiciorum, prout dicit Paulus l. 1. *ff. de recept. arbitr. compromissum ad similitudinem judiciorum redigitur, & ad finiendas lites pertinet.* At in multis differt a judice; nam judex constituitur potestate publica, etiam invitus, partes contumaces potest punire, & testes cogere, sententiam a se dictam, nisi ab ea appelletur, exequi; ex qua etiam nascitur *actio*, & *exceptio rei judicatæ*: econtra arbiter compromissarius constituitur privata voluntate partium, & defectu jurisdictionis partes contumaces nec punire, nec testes cogere potest, nec sententiam exequi; neque ex ejus laudo, seu sententia nascitur actio, aut exceptio rei judicatæ, sed sola pœnæ petitio *l.* 2. *C. h. t.* Cetera discrimina in decursu *h. t.* patebunt. Porro sicut *judicium* accipitur, vel pro toto processu, vel pro sententia lata, ita *arbitrium* accipi solet, vel pro toto processu arbitri, vel pro ipsius sententia, seu pronuntiatione; quæ communiter vocatur *laudum*, voce barbara, a laudando, seu approbando, quia arbiter pronuntiando *laudat*, seu approbat, quod sentit.

3. Q. I. *Unde oriatur officium, & potestas arbitri compromissarii?* ℞. Originative, & permissive a jure utroque, quatenus cuilibet jus permittit litigare coram judice, vel arbitro; proxime vero, & formaliter ex voluntate, seu campromisso partium; quatenus compromittunt, seu mutuo consensu deligunt unum idoneum, qui eis in causa controversa jus dicat. Ex quo sequitur tantam esse potestatem arbitri, quanta ei in compromisso conceditur *l.* 32. §. *fin. ff. de recept. arbitr.* ubi Paulus ait: *arbiter nihil extra compromissum facere potest;* nisi forsan esset quid accessorium causæ principalis; ut pronuntiare super fructibus ex re perceptis, condemnare contumacem ad expensas &c.

4. Q. II. *Qui possint constituere arbitros compromissarios?* ℞. Generaliter illi omnes, & soli, qui possunt transigere, seu, qui liberam rerum suarum, aut alienarum potestatem habent, quoad administrationem, & alienationem: nam sicut transactio, ita & compromissum est via ad alienandum. Unde super immobilibus, aut mobilibus pretiosis nec tutor, aut curator sine decreto Prætoris, nec Prælatus sine solemnitatibus Canonicis compromittere potest in arbitrum, nec Procurator super negotio sibi commisso *c.* 3. 5. 9. *h. t.* similiter nec vasallus super re feudali, cujus cognitio certo pertinet ad dominum directum, vel Pares curiæ, in alium compromittere potest, ne his præjudicetur; secus esset, si cognitio pertineret ad judicem ordinarium *lib.* 2. *F. tit.* 15. 34. & 46. Ceterum partes neminem cogere possunt, ut fungatur officio arbitri, neque ipsæ partes cogi possunt ad compromittendum in arbitros, nisi justissima causa id exigeret; ut si immineret periculum rixæ, & armorum ex ordine judiciali, &c. *lib.* 3. §. 1. *ff. h. t.*

5. Q. III. *Qui possint eligi in arbitros compromissarios?* ℞. Generatim omnes, unus, vel plures, pares, vel impares nisi specialiter a jure prohibeantur; nam compromissum est de genere permissorum. Prohibentur autem. 1. *Minor* 20. *annis l.* 41. *ff. h. t.* si autem major 20. annis, & minor 25. annis in arbitrio læsus est, restituitur in integrum *ibid.* 2. *Mulier* ob pudicitiam sexus *l. fin. C. h. t.* nisi regina, vel alias jurisdictionem habens esset *c.* 4. *h. t.* 3. *Excommunicatus vitandus c.* 59. *de sent. excom.* ejus tamen acta, nemine excipiente, essent valida, cum non oriantur ex jurisdictione,

ctione, ob cujus defectum acta judicis excommunicati dicuntur esse nulla. 4. *Laicus* in causa spirituali *c.* 8. *h. t.* tum quia hoc non decet; tum quia arbitria redacta sunt ad formam judiciorum; laicus autem in causa spirituali nequit esse judex. 5. Nemo in causa propria potest esse arbiter, uti nec judex *l.* 51. *ff. h. t.* Ceterum jus permittit, ut arbiter esse possit pater, filiusfamilias, ingenuus, libertinus; infamis saltem de jure civili, imo & judex ordinarius, vel delegatus *l.* 3. *& seqq. ff. c.* 5. 7. 10. *h. t.* Nec obstat *l.* 9. §. 2. *ff. eod.* nam ex lege julia judex ordinarius non prohibetur esse arbiter, sed solum prohibetur, ne jubendo, aut alio modo cogat partes, ut in se compromittant. Similiter, cum jus neminem repellat ab arbitramento, quicumque potest esse arbitrator, etiam laicus in causa spirituali *arg. c.* 4. *&* 8. *h. t.* a sensu contrario; quia arbitrator non procedit via jurisdictionis, vel auctoritativæ defensionis, sed potius via compositionis, quod potest laicus in causa spirituali, sicut & agere assessorem, vel consiliarium.

6. Q. IV. *In quibus causis possit compromitti in arbitros?* ℞. Generaliter in omnibus, quæ specialiter non excipiuntur, cum tota res sit de genere permissorum. Excipiuntur autem. 1. Causæ criminales, utpote publica auctoritate vindicandæ *l.* 32. §. 6. *ff. h. t.* 2. Causæ libertatis *ibid.* §. 7. 3. Causæ in integrum restitutionis, nisi incidenter tractetur, *leg. fin. C. ubi & apud quem. c.* 9. *h. t.* 4. Causæ matrimoniales super valore matrimonii *cit. c.* 9. *h. t. & beneficiales*, ne detur vitiosus ingressus in beneficia contra *reg.* 1. *in* 6. 5. Causæ exemptionis, & privilegiorum Apostolicorum *c.* 5. *h. t.* Denique causæ omnes, super quibus transactio non admittitur.

7. Q. V. *Ad quid arbiter teneatur vi compromissi?* ℞. 1. Arbiter, postquam semel hoc officium suscepit, tenetur in eo permanere, donec laudum dicat; alias temere recusans, compellendus est auctoritate judicis *l.* 3. §. 1. *ff. h. t.* 2. Tenetur observare ordinem judiciarium, secundum formam tamen compromissi quoad locum, tempus, & modum procedendi: & ideo partes citabit, litis contestationem injunget, probationes excipiet, contumaces puniet, pœnam, seu mulctam infligendo *l.* 39. *eod.* sententiam, seu laudum juste secundum jura pronuntiabit, eamque non corriget, sive bene, sive male pronuntiaverit, cum semel suo officio functus sit, *l.* 19. 20. *eod.* 3. Si plures sint arbitri, singuli seorsim dicunt suam sententiam ad distinctionem actus capitularis, in quo unus nomine omnium pronuntiat. Et quidem de jure Can. *c.* 2. *h. t. in* 6. sufficit, ut major pars arbitrorum sententiet, si ceteri vocati ex negligentia interesse noluerunt: at de jure civili ad valorem laudi requiritur omnium præsentia *l.* 17. §. *fin. ff. d. t.* nisi in compromisso addita fuisset clausula: ut uno, alterove deficiente, reliqui nihilominus procedere valerent, *l.* 32. §. 13. *ff. eod.* Ex his juribus quodlibet in suo foro observandum est. 4. In discordia arbitrorum pars major prævalet, nisi ex forma compromissi requireretur concors sententia omnium, *c.* 1. *h. t. in* 6. si pari numero discordent, eligenda est a partibus tertia persona, cujus auctoritati stetur. Tandem si omnes arbitri discordent, & pronuntiatum unius non contineatur in pronuntiato alterius, non valet arbitrium: si autem pronuntiatum unius contineatur in pronuntiato alterius, valet arbitrium de summa minori, modo intra terminos justitiæ contineatur; v. g. unus condemnat in 5. alter in 7. & tertius in decem, valet sententia pro quinque; quia *in illa summa omnes concordes existunt*, *cit. c.* 1. *h. t. in* 6.

8. Q. VI. *Quomodo partes obligentur ex compromisso, & laudo arbitri?* ℞. 1. Partes arbitro citanti, præcipienti, mulctam imponenti tenentur parere; cum ad hoc compromittendo se obligaverint. 2. Si compromissum absolute factum est, tenentur absolute parere laudo, seu arbitrio, saltem de ordinario, non secus ac transactioni; & ideo etiam ex arbitrio datur victori *actio in factum* ad petendam ab ordinario judice executionem laudi, vel *exceptio velut pacti* contra petitorem *l.* 4. & *pen. C. de recept. arbitr.* At si in compromisso apposita est pœna transgressori, obligatio est alternativa, vel implendi laudum, vel solvendi pœnam, *c.* 9. *h. t.* & *l.* 1. *cum auth. decernit. C. h. t.* Quodsi autem in arbitrio plura essent capitula, & pars unum capitulum reciperet, & alterum non, secluso alio pacto, non tenetur totam pœnam solvere, sed proportionaliter secundum quantitatem transgressionis. 3. Si compromisso præter pœnam adjectum sit juramentum de servando arbitrio, probabilius est, laudum esse servandum ob reverentiam juramenti per *c.* 28. *de jurej.* cum observatio illius non vigeat in dispendium salutis æternæ; nisi intentio jurantis fuisset alternativa, vel servandi arbitrium, vel solvendi pœnam. Nec obstat *Nov.* 82. *c.* 11. ubi juramentum adjectum compromisso est nullum: nam dispositio ista correcta est per jus Can. *c.* 2. *h. t.* cui consonat Jus vetus *l.* 4. *C. h. t.* 4. Partes a laudo appellare non possunt *l.* 1. *C. d. t.* sed tenentur regulariter illi stare, sive æquum, sive iniquum sit; saltem si expresse, vel tacite lapsu decem dierum homologatum sit, hoc est, confessatum, seu tacite approbatum, *l.* 27. *diem proferre* §. 2. *ff. h. t.* ubi Ulp. ait: *stari autem debet sententiæ arbitri, quam de re dixit, sive æqua, sive iniqua sit, & sibi imputet, qui compromisit.*

9. Q. VII. *Quæ remedia, & in quibus casibus dentur contra laudum iniquum?* ℞. *ad* 1. Remedia ista sunt *reductio ad arbitrium boni viri*, hoc est judicis ordinarii, quæ reductio est quædam species appellationis *l.* 32. §. 14. *ff. h. t. l.* 2. *C. ubi, & apud quem, c.* 11. *h. t. exceptio doli mali, cit. l.* 32. §. 14. & *lib.* 31. *eod.* & in casu læsionis ultra dimidium datur remedium celebre ex *l.* 2. *rem, C. de resc. vend.* cum hoc remedium etiam adversus transactionem detur. ℞. *ad* 2. Casus, in quibus non est obligatio standi laudo sunt 1. Si forma compromissi non est observata *c.* 6. *h. t. in* 6. 2. Si laudum adversetur legibus, vel Sac. Canonib. ut si quis condemnaretur ad solvendas usuras usurarum, vel ad dandam pecuniam pro beneficio Ecclesiastico, *c.* 2. *h. t.* 3. Si dolus malus in arbitrio manifeste intervenit; ut quia arbiter fuit pecunia corruptus, partem unam notorie, & gravissime læsit &c. *l.* 32. §. 14. *ff.* & *l.* 3. *C. h. t.* 4. Si pars enormiter læsa est ante homologationem laudi expressam, vel per decem dies tacitam, reclamare potest contra laudum. *l.* 5. §. *fin. autem, C. h. t.* quia in tali casu æquitas suadet læso esse succurrendum. In his casibus judex, ad quem recurritur, est ille, coram quo alias causa ista proponenda fuisset, & ab hoc *judice reductionis* concessa videtur appellatio, cum nullibi reperiatur prohibita *arg. l.* 20. *C. de appell.*

10. Q. VIII. *Quomodo expiret compromissum?* ℞. 1. Ex parte arbitrorum expirat morte etiam unius, vel deportatione, vel recusatione propter suspicionem odii capitalis, vel amicitiæ supervenientis cum altera parte. 2. Ex parte compromittentium expirat mutuo consensu, transactione super re, morte alterutrius: sola tamen morte tutoris, vel procuratoris in rem alienam non expirat; solutione pœnæ &c. *l.* 13. *ff. h. t. c.* 10. *eod.* 3. Ex parte causæ expirat lapsu temporis præfixi, defectu conditionis non impletæ, interitu rei, super qua laudum dici debuit: denique pronuntiatione laudi super tota causa *l.* 19. *ff. h. t.*

LIBER

LIBER SECUNDUS
DECRETALIUM GREGORII IX.
De Judicio Ecclesiastico.

In hoc libro exacte traditur totus processus judiciarius, tanquam secundum objectum materiale juris; neque solum in Canonico, sed etiam in foro civili magnæ est æstimationis, & utilitatis, cum adeo ordinata actuum judicialium series non reperiatur expressa in corpore juris civilis.

TITULUS PRIMUS
De Judiciis.

AGitur de his in Sexto, Clementin. & Extrav. com. *h. t.* In Decreto 2. *q.* 1. *&* 5. *q.*4. *&* 14. *q.* 1. 15. *q.* 7. 16. *q.*6. 30. *q.fin. a Can. si quis* in Trid.*seß.*7. *c.* 14. *seß.* 24. *c.* 20. *& seß.* 25. *c.* 10. *de refor. & seß.* 13. *c.* 5. *de reform.* ubi de judicio summario. In Institutionib. *lib.* 4. *tit.* 6. *de actionibus cum seqq.* in Pandectis *lib.* 5. *tit.* 1. In Codice *lib.* 1. *tit.* 4. *lib.* 3. *tit.* 1. 5. 6. 7.

Hic recolenda sunt, quæ in jure civili traduntur ad *tit. de actionibus*, quorum notitia ad intelligendum processum judiciarium est maxime necessaria.

Nota 1. Judicium hic definiri, quod sit *legitima controversiæ inter actorem, & reum ortæ apud judicem disceptatio, & definitio*, ita com. ex *c.* 10. *de V. S. & l.* 9. 13. *C. h. t.* Et quamvis nonnulli confundant judicium cum *quæstione*, *causa*, *lite*, *& instantia*, in rigore tamen hæc omnia differunt: nam *quæstio* est ipsum jus controversum in judicium deducibile; *causa* est idem jus actu deductum in judicium; *lis* est actio, qua res controversa deducitur in judicium; *instantia* est exercitium actionis, quod litis contestatione incipit, & finitur, vel sententia definitiva, vel lapsu temporis a jure præscripti, ut biennii, aut triennii, *l.* 13. §. 1. *C. h. t.*

2. *Nota* 2. Judicium quoad substantiam descendere ex jure naturali, quod dictat in Republica debere esse aliquas personas publicas, quæ litigantibus jus dicant, ne causæ per violentiam dirimantur, sicut fiebat apud veteres per diffidationes, jam hodie sublatas. At quoad solemnitates judicium est creatura juris civilis, & Canonici, quia solemnitates istæ inventæ sunt a jure civili, & deinde in jus Canonicum translatæ, ut patet ex hoc Libro II.

3. *Nota* 3. Judicium varie dividi: & quidem ex parte *finis* in *civile*, in quo tractatur causa civilis, vel criminalis civiliter ad privatum commodum actoris, & *criminale*, in quo tractatur causa criminalis criminaliter ad vindictam publicam, sive capitalem, sive non capitalem. Ex parte *causæ efficientis* in *ordinarium*, quod fit a judice ordinario, & *delegatum*, seu *extraordinarium*, quod a delegato, *Ecclesiasticum*; *& seculare*, quorum illud ab Ecclesiastico, istud a judice laico perficitur. Ex parte *formæ in plenarium*, seu *solemne*, aut *ordinarium*, in quo omnes solemnitates, & apices juris observantur; & *summarium*, seu *extraordinarium*, in quo proceditur de plano absque strepitu, & figura judicii, sola rei veritate attenta. Denique ex parte materiæ tot sunt divisiones judiciorum, quot materiarum, & actionum, ex quibus præcipuas hic referam. Primo itaque judicium ex parte materiæ dividitur. 1. In *spirituale*, in quo causæ spirituales, vel hi, annexæ; & *temporale*, in quo causæ mere profanæ tractantur. Differt *spirituale* ab *Ecclesiastico*, sicut species a genere, quia in Ecclesiastico agi possunt etiam causæ profanæ Clericorum. *Temporale* autem differt a *seculari*, sicut genus a specie, cum causa temporalis etiam coram Ecclesiastico discuti valeat. De judicio spirituali Sacramentali nullus nobis hic sermo. 2. In *reale*, in quo actio realis; & *personale*, in quo actio personalis proponitur. 3. In *universale generale*, & *singulare*. *Universale* instituitur super universitate rei, hoc est, super corpore bonorum e diversis juribus conflato, uti est hæreditas, territorium, Ecclesia &c. *Generale* fit super pluribus rebus, separatis tamen, & nullam universitatem constituentibus, uti est judicium tutelæ, pro socio, negotiorum gestorum &c. *Singulare* fit super una re determinata, ut super hoc agro, grege ovium. 4. In *simplex*, in quo unus litigantium est actor, & alter reus; & *duplex*, in quo uterque litigantium est actor, & uterque reus: in processu autem is fit actor, qui prius provocavit; vel si uterque provocavit simul, sortiendum est, vel a judice determinandum, quis rei, quis actoris partes agat *lib.* 13. 14. *ff. h. t.* Ita accidit in judiciis divisoriis familiæ herciscundæ, communi dividundo, & finium regund. 5. In *petitorium*, in quo agitur de jure, & causa proprietatis; & *possessorium*, in quo agitur de possessione rei, aut juris. Denique sicut actiones, ita & judicia sunt *bonæ fidei*, vel *stricti juris*, *pœnalia*, *arbitraria* &c.

4. Q. I. *Quot personæ constituant judicium?* ℞. 1. Tres principales, & necessariæ: *actor*, *reus*, & *judex*, *c.* 10. §. *omni de V. S.* & *l.* 62. *ff. h. t. Actor* est, qui actionem proponit, & ad judicium provocat: in criminalibus dicitur *accusator*, cujus vicem sæpe supplet fama, indicia criminis, vel ipsum officium judicis in crimina inquirentis, *c.* 24. *de accus. Reus*, non a *reatu*, sed potius a *re*, seu controversia ei mota dictus, est, qui ab actore in jus provocatur: *judex* vero, est, qui utrique parti jus dicit. ℞. 2. Personæ accessoriæ, seu auxiliares ex parte judicis sunt *assessores*, seu *consiliarii*, quibus de jure communi non competit jurisdictio; *auditores* in curia Romana, & apud legatos Sed. Apost. qui in aliis tribunalibus dicuntur *referendarii*, qui prius causam examinant, eamque referunt ad judicem ex merito decidendam: *notarii*, seu *actuarii*, aut *protocollistæ*, qui acta judicialia notant, & in protocollum, seu tabulas, aut librum actorum referunt: *nuncii*, seu *apparitores*, *viatores*, *pedelli*, qui jussa judicis exequuntur, citationes ad partes deferendo &c. Et horum personæ sunt *sanctæ*, cum a malitia hominum quoad actus sibi injunctos immunitate gaudeant. Ex parte litigantium sunt *advocati*, *procuratores*, & *testes*.

5. Q. II. *In quibus casibus prohibetur judici, alias competenti judicare?* ℞. Præcipue in his tribus. 1. Si coram alio judice egit advocatum in eadem causa *arg. l. fin. C. de accessor.* 2. Si ipse in alio judicio consimilem causam habeat, *c.* 18. *h. t.* 3. Nullus inferior potest esse judex in propria causa, hoc est, cedente in proprium commodum, & utilitatem. Ita rubrica & *l. un. C. ne quis in sua causa judicet, vel jus sibi dicat.* Cui consonat *l.* 10. *ff. de jurisd. & Can.* 27. *inter querelas* 23. *q.* 4. ubi reprehenditur Episcopus, quod in causa propria injuriæ sibi illatæ, excommunicationem tulerit: nam in his casibus propter naturalem erga se propensionem suspicio est iniqui judicii. Nec obstat, quod judex injuriam notoriam sibi ut judici illatam punire possit ad vindictam publicam, vel Episcopus judicare in causa suæ Ecclesiæ, quæ ipsi Episcopo non est communis: nam in his, & similibus casibus causa non est propria judicis, sed potius officii, aut Ecclesiæ; adeoque cessat causa suspicionis. At contra supremus Princeps, ut Papa, Imperator, Rex, judicare potest in propria causa inter ipsum, & subditum mota *l. un. C. si quis Imperat. maled. l.* 41. *ff. de hæred. instit. & c.* 12. *h. t.* ubi lis super privilegiis Apostolicis orta,

soli

soli Sedi Apostolicæ reservatur decidenda. Ratio est, tum quia Princeps non tenetur se submittere judicio inferioris; tum quia suspicionem in Principe sufficienter purgat summa dignitas, & æquitas in legislatore præsumpta. Consultius tamen est, ut in talibus causis arbitri eligantur *l. 2. C. si advers. Fisc.*

6. Q. III. *Qui habent legitimam personam standi in judicio?* ℞. 1. In reo *necessario* nulla specialis qualitas requiritur; quia iste invitus trahitur ad judicium: at in reo voluntario, qui sponte venit ad se defendendum, & multo magis in actore, requiruntur speciales qualitates, scilicet, ut sit homo liber, majorennis, & nullo jure prohibitus a judicio. ℞. 2. Quilibet in judicio stare potest, nisi specialiter prohibeatur: prohibentur autem. 1. *Infantes, amentes, prodigi, surdi, muti*, pro quibus tamen curatores agunt, *l. 12. §. fin. ff. de tutor. l. 1. C. de curat. fur.* 2. *Pupilli* sine auctoritate tutoris in suum damnum *l. 1. C. qui leg. pers.* ubi in *l. fin.* excipitur causa momentaneæ possessionis. 3. *Minores* sine auctoritate curatoris, quo si careant, dandus est eis curator ad litem *§. 2. In. de curat.* Excipe causas spirituales, ut matrimonii, beneficii &c. in quibus minores habentur pro majoribus *c. fin. h. t. in 6.* item in causas alimentorum, & si minor veniam ætatis impetravit *l. 2. C. de his qui ven.* & quoties consuetudo aliud habet. 4. *Filiusf.* sine consensu patris contra extraneum, *cit. c. fin. h. t. in 6. & l. fin. Cod. de bon. qualib.* nisi agat in causa spirituali, vel nomine alieno, ut tutorio, vel circa peculium castrense &c. contra patrem autem agere nequit, nisi obtenta prætoris venia *l. 13. ff. de in jus voc.* 5. *Excommunicatus* tanquam actor, nisi in causa suæ excommunicationis, vel periculi animæ, uti in matrimonialibus *c. 7. h. t.* Et quidem, si vitandus est, removeri debet exceptione, vel ex officio judicis: respondere autem regulariter debet per procuratorem, nisi causa esset nimis ardua, & non adesset procurator idoneus, & gratuitus. *ibid.* 6. *Religiosus* sine consensu Prælati, nisi habeat beneficium Ecclesiasticum, vel agat in causa sua contra Prælatum, v. g. ne ejiciatur, alimentis privetur &c. At Prælatus in causa communi Ecclesiæ agere, & respondere potest sine capitulo *cap. 21. de rescript.* nisi causa simul spectaret ad administrationem capituli. Parochus, si solus administret bona Ecclesiæ, admittitur in judicio, si cum Episcopo, is utpote major præferendus erit. Circa Prælatos regulares consulenda sunt propria statuta. 7. *Mulier* honesta, præsertim illustris, in causa civili non potest invita personaliter trahi in judicium: si tamen vult, potest agere, & respondere *c. 2. h. t. in 6.* 8. *Servi* proprie dicti, cum non habeant communionem juris civilis, nequeunt stare in judicio, nisi litigent in causa sui status, libertatis &c. Ceterum personæ istæ, dum utilitas publica exposcit, v. g. in causa perduellionis, hæresis &c. plerumque admittuntur ad judicium.

7. Q. IV. *An quis invitus compelli possit ad agendum?* ℞. Negative: ita rubrica cum *l. un. C. ut nemo invitus agere, vel accusare cogatur*. Excipe, nisi jam litem inchoaverit, vel alterum diffamaverit *l. 5. diffamari C. de ingen.* vel nisi ex quasi contractu ad agendum sit obligatus, uti tutores, administratores, hæres pro vindicanda nece defuncti &c. at in reum, etiam invitum, judicium reddi potest. Ceterum in causis saltem civilibus nec actor, nec reus cogi potest, ut personaliter in judicio compareat, cum jus concedat procuratorem *c. 2. de procurat. l. 1. & fin. C. eod.* nisi specialiter lex, vel rescriptum Principis aliud jubeat. Et quamvis ea, quæ sunt facti, regulariter ab ipsis partibus, utpote his notiora, proponenda forent *c. 14. h. t. l. 79. ff. eod.* pro varia tamen conditione personarum relinquitur, ea proponi per advocatum, maxime si pars adversa non contradicat.

8. Q. V. *Quæ sit materia, seu objectum judicii?* ℞. Omnis causa, seu res inter partes controversa, licet non quælibet causa a quolibet judice judicari possit, sed solum a competente. Unde 1. Causæ mere Ecclesiasticæ, hoc est spirituales, uti sacramenta, vel spiritualibus annexæ, uti jus decimarum, beneficii, patronatus, sepulturæ, & hujusmodi tractandæ sunt coram judice Ecclesiastico privative *c. 2. 3. &c. h. t.* 2. Causæ profanæ laicorum regulariter coram judice seculari agi debent *c. 10. de for. comp.* nam Papa, & Prælati Ecclesiastici, extra suum territorium temporale directe jurisdictionem non habent in temporalia, nisi per accidens, & indirecte ratione peccati, vel nisi ex privilegio, aut consuetudine aliud concedatur. 3. Causæ mixti fori substant judici tam Ecclesiastico, quam laico, ita ut locus sit præventioni, cujusmodi sunt restitutio ab Ecclesia petita contra laicum *c. 1. de in integr. rest.* actus juramento firmati, omnia delicta, excepta hæresi, & simonia, quæ sunt mere Ecclesiastica, licet hodie in gravioribus delictis, ut furti, homicidii &c. raro interponat se judex Ecclesiasticus. Item ex communi sententia, & praxi tribunalium, quæstio meri facti, cui nihil juris admiscetur, super re spirituali, dicitur esse mixti fori, v. g. an sit juratum? an matrimonium contractum? an laicus turbet Clericum in jure decimandi &c. Ita colligitur ex *c. 2. de jurej. in 6.* ubi laicis permittitur cognitio de juramento, & *c. fin. h. t.* possessorium saltem meri facti super jure eligendi instituitur coram laico judice Florentino: tum quia laicus cognoscere potest de injuria illata, v. gr. Clerico, aut Ecclesiæ *cap. 8. de for. compet. lib. 10. C. de Episc. & Cleric.* ergo etiam cognoscere potest, an quis Clericum turbet in jure decimandi. Ratio est, quia tale factum nihil spirituale continet, ergo cognosci potest a laico: & quia excitatur super re spirituali, & plerumque delictum continet, cognosci etiam potest ab Ecclesiastico. Nec obstat *c. 12. de sentent. excom. in 6.* nam ibi principaliter miscetur quæstio juris, an malefactor re ipsa sit Clericus. Similiter quæstio facti super hæresi, aut simonia, cum vix pura possit dari sine admixta quæstione juris, pertinebit ad judicem Ecclesiasticum *c. 13. de Hæret, & c. 18. §. prohibemus eod. in 6.*

9. Q. VI. *Quid sint causæ connexæ, & coram quo judice tractandæ?* ℞. *Ad* 1. Causæ *connexæ*, seu *continentes* sunt, quæ habent communem liquidationis qualitatem, & rationem, neque una sine altera expediri solet. Fit autem connexio, seu continentia causarum pluribus modis: *ratione personarum*, ut inter plures cohæredes, tutores, socios &c. *ratione actionis universalis*: aut *generalis*, ut in petitione hæreditatis, in actione tutelæ, ubi de diversis rebus, & juribus agitur: *ratione rei controversæ*, circa quam plures quæstiones moventur, ut principales circa hæreditatem, incidens circa filiationem &c. *ratione reconventionis*, ut si Titius agens ex vendito reconveniatur super mutuo &c. ℞. *Ad* 2. Continentes, seu connexæ causæ regulariter ab uno, & eodem judice cognoscendæ sunt, *c. fin. de rescript. l. 1. & fin. ff. de quib. reb. ad eumdem l. 5. C. arbitr. tutel. l. 10. C. h. t.* ex quibus juribus nata est regula: *continentia causarum non est dividenda*. Atque id verum est, etsi judex respectu causæ connexæ incidentis, si hæc principaliter proponeretur, non esset competens, quia ipsa continentia ex dispositione juris facit eum competentem *l. 3. C. h. t.* ubi judex principaliter cognoscens super causa bonorum, incidenter cognoscere potest super causa status libertatis, aut servitutis, licet alias super causa status, si principaliter proponeretur, non posset cognoscere. At si Judex respectu causæ alterius connexæ, non tantum per se esset incompetens, sed etiam incapax, nullo modo de illa potest cognoscere, etsi tantum incidenter proponatur, sed tenentur eam ad proprium judicem remittere, sicut laicus causam spiritualem tenetur remittere ad Ecclesiasticum, quia respectu causæ spiritualis est simpliciter incapax. *Can. 3. de ord. cognit. c. 7. qui filii leg.* ubi quæstio nativitatis legitimæ a judice Ecclesiastico decidenda dicitur.

10. Q. VII. *Quis sit judex causarum feudalium?* ℞. Si lis oriatur inter duos vasallos, cognitio pertinet ad dominum; si vero inter vasallum, & dominum, decisio litis spectat ad pares curiæ, seu vasallos conjudices, *lib. 2. F. tit. 55. §. fin.* nam jus in his causis tribuit jurisdictionem domino, & vasallis *c. 5. h. t.* etsi vasallus esset Clericus *c. 6. 7. de for. compet.* ℞. 2. Si lis oriatur inter vasallum, & extraneum, vel misceatur causa extrafeudalis, v. g. an fundus sit allodialis? cognitio pertinet ad judicem ordinarium, quia dominus in extraneum, uti & in causas allodiales nullam habet jurisdictionem.

11. Q. VIII. *In quo consistat forma judicii?* ℞. 1. Forma judicii plenarii consistit in solemnitatibus a ju-

re

re præscriptis, uti sunt oblatio libelli, litis contestatio, & aliæ de quibus in hoc libro agitur. ℞. 2. Forma judicii summarii consistit in his, quæ de jure naturali, & Pontificio requiruntur ad justitiam judicii, uti sunt propositio causæ, ejus probatio, citatio, & defensio rei, ne is inauditus condemnetur, prolatio sententiæ, & insuper *ex Clem. 2. sæpe de V.S.* requiritur juramentum calumniæ, & veritatis, ut petitio actis inferatur, sententia in scriptis proferatur, positiones, & articuli admittantur. Porro judicium summarium adhibetur in causis levibus, in quibus sufficiunt leviores probationes, etiam quandoque semiplenæ; item in causis gravibus, quæ celerem expeditionem exposcunt: & in his, licet de plano procedatur, tamen plenæ probationes requiruntur; cujusmodi sunt causæ electionum, decimarum, matrimoniorum, usurarum, pauperum, & miserabilium personarum, mercedum, alimentorum &c. item causæ etiam criminales Regularium. Plura de judicio summario maxime criminali vide in mea Epitome judicii summarii.

12. Q. IX. *Quando instantia judicii finiatur*? ℞. Prolata sententia definitiva, quia tunc judex functus est suo officio, *l. 55. ff. de re jud.* 2. De jure civili lapsu temporis, scil. triennii in causa civili, & biennii in criminali *l. 13. C. h. t.* quod tamen hodie non observatur. De jure autem Canonico veteri, quo admittebantur appellationes ab interlocutoria, instantia fuit perpetua, ne lites ex litibus nascerentur *c. 20. h. t. c. 5. de in integr. rest. c. 14. de privileg.* Et quia Trid. *sess. 24. c. 20. de ref.* antiquam dispositionem non sustulit, sed tantum permisit, ut partes, si velint, lapso biennio, adire possint Superiorem, sequitur adhuc hodie de jure Canon. instantiam esse perpetuam, donec lis per sententiam definitivam decidatur, vel partes sponte renuntient judicio, vel judex ex justa causa partem aliquam absolvat ab observatione judicii. Excipitur instantia secunda appellationis, cui annus, vel ex causa biennium datur *c. 5. de appell.*

13. Q. X. *Quis sit effectus judicii validi*? ℞. Triplex potissimum refertur. 1. Terminatio litis, qua quisque consequitur, quod suum est. 2. Acta coram judice competente valent, & fidem faciunt in alio judicio *c. 11. de testib.* 3. Si sententia transivit in rem judicatam, in utroque foro admittenda est *c. fin. de except. in 6.*

14. Q. XI. *Ex quibus causis judicium reddatur invalidum*? ℞. Ex seqq. 1. Ex defectu competentis judicis *c. 4. h. t.* 2. Ex defectu litigantium, si non habent legitimam personam standi in judicio. 3. Ex defectu mandati procuratorii. 4. Ex omissione actus, vel solemnitatis substantialis, ut citationis, contestationis litis &c. vel si ordo judiciarius inversus fuit. In Camera imperiali, & Curia Romana post Const. Pauli V. reformatoriam tribunalium, ad invalidandum judicium tres tantum solemnitates attenduntur: *Judex incompetens, Procurator mandato sufficienti destitutus, & omissa citatio.*

15. Q. XII. *An acta judicis existimati in concursu erroris communis sustineantur ut valida*? ℞. Affirmative ex celebri *lib. 3. Barbarius ff. de offic. prætor.* relata in *Can. 1. in fin. 3. q. 7.* ubi acta Barbarii servi in præturam evecti, eo quod communiter habitus sit pro libero, pronuntiantur valida, & *c. 24. de sent. & de re jud.* sententia a notorie excommunicato prolata declaratur irrita, ergo si excommunicatio nota non fuisset, valuisset ejus sententia. Ratio est, quia in tali casu respubl. vel Ecclesia propter utilitatem publicam, & ad evitanda plurima incommoda, quæ ex revocatione talium actorum sequerentur, supplet jurisdictionem judicis existimati. Respectu vero jurisdictionis in confessario, ut valide absolvat juxta probabiliorem sententiam præter titulum coloratum, quando scilicet hic collatus est, sed invalide, vel a principio, vel in decursu temporis propter aliquem occultum defectum, simul etiam requiritur error communis, idest cum communiter putatur aliquem habere verum titulum, quem non habet.

In quo casu, accedente bona fide pœnitentis, valida erit absolutio. Quod si postea pœnitens sciat jurisdictionis defectum, vel dubitet de validitate suæ confessionis, tenetur eam reiterare coram legitimo confessario, ut declaravit Congregat. Concilii in Patavina 11. Decembris 1683. ad 2. dub. a me recognitum.

At si defectus a potestate humana sit insupplebilis, actus cum illo gestus est invalidus, sicut absolutio data a non Sacerdote. Ex his solvuntur *c. 54. v. in sua de elect. l. 15. ff. de jurisd.* cum similibus *l. 10. ff. de Decur.* nam procedunt de errore, & facto privato, non vero communi, & publico, occasione cujus suprema potestas suppler jurisdictionem inferioris.

TITULUS II.

De Foro competente.

Agitur de hac materia in Sexto, & Clem. *hoc tit.* in Decreto *dist. 96. & 3. q. 6. & 6. q. 3. & 11. q. 1. & 21. q. 5.* In Trid. *sess. 7. c. 10. sess. 13. c. 6. sess. 23. c. 6. sess. 24. c. 5. & 20. de ref.* In Pandectis *lib. 5. tit. 1.* in Codice *lib. 3. tit. 13. usque ad 27.*

1. *Nota* 1. Licet hæc duo: *forum*, & *forus* frequenter in usum confundantur, in rigore ea distingui: nam *forum* in neutro significat locum deputatum ad vendendum, emendum, & ita dicitur forum horarium, vinarium &c. *Forus* in masculino significat, & jurisdictionem exercentis judicium, & locum exercendarum litium, seu *tribunal*, *auditorium*, & in Ecclesiasticis consistorium *c. 10. de V. S.* ubi Isidorus ait: *Forus est exercendarum litium locus, a fundo dictus, sive a Foroneo Rege, qui primus Græcis legem dedit.*

2. *Nota* 2. Forum aliud esse *competens*, in quo reus conveniri potest, & debet: aliud *incompetens*, in quo reus conveniri nec debet, nec potest. Ceteræ divisiones fori coincidunt cum divisionibus jurisdictionis, & judicii. In eodem sensu judex dicitur *competens*, vel *incompetens*. Est autem judex alius *incompetens per se*; cujus tamen jurisdictio per accidens prorogari potest a partibus, ut vi prorogationis fiat competens; alius *omnino incompetens*, seu *incapax*, cujus jurisdictio neque a partibus prorogari potest, uti est laicus respectu Clericorum, & causarum spiritualium *c. 2. de jud. & c. 2. 12. hoc tit.*

3. *Nota* 3. Fori competentiam generaliter deduci ex triplici capite: 1. *Ex qualitate causæ* Ecclesiasticæ, secularis, mixtæ, feudalis: & de hac competentia dictum est *tit. præced.* 2. *Ex persona judicis*, quia is habet jurisdictionem ordinariam, vel delegatam, vel ratione prorogationis, præventionis, appellationis, de suo loco. 3. Ex *persona rei* ratione domicilii, rei sitæ, contractus, & delicti: qui quatuor sunt ordinarii modi sortiendi forum *c. fin. h. t.* item ratione privilegii certis personis concessi, ut in alio foro conveniri nequeant. His notatis agetur hic 1. De foro competente ratione prorogationis, & præventionis. 2. Ratione domicilii, rei sitæ, contractus, & delicti. 3. De foro privilegiato Clericorum, & quorumdam laicorum. 4. Tandem de foro communi Curiæ Romanæ, & jure revocandi domum.

§. I.

De Foro competente in communi, & ratione prorogationis, ac præventionis.

4. Q. I. *In quo foro actor convenire debeat reum*? ℞. In foro, seu coram judice ipsius rei. Ita regula generalis in *l. fin. C. ubi in rem, c. 5. 8. h. t. actor rei forum, sive in rem, sive in personam sit actio, sequitur* nam ille judex est adeundus, qui reum ad judicium cogere possit; talis autem non est, nisi judex ipsius rei. Nec obstat *l. 5. diffamari C. de ingen.* nam in hoc judicio diffamationis ipse diffamans, seu provocans in judicium, habetur pro actore, adeoque debet sequi forum diffamati. Porro actor trahens reum ad judicem incompetentem, perdit actionem, reus vero cogens actorem, ut se conveniat in foro incompetenti, habetur pro confesso: denique judex incompetens ferens, & exequens sententiam punitur capitaliter, *l. 5. C. de jurisd. omn. jud.* hæ tamen pœnæ, præsertim quoad judicem, hodie non observantur.

5. Q. II. *Quid juris, si reus citetur ad judicem incompetentem*? ℞. Si judex notorie est incompetens, reus non tenetur comparere, cum non sit ei subjectus: si ve-

si vero exemptio rei non est manifesta, tenetur comparere, & docere de privilegio suæ exemptionis, cum judex probabiliter ignorare possit tale privilegium, *arg. c. 1. de const. in 6.* ℞. 2. In dubio de competentia judicis reus citatus tenetur comparere, & si sub initium opponat exceptionem incompetentiæ fori declinatoriam, judex de illa cognoscit. Ita Ulp. *l. 5. ff. de jud.* ibi: ***prætoris est enim æstimare, an sua sit jurisdictio, vocati autem non contemnere auctoritatem prætoris.*** Ratio primi, quia præsumptio stat pro competentia judicis, seu personæ publicæ, cui videtur melius constare, an jurisdictionem habeat in tali casu. Secunda pars habetur *cit. l. 5.* & *l. 2. §. 6. eod.* & de judice delegato *l. 2. C. si contra jus.* Ratio est, quia hic judex non judicat in propria causa, cum ex ministerio judicandi nullam utilitatem habeat. At si quis judici objiceret defectum circa titulum proprietatis, seu jus jurisdictionis, non posset in hac causa, utpote propria, judicare. ℞. 3. In dubio, an causa sit judicis Ecclesiastici, vel laici, pronuntiat Ecclesiasticus, *c. 12. de sent. excomm. in 6.* ubi in casu, an malefactor sit Clericus? judicat Ecclesiasticus: tum quia convenit, ut in dubio major, & dignior potestas judicet; tum ne judex laicus casu, quo causa esset mere Ecclesiastica, exponat se periculo nulliter dicendi sententiam; quæ ratio non militat contra Ecclesiasticum, cum iste non sit incapax respectu causæ profanæ.

6. Q. III. ***Quid sit forum prorogationis, & quibus modis fiat?*** ℞. *ad* 1. Est illud, dum partes scienter, & libere consentiunt in judicem non suum, ejusque jurisdictionem extendunt ultra proprios limites; ut si duo Pragenses subjiciant se judicio judicis Viennensis, *l. 1. 2. pr. ff. de judic. l. 18. ff. de jurisd. c. 40. de off. deleg.* ut autem prorogatio ista fieri possit, requiritur in persona jurisdictio aliqua, alias quod non est, prorogari nequit. ℞. *ad* 2. Prorogatio fit 4. modis: 1. ***De persona ad personam***, dum non subditi subjiciunt se judici alieno, & hic debet esse ordinarius, *l. 1. 2. ff. de jud.* 2. ***De re ad rem***, seu ***de causa ad causam***, dum partes judici constituto ad certam causam submittunt se quoad aliam similem, v. gr. de quantitate minori 100. ad quantitatem majorem 200. aureorum, *l. 74. ff. de judic.* 3. ***De tempore ad tempus***, dum tempus judici definitum, antequam elapsum sit, partes ulterius prorogant, & extendunt, *l. 1. pr. ff. de recept. arb.* 4. ***De loco ad locum***, dum judex in certo loco ad judicandum constrictus, de consensu partium in alio judicat: si vero translatio fiat ad alienum territorium, requiritur etiam consensus judicis *arg. l. fin. ff. de jurisd.* Hodie prorogationes istæ rariores sunt, & respectu delegati fieri possunt de tempore ad tempus, de loco ad locum, & probabiliter de quantitate ad quantitatem, non vero de persona ad personam, vel de causa diversa ad diversam *c. 40. de off. deleg.* Prohibentur autem in causa reservata Principi, in criminalibus, feudalibus, & appellationibus, ne præjudicium fiat Reipubl. domino, & judici superiori.

7. Q. IV. ***Qui prorogare possint jurisdictionem judicis non sui?*** ℞. Omnes, qui habent legitimam personam standi in judicio, nisi specialiter a jure prohibeantur: nam *l. 1. 2. pr. ff. de jud.* generaliter permittitur hæc prorogatio. Prohibentur autem 1. Procurator, nisi mandatum speciale habeat, vel constitutus sit ***cum libera***, *c. 4. 5. de procur. in 6.* 2. Laici in causis spiritualibus *c. 3. de paroch.* & Clerici etiam in causis temporalibus, sine consensu proprii Episcopi non possunt in se prorogare jurisdictionem alieni judicis Ecclesiastici, etiam metropolitani *c. 18. h. t. & c. 1. eod. in 6.* ne regimen Ecclesiasticum confundatur. 3. Laici in causis spiritualibus, Clerici autem, & Religiosi in quacumque causa, etiam de consensu Episcopi, nequeunt se submittere judici laico, *c. 18. h. t. & c. 2. de judic.* nam laicus respectu Clericorum, & causarum spiritualium est omnino incompetens, & incapax, quam incapacitatem a jure communi in lege divina fundato inductam tollere nequit Episcopus. 4. Regulares exempti non possunt in se prorogare jurisdictionem saltem contentiosam sui ordinarii. Ita com. ex *c. 2. de in integr. rest. & c. 5. de arbitr.* ibi: ***cum etsi sponte volueris:*** tum quia hac prorogatione læderetur jus, quod per exemptionem quæsitum est Sedi Apostolicæ; tum quia Papa est proprius diœcesanus exemptorum; sine hujus autem consensu non licet Clericis alieno diœcesano se submittere. Imo attento rigore juris, exempti neque jurisdictionem voluntariam sui ordinarii possunt in se prorogare, v. g. ad absolvendum a censuris, & peccatis, dispensandum in votis, jejuniis, recitatione horarum Canon. &c. Ita Abb. Rodriq. Suar. & alii contra Sanch. Laym. Pirh. &c. nam in materia generaliter prohibita non intelligitur concessum, nisi specialiter sit expressum, *Clem. 1. v. nam ubi de V. S.* sed Episcopis generaliter prohibetur exercere jurisdictionem in exemptos; nullibi vero conceditur talis prorogatio, ergo. At de æquitate, tacito consensu Papæ, & consuetudine, saltem, si Prælatus reg. non est præditus tali potestate, possunt exempti se subjicere Episcopo pro absolutione, dispensatione &c. *arg. reg. 61. in 6.* Hoc, & non plus probant argumenta adversariorum. 5. Studiosi possunt declinare forum Academicum, & alieno judici se submittere, cum hoc nullo jure scripto prohibeatur, licet consuetudo stet in contrarium in multis locis, quæ observanda erit, ne contemnatur magistratus Academicus, & disciplina scholastica relaxetur.

8. Q. V. ***Quomodo inducatur forum præventionis?*** ℞. Sola etiam citatione verbali legitime interposita, dum unus judex competens citando præoccupat jurisdictionem alterius in eadem causa competentis; ut in causis mixti fori, & in delegatione plurium, ut singulorum in solidum. Ita com. ex *c. 19. h. t.* nam sola citatione in decretum redacta perpetuatur jurisdictio tam ordinarii, quam delegati, *c. 20. de off. deleg.* & per *l. 30. ff. de jud.* ***ubi acceptum est semel judicium, ibi & finem accipere debet.*** Unde 1. mutatio domicilii, vel acquisitio fori privilegiati per assumptam militiam, vel statum Clericalem, citatione præventum non eximit a jurisdictione judicis prævenientis, nisi in superveniente privilegio Princeps aliud exprimat: quo sensu procedit *l. 12. pr. ff. si quis caution.* judex tamen laicus eum, qui post citationem factus est Clericus, non condemnabit pœna corporis afflictiva, sed tantum pecuniaria. Ratio est, quia mutatio, vel privilegium superveniens regulariter non obest judicio per citationem radicato *l. 19. ff. de jurisd. l. 7. ff. de jud.* 2. Si plures correi ad eundem judicem competentem spectent, citatio unius inducit præventionem fori respectu aliorum, ne continentia causarum dividatur. Secus si alter correus esset de jurisdict. alterius judicis, ut si Clericus delinquat cum laico, tunc enim quisque a suo judic. judicandus est.

§. II.

De foro competente ratione domicilii, rei sitæ, contractus, & delicti.

Hic circa domicilium recolenda sunt ea, quæ ad *tit. ff. ad munic.* tradi solent, & quidem pro præsenti.

9. *Nota* 1. domicilium in genere esse locum habitationis diuturnæ. Dividitur in ***commune***, quod olim erat Roma communis omnium civium Romanorum patria: & de hoc ad finem *h. t.* aliqua dicentur: & ***particulare***, seu ***privatum***, quod quisque in certo loco figit: & hoc est duplex: ***naturale***, seu ***domicilium originis***, in quo quis natus est, & ***accidentale***, seu ***adscititium***, aut ***habitationis***, in quo quis habitat, & hoc iterum vel est ***domicilium verum***, seu ***simpliciter tale***, in quo quis perpetuum incolatum figit; vel ***quasi domicilium***, in quo quis per notabile tempus moratur, sicut famuli, ancillæ, & studiosi causa studiorum.

10. *Nota* 2. Domicilium originis acquiri vel nativitate propria, vel ab origine patris, & avi (ceterorum ascendentium origo non attenditur) vel ab origine matris, si patrem demonstrare non potest, *l. 24. ff. de statu hom.* Si quis vero parentibus peregre profectis in via fortuito natus est, tunc tantum fit originarius illius loci, si parentes, priori domicilio dimisso, necdum actu aliud domicilium acquisiverunt; alioquin originem suam debebit loco, in quo parentes actu domicilium habent, *l. 9. ff. de captiv.* & *l. 1. C. eod.* qua distinctione explicatur *l. 7. C. de incol.* & *l. 6. pr. ff. ad municip.* Hodie, quidquid sit de jure scripto, ex generali consuetudine ad sortiendum forum non attenditur locus originis, sed habitationis; cui consuetudini favet

favet *c. fin. de Paroch.* ubi christiani ex variis Palæstinæ civitatibus translati Aconem, hic, & non ibi dicuntur conveniendi. Unde totus nobis sermo de domicilio habitationis.

11. *Nota* 3. ad constituendum domicilium verum duo requiri, & sufficere, scil. *animum* stabiliter, seu perpetuo habitandi, nisi aliquid avocet; & *factum* habitationis in tali loco *l.* 20. *ff. ad municip.* & si hæc duo requisita concurrant pro duplici loco, in utroque contrahetur domicilium, & forum *c.* 15. *h. t.* ut si quis stabiliter habitet in uno loco per medium annum, & in altero similiter per medium. Insuper habitatio non solum vera, sed etiam ficta sufficit ratione alicujus conditionis, vel officii: sic Senator acquirit domicilium in ea civitate, in qua Senatoris officium gerit, miles ubi stipendia meret, Religiosus in loco monasterii, uxor in loco mariti, ubicumque alias resideant.

12. Q. I. *An forus domicilii veri sit generalis concurrens cum omni foro quoad universam jurisdictionem tam contentiosam, quam voluntariam?* ℞. Affirmative ex communiori sententia. Prob. *ex l. fin. Cod. ubi in rem:* ubi forum domicilii vocatur generaliter *forum* his verbis: *actor forum rei, sive in rem, sive in personam sit actio, sequitur:* nam ratione domicilii incola fit absolute subditus judici, semperque talis manet, donec mutet domicilium. Excipitur servus, libertus, uxor, qui conveniendi sunt coram judice domini, patroni, & mariti *l.* 22. *ff. ad municip. lib.* 1. *C. ubi cauſ. ſtat.* & hæres ex persona defuncti ibi continuare debet judicium, ubi defunctus illud incepit, *l.* 34. *ff. de judic.* Ex data resolutione.

13. *Sequitur* 1. Reum ratione rei sitæ in alio loco, conveniri etiam posse in foro domicilii. Ita Gloss. in *l. fin. C. ubi in rem.* Abb. & com. contra Gloss. in *c.* 3. *h. t.* P. Friderich, Trentacinque &c. Prob. ex *cit. l. fin.* ubi pro actione reali duplex forum assignatur: generale domicilii in primis verbis: *Actor forum rei* &c. & speciale rei sitæ in verbis posterioribus: *sed & in locis, in quibus res, propter quas contenditur, constitutæ sunt, jubemus in rem actionem adversus possidentem moveri.* Idem colligitur ex *l.* 10. 11. *ff. de R. V. l.* 1. *ff. de reb. auth. jud.* Ratio est, quia actio realis non intentatur in rem nude sumptam, sed ut relatam ad suum possessorem; sed possessor est absolute subjectus judici domicilii, ergo coram eo conveniri potest. Excipitur hic semper causa feudalis, & judicium momentaneæ possessionis ob specialem rationem, ne partes ad rixas, & ad arma convolent: exemplum est in *l.* 14. *C. de agricol.* Nec obstat, *c.* 3. *h. t.* nam procedit de judicio speciali secundum consuetudinem Ecclesiæ Africanæ, ubi Primas, seu Archiepiscopus judices electitios dabat; vide hic Gonz. vel textus iste procedit de congruentia, quia Primas loci majorem notitiam rei habet. Hic etiam opponi solet *cit. l. fin. C. ubi in rem.* ibi: *jubemus*, & *l. un. C. ubi de possess. l. un. C. ubi fideicom. l.* 2. *C. de jurisd. l.* 38. *ff. de jud. l. un. C. ubi de hæred.* sed hæc jura assignantia forum speciale, non excludunt generale domicilii, ut legenti patet.

14. *Sequitur* 2. Reum ratione contractus, vel constituti de solvendo in certo loco, vel ratione delicti, etiam in foro domicilii conveniri posse, etsi alibi contraxerit, vel deliquerit. *l.* 19. §. *fin. ff. de jud. c.* 17. *h. t. Auth. qua in provincia, C. ubi de crimin.* & *l. fin. C. de præscr. lon. temp.*

15. Q. II. *An quis in loco quasi domicilii sortiatur forum?* ℞. 1. Ex generali consuetudine sortitur forum internum, & Sacramentale, excepto ordinis Sacramento. Unde Legati in loco legationis, studiosi, famuli, & ancillæ, ubi operas suas locant, acquirunt jus Parochiæ; ligantur legibus loci, percipiunt Sacramenta, ineunt matrimonia, dispensantur in votis, & juramentis, sicut alii Parochiani. ℞. 2. Ex actibus, vel delictis in loco quasi domicilii gestis acquiritur forum externum, ut com. docet: imo probabilius ex actu alibi gesto potest quis conveniri in loco, seu foro quasi domicilii: ita Abb. Felin. Reiff. & alii contra Host. Falic. &c. Ita colligitur ex *l.* 2. *C. ubi de crimin.* ubi plagiarius dicitur posse conveniri, ubi *degit*, hoc est, ut explicat Glossa, ubi moratur, sicut scholaris in scholis, & *l.* 2. *C. ubi Senator.* Senatores etiam in suburbanis, ubi est quasi domicilium, respondere tenentur: nam æquum est, ut quasi incolæ, qui legibus loci ligantur, & sortiuntur forum Parochiæ, etiam sortiantur forum externum ex actibus alibi gestis; maxime, si verum domicilium procul distet. Nec obstat *l.* 7. *C. de incolis*, nam licet domicilium verum incolam faciat quoad munera civilia, tamen quoad actus judiciales sufficit, quod quis sit quasi incola.

16. ℞. 3. Vagi, qui actu nullum domicilium, vel quasi domicilium habent, in eo loco sortiuntur forum, in quo reperiuntur, & conf. ibi conveniri possunt ex quocumque actu, vel delicto alibi facto, juxta illud Abb. *c. fin. h. t. ubi te invenero, ibi te judicabo:* nam hoc & æquitas suadet, & ratio boni publici exigit, alioqin vagi facile subterfugere possent omne judicium.

17. Q. III. *An quis ratione rei sitæ sortiatur forum in alieno territorio, in quo non habitat?* ℞. Affirmative, *c.* 3. & *fin. h. t. l. fin. C. ubi in rem:* nam talis possessor secundum quid fit subjectus judici talis territorii, scil. *secundum rem sitam*, seu constitutam in tali loco, sive sit res immobilis, sive mobilis, in quo jura non distinguunt; ergo reus ratione rei sitæ conveniri potest in alieno territorio, puta actione reali, non personali, quia illa, & non ista rem sequitur, etsi possessor non reperiatur in tali territorio *lib.* 25. *ff. de O. & A. leg.* 19. *ff. de jure Fisci*, ibi: *quoniam res, non persona convenitur*, nisi actio personalis esset *in rem scripta*, cui etiam locus est in territorio rei sitæ, uti est actio *quod metus causa, ad exhibendum, quadrupedaria, l.* 9. §. *fin. ff. quod met. cauſ.* 2. In loco rei sitæ institui potest non modo *petitorium*, sed & possessorium, *l. un. C. ubi de possess.* & *l. un. C. ubi de hæredit.* tum quia causæ proprietatis, & possessionis ita sunt connexæ, ut eidem judici subjiciantur *c.* 1. *de cauſ. poſſ.* tum quia interdicta *adipiscendæ*, & *retinendæ*, utpote innitentia juri reali, per se realia sunt, aut saltem in rem scripta: interdictum vero *unde vi*, licet primario sit personale, utpote innitens delicto, attamen per se tendit ad restitutionem possessionis; adeoque propter faciliorem expeditionem litis recte intentatur in loco possessionis. Ex his solvuntur *l.* 2. *C. de interd. l.* 1. §. 3. *ff. eod.* 3. Si res mobilis, non permanenter, sed transeunter est in loco, non fundat forum *rei sitæ*, quia proprie non dicitur esse sita in tali loco, nisi ex illo furto fuisset sublata. Si autem possessor de fuga suspectus est, res interim sequestranda erit, donec lis finiatur, *l.* 7. §. *fin. ff. qui satisd.* 4. Si quis rem alieno nomine possideat, ab actore conventus nominare, seu laudare potest suum auctorem, in quem deinde actio dirigitur; at si nomine suo possideat, non liberat se, laudando auctorem, sed tenetur excipere actionem. Auctor vero laudatus, re evicta, ad interesse convenietur in eodem foro, *l.* 1. 2. *C. ubi in rem.* qui casus est specialis, in quo venditor in alieno foro rei sitæ tenetur emptorem defendere, *l.* 49. *ff. de judic.*

18. Q. IV. *An quis ratione contractus sortiatur forum in eo loco, in quo contraxit?* ℞. Affirmative, *c. fin. h. t. c.* 1. *eod. in* 6. *l.* 19. *ff. de jud.* tum quia hoc modo melius consulitur creditoribus; tum quia melius constare potest de ipso contractu, ejusque solemnitatibus. Et hoc procedit etiam de Clericis, qui licet non possint expresse prorogare in se jurisdictionem alterius Episcopi *c.* 18. *h. t.* possunt tamen tacite ex dispositione juris ratione contractus, & delicti *c.* 17. *eod.* idem de his, qui habent privilegium, ne conveniantur in certo loco, *c.* 1. *de privil. in* 6. & *cit. cap.* 17. quia contrahendo, censentur privilegio renuntiasse, nisi privilegium clausum esset in corpore juris, cui, seu juri communi, non censetur per contractum derogari. 2. Reus præsens, non vero absens, regulariter conveniri potest in loco contractus, nisi aliter conventum sit, *c.* 1. *h. t. in* 6. *l.* 19. *ff. de judic.* quia reus cum suo incommodo non tenetur accedere locum contractus, & multo minus illuc remittendus est; quia non militat eadem ratio, quæ pro remissione ad locum delicti, quod ad exemplum aliorum ibi petit puniri, ubi patratum est. 3. Peregrini moram trahentes in loco contractus, ut si conducat tabernam &c. recte ibi conveniuntur, quia tacite se obligant ad solvendum, vel respondendum. At si sint in transitu, & moram non trahant, regulariter hoc tempore peregrinatio-

tionis non sunt conveniendi, nisi aliter conveniant, vel suspicio sit de fuga, vel ea sit loci consuetudo, *l.* 19. §. *proinde, ff. de judic.* ubi ratio additur: *quia durissimum foret, quotquot locis quis navigans, vel iter faciens delatus est, tot locis se defendere*. 4. Administratores non tantum publici, sed etiam privati, ut tutores, negotiorum, & rerum curatores, etiam absentes conveniri possunt ex quasi contractu in loco administrationis. Ita rubrica, & *l.* 1. *C. de ratiociniis tam publicis, quam privatis agi oporteat*, ratio est ex *l. fin. eod.* quia in loco administrationis *instructio sufficiens, & nota testimonia, & verissima possunt documenta praestari*. Quae hic dicta sunt de contractu, proportionaliter intelligenda sunt de distractu, *cit. l.* 19. §. *proinde ff. de judic.* ibi: *si conduxit, ibique distraxit*, quia contrariorum eadem est ratio.

19. Q. V. *Quid judex possit in reum in loco contractus conventum?* ℞. 1. Si reus in loco est, potest illum verbaliter citare, & si contumaciter se absentet, etiam capere, & incarcerare; imo si de jure actoris clare liqueat, non contestata lite, condemnare, *cap. final.* §. *final. ut lite non contest. l.* 13. §. 3. *Cod. de judic.* 2. Si reus e loco contractus discessit, judex illum citare poterit sub comminatione mittendi actorem in possessionem bonorum; si tamen bona illa existant alibi, actor illa non occupabit sine scitu judicis territorialis *cap.* 1. §. 3. *contrahentes, hoc tit. in* 6. At si reus nulla bona habeat, non superest aliud remedium, quam ut actor eum conveniat coram judice domicilii. 3. Reo comparente, praeparatoria litis ordinantur secundum stylum fori, in quo fit judicium; quia ordinatio judicii sequitur leges tribunalis; at decisoria litis facienda sunt secundum leges loci, in quo contractum est; quia contractus sequitur solemnitates loci, unde etiam testes, & alia documenta petenda sunt. Excipitur causa dotis, quam mulier petere debet juxta jura domicilii mariti, licet instrumenta dotalia alibi conscripta sint *l.* 65. *ff. de judic.*

20. Q. VI. *An delinquens sortiatur forum in loco delicti?* ℞. Affirmative, etsi delinquens sit nobilis, vel miles committens delictum non militare, vel clericus, vel privilegiatus; modo casus delicti non sit expressus in privilegio, *cap.* 14. & *fin. h. t. c.* 1. *de privil. in* 6. *l.* 1. & *auth. qua in provincia, C. ubi de crimin.* nam expedit delicta ibi puniri, ubi patrata sunt. Quod si Clericus commisit delictum dignum privatione beneficii, sententia fertur a judice delicti, exequutio autem fit a judice beneficii, puta utrobique Ecclesiastico, *cap.* 14. *h. tit.* Circa Episcopos servanda est constitutio Trid. *sess.* 13. *c.* 8. *de reform.* ubi majora eorum delicta reservantur judicio Apostolico. 2. Delinquens extra delicti, vel domicilii locum regulariter, saltem de jure Canon. scripto, non sortitur alibi forum, ut in loco; in quo deprehenditur, vel reperitur. Ita Clar. Gomez, Covar. & alii contra Bartol. VVesemb. Schmier &c. nam *c. fin. h. t.* & *cap.* 1. *de privil. in* 6. & alibi nulla fit mentio de foro *deprehensionis*, aut *inventionis*. Similiter in *auth. qua in provincia, C. ubi de crimin.* nihil statuitur circa forum deprehensionis. Ratio est: tum quia aliud territorium per delictum rei non est offensum: tum quia ratione rei sitae, & contractus, reus non potest praeterea alibi, quam in loco domicilii judicari, ergo. Excipe, nisi consuetudo, vel conventio magistratuum aliud habeat; aut reus in loco, in quo deprehenditur, compleat, vel continuet delictum, sicut haereticus ubicumque est, haeresi sua peccat; vel nisi delinquens sit vagus, de quo dicitur: *ubi te invenero, ibi te judicabo*. Nec obstat *l.* 1. *Cod. de crim.* ibi: *vel ubi reperiuntur*, nam his verbis significatur forum domicilii; secus verba ista generaliter accepta restringi debent ad vagos, *l.* 3. *ff. de off. praesid.* procedit de hominibus malis, *si quid manu commiserint*, seu deliquerint in provincia.

21. Q. VII. *Quid juris, si delictum concernat duplex territorium?* ℞. cum distinctione: 1. Ubi quis vulnus lethale inflixit, ibi sortitur forum, etsi vulneratus fugiens in alio territorio decesserit: nam ibi homicidium fit, ubi ponitur causa efficax necis *arg. l.* 21. §. 2. *ff. ad L. Aquil.* 2. Si occisus reperiatur jacens in confinio duorum territoriorum, & dubitatur, in quo vulnus lethale acceperit, reus sortitur forum in utroque territorio, ita ut inter judices locus sit praeventioni, *arg. l.* 19. *ff. commun. divid.* ubi arbor in utriusque vicini fundo enata, dicitur pertinere ad utrumque dominum: nam meriti delictum ex loco, ubi caput, vel pedes, vel cor jacet, vel ubi homicida stetit, est prorsus incertum. 3. Qui stans in territorio *A.* v. g. explodendo sclopum, occidit alterum in territorio *B.* probabilius sortitur forum in utroque, *l.* 1. *C. ubi de crim.* ubi loquutio est alternativa: *quaestiones criminum perfici, ubi commissa, vel inchoata sunt*. Econtra qui mandavit homicidium in territorio *A.* perficiendum in territorio *B.* regulariter sortitur forum in loco exequutionis, licet Farinaccius dicat forum contrahi in utroque loco: nam in priori casu unicus est actus explosionis, & homicidii; in hoc autem posteriori casu sunt duo diversi actus, scil. mandatum, & ejus exequutio; solum autem mandatum sine effectu non punitur poena ordinaria, v. g. homicidii, nisi in gravissimis delictis laesae majestatis, assassinii &c. & tunc mandans, & mandatarius sortitur forum in utroque loco.

22. Q. VIII. *Quid judex possit in reum ratione delicti conventum?* ℞. 1. Si reus existit in loco delicti, potest illum punire poena corporali, vel pecuniaria secundum statuta loci, licet in eo loco, ubi reus habet domicilium, alia poena statuta sit tali delicto, *l.* 1. *C. ubi de crim. c.* 14. *h. t.* nam voluntarie delinquendo, reus, ipso facto se submittit poenae legibus territorii taxatae. 2. Si reus fugit, non potest judex eum persequi in alieno territorio, ex reg. generali, *c. fin. de const. in* 6. *& l. fin. ff. de jurisd. extra territorium jus dicenti impune non paretur*, nisi esset publicus latro, aut grassator per Const. Imperat. §. 22. Augustae editam *an.* 1559. Si autem eum citatione praevenit ante fugam, iterum eum citare, & contra contumacem usque ad sententiam definitivam procedere potest, decernendo missionem in bona, vel poenam banni, aut excommunicationis, *c.* 19. *h. t. l.* 1. *C. de requir. reis.* nam per citationem factus est subditus illi judici. At si citatione eum non praevenit, vocare eum potest edictaliter: & quamvis in personam contumacis procedere nequeat, quia per egressum desiit esse subditus, potest tamen ejus bona adnotare; & si aliter satisfacere nolit, decernere missionem in illa, requirendo judicem alterius territorii, ut eam admittat. *Clem.* 2. *de sentent. & re judic. c.* 1. §. *contrahentes h. t. in* 6. Remissio delinquentium hodie raro fit ad locum delicti, nisi judex inferior in tali delicto judicare nequeat, *l.* 1. 7. *C. de defensor. civit.* Potest tamen remissio ista peti per litteras *requisitorias*, seu *precatorias*; & si petitioni annuitur, dandae sunt litterae *reversales*, quod remissio haec non sit futura in praejudicium remittentis, & quod judex requirens in simili idem facturus sit.

§. III.

De foro privilegiato Clericorum.

23. Q. I. *An, & quo jure Clerici habeant privilegium fori, quo eximuntur a jurisdictione laicorum?* ℞. ad 1. Affirmative cum catholicis contra heterodoxos, ut patebit ex dicendis. Circa secundum tres sunt sententiae. Prima docet hanc exemptionem esse tantum juris positivi humani: ita Covar. Caevall. Molin. &c. Secunda docet esse juris divini initiative, & originaliter; formaliter autem juris humani: ita Lessius, VViestner, Schmalz. quorum sententia parum differt a priori. Tertia docet esse formaliter juris divini, & naturalis saltem in thesi, seu genere, licet determinatio illius quoad particulares circumstantias, & personas dependeat a Vicario Christi: ita Abb. Clar. Engl. Laym. Reiff. & plurimi alii TT. ac Canonistae, cum quorum veriori sententia.

24. ℞. *Ad* 2. Forum Clericale non solum est juris humani, sed etiam divini, & naturalis. Prob. 1. pars ex jure civ. *auth. statuimus C. de Episc. & Cler.* ubi ex Const. Friderici Imp. haec referuntur: *Statuimus, ut nullus Ecclesiasticam personam in criminali quaestione, vel civili trahere ad judicium seculare praesumat &c. & auth. cassa C. de SS. Eccl.* idem Imp. dicit cassa, & irrita esse statuta contra immunitatem Ecclesiae, ejusque personas. Idem Prob. ex jure Canon. *dist.* 96. fere per tot. *cap.* 8. *de judic. cap.* 12. *h. tit.* & alibi passim.

Prob. 2.

Quamvis Conc. Trid. sess. 23. c. 6. de ref. noluerit Clericum in minoribus constitutum, nullum possidentem Ecclesiasticum beneficium, gaudere privilegio fori, nisi præter delationem habitus, & tonsuræ inserviat alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi, hæc tamen conditio adeo levis visa est Cong. Conc. ut hujusmodi dumtaxat defectus non satis sit ad illum spoliandum hoc privilegio; ut constat ex sequentibus responsis ejusdem Cong. relatis a Bened. XIV. lib. XII. de Synod. Diœc. c. 6. n. 5. In Senogallien. 23. Jan. 1603. Sacra &c. censuit, oratorem, Clericalem habitum, & tonsuram deferentem, quamvis alteri Ecclesiæ, quam illi, cui ex mandato Episcopi ad inserviendum adscriptus fuit, inserviat, nihilominus privilegio fori gaudere -- *& in Neapolitana* 1. *Februarii* 1614. *cum eadem Congreg. fuisset consulta* -- An Clericus in minoribus ordinibus constitutus, Clericalem habitum, & tonsuram deferens, atque Ecclesiæ inserviens, gaudeat privilegio fori, si alicui Ecclesiæ ab Episcopo adscriptus non sit -- *respondit:* Gaudere.

Est hic notandum cum eod. Bened. l. c. n. 6. Neque (*sunt ipsius verba*) hæc Sac. Cong. responsa alteri adversantur Trid. decreto ejusd. S. 23. c. 16. de quo nos ipsi superius egimus lib. II. c. 2. ubi nimirum vestigiis inhærens sexti Canonis Concilii Chalcedonensis, neminem in posterum ordinibus initiandum decrevit, qui illi Ecclesiæ, aut pio loco, pro cujus necessitate, aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus; simulque sacris interdicendum præcepit, qui, inconsulto Episcopo, ab Ecclesia se proripit, cui fuit alligatus: aliud siquidem est, Clericum posse compelli ad inserviendum Ecclesiæ ab Episcopo designatæ; aliud posse fori privilegio ideo privari, quod non illi, sed alteri Ecclesiæ suum servitium impendat. Primum certe, non itidem alterum, ex allegato Tridentini textu consequitur: quin imo ex hoc aperte conficitur, sola suspensione a Divinis, aut interdictione ascensus ad Superiores ordines, ejus esse puniendam contumaciam, qui inconsulto Episcopo, ab Ecclesia recedit, cui in sui ordinatione fuit mancipatus; uti in suis suffragiis hac super re diligenter elucubratis concluserunt Carolus de Vechiis, & Prosper Fagnanus, celebres olim Sac. Congreg. Conc. Secretarii, quæ extant lib. memorialium 52. pag. 16.

Prob. 2. *pars quoad jus divin. ex Gen.* 47. *v.* 22. *Lev. ult. v.* 28. *n.* 18. *v.* 8. ubi Sacerdotes veteris legis leguntur exempti a jurisdictione laicorum; ergo multo magis id concedendum est Sacerdotibus novæ legis, cum præceptum istud non sit mere cæremoniale, sed potius morale tangens directionem bonorum morum, & præcavens irreverentiam in Christos Domini. 2. *Matt.* 17. ibi: *Reges terræ &c.* Christus pronuntiat Petrum esse liberum a solutione tributi, & conf. liberum a jurisdictione laica: Petrus autem repræsentavit totum statum Clericalem: tum quia exemptionem istam a Christo profectam communis quasi traditio, & usus Ecclesiæ manifestat; & ideo Imp. Const. in Conc. Nicæno ad Patres dixit: *Vos a nemine dijudicari potestis, quia solius Dei judicio reservamini, Can. futurum* 12. *q.* 1. *Can. continua* 11. *q.* 1. & omissis aliis 3. Prob. auctoritate Conciliorum hoc jus divinum asserentium. Sic in Conc. Lat. sub Leone X. *Sess.* 9. *in Bulla ref.* dicitur: *cum a jure tam divino, quam humano laicis potestas nulla in Ecclesiasticas personas attributa sit*; & clarius Trid. *sess.* 25. *c.* 20. *de ref.* dicit: *Ecclesiæ, & personarum Ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione, & Canonicis sanctionibus constitutam esse*; quia textus in propria significatione sine ullo absurdo intelligi possunt.

Prob. 3. *pars quoad jus naturale*, ex quo conclusio saltem mediata, & remota deducitur, dictam exemptionem ostendens: nam Clerici sunt instituti patres, magistri, & judices omnium fidelium, etiam principum, in summo tribunali Ecclesiastico. *Actor.* 20. ibi: *vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei:* sed jus naturale dictat patres, magistros, & judices summi tribunalis non debere esse subjectos judicibus tribunalis inferioris, uti est laicum respectu Ecclesiastici per *Can.* 9. *d.* 96. ibi: *nam miserabilis insaniæ esse cognoscitur, si filius patrem, discipulus magistrum sibi conetur subjugare, & illum suæ potestati subjicere, a quo credit non solum in terra, sed etiam in cælis se ligari posse, & solvi:* ergo: tum quia natura dictat, quod potestas profana non debeat ferri extra suum objectum, puta extra res, & personas profanas, quod etiam gentiles agnoverunt; & ideo, ut Imperator circa sacra, & Sacerdotes posset aliquid disponere, summa dignitas *Pontificis maximi* ei conferebatur; sed Clerici non sunt res, & personæ profanæ, sed Deo sacræ, non minus quam altaria, & Ecclesiæ, ergo.

Obji. 1. Christus erat subjectus Pilato *Joan.* 19. ibi: *non haberes potestatem adversum me & cap.* 2. Paulus *Act.* 25. Cæsarem appellavit. 3. Lex Evangelica, & Baptismus non eximunt a potestate laica, ergo nec ordo, seu Clericatus. 4. *Nov.* 83. Clericos subjicit judicibus laicis. 5. Clerici, & Ecclesiæ olim dabant Imperatoribus tributa, *c. tributum* 23. *q.* 8. quod est recognoscere eorum jurisdictionem. 6. Si exemptio Clericorum esset juris divini, & naturalis, non posset a potestate humana immutari, & tolli, cum jura naturalia sint immutabilia §. *pen. In. de J. N. G. & C.* sed mutari potest, imo tolli respectu Clerici criminosi *c.* 10. *de jud.* ergo.

℞. *Ad* 1. potestas ista non fuit juris, sed facti, & permissionis, & ideo *Luc.* 22. *v.* 53. vocatur *potestas tenebrarum*. *Ad* 2. Paulus via facti, & necessitatis appellavit Cæsarem, non ut proprium judicem, sed ut defensorem innocentiæ contra calumnias judæorum. Sic etiam in primis Ecclesiæ seculis sæpe recursus similes fiebant ad Imperatorem contra violentiam hæreticorum. *Ad* 3. Neg. conf. nam baptismus non excludit, sed vult esse principatum civilem; Clericatus autem elevatus est supra omnem profanam potestatem *c.* 6. *de M. & O.* quia in una republ. christiana gladius temporalis subjectus est spirituali, *Extr.* 1. *de M. & O. inter com.* *Ad* 4. Jura civilia, utpote extra sphœram in hoc puncto vagantia, non sunt curanda, sed corrigenda, uti & correcta sunt ab Imperatoribus Ecclesiæ devotis. *Ad* 5. Clerici dabant tributa, & onera realia fundis inhærentia, & pro necessitatibus boni publici, accedente consensu Episcoporum, multa Imperatoribus contribuebant, quod & hodie faciunt, non jurisdictione Imperatoris, sed Papæ. *Ad* 6. Hæc, & similia argumenta plus non probant, nisi exemptionem istam non esse juris divini in hypothesi, & determinate pro singulis casibus, & circumstantiis, quo non obstante est juris divini in thesi, & genere. Sic confessio, communio, residentia curatorum, vota, juramenta, sunt juris divini; & tamen varie determinantur per potestatem Ecclesiasticam. Cetera argumenta ex ratione ducta vide in Bellar. & aliis passim.

25. Q. II. *Qui Clerici gaudeant foro Clericali*? ℞. Omnes specialiter non excepti; nam jura generaliter personas Ecclesiasticas eximunt a jurisdictione laicorum. Et quidem privilegio hoc gaudent. 1. Clerici primo tonsurati, & minoristæ, modo habeant beneficium Ecclesiasticum; vel si illud non habeant, debent deferre habitum, & tonsuram Clericalem, & alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inservire, vel in seminario Clericorum, aut scholis de licentia Episcopi versari. Ita has conditiones requirit Trid. *sess.* 23. *c.* 6. *de ref.* Clerici autem conjugati monogami, habitum Clericalem, & tonsuram deferentes, & ex deputatione Episcopi alicui Ecclesiæ servientes, gaudent hoc privilegio fori in criminalibus criminaliter, vel civiliter intentatis, non vero in causis civilibus, Trid. *ibidem* renovando constit. *c. un. de Cler. conjug. in* 6. 2. Regulares utriusque sexus *Can.* 38. *de persona* 11. *q.* 1. uti & novitii, tertiarii conventualiter viventes, & eremitæ Religionem approbatam professi, vel saltem auctoritate Episcopi ad servitium Ecclesiæ deputati, modo habitum gestent: item rectores hospitalium auctoritate Episcopi erectorum, modo in eis resideant, Barbos. nam hi omnes in favorabilibus veniunt nomine personarum Ecclesiasticarum. 3. Servi Ecclesiæ, aut Clericorum, cum sequantur forum domini sui, *Can.* 69. *Ecclesiarum* 12. *q.* 2. *& arg. l.* 6. *in fin. ff. ad municip.* non tamen probabilius famuli conductitii, & familiares, excepta familia Episcopi per *c. fin. v. petiit de off. Archid.*

☞ *Ii vero de familia, seu familiares Episcopi ex Const. Bened. XIV.* Alias 24. *Jan.* 1744. §. 9. *dicendi sunt, qui de jure, & juxta consuetudinem loci cujuslibet hactenus pro familiaribus, & officialibus habiti, & deputati sunt, ac haberi, & deputari solent. Qui itidem gaudent privilegio fori pro crimine homicidii ex Constitut. Clement. XII.* In supremo

pro ditione Ecclesiæ Romanæ, extensa a Bened. XIV. cit. Const. Alias *ad loca Reipublicæ Lucanæ, in pertinentibus ad immunitatem localem & personalem. Quod tamen privilegium non suffragatur ceteris privilegiatis, ut dicam lib. III. cit. 49.* ☞

Neque liberi, aut uxores legitimæ, cum hoc privilegium personale sine claro textu non sit ad alios extendendum. ℞. 2. Privilegio fori non gaudent minoristæ, conditiones *Trid. cit.* non servantes. Constitui autem in majoribus privantur illo. I. Degradati, & Curiæ seculari traditi, *c.* 10. *de judic. c.* 2. *de pœnis in* 6. II. Qui ter ab Episcopo, vel semel in synodo moniti non deferunt habitum, & tonsuram, quia sic probant se incorrigibiles, *c.* 25. 45. *de sent. excom.* III. Reus assassinii post sententiam declatoriam criminis, *c.* 1. *de homic. in* 6. cum declaratione Clem. VIII. *an.* 1595. 18. *Decemb.*

☞ *Ex Constit. Clem. XII.* In supremo *pro urbe, & reliquo statu Ecclesiastico* 1. *Febr.* 1735. *extensa ab eodem ad Regna Hispaniarum Constit.* Alias nos, *& ad Rempublicam Genuensem, Corsicam, & Insulam Caprariam Const. pariter* Alias nos, *ac Bened. XIV. ad Rempubl. Lucanam Const.* Alias fel. rec. 24. *Jan.* 1744. *non gaudent hoc privilegio.* 1. *Privilegiati, vulgo patentati, rei homicidii (exceptis officialibus, aliisque privilegiatis a Cong. univer. Inquisitionis, ac ministris actu inservientibus locorum Ordinariis, eorumque Curiis, qui si Clerici sint, subjici debent Ecclesiasticæ jurisdictioni, si laici, seculari)* 2. *Clerici tonsurati, non beneficiati rei duorum homicidiorum animo deliberato, & præmeditato patratorum, qui seculari potestati subjiciendi sunt, ut laici, etiam si servaverint conditiones a Trid. præscriptas.* 3. *Clerici in minoribus non beneficiati, & non servantes dictas Trid. conditiones, tam celibes, quam conjugati, rei pariter homicidii: & sic privati ejusdem fori privilegio frui non possunt, neque habitum Clericalem reassumere, etiam post totaliter expiatam homicidii pœnam. Declarationem autem an ante patratum homicidium Trid. requisita servaverint, statuit spectare ad Ordinarios; non retardata interim assecuratione eorumdem; facienda etiam per judicem laicum nomine Ecclesiæ, qui illos pariter Ecclesiæ nomine ad illius dispositionem retinere possit, ac debeat, donec dicta declaratio prodierit.* ☞

IV. Qui, dimisso habitu, immiscent se enormitatibus criminum, & post trinam Episcopi monitionem non resipiscunt, Covar. Ceteri casus de Clericis joculatoribus, & officium macellariorum, aut tabernariorum personaliter exercentibus, referuntur *c. un. de vit. & hon. in* 6. *Clem.* 1. *eod.* Præter hos casus Clerici non subsunt jurisdictioni, & judicio seculari, etsi delinquant in officio secularis Principis, vel falsum testimonium dicant in judicio seculari, vel rei sint criminis læsæ majestatis, quia per *c.* 4. 10. *de judic.* laicus omnino est incapax eos judicandi. Posset tamen Clericus inter perduelles pugnans in actuali pugna occidi; quia hoc fieret via defensionis, quam jus naturale concedit.

26. Q. III. *In quibus causis Clerici gaudeant privilegio fori?* De causis criminalibus, & personalibus certum est; de realibus negant Gothofr. Mynsing. Gail, & plures Legistæ, contra quos ℞. Clerici gaudent privilegio fori etiam in causis realibus: ita com. Canonistæ & TT. Prob. ex *cit. auth. statuimus C. de Episc. & Cler.* ibi: *in criminali quæstione, vel civili, & c.* 12. *h. t.* Innoc. III. docet Clericos in criminali, seu in civili negotio nec invitos, nec voluntarios subire posse secularia judicia. Quæ, & similia jura non distinguunt inter causam personalem, & realem, ergo: tum quia res, & bona, tamquam accessoria, sequuntur conditionem personæ Ecclesiasticæ per *l. quæ Religiosi adhærent, Religiosa sunt* 43. *ff. de R. V.* ergo Clerici etiam quoad bona sua patrimonialia, vel quasi patrimonialia exempti sunt a Curia seculari: Huc etiam facit *arg.* a reb. militis, *l.* 6. *C. de jurisd. omn. jud. l. fin. C. de agent. in reb.* & *arg. a c. fin. de jud.* & *arg.* a causa feudali excepta ad aliam non exceptam *c.* 6. 7. *h. t.* An autem consuetudo in contrarium sit rationabilis, dubitatur: multi dicunt esse corruptelam adversam Bullæ cœnæ; alii tamen eam cohonestant, tum ex tacito consensu Papæ, tum ex jure advocatiæ, & reservationis, quatenus Principes dotando Ecclesias, cum consensu Papæ reservarunt sibi jus exercendi jurisdictionem in bona Ecclesiis, & Clericis donata. Vide P. Pichler hic a num. 24. *Dices*: in actione reali non persona, sed res convenitur, *l.* 19. *ff. de jure fisc.* & Clericus possessor non tam reus, quam defensor est; is autem privilegio fori non juvatur, *l.* 49. *ff. de judic.* ergo non est contra dignitatem Clericalem actione reali coram laico conveniri. ℞. non res nuda, sed ut relata ad Clericum possessorem convenitur, & tota jurisdictio in eum exercetur citando &c. hoc modo autem jurisdictio a laico in Clericum exerceri jura non admittunt.

☞ *Ex const. Bened. XIV.* Militantis 30. *Mart.* 1742. *judices competentes in sequentibus causis sunt.* 1. *Locorum Ordinarii tamquam Sed. Apost. delegati in causis civilibus mercedum, & miserabilium personarum quoad Clericos seculares, aut regulares extra monasterium degentes quomodolibet exemptos; etiamsi habeant certum judicem in partibus; sicut & in aliis causis, si dictum judicem non habuerint.* 2. *In causis omnibus tam civilibus, quam criminalibus spectantibus ad forum Ecclesiasticum respectu non exemptorum in prima instantia (exceptis privilegiatis a Trid. vel alias ab Apostolicis sanctionibus.* 3. *Ex constit. ejusdem Pontif.* Romanæ 21. *Dec.* 1745. *pro statu Ecclesiastico urbis Vicarius est judex competens in causis mere laicalibus, etiam spectantibus ad Curiam capitolinam per prorogationem partium, & de eorum consensu in actis expresse præstito; nisi agatur de exequutione obligationis cameralis.* 4. *In causis matrimonialibus, & in beneficiorum institutionibus privative quoad alios in urbe, & districtu, si nulli alii ordinaria jurisdictio in dictis locis competat.* 5. *In causis contra Clericos non exemptos cumulative cum solo Cameræ Apost. Auditore.* 6. *In interpositione decretorum privative quoad quoscumque alios judices Romanæ Curiæ, in renuntiationibus, aliisque quibuscumque contractibus Regularium utriusque sexus degentium tempore probationis in cœnobiis, & monasteriis urbis, aut districtus.* 7. *In prima instantia quoad causas ad ipsum Vicarium spectantes ratione originis, vel beneficii contra Clericos Romanos commorantes in diœcesibus, & territoriis intra urbis districtum; comprehensis etiam sex Episcopatibus S. R. E. Cardinalium; ibique mandata a se expedita, tam realiter, quam personaliter exequi potest.* 8. *Auditor Cameræ Romanæ extra urbis districtum non potest esse judex competens in causis summæ recurribilis, idest, non attingentis valorem scutorum centum; sed subdelegandus est alius judex in partibus, in quibus pronuntiatum fuit primum judicatum, quatenus sit cum clausula (& quidem sub pœna nullitatis delegationis) — ad effectum cognoscendi de gravamine pro admissione, vel denegatione recursus per acta ejusdem notarii, & sine solutione propinæ, & regestri; & quatenus partes in eo non consenserint, ad effectum deputandi alium judicem in sui locum, cum iisdem facultatibus de consensu ipsarum partium, sin minus ex officio.*

Reliqua in hac eadem constit. disposita respiciunt tribunalia urbis, circa quæ vide additionem ad titul. XXXII. de officio judicis post n. 3. ☞

26. Q. IV *In quibus casibus jus permittat Clericum stare in judicio seculari, vel eum capi a judice laico?* ℞. ad 1. in casibus seqq. 1. In causa feudali *c.* 6. 7. *h. t.* 2. Si Clericus ut actor conveniat laicum, quia tunc sequi debet forum rei. 3. In casu evictionis, dum emptor laicus laudat auctorem, seu venditorem Clericum. 4. Si Clericus conveniatur nomine alieno, ut procuratorio, tutorio &c. quia tunc sequitur forum sui principalis; uti etiam si esset hæres defuncti, cum quo lis cœpta est: nam *ubi acceptum est judicium, ibi & finem accipere debet*, *l.* 3. *ff. de jud.* 5. Si bona immobilia data sunt Ecclesiis, aut Clericis cum pacto, & conditione, ut sub priori foro maneant; hæc enim conditio, cum justa sit, neque reprobetur a Sac. Canonibus, servanda erit. ℞. *ad* 2. judex laicus ex permissione, & consensu Ecclesiæ potest Clericum in certis casibus capere, & incarcerare, non ut ille ipsum judicet, aut puniat, sed ut eum tradat judici Ecclesiastico. Quod tunc procedit, dum subito haberi nequit potestas Ecclesiastica, & alias periculum est in mora; ut si Clericus velit sibi, aut aliis grave damnum inferre, si deprehendatur in flagranti crimine, si arma gestet loco, & tempore vetito, si in fraudem creditoris abitum paret: denique si moliatur quodcumque grave malum, cui hic, & nunc aliter mederi non potest,

nisi

nio per capturam Clerici: nam in his, & similibus casibus judex laicus non tam via jurisdictionis, quam defensionis procedit. In illo casu, quo quis commisit delictum in Clericatu, vel novitiatu religioso, & postea deseruit Clericatum, vel monachatum, etsi a judice Ecclesiastico citatione non sit præventus, tamen ab eo judicandus est, & non a laico; nam pro usu privilegii attenditur tempus delicti, quo patratum est, *l. 1. C. de pœnis.*

☞ *Circa forum competens in causis damni dati ab animalibus in statu Pontificio ad forum laicale pertinentibus, si damnum sit simplex ex const. Bened. XIV.* Inveterata 25. *Jan.* 1751. *hæc cognoscenda sunt in prima instantia a magistratu loci, si ex statuto, vel consuetudine hoc jus ei competat. Si vero sit aut studiosum, idest ex culpa, & negligentia custodum, aut manuale, cognoscenda sunt a solo loci Gubernatore.*

Pro damno dato a laico in bonis laicalibus cum animalibus Ecclesiasticorum si solus eorum custos laicus querelatus, arrestatus, aut oppignoratus fuerit, causæ cognitio spectat ad forum laicale: si vero oppignorata fuerint animalia, ad forum Ecclesiasticum; si oppignorata fuerint tam animalia, quam custos laicus, est in arbitrio damnificati forum eligere, absque facultate variandi: ita tamen, ut si eligat forum laicale, judex laicus statim relaxare debeat animalia Ecclesiasticorum sine ulla expensa tam pro decreto, quam pro mandato relaxationis: si vero eligat forum Ecclesiasticum, judex Ecclesiasticus relaxare debeat custodem tantum sine ulla pariter expensa.

Nullus judex tam laicus, quam Ecclesiasticus procedere potest in his causis, nisi intra priores octo dies denuntiatum fuerit damnum; causæque terminari debent intra quadraginta dies, alias devolventur ad judicem superiorem ex capite denegatæ justitiæ. Probatio autem, & liquidatio damnorum, ac pœnarum impositio fiant juxta statuta, & consuetudines locorum in utroque foro.

Liberum erit damnum passis in captura animalium hujusmodi damnum inferentium, aut omnia, aut partem illorum capere, sive a custode pignus recipere, licet animalia sint Ecclesiasticorum, dummodo illorum captura, vel pignus factum fuerit antequam aut ipsa, aut custos exierint a fundo damnificato. Data autem fidejussione pro solutione tam damni, quam pœnæ, relaxanda erunt a quocumque judice animalia, pignora, & multo magis custos.

Pœnæ exigendæ, sive judex sit Ecclesiasticus, sive Laicus, sive in prima, sive in ulteriori instantia, integre solvendæ sunt communitati, aut illarum locatario, sublata cuique facultate eas condonandi, vel imminuendi, licet sint Cardinales, Legati, Vicelegati, Provinciarum Præsides, Episcopi, ac Archiepiscopi, quamvis communitatis consensus accederet, sub pœna scutorum quinquaginta in favorem communitatis, vel locatarii ipso facto, & etiam pro prima controventione incurrenda, tributa facultate magistratui loci respectu Gubernatoris contrafacientis eadem scuta quinquaginta subtrahendi a menstrua præstatione ei solvi solita: respectu vero judicis Ecclesiastici, recurrendi ad Sac. Congreg. boni regiminis.

Judici autem, ministris, & exequutoribus post compensationem damni factam parti læsæ, & post effectivam solutionem pœnarum, danda sunt tantum emolumenta pro decreto, & exequutione juxta taxam servari solitam in causis civilibus.

Appellatio a sententia de damno dato deferenda est ad quos pertinent aliæ causæ criminales in ulterioribus instantiis, servata taxa quoad sportulas, & emolumenta judici debita, ut in causis civilibus, sublata facultate Cong. Consultæ se in his causis ingerendi tam in prima, quam in ulteriori instantia, etiam de consensu partium; excepto casu, in quo damnum datum ejus sit qualitatis, ut transeat ad aliud delictum, cui juxta generalia bandimenta imposita sit pœna triremium, aut capitis.

Ad Cong. autem boni regiminis spectabit horum omnium exequutio, ei tamen interdicta facultate se in particularibus causis ingerendi. ☜

28. Q. V. *An Clericus renuntiare possit privilegio fori Ecclesiastici?* ℞. Negative ex clara decisione *c.* 12. *h. t.* nam hoc privilegium est juris publici, & toti collegio Ecclesiastico publice indultum, cui proinde privatus derogare non potest, *l.* 38. *ff. de pact.* Secus si Clericus est actor trahens alterum Clericum ad judicium seculare, causam civilem perdit, & excommunicatur, donec satisfaciat reo, & Ecclesiæ pro injuria facta. Si vero Clericus reum coram laico respondeat, vel se purget, perdit causam civilem, vel deponi debet: in causa vero criminali respondens, amittit locum suum, deponitur ab officio, & beneficio, non quidem ipso jure, sed post sententiam judicis Ecclesiastici. De degradatione, & aliis pœnis Clericorum agetur lib. V. tit. 37. de pœnis.

§. IV.

De foro privilegiato miserabilium personarum, & studiosorum.

Nomine *miserabilis personæ* veniunt hic pupilli, viduæ honeste viventes, uxores habentes maritum inutilem, ut captivum, exulem, virgines patre carentes, senes decrepiti, & omnes illi, qui non ob luxum, aut crimen proprium, sed ob fortunæ injuriam naturali commiseratione digni sunt, *l. un. C. quando Imp.*

29. Q. I. *Quale privilegium circa forum habeant personæ miserabiles?* ℞. 1. Extra Provinciam suam non possunt trahi ad comitatum, hoc est, ad curiam Imperatoris; alios vero immediate in prima instantia convenire possunt coram Imperatore, præsertim si in tribunali inferiori timeant oppressionem: ita de jure civili *cit. l. un. C. quando Imp.* 2. In casu spoliationis, omissis judicibus intermediis, spoliatorem suum interdicto *unde vi* convenire possunt coram Episcopo, seu judice Ecclesiastico, etiamsi judex laicus eis justitiam administrare vellet: ita de jure com. *c.* 15. *h. t.* quia defensio miserabilium personarum per vim spoliatorum cumulative spectat ad judices Ecclesiasticos, tanquam patres pauperum. In aliis autem causis civilibus adire debent judicem secularem, & in hujus defectum, si justitiam administrare nollet, Ecclesiasticum, *c.* 10. 11. *h. t.* His tamen privilegiis persona miserabilis non utitur contra æque miserabilem, nisi forsan eo, quod jus Canonicum concedit, quia spoliatis, & non spoliantibus concessum est.

30. Q. II. *Quale privilegium fori habeant studiosi?* ℞. Illud speciale, ut conveniri non possint, *nisi coram domino, vel magistro sua*, hoc est, rectore scholarum, seu magistratu Academico, *vel ipsius Civitatis Episcopo*; licet consuetudo hodie obtineat, ut conveniantur tantum in foro Academico coram rectore suo. Ita concessit Fridericus I. Barbarossa, seu Ahenobardus in comitiis apud Roncalias, seu in campis ad Padum non procul Placentia *an.* 1158. edita constitutione imperiali, cujus fragmentum relatum est in jus civile *Auth. habita C. ne filius pro patre.* Ratio hujus privilegii duplex assignatur: prima, quia scientia scholarium, & maxime professorum totus illuminatur orbis, & ad obediendum Deo, & hominibus vita subditorum informatur; altera, quia studiosi amore scientiarum patriam deserunt, & alibi quasi exules vivunt; adeoque hoc favore sunt dignissimi.

31. Q. III. *Ad quas causas se extendat privilegium fori scholastici?* ℞. Ad causas civiles, & criminales non tantum minores, sed & majores; adeoque vi hujus privilegii Academiis competit imperium merum, seu jus gladii: ita comm. DD. Germani, licet Baldus, Cujac. de Castro, Vultej. & plures alii dicant rectori scholarum non competere jurisdictionem in criminalibus majoribus, nisi aliunde ex speciali privilegio acquisita sit. Prob. ex verbis *cit. auth.* ibi: *Hac igitur generali, & in perpetuum valitura lege decernimus, ut nullus de cetero tam audax inveniatur, qui aliquam scholaribus injuriam inferre præsumat, nec ob alterius cujuscumque Provinciæ delictum, sive debitum, aliquod damnum eis inferat* &c. quo textu exprimitur utraque causa civilis, & criminalis. Ratio est, quia licet in *cit. auth.* non exprimatur imperium merum, tamen tacite inest in verbis generalibus, quæ hic non sunt restringenda: tum quia jurisdictione ordinaria illimitate concessa, censetur concessum imperium merum *l.* 7. 8. *ff. de off. proc.* tum quia hoc privilegium, tanquam cæsareæ pietatis beneficium, latissime interpretandum est *l.* 3. *ff. de constit.* ergo. Nec obstat, quod celeberri-

mæ Academiæ Bononiensis, & Parisiensis non gaudeant imperio mero: nam Papa, & Rex Galliæ non ligantur constitutione Fridericiana. Ceterum non est dubium, quin Imperator privilegium istud tollere, aut restringere possit; adeoque si quid de novo ordinet, illud utique observandum erit.

32. Q. IV. *Quæ scholæ gaudeant privilegio Friderici?* R. Omnes scholæ publicæ, & communes omnibus, in quibus litterarum exercentur studia, sive sint universitates majores completæ omnibus facultatibus, sive incompletæ, sive minora gymnasia publica ad recipiendos, & docendos scholares erecta: nam constitutio Friderici non restringitur ad universitates completas, imo nec mentionem universitatum facit, sed generaliter loquitur de scholis, & scholaribus. Unde cum Religio nostra ex fine suo intrinseco instituta sit ad publicas scholas docendas, & quidem incipiendo ab alphabeto usque ad apicem cujuscumque facultatis altioris a Clericis tradi solitæ, ut ex Constit. novissima Clem. XII. *Nobis* 1731. *Kal. Maji*, non est dubium, privilegium hoc Scholis competere.

33. Q. V. *Qui gaudeant privilegio fori Academici?* R. 1. Maxime professores, tum scholares catalogo inscripti, seu immatriculati, nisi per accidens omissa fuisset inscriptio: item illorum filii, servi, uxores, & viduæ, quæ sequuntur forum mariti, donec alteri nubant *l. fin. C. de incolis l. 3. C. de priv. scholar.* item notarii, pedelli, & nuncii Academici; non tamen typographi, bibliopegi, & similes, qui per se nec scholis, nec scholaribus adhærent. 2. Studiosi in patria sua studentes, quia de his verificatur saltem una causa, quod eorum scientia orbis illuminetur. 3. Scholares alibi delinquentes, qui petere possunt remissionem ad forum Academicum ex verbis *auth.* ibi: *ob alterius cujuscumque Provinciæ delictum*, nisi alicubi consuetudo sustulerit istam remissionem. 4. Studiosi cessatores, seu vagatores, quamdiu scholaribus accensentur, gaudent hoc privilegio, nisi per rectorem illo priventur, & excludantur a scholis. 5. Clerici studiosi de jure communi conveniendi sunt tantum coram Episcopo: at de consuetudine in causis civilibus levioribus solent conveniri coram rectore scholarum, non tam via stricti judicii, quam potius amicabilis compositionis, cum Fridericus Imper. sua constitutione non potuerit derogare juri Canon. & foro Clericali. Is autem, coram quo in scholis convenitur Clericus, debet esse persona Ecclesiastica; siquidem laicus est incapax jurisdictionis exercendæ in Clericos. 6. Privilegium fori scholastici amittitur discessu a scholis animo non redeundi; de quo si non constet, videtur sufficere quinquennium, ex quo tempore præsumitur scholaris abiisse animo non revertendi; Baldus, Friderich. & alii. Item delicto, cui ex statutis scholarum annexa est privatio fori Academici. Ceterum privilegium hoc non habet locum, si extra civitatem, in qua scholæ sunt, alibi propria negotia componenda veniant, ut praxis com. docet, Vultej. & alii.

34. His foris privilegiatis additur *forum militare*, vi cujus milites juramento militiæ adscripti civiliter, & criminaliter conveniuntur coram judice militari, seu colonello suo *l. 6. C. de jurisd. omn. jud. l. 7. ff. de jud.* Item *forum nobilium* immediate Rom. Imperio subjectorum, qui conveniri nequeunt, nisi in camera imperii, olim Spiræ, nunc VVezlariæ sita, vel in judicio aulico imperiali Viennæ; cum nobiles isti alium superiorem judicem non recognoscant. Tales sunt in 1. classe Electores, & Principes Imperii, in 2. classe Prælati, comites, barones, & alii nobiles immediati, in 3. classe civitates imperiales immediate imperio subjectæ. Quia vero ab his supremis tribunalibus non datur appellatio, ne his nobilibus oppressis remedium contra gravamina deesset, unanimi Imperatoris, & procerum consensu concessa est illis prima instantia coram judicibus, qui vocantur Austregæ, & judicium Austregarium *Ord. cam. p. 2. tit. 2. & 3.* quod tamen judicium subire non permittitur civitatibus imperii *Ord. cam. p. 3. tit. 27.* nisi ex speciali privilegio, quod pro foro Austregario dicitur habere Argentina, Eslinga, Ratisbona, Norimberga &c.

§. V.

De foro communi Curiæ Romanæ, & jure revocandi domum.

35. Certum est, quod olim omnes cives Romani conveniri potuerint immediate in Curia Romana Imperatorum, quia per *l. 33. ff. ad municip. Roma communis nostra patria est.* Hodie tamen ex generali consuetudine, quia judicibus inferioribus relicta est prima instantia, laici immediate conveniri nequeunt in Curia, seu camera imperiali.

36. Q. I. *An Clerici, & laici in causis spiritualibus hodie conveniri possint immediate in Curia Apostolica Romæ, vel alibi, ubi Papa residet, constituta?* R. Affirmative *c. fin. h. t.* tum quia Roma, in qua pater omnium residet, adhuc hodie est communis patria Clericorum, & laicorum in causis spiritualibus; tum quia Curia Apostolica habet concurrentem jurisdictionem cum omnibus dicasteriis Ecclesiasticis, & Papa est ordinarius judex omnium fidelium *Can. 17. & fin. 9. q. 3.* ergo. Nec obstat Trid. *Sess. 24. c. 20. de ref.* statuens, ut causæ in prima instantia coram Ordinariis locorum cognoscantur: nam nomine *ordinarii* non minus venit Papa, quam ordinarius delicti, contractus, & rei sitæ.

37. Q. II. *Quid sit jus revocandi domum?* R. Est privilegium concessum illi, qui ex causa necessaria venit Romam, vel ad locum alium, ne cogatur ibi respondere super antea gestis; alioquin conventus excipere poterit dicendo: *Domine non veni ad hoc paratus, remitte me domum, & deliberabo.* Abb. Fagn. &c. Inter causas necessarias numeratur legatio, appellatio, visitatio ex causa religionis, v. g. ad lucrandum indulgentias &c. Venire autem Romam solatii, aut recreationis causa, est causa solum voluntaria. Porro hoc jus revocandi differt *a jure declinandi forum*, quia conventus in hoc, & non illo agnoscit judicem incompetentem. *Avocatio causæ* pariter est diversa a jure revocandi: nam per avocationem lis pendens a judice inferiori transfertur ad superiorem citra ullam appellationem, in eo statu, in quo fuit apud judicem inferiorem; quo modo Papa solet quandoque causas a se avocare, vel Episcopus a Vicario generali: facta autem avocatione causæ, statim suspenditur jurisdictio judicis inferioris; alioquin procedens in causa, nihil agit *cap. 56. de appell.*

TITULUS III.

De Libelli oblatione.

Agitur de hac materia *d. 84. Can. Maximianus & 2. q. 8. & tit. ff. & C. de edendo.*

1. Nota 1. In judicio triplicem esse editionem: *actionum*, *instrumentorum*, *& rationum*. Hic autem agitur de editione actionum, quæ in libello conscribi, & judici offerri solent. Porro *libellus* est scriptura brevis, ordinata, & clara continens intentionem actoris. In causa civili dicitur *civilis*, seu *conventionalis*; in criminali vero, *criminalis*, seu *querimonialis*. Libellus ex modo compositionis est duplex: *simplex*, seu *summarius*, in quo summatim, & plane causa proponitur. *Articulatus*, seu *positionalis*, in quo merita causæ fuse per articulos proponuntur. Ex his ille approbatur, iste vero rejicitur in R. Imper. *an.* 1654.

2. Nota 2. Libellum constare tribus partibus: *narratione facti*, *medio concludendi*, *& ipsa conclusione*. In narratione exprimitur nomen commune judicis, nomen proprium actoris, & rei: tum refertur ipsum factum cum necessariis circumstantiis; & in causa civili exprimitur quid, quale, & quantum petatur: in criminali vero additur delicti locus, annus, mensis, dies, imo & hora. *Medium concludendi* est causa, ex qua petitur: & quidem in actione reali exprimitur causa proxima, scil. dominium, vel aliud jus in re, non vero causa remota, ex qua dominium quæsitum est: e contra in actione personali exprimitur causa remota contractus, aut delicti; neque sufficit proxima, scil. obligatio. *Conclusio* est petitio actoris, qua requirit judicem, quid, quale, & quantum a reo sibi præstandum adjudicet. Addi solet clausula salutaris: *Super his omnibus*

omnibus peto mihi jus administrari omni meliori modo, quo fieri potest. Item addi solent clausulæ; salvo jure addendi, minuendi, corrigendi; vel salvo jure superfluorum. Sed hæ non sunt necessariæ, quia libellus emendari potest etiam post litem contestatam.

3. Q. I. *An oblatio libelli sit de substantia judicii plenarii?* ℞. Affirmative ex *c.* 1. *h. t.* nam utroque jure præscribitur; ut etiam patet ex *l.* 1. *ff. de edendo*, nisi causa agatur coram Principe, qui non ligatur his solemnitatibus, vel sit notoria, vel judex procedat ex officio nobili per inquisitionem; quia tunc libellus suppletur per ipsum officium judicis &c. At in judicio summario petitio potest oretenus proponi *Clem.* 2. *de V. S.* Licet jure veteri, quo vigebant scrupulosæ formulæ actionum, necesse fuerit in libello exprimere nomen actionis: hodie tamen his formulis sublatis; libellus subsistit, etsi nomen actionis non edatur *c. 6. de judic.* cui consonat *l.* 3. *C. ad SC. Maced. l.* 6. *ff. de R. C. l.* 69. *ff. de fidej. & mandat.* ibi: *non titulos actionis, sed debiti causa respicienda est:* nam ex contextu rei narratæ, & causa petendi sufficienter colligitur actio.

4. Q. II. *An in eodem libello cumulari possint plures actiones sibi non contrariæ?* ℞. Affirmative ex *l.* 11. *ff. de jurisd.* nam cumulatio actionum est favorabilis bono publico ad lites abbreviandas. Unde simul proponi potest petitorium, & possessorium, actio injuriarum, & L. Aquiliæ, actio criminalis principaliter, & civilis incidenter, actio empti, & mutui; & probabiliter etiam vindicatio cum publiciana, de quo vide *disputat. meas juridicas disp.* 18. *controv.* 3. Reus autem sigillatim respondere debet istis actionibus: & si una plene probata est, terminari potest per sententiam definitivam, ceteris ulteriori discussioni relictis. Nec obstat *l.* 47. *ff. famil. hercisc.* nam tunc sententia est individua, dum una causa in libello proponitur. At contrariæ actiones, quæ se non compatiuntur, non possunt in eodem libello cumulari; alias actor duo contraria peteret. Tales sunt, v. g. petitio hæreditatis ex testamento, & ab intestato, querela inofficiosi, & actio ad supplementum &c.

5. Q. III. *Quis libellus sit vitiosus?* ℞. 1. Vitiosus accidentaliter dicitur ille, qui laborat aliquo defectu afficiente circumstantias petitionis; uti est libellus *contraria continens*, *obscurus* in verbis *generalis*, nisi ipsa causa generalitatem secum afferat; uti in judicio tutelæ, negotiorum gestorum, expensarum &c. *alternativus*, quia parit incertitudinem *l.* 7. *ff. de injur.* exceptis quibusdam casibus, in quibus ipsum jus, vel causa alternationem inducit; ut in *l. 2. rem C. de rescind. vend.* ubi venditor petit, vel rem emptam restitui, vel partem justi pretii suppleri, & *l.* 16. *ff. de pignor.* ubi creditor actione hypothecaria petit vel sibi solvi, vel rem hypothecatam tradi; item in casu moræ, si res deterior facta est, hæc peti potest, vel æstimatio; & quoties incertitudo provenit ex facto alieno præsertim adversarii, *l.* 1. §. 4. *ff. quod legat.*

6. ℞. 2. Libellus substantialiter vitiosus, seu *omnino ineptus* est, ex quo jus agendi non concluditur; adeoque inficit defectus ipsam substantiam petitionis, ita ut judex citra nullitatem non possit ex illo ferre sententiam: ita rubr. & textus *c.* 15. *de jud.* quia sententia debet esse conformis libello *c.* 31. *de Simon.* Ceterum si verba libelli explicari possint, explicanda sunt per libellantem (non tamen per ejus procuratorem, aut hæredem (ut libellus potius subsistat, quam pereat; alioquin libellus ineptus rejiciendus, & actor condemnandus est reo in expensas, si quas fecit.

7. Q. IV. *An, & quando libellus emendari, aut mutari possit?* ℞. 1. Usque ad sententiam definitivam potest *emendari*, hoc est, corrigi declarando, minuendo, augendo; salva tamen substantia petitionis, quoad rem petitam, & causam petendi: com. *l.* 3. *C. de edendo l.* 21. §. 1. *ff. qui testam. fac.* nam cum facile sit errare in accidentalibus, recte jura permittunt eorum correctionem usque ad sententiam definitivam.

8. ℞. 2. Libellus ante litem contestatam potest *mutari*, hoc est, corrigi quoad substantiam petitionis, ita ut varietur res petita, & causa petendi: nam ante litis contestationem necdum stricte judicium incepit.

9. ℞. 3. Libellus post litem contestatam probabilius non potest *mutari:* ita Schmier cum citt. Konig, Laym. Schmalz. Pichl. & multi alii contra Bachov. Brunem. Alciat. Menoch. Gonz. cum citt. in *c.* 15. *de judic. à n.* 3. ubi docet actionem semper mutari posse usque ad definitivam, licet in *c. fin. h. t. n.* 2. dicat actionem libello comprehensam emendare licere, non autem mutare quoad substantiam rei petitæ, aut causæ petendi. Prob. ex *Auth. C. quomodo, & quando jud. qui semel actionem proponit, necesse habet usque ad finem litem exercere;* ergo actionem litis contestatione cœptam tenetur actor prosequi, & consf. mutare illam non potest: tum quia litis contestatione quasi contrahitur, ut alteri parti recedere, vel pœnitere non liceat *l.* 25. *ff. de R. V. l.* 4. *C. de jurisd. om. jud.* & clare Ulp. *l.* 52. *pr. ff. de judic.* tum denique, quia mutationes libelli valde essent præjudiciosæ reo, lites ex libitibus suscitarentur, & judicia fieri deberent super actionibus, super quibus lis non fuit contestata. Unde bene ait Paulus *l.* 2. *ff. de jud. non potest videri in judicium venisse id, quod post judicium acceptum accidisset; ideoque alia interpellatione opus est*, idest, alio libello. Unde si actor, priori actione omissa, aliam vult intentare, refusis reo expensis, novum libellum formare debet. Excipe, nisi ob qualitatem causæ jus permittat transitum ab una actione ad aliam, sicut a petitorio ad possessorium, & e contra, quo sensu procedit, *l.* 12. *in fin. ff. de acq. poss. l.* 18. §. *fin. ff. de vi arm. c.* 5, *de caus. poss. l.* 4. §. *fin. ff. de noxal. act. l.* 84. §. 5. *ff. de legat.* 1. Alia jura procedunt vel de mutatione accidentali, seu emendatione libelli, vel restringenda sunt ad judicium quasi cœptum ante litem contestatam, ut *l.* 3. *C. de edendo*, §. 35. *inst. de action.* &c.

10. Q. V. *Qui sint effectus libelli?* ℞. Hi præcipui: 1. Libellus reo delatus obligat actorem ad prosequutionem causæ, & contra illum probat. *Auth. qui semel, C. quomodo, & quand.* 2. Obligat quoque judicem ad ferendam sententiam conformem eidem libello quoad rem petitam, causam petendi, & actionem institutam, *c.* 31. *de Simon. l.* 18. *ff. com. divid.* 3. Interrumpit præscriptionem, de quo infra *tit. de præscr.*

§.

De in jus vocando.

11. Quamvis in jure Can. sæpe mentio fiat citationis judicialis, tamen nullus specialis titulus de illa extat, adeoque ex jure civili supplendus erit. Est autem citatio actus legitimus, quo quis mandato judicis, juris experiundi causa vocatur in judicium. Ita com. ex *l.* 1. *ff. ne in jus vocando.* Citatio dividitur 1. *in citationem juris*, dum lex ipsa intra certum terminum vocat, sicut *c.* 1. *de elect. in* 6. citantur impugnatores electionis, & *citationem hominis*, dum judex citat vel generaliter, vel specialiter, seu personaliter. 2. In *verbalem*, quæ fit scripto, vel oretenus, & *realem*, quæ fit per capturam, seu apprehensionem rei ob delictum, æs alienum, vel aliam justam causam. Verbalis subdividitur, in *privatam*, quæ fit per apparitorem, & *publicam*, quæ fit per vocem præconis, seu per *proclama*, vel per edictum in locis publicis affixum, & hæc vocatur *edictalis*. 3. In *simplicem*, qua reus vocatus citra notam contumaciæ potest non comparere, donec veniat ulterior terminus usque ad tertiam vicem, & *peremptoriam*, quæ pro tribus simplicibus interponitur, & absolutam comparendi necessitatem reo imponit. Cuilibet citationi simplici assignantur 10. dies, peremptoriæ vero 30. licet judex, consideratis circumstantiis, terminos istos possit ampliare, aut restringere.

12. Q. I. *An citatio absentis sit necessaria ad valorem judicii?* ℞. Affirmative *ex Can.* 2. *caveant*, 3. *q.* 9. *& Clem.* 2. *de sent. & re jud.* ubi sententia contra absentem non citatum prolata dicitur esse nulla, cum nullus inauditus sit condemnandus. Si autem reus præsens est, & statim respondere velit, non opus est alia citatione: si autem dicat se non esse paratum ad respondendum, citandus est solemniter. Porro in decreto citatorio exprimitur nomen Judicis, actoris, rei, causa saltem in genere, locus, & dies judicii; libellus autem actoris potest, sed non necessario debet mitti reo vocato, Reiff. a n. 55.

13. Q. II. *Quis citari possit a Judice, & ubi?* ℞. 1. Citari potest omnis, & solus jurisdictioni citantis subjectus, reus quidem principaliter, & præter hunc omnes, quorum

rum interest, *arg. l. 47. ff. de judic.* nam citatio est actus jurisdictionis contentiosæ, & coactivæ, ergo exerceri non potest, nisi in subditum; porrigi autem debet ad eos, quorum interest. Ob eandem causam judex in alieno territorio non potest conficere decretum citatorium, multo minus reum citare realiter per capturam, quia *extra territorium jus dicenti impune non paretur*, *l.fin. ff. de jurisd.* At si reus in alieno territorio moretur, mitti ad illum potest nuntius cum litteris citatoriis; siquidem exequutio ista non est actus jurisdictionis, vel requiri potest Judex alterius territorii, ut reum citet, & cogat ad comparendum. Olim certæ personæ absolute exemptæ erant a citatione, ut consules, prætores, & alii magistratus majores, uxorem ducentes, sacris operantes, funus familiare comitantes, alibi causam agentes, domi suæ quiete viventes, siquidem *de domo sua nemo extrahi debet l. 2. 3. 18. & seqq. ff. de in jus voc.* Aliæ autem vocari non poterant, nisi cum venia Prætoris, ut parentes, patroni, *& generaliter eas personas, quibus reverentia præstanda est sine jussu prætoris in jus vocare non possumus l. 4. §. 1. l. 5. & seqq. l. 14. ff. eod.* Hodie omnes isti in jus vocari possunt, modo in supplicatione pro impetranda citatione debita his personis reverentia exhibeatur, licet actu sacris operantes, & uxorem ducentes non sint vocandi, sed vocatio in aliud tempus differenda.

14. Q. III. *Quando locus sit citationi reali, edictali, & peremptoriæ?* ℞. *ad* 1. Citatio realis fit solum auctoritate publica judicis ordinarii in delictis gravioribus: in causis autem civilibus tunc solum, dum reus est contumax, suspectus de fuga, vel ob aliam justam causam: ita com. ex *l. fin. C. de exhib. reis.* Judici autem delegato non permittitur citare realiter, nisi in quibusdam casibus, ut specialis mandati de capiendo, & dum juris necessitas partes cogit ad personaliter comparendum, vel dum causa criminalis delegatur *c. 1. de jud. in 6.* Jam si privatus aliquem incarceret, committit crimen capitale privati carceris *l. un. C. de privat. carc.* nisi in flagranti delicto deprehensum, aut de fuga suspectum ea intentione capiat, ut infra 20. horas cum Judici sistat. ℞. *ad* 2. Citatio edictalis fit in casu necessitatis, dum reus aliter citari non potest; ut si malitiose latitet, per se, vel per alios impediat, ne citatio ad eum perveniat, vel in loco non tuto, quo nuncius mitti non potest, moretur, & tunc edictum a nuntio prælectum, saltem in duobus vel tribus locis publicis affigitur per duos, vel tres dies ibi permansurum, *Clem. 1. de jud. Extrav. un. de dol. & contum. int. com. Auth. qui semel, C. quomodo, & quando.* ℞. *ad* 3. Citatio peremptoria fit in casibus extraordinariis, dum Judex ob justam causam non vult uti tribus citationibus simplicibus, sed una, assignato sufficienti termino ad comparendum, qui terminus in Camera Imp. est 60. dierum ex R. J. *an.* 1654. §. 36.

☞ *Ex const. Bened. XIV.* Romanæ 21. *Dec.* 1745. *a* §. 5. *ad* §. 13. *citationes camerales typis impressæ attendi debent in partibus ditionis Ecclesiasticæ in causis, in quibus Auditor cameræ est judex competens etiam in prima instantia, licet a nullo ex judicibus ipsius Auditoris, imo nec ab eorum notariis subscriptæ sint: sicuti & in sequentibus causis coram Cardinali signaturæ Præfecto* 1. *nempe cum petitur supersessoria ad effectum adeundi plenam Signaturam.* 2. *cum citatur pro subdelegatione judicis in partibus in gradu recursus.* 3. *cum petitur declarari causam spectare ad unum potius, quam ad alium judicem.* 4. *cum petitur purgatio attentatorum in spretum ipsius Signaturæ commissorum.*

Non sunt tamen attendendæ 1. *si præventum fuerit mediante legitima citatione coram Signaturæ, Legatorum, aut Vicelegatorum tribunali, vel si ipsi in causa jam rescripserint.* 2. *si in causis tam summæ appellabilis, quam recurribilis petatur supersessoria, vel subdelegatio, antequam judex de partibus definitive pronuntiet: bene tamen si definitive pronuntiaverit, etiamsi in his petendis intervenerit error partium, qui supplendus erit a dicto Signaturæ Præfecto.* 3. *si agatur de summa non excedente scuta quinque monetæ currentis in partibus.* 4. *si jam adsint in causa duo judicata consequutiva, & conformia.* 5. *si agatur de mercede diurna, vel menstrua, vel alimentis futuris.* 6. *si agatur de restitutione depositi, etiam irregularis, aut de solutione schedulæ vulgo paghero, aut litterarum cambii, onerum cameralium, communitatum, Canonum, & pensionum domus: ut & si agatur de causis extra districtum summæ dumtaxat recurribilis, idest non attingentis valorem scutorum centum in quibus, (exceptis illis, in quibus Auditor cameræ, ut supra, est judex competens etiam in prima instantia) subdelegandus est Judex in partibus cum clausulis opportunis.*

Una autem ex dictis cameralibus citationibus exequuta, & attenta coram Præfecto Signaturæ, aliæ non sunt attendendæ.

Quando autem hujusmodi citationes non suspendant exequutionem vide additionem ad titulum de Appellationibus. ☜

15. Q. IV. *Qui sint effectus citationis validæ?* ℞. 1. Citatio perpetuat jurisdictionem judicis tam ordinariam, quam delegatam, *l. 30. ff. de judic. c. 20. de off. deleg.* 2. Obligat citatum ad comparendum, nisi justa exceptio obstet, *c. 2. de dol. & cont.* 3. Inducit litis pendentiam, & rem facit litigiosam, *Clem. 2. ut lit. pend.* 4. Interrumpit præscriptionem odiosam 30. vel 40. an. ob negligentiam domini introductam, *l. 7. pr. ff. C. de præscr.* 30. Hinc etiam recoli possunt ex Pandect. *lib. II. tit.* 2. 3. usque ad XI. inclusive.

TITULUS IV.

De mutuis Petitionibus.

1. Similis rubrica non extat in jure civili, sparsim tamen hæc materia attingitur, ut in seqq. videbitur. Sunt autem *mutuæ petitiones conventio*, *quam* primo actor instituit contra reum, & *reconventio*, quam reus, viso actoris libello, instituit adversus actorem, vicissim aliquid ab eo petendo, coram eodem judice, & in eodem judicio; ita com. ex *c. 1. 2. h. t.* Si autem reciproca ista petitio non fieret in eodem judicio, non esset reconventio, sed simplex nova conventio.

2. Q. I. *An reus conventus reconvenire possit actorem?* ℞. Affirmative ob æquitatem naturalem, quam insinuat *l. 14. cum Papinianus, C. de sent. & interloc.* ibi: *cujus enim in agendo observat arbitrium, eum habere contra se judicem in eodem judicio non dedignetur, & arg. l. 1. ff. quod quisque juris in alterum statuerit, eodem ipse utatur; & c. 1. 2. h. t.* Atque id procedit sive coram judice ordinario, sive delegato *cit. c. 2.* ita ut actor non possit se tueri exceptione fori declinatoria, cum ex dispositione juris ipsa reconventio faciat judicem competentem; nisi quis delegatus esset ad instantiam utriusque partis; tunc enim reus sibi imputare debet, quod causam reconventionis non curaverit exprimi in rescripto.

3. Q. II. *An Clericus in causa civili non connexa reconvenlri possit coram judice laico?* ℞. Negative, attento jure scripto; ita Abb. Laym. & plurimi DD. contra Gloss. in *c. 1. h. t.* Bald. Bart. Barb. Haun. &c. nam *Can.* 5. & *seqq.* 11. *q.* 1. & *c. 12. de for. comp.* cum vulgatis, Clericus absolute prohibetur conveniri coram laico, & is est incapax jurisdictionem exercendi in Clericum; ergo neque reconveniri potest coram laico, cum reconventio sit species conventionis; prohibito autem genere, censentur prohibitæ omnes species sub illo contentæ *l. 147. ff. de R. J.* Quare adversariis probandum foret, quod jus alicubi excipiat causam reconventionis respectu Clericorum ad hoc, ut coram laico reconveniantur. Ex quo solvitur *l. 14. cum auth. C. de sent. & inter, Nov. 123. c. 25. l. 22. ff. de jud. c. 1. 2. h. t. c. 3. de rescript. in 6.* ibi: *apud eosdem judices:* nam hæc, & similia jura procedunt de actore, qui potest se subjicere judici alieno, & ejus jurisdictionem in se prorogare; quod in nostro casu Clericis generaliter prohibetur *c. 12. de for. comp.* At si causa civilis sit connexa, admittitur mutua petitio, non tam via reconventionis, quam defensionis, & exceptionis; ut si Clericus agat actione directa depositi, commodati, vel ex empto, reconveniri potest actione contraria, vel ex vendito, de evictione &c.

4. ℞. 2. Consuetudo, vi cujus Clericus coram laico reconvenitur, potest esse rationabilis, tum ob auctoritatem DD. contrariam sententiam tenentium; tum ob tacitum consensum Papæ scientis, & non contradicentis, neque jus hoc dubium interpretantis; an scilicet reconventio sit excepta a regula generali, qua Clericus coram laico conveniri prohibetur.

Nequit

Nequit autem Clericus coram laico reconveniri in causa spirituali, & criminali, ut omnes admittunt, neque puniri a laico, sed punitio, uti & exequutio rei judicatæ facienda est per Ecclesiasticum.

5. Q. III. *In quibus causis locum habeat reconventio?* ℞. In omnibus specialiter non exceptis, sive connexæ sint, sive disparatæ, ut ex empto, & mutuo: nam jura generaliter admittunt mutuas petitiones, *l.* 1. *§. fin. ff. de extraord. cognit.* Excipitur 1. Causa spolii, cum spoliatus ante omnia restituendus sit. 2. Causa depositi *arg. c. fin. de deposit.* 3. Causæ exequutivæ, seu liquidæ, quæ paratam habent exequutionem. 4. Causa appellationis, si reconventio in prima instantia non fuit proposita. 5. Accusatus criminaliter non potest alterum reconvenire *criminaliter*, quia *non relatione criminis, sed innocentia reus purgatur*, *l.* 5. *ff. de publ. judic.* imo nec civiliter, l. 2. §. 5. *ff. de jud.* quia causa criminalis, utpote principalis, facit silere civilem, *l. fin. C. de ord. judic.* At conventus super delicto civiliter, reconvenire potest actorem criminaliter, & tunc causa criminalis prius tractanda est, Gonz. *c.* 1. *h. t.* ex *cit. l. fin. C. de ord. judic.* 6. Denique non admittitur reconventio reconventionis, ne in mutuis petitionibus in infinitum procedatur.

6. Q. IV. *Qui sint effectus mutuæ petitionis?* ℞. 1. *Prorogatio jurisdictionis* ex lege descendens, *l.* 29. *ff. de judic.* & *l.* 14. *C. de sent. & interloc.* ibi: *nulla ei opponenda exceptione, quod non competens judex agentis esse cognoscatur*. 2. *Processus simultaneus*, dummodo reconventio proponatur ante, vel immediate post litem contestatam, ut ita utraque causa pari passu ambulans, simul cognoscatur, & una sententia quoad prolationem (re enim est duplex) terminetur, *Clem.* 2. §. *verum de V. S. nov.* 96. *c.* 2. §. *sancimus*; quamvis prorogatio jurisdictionis inducatur per reconventionem, quandocumque, usque ad sententiam definitivam, proponatur in eodem judicio, *c.* 3. *de rescript. in* 6.

TITULUS V.

De litis contestatione.

Agitur de hac materia in Sexto *h. t.* & in Codice *lib.* 3. *tit.* 9. & sparsim *tit. ff. & C. de judiciis*.

1. *Nota* 1. judicium stricte tale inchoari a litis contestatione, quæ est basis, & lapis angularis totius judicii, ut Bald. aliique DD. asserunt. Hinc *litis contestatio* definitur, quod sit *constitutio judicii facta affirmatione unius, & contradictione alterius litigantis*, ut si dicat actor: *affirmo narrata in libello, ut narrantur, & petita ut petuntur, fieri debere*, & ei respondeat reus: *nego narrata, ut narrantur, & petita, ut petuntur, fieri debere*: ita conformiter *c. un. h. t.* ubi Greg. IX. dicit litis contestationem non fieri per positiones, & responsiones ad illas, sed *per petitionem in jure propositam, & responsionem*, seu contradictionem *secutam*, puta animo ligandi.

2. *Nota* 2. litis contestationem dividi 1. In *solemnem*, quæ fit conceptis verbis secundum stylum Curiæ, & *simplicem*, quæ fit sine certa verborum formula. 2. In *generalem*, qua reus indeterminate negat narrata vera esse, ita ut non constet, an omnia collective neget, an etiam singula, & *specialem*, qua reus determinate ad singula petita respondet negative. Hic etiam aliqui addunt litis contestationem affirmativam; sed hæc communiter rejicitur, nisi affirmatio secum trahat contradictionem qualificatam, seu exceptive oppositam v. gr. *accepi mutuum, sed jam solvi; suscepi depositum, sed hoc casu interivit.*

3. Q. I. *An litis contestatio sit necessaria ad substantiam judicii plenarii?* ℞. Affirmative, ex *c. un. h. t.* ubi processus alter factus dicitur irritus. Neque actus iste partium consensu remitti potest, quia, cum solemnitates judiciorum sint juris publici, partium consensu tolli nequeunt ex regula *l.* 38. *ff. de pactis*. At in judicio summario non opus est litis contestatione, *Clem.* 2. *de V. S.* nec in notoriis, in quibus ordo juris non observatur, *c.* 21. *de jurej.* nec in judicio coram principe suscepto, cum is solemnitatibus juris non obligetur, *l.* 31. *ff. de LL.*

4. Q. II. *Quibus modis inducatur, vel impediatur litis contestatio?* ℞. *ad* 1. Litis contestatio inducitur principaliter per negationem a reo factam, vel expresse, vel tacite per confessionem qualificatam, seu exceptivam, vel per delationem juramenti judicialis causæ decisivi: ita com. nam his modis actor, & reus vere declarant, se velle litigare. Neque hic opus est simultanea præsentia actoris, & rei, sed sufficit, si reus ex intervallo contradicat coram judice libello actoris, cum libellus semper censeatur loqui nomine actoris, *arg. l.* 2. §. 2. *ff. de O. & A.* At per exceptiones peremptorias regulariter non inducitur litis contestatio, nisi actor replicet. ℞. 2. Impeditur litis contestatio per expressam protestationem, qua reus dicit se respondere alio, quam litigandi animo. Item exceptione declinatoria fori, vel dilatoria, vel exceptione facti, qua reus dicit nullam actionem ortam esse, uti ex contractu de jure nullo, & invalido.

5. Q. III. *Qui sint effectus litis contestationis valide factæ?* ℞. 1. Litis contestatio dat initium judicio stricte tali, ut currere incipiat instantia *l.* 13. *C. de judic.* 2. Obligat partes quasi contrahentes, ut neuter litigans, altero invito, recedere possit, nisi pœna temere litigantis puniri velit §. 1. *Inst. de pœn. temer. litig.* 3. Extinguit exceptiones dilatorias, & fori declinatorias, nisi nova causa recusandi judicem emergeret, *c.* 20. *de sent. & re jud. l.* 12. & *fin. C. de except.* 4. Constituit possessorem bonæ fidei in mala fide ficta, ita ut fructus non faciat suos, sed teneatur eos actori evincenti asservare, & restituere, *l.* 22. *C. de R. V.* 5. Perpetuat actiones temporales *l.* 1. §. 1. *C. de annal. except.* actiones vero pœnales transmittit pro solido ad, & in hæredes §. 1. *inde perp. & tempor. act.* cum alias hæredes non teneantur ex delicto defuncti, nisi quantum ad eos pervenit *l. un. in fin. C. ex delict. defunct.* 6. Denique litis contestatio facit actionem litigiosam, missum in possessionem in judicio reali facit verum possessorem, interrumpit præscriptionem, non admittit exactionem satisdationum de rato habendo, & judicato solvendo, nisi procurator primo post litem contestatam constituatur *l.* 40. §. 3. *ff. de procur. l. un. C. de satisd.* De quibus suis locis dicetur.

Hactenus de constituendo initio judicii: ne vero actus judiciales quoad tempus, & cognitionem perturbate fiant, in seqq. tit. a VI. ad totum XVII. traditur ordinatio actuum judicialium, qui terminum probationum præcedere solent, donec, his expeditis, transeatur ad probationes.

TITULUS VI.

Ut lite non contestata, non procedatur ad testium receptionem, vel ad sententiam definitivam.

1. In hac rubrica, quæ similem sibi in jure non habet, traditur regula negativa, quod *in judicio plenario nec testes recipi, nec sententia definitiva proferri possit ante litem contestatam*: nam testes recipiendi sunt super re in judicium deducta; res autem in judicium non deducitur ante litem contestatam. At in judicio summario, in quo non requiritur litis contestatio, statim post actionem propositam testes recipi possunt. Similiter sententia interlocutoria super dilationibus, & aliis incidentibus proferri potest ante litem contestatam. Ceterum data regula non est sine exceptionibus.

2. Q. I. *Qui sint casus, in quibus testes recipi possunt ante litem contestatam?* ℞. seqq. 1. *Ex parte judicis*, si is procedat ex officio nobili ad inquisitionem generalem delictorum, *c. fin. §. sunt & alii h. t.* at in inquisitione speciali prærequiritur lis contestata, nisi citatus contumaciter absit. 2. *Ex parte rei*: nam is ad propriam defensionem producere potest testes quandocumque, & quofcumque, & in quacumque causa sive civili, sive criminali, ne forsan per dolum, & moras actoris legitima probatione destituatur. Quo casu testes examinantur *ad perpetuam memoriam*; ut, si lis reo intentaretur, testes ita examinari prosint ad defensionem rei, cum in ejus potestate non sit, quando vult, conveniri. 3. *Ex parte actoris*: nam is ante litem contestatam potest testes producere, non quandocumque, sed tantum in *casu periculi*, ut quia timetur mors testium, eo quod isti sint infirmi, vel senes decrepiti; vel quia testes diu, & procul abfuturi sunt, ut in longa, aut periculosa navigatione: vel quia rem gestam memoria

tia non retinebunt; & in omni casu, quo veritas supprimeretur, nisi testes reciperentur ante litem contestatam. Sed hoc solum in causa civili, non criminali *c. fin. pr. h. t.* ibi: *cum civiliter est agendum*. 4. *Ex parte causæ*, dum favor illius exigit, lite non contestata, testes recipi, vel si probationes sunt liquidæ, sententiam definitivam proferri: quod maxime accidit in *matrimonio carnali*, ut partes separentur, si de nullitate, vel cohabitent, si de valore matrimonii clare constat. Item in *matrimonio spirituali*, seu causis electionum, & aliarum provisionum, si de illarum nullitate agatur, & Prælatus citatus contumaciter se absentet, *cit. c. fin. §. porro h. t.* At si Prælatus Canonice institutus removendus est ob crimen, contumax primo excommunicatur; & si intra annum non compareat, tunc demum ad sententiam privationis, & depositionis proceditur, *cap. 8. de dolo & cont. & Can. 3. 37. & c. 11. q. 3.*

3. Q. II. *Quid juris, si actor producat testes ante litem contestatam*? ℞. Præter citationem partis adversæ, & causam rationabilem, puta periculi mortis, vel absentiæ testium, requiritur, ut actor intra annum conveniat reum, vel si conveniri nequit, ei denuntiet receptionem testium; secus præsumitur fraus, & testimonia evadunt invalida: quæ præsumptio est juris, & de jure, nisi actor indirecte probet contrarium, scilic. in sua potestate non fuisse convenire reum, vel ei denuntiare receptionem testium, *cap. fin. princ. hoc tit. & Abb. ibid.* Denique, receptis testibus, regulariter non proceditur ad sententiam definitivam, sed asservantur eorum testimonia, & deinde convento reo, cum aliis producuntur post litem contestatam. An autem eo casu, si testes sint superstites, & præsentes, iterum de novo examinandi sint, dubitant DD. Negant Pax Jordan., sed communior affirmat, cum id exigat rectus ordo judiciorum.

TITULUS VII.

De juramento calumniæ.

Agitur de hac materia in Sexto *h. t.* & in Decreto 22. q. 1. 5. in Pandectis *lib. 2. tit. 59.*

1. Nota 1. *Calumniari* in criminalibus esse, falsa crimina alteri intentare *l. 1. §. 5. ff. ad SC. Turpill. at calumniari* in civilibus est vexare alterum in judicio per fraudem, & frustationem *l. 233. ff. de V. S.* & in hoc sensu posteriori hic accipitur *juramentum calumniæ*, puta *vitandæ*; ac definitur esse illud, quo litigantes coram judice asserunt, causam a se bona fide susceptam, & bona fide in judicio persequendam. Unde actor jurat de bona fide in agendo, & reus de bona fide in resistendo, seu se defendendo, & uterque, quod nihil promiserit, dederit, vel daturus sit judici, vel aliis personis patrocinii causa, excepto salario advocatorum *l. 2. cum seqq. auth. C. h. t.*

2. Nota 2. Juramentum calumniæ, tamquam generale super tota causa, differre. 1. A *juramento veritatis:* nam hoc emittens jurat super *scientia*, & *veritate*, quod scil. verum dicat, & ideo volenti præstare juramentum veritatis conceditur dilatio ad investigandam veritatem: e contra emittens juramentum calumniæ jurat super credulitate, quod credat se justam causam habere. 2. A *juramento malitiæ*, quia hoc fit super particulari articulo ante, vel post litem contestatam, & toties, quoties præsumptio est de malitiosa voluntate litigantis, v. g. in petenda dilatione, opponenda exceptione &c. econtra juramentum calumniæ fit generaliter super tota causa, & tantum semel post litem contestatam.

3. Q. I. *An juramentum calumniæ sit necessarium ad substantiam judicii plenarii*? ℞. Affirmative, si exigatur ab altera parte, secus processus est nullus, *c. 1. 2. h. t. in 6. cit. l. 2. §. 4. C. eod.* nam finis hujus juramenti est, ut lites calumniosæ evitentur, partes onere probandi, & molestia litigandi liberentur, & veritas manifestetur. Unde a judice, ad instantiam partis præcipiente hoc juramentum, nequit appellari, cum judex hoc modo non gravet. *Dixi si exigatur*, nam si altera pars illud non exigat immediate post litem contestatam, vel deinde in quacumque parte judicii, censetur tacite remissum, quod a jure permittitur *cit. c. 1. §. propter h. t. in 6. propter omissum quoque tacite in tota causa calumniæ juramentum, judicialis processus, alias factus legitime, non est nullus, nec etiam annullandus:* nam stante hac tacita remissione, adhuc finis obtinetur, cum pars altera sit in continuo metu, ne juramentum hactenus dissimulatum ab ea petatur; adeoque non præsumitur calumniari. Sed arg. a sensu contr. juramentum hoc remitti non potest per pactum expressum; tum quia pactum istud invitaret ad calumniam; tum quia juramentum calumniæ inductum est propter bonum publicum, seu sinceritatem judiciorum; bono autem, & juri publico pactis privatorum renuntiari non potest *l. 38. ff. de pact.* & hic est unus casus ex specialibus, in quibus plus operatur tacitum, quam expressum. Nec obstat *c. 39. de testib.* nam juramentum testium primario est in favorem partis, adeoque expresse remitti potest testi.

4. Q. II. *An juramentum calumniæ remitti possit indulgentia Principis, vel consuetudine contraria*? ℞. ad 1. Affirmative: nam juramentum hoc absolute de jure naturali non requiritur ad rectitudinem judicii, sed est solemnitas juris positivi humani, in qua Princeps dispensare potest. Nec obstat *Clem. 2. de V. S.* quæ in judicio summario vult jurari de calumnia: nam in ista Clem. multa præscribuntur pro judicio summario, quæ tamen non sunt juris naturalis. ℞. ad 2. Negative ex *c. 5. h. t. & c. 3. de fidej.* ubi reprobatur ista consuetudo, utpote irrationalis, cum foveat malitiam, & calumniam hominum. Dicunt tamen graves DD. quod in certis circumstantiis, v. g. ubi homines sunt valde probi, vel econtra valde proclives ad perjuria, consuetudo non jurandi de calumnia, saltem si sit immemorialis, sustineri possit tamquam rationabilis per *c. fin. de consuet.*

5. Q. III. *Qui obligentur ad præstandum juramentum calumniæ*? ℞. Regulariter omnes personæ litigantes, nisi specialiter excipiantur *l. 2. C. h. t.* Unde ad jurandum de calumnia tenentur. 1. Actor, & reus; & quidem principaliter, cum censeantur habere optimam notitiam rei, etiamsi sint Clerici, religiosi, vel Episcopi per se in causa ardua litigantes *c. 5. & fin. h. t.* Cui non obstat *c. 1. eod.* nam procedit de Episcopo per procuratorem litigante, quo casu decet per eumdem jurare de calumnia. 2. Hæredes, & successores actoris, & rei: nam fieri posset, ut testator fuerit in bona fide, ipsi vero sint in mala. 3. Procuratores, qui jurant in animam suam, & cum speciali mandato in animam domini *c. 2. & fin. h. t. in 6.* nisi procurator daretur ex officio judicis; tunc enim non super justitia causæ, sed tantum super his, quæ spectant ad officium procuratorium juraret *arg. reg. 24. in 6. quod quis mandato facit judicis, dolo facere non videtur* &c. 4. Tutores, curatores, procuratores generales, syndici, & administratores Ecclesiæ, monasterii, civitatis, plerumque jurant tantum in animam suam, non vero in animam Principalis; quia illi præsumuntur habere optimam notitiam causæ, non vero dominus principalis, ut pupillus, minor &c. Ob eamdem rationem, si Ecclesia careat syndico, debet Prælatus, & principalior pars capituli jurare in animas suas, non vero in animas omnium, cum multi vix ullam notitiam rei habeant; ita hæc omnia colliguntur ex *cit. l. 2. cum auth. C. h. t.* Advocati ex hodierna consuetudine non jurant, sed sufficit juramentum generale in susceptione officii præstitum.

6. Q. IV. *In quibus causis jurandum sit de calumnia*? ℞. Regulariter in omnibus etiam spiritualibus, tam in prima, quam secunda instantia, coram judice sive ordinario, sive delegato, sive arbitro *l. 1. 2. C. h. t. c. 1. eod.* & *c. 1. 2. eod. in 6.* nam in omnibus periculum est calumniæ. Nec obstat *c. 2. h. t.* dicens in causis spiritualibus nec dari, nec recipi juramentum: nam dispositio ista correcta est a Bonif. VIII. *c. 1. in fin. h. t. in 6.* Excipiuntur *causæ notoriæ*, in quibus non observatur ordo juris, nec probatio est necessaria: causæ *inquisitionum*; & communiter causæ criminales, saltem majores criminaliter intentatæ, in quibus accusatori, non vero reo deferendum est juramentum calumniæ. VVesemb. Zoes, Schmier &c. tum quia manifestum est periculum perjurii: tum quia juramentum calumniæ fit super credulitate, seu bona fide; in criminalibus autem fieri deberet super scientia, & veritate delicti.

licti. Sufficiet ergo in criminalibus, si post semiplenam probationem, & alia indicia deferatur reo juramentum veritatis. Unde *c.* 1. *h. t.* ibi *in causa quacumque, seu criminali, seu civili, & l.* 1. *in omnibus causis C. h. t.* restringi debent ad causas criminales civiliter intentatas.

☞ *Die 6. Julii 1697. discusso dubio in S. Congreg. Conc. an expediret a summo Pontifice abrogari consuetudinem exigendi a reo in criminalibus juramentum, quamvis rescriptum fuerit, ut scriberent pro veritate theologi, & canonistæ, ut ex lib. 29. decret. ejusdem S. Congreg. fol. 430., & lib. 30. fol. 33. nulla tamen decisio facta fuit; ideoque in suo robore eadem consuetudo firma remansit. Verum post Concilium Romanum a Bened. XIII. celebrat. an. 1725. ab ea recedendum omnino est; tit. enim 13. cap. 2. ejusdem Concil. præcipitur, ne imposterum sub pœna nullitatis omnium actorum exigatur juramentum a reis, cum judicialiter uti principales examinantur* ☜.

7. Q. V. *Quæ sit pœna recusantis jurare de calumnia?* ℟. 1. Actor causa cadit, seu actionem amittit; reus vero habetur pro confesso, non ante, sed post sententiam judicis *cap. fin. in fin. h. t. & l.* 2. §. 6. *cum auth. C. eod.* nisi quis moram suam purget, jurando ante sententiam illativam pœnæ. Si autem quis in causa incidenti nolit jurare, hac sola cadit, non vero causa principali. 2. In causa spirituali, ut beneficii, matrimonii, jurispatronatus &c. actor renuens jurare, plerumque causa cadit; reus vero non hoc ipso vincit, sed causam suo modo justificare, & probare debet, ne detur vitiosus ingressus in beneficia contra *reg.* 1. *in* 6. & ne periculum animæ incurratur, præsertim in matrimonialibus. 3. Procurator, vel administrator recusans jurare de calumnia, non nocet domino *l. un.* §. 2. *ff. si quis jus dic. & Can. si Episcopum* 16. *q.* 6. nam vel recusat jurare in animam principalis secundum mandatum speciale, & sic nihil agit, utpote contra mandatum delinquens; vel recusat jurare in animam suam, postquam dominus personaliter juravit in animam propriam, & sic repellendus est *arg. l.* 14. 15. *C. de judic.* imo pœna aliqua pecuniaria plectendus, ut observatur in Camera imp. Gail, & alii. 4. Pœna recusantis jurare de calumnia non est extendenda ad recusantem jurare de malitia *arg. reg.* 49. *in* 6. adeoque locus erit pœnæ arbitrariæ; nisi de consuetudine tribunalis actor ab hoc articulo cadere, & reus pro confesso in eodem articulo haberi deberet, ut observatur in Camera.

8. Q. VI. *Quis sit effectus juramenti calumniæ?* ℟. Præsumpta æquitas, quæ litigantem in foro externo liberat a calumnia. At juramentum calumniæ non liberat ab expensis solvendis victori, ut teste Saliceto tenet totus mundus contra Accurs. & Bartolum: nam expensæ non solvuntur tantum ob calumniam, sed etiam ob temeritatem litigandi *tit. Inst. de pœna temer. litig.* potest autem quis esse temerarius litigator, etsi non sit calumniator, cum aliud sit temeritas, aliud calumnia.

TITULUS VIII.

De Dilationibus.

Agitur de hac materia in Extravag. com. *h. t.* in Decreto 3. *q.* 2. 3. In Pandectis *lib.* 2. *tit.* 12. in Codice *lib.* 3. *tit.* 11.

1. Nota 1. hic non agi de dilatione generatim sumpta, prout est determinatio temporis, intra quod aliquid fieri debet; nec de dilationibus, seu induciis extrajudicialibus, sed de solis judicialibus, quæ sunt *justum temporis intervallum, quod a jure, vel judice pro tribunali sedente ex justa causa actori, vel reo conceditur ad actum aliquem judicialem melius expediendum:* ita in re com. ex *l.* 1. *C. h. t.* nam sæpe necessarium est, ut judex, utraque parte præsente, causam, v. g. maturæ deliberationis, indagandæ veritatis, & hujusmodi cognoscat; & si justam reperit, interlocutorie pronuntiet, concedendam esse dilationem; secus autem negandam *l.* 4. *C. h. t.* Species dilationum 24. numerat Reiff. ex Speculatore, sed omissis aliis.

2. Nota 2. dilationem ex parte causæ efficientis dividi in *legalem, conventionalem, & judicialem specificæ*, seu *arbitrariam*. *Legalis* est, quæ conceditur a lege, ut decendium ad appellandum. *Conventionalis* est, quæ conceditur ex mutua conventione partium, ut si consentiant super prorogatione negotii, vel termini ad solvendum. *Judicialis*, quæ attentis circumstantiis ex arbitrio judicis conceditur; & ideo vocari solet *arbitraria*, in omni parte judicii concedi solita. 2. Ex parte causæ materialis dilationes aliæ deserviunt principio judicii, ut *citatoriæ, deliberatoriæ, & recusatoriæ*; aliæ medio, ut *probatoriæ, & allegatoriæ*; aliæ fini, ut *definitoriæ*, & *exequutoriæ*, de quibus in sequentibus.

3. Q. I. *Quæ dilationes concedi soleant ante litem contestatam?* ℟. 1. *Citatoria*, seu *expectatoria*, quæ reo citato datur ad comparendum, & respondendum libello actoris. Post singulas citationes simplices dilatio est decem dierum, quibus ter elapsis, vel elapsa una peremptoria, judex non tenetur expectare reum, nisi ex humanitate velit ei adhuc unum edictum mittere *l.* 73. *ff. de judic. c.* 24. *de off. deleg.* At jure recentiori videtur citationi simplici concedi dilatio 30. dierum, *auth. qui semel C. quomodo, & quando:* licet P. Reiff. d. authenticam afferat procedere in casu speciali, quo actor, reo contumaciter absente, vult procedere ad probationes, ut pro eo sententia definitiva feratur. ℟. 2. *Deliberatoria*, quæ unica, adeoque peremptoria per 20. dies conceditur reo ad deliberandum super libello oblato, an litigare velit, *auth. offeratur C. de litis contest.* Similiter actori super exceptione a reo opposita concedi potest talis dilatio, cum super illa exceptione non potuerit comparere instructus. ℟. 3. *Recusatoria*, seu *declinatoria fori*, quæ conceditur reo ad proponendas omnes exceptiones dilatorias, priusquam litis contestatio fiat: nam tunc recusari potest judex, ut suspectus *l.* 16. *C. de judic.* impugnari rescriptum *l.* 2. *C. h. t.* repelli actor, vel procurator, ut excommunicatus, vel ex alio defectu non habens legitimam personam standi in judicio: item potest laudari auctor pro casu evictionis *l.* 8. *C. de evict.* ob quas, & similes causas hæc dilatio nulli tempori alligata, adeoque arbitraria, merito conceditur.

4. Q. II. *Quæ dilationes post litem contestatam in termino probatorio concedantur?* ℟. 1. *Dilationes probatoriæ*, quæ dantur utrique parti litigantium ad probandum, & quidem actori ad formandas positiones, & articulos probatoriales, reo vero ad respondendum, utrique ad producendum testes, & instrumenta *c.* 1. *h. t. l.* 1. 2. *C. eod.* Et quidem, si probationes petendæ sunt ex eadem provincia, assignantur tres menses, si ex aliena, continenti tamen, non ultra sex, si ex transmarina, non ultra novem *l.* 1. & *fin. C. eod.* Ceterum in causis pecuniariis regulariter una tantum datur dilatio probatoria: ex justa autem causa, etiam secunda, & tertia: quarta vero non aliter conceditur, nisi cum solemnitate legali, ut eam petens ex causa probata, juramento asserat, quod malitiose illam non petat, quæ solemnitas pariter observatur, si petatur prorogatio quartæ dilationis, *c.* 15. *de testib. auth. at qui semel. C. de probat.* jure camerali quarta dilatio abrogata, sed si justa causa adsit, petenda est prorogatio tertiæ dilationis, cum dicta solemnitate *rec.* 1654. §. 50. Hæredi autem regulariter concedi solet nova dilatio *l.* 7. *ff. de feriis*. At in causis criminalibus reo tres dilationes, accusatori duæ dari possunt, sed utrumque, causa cognita, *l. fin. ff. eod.* quæ communiter extenditur ad omnes causas criminales, quia in his probatio est difficilis? ℟. 2. *Dilationes allegatoriæ*, quæ dantur ad allegandum, regulariter conceduntur etiam tres successive, singulæ per 30. dies, *auth. habemus. C. de judic.* nam judex, auditis probationibus, & exceptionibus, priusquam sententiam ferat, solet interrogare partes, an quid præterea habeant ad allegandum, seu proponendum? & si altera partium dicat se adhuc velle aliquid proponere, datur ei dilatio ad allegandum.

5. Q. III. *Quæ dilationes concedantur ad finem judicii?* ℟. *Definitoriæ, & exequutoriæ*. *Definitoria* datur ex arbitrio judicis ad tempus sententiæ definitivæ, v. g. sententia feretur calendis decembris, & qui tali die non comparuerit, etiam in ejus absentia sententia feretur *l.* 71. *ff. de judic.* Potest autem ejusmodi dilatio dari etiam secunda, vel tertia, nisi prima sit peremptoria. *Exequutoria* dilatio datur ad satisfaciendum sen-

sententiæ latæ. Et quidem in actionibus personalibus pecuniariis conceduntur reo condemnato 4. menses *c.* 24. *de off. deleg. c.* 15. *de sent. & re jud.* in actionibus vero realibus statim fieri potest exequutio; nisi reus justam causam habeat, ob quam mox restituere non possit rem evictam §. 2. *In. de off. Jud. l.* 68. *ff. de R. V.*

6. Q. IV. *An hodie dilationes judiciales sint arbitrariæ, hoc est*, ut consideratis circumstantiis personarum, locorum, & impedimentorum, judex illas ampliare, vel restringere possit? ℞. Affirmative ex com. sententia: nam licet ea, quæ jus concedit independenter a ministerio judicis, non possint per judicem mutari, uti tempora appellationum, tamen ea, quæ jus concedit, causa cognita, seu mediante ministerio judicis, pro varietate circumstantiarum ampliari, vel restringi possunt, ne alias jus evadat iniquum *l.* 7. *ff. de feriis* ibi: *sed utilitatis litigantium gratia*, *& l.* 1. *C. h. t.* ubi judici extra casum urgentissimæ rationis prohibetur ampliatio dilationum; ergo si talis ratio occurrat, licebit judici ampliare dilationem. Idem dic de prorogatione dilationis, qua extenditur dilatio habens, imo, & lapsa, modo res sit integra. Causæ ampliandi dilationem sunt: arduitas rei, distantia locorum, impedimenta temporum, & personarum, *c. fin. h. t. l.* 137. §. 2. *ff. de V. O.* Causæ autem restringendi sunt, periculum, ne res pereat, rei vilitas, necessitas alimentorum, damnum majus re ipsa; ut si asinus, vel equus plus consumeret tempore dilationum, quam constaret.

7. Q. V. *Quomodo tempora dilationum computanda sint*? ℞. Prima dies datæ dilationis non computatur, sed altera proxima; ultima vero dies cedit impetranti, ut sufficiat ultimo momento hujus diei comparere, *arg. c.* 1. *de rest. spoliat. in* 6. *l.* 41. *ff. de. V. O.* & §. 2. *In. de V. O.* medium autem tempus est continuum, computatis diebus feriatis, & non feriatis, *l.* 3. *C. h. t.* nisi forsan plures essent dies feriati, quam non feriati; tunc enim æquum est feriatos dies suppleri per utiles.

8. Q. VI. *Qui sint præcipui effectus dilationum*? ℞. 1. Dilatio uni parti concessa prodest etiam alteri litiganti, ut, ea invita, renuntiari non possit datæ dilationi, *l.* 3. *in fin. C. de temp. in integr. restit.* 2. Pendente dilatione, conquiescit officium judicis, ac proinde nihil innovandum est super eo articulo, super quo dilatio impetrata est; nisi forsan reus suspectus sit de fuga, *l.* 3. *C. h. t.* 3. Finito dilationis tempore, si pars non compareat, actus perimitur, qui in dato termino fieri debuit, & judex ad ulteriora procedere potest. Nec hic opus est interloqui, quia ipsa dilatio finita vim habet sententiæ interlocutoriæ, *l.* 3. *C. h. t.* & *arg. c.* 1. *eod.*

TITULUS IX.

De Feriis.

Agitur de hac materia in Decreto 15. *q.* 4. & *c.* 1. *de consecr. d.* 3. In Pandectis *lib.* 2. *tit.* 12. in Codice *lib.* 3. *tit.* 13.

1. *Nota* 1. *Ferias* dici a ferendis hostiis, quas veteres suis Diis immolabant, ita ut nefas esset his diebus aliquid in judicio tractari, & ideo etiam *dies nefasti*, festi, seu feriati dicebantur. *Feriæ* autem quoad rem pro præsenti, sunt *dies, quibus jus non dicitur*, seu vacatur a strepitu judiciali; & si sunt feriæ sacræ, insuper abstinetur a mercatura, & opere servili. Differunt a dilationibus, quia hæ contingenter dantur ad istantiam, & utilitatem partium; feriæ vero stabiliter institutæ sunt ad honorem Dei, vel bonum publicum.

2. *Nota* 2. Ferias dividi in *ordinarias*, seu *legales*, aut *solemnes*, quæ stabiliter a lege, vel sacr. Canonibus constitutæ sunt; & ideo *statæ*, & *anniversariæ* dicuntur; & *extraordinarias*, quæ ob repentinam causam a principe indicuntur, v. g. in die inaugurationis principis, victoriæ &c. 2. Ordinariæ, aliæ sunt *sacræ* in cultum Dei, & sanctorum institutæ; aliæ *profanæ* in hominum utilitatem inductæ; uti sunt feriæ *rusticæ messium*, & *vindemiarum*: item feriæ *nundinarum*, & *nuptiarum*, quibus per statuta sacr. Canonum nuptiæ solemniter celebrari prohibentur. Hic potissimum agitur de feriis judicialibus, uti sunt sacræ, rusticæ, & repentinæ: ex quibus rusticæ messium, & vindemiarum pro varietate locorum vario tempore sunt constitutæ.

3. Q. I. *An die feriato exerceri possit placitum*, hoc est, actus forensis, qui fit cum strepitu judiciali? ℞. Negative *c.* 1. *h. t.* & *l. fin. C. eod.* nam dies feriati ex dispositione juris non sunt juridici; ergo in illis jus dici non potest, *l.* 7. *C. eod.* Porro licet partes renuntiare possint feriis rusticis, ut in his, si judex velit, judicium possit prosequi, cum feriæ istæ institutæ sint in privatum favorem partium; tamen renuntiare non possunt feriis sacris, & repentinis, utpote ob publicam causam honoris divini, vel principis institutis, *c. fin. h. t.* ibi: *consentientibus etiam partibus*; alioquin acta judicialia sunt invalida, & sententia die sacro prolata, est nulla, *cit. c. fin.* & *l.* 2. 7. *C. h. t.* exceptis duobus casibus: *necessitatis*, ut si reus suspectus est de fuga, si periculum est in mora, si latrones capiendi, si rustici, & pauperes alio tempore ad judicium venire nequeant &c. *pietatis*, & *misericordiæ*, ut si agatur de causis alimentorum, carceratorum, matrimoniorum &c. *cit. c. fin. h. t.*

3. Q. II. *Qui actus judiciales in specie prohibeantur die festivo*? ℞. 1. Citatio decretoria, Abb. Gonz. & alii contra Fagn. Reiff. &c. qui docent a judice extra tribunal posse die festo confici decretum citationis. Prob. ex *l. fin. C. h. t.* ibi: *sit ille dies a cognitionibus alienus*: confectio autem citationis requirit cognitionem causæ ad statuendum terminum citato. Multo minus solemnis citatio per *proclama*, vel capturam fieri potest die festo, *cit. l. fin.* ibi: *præconis horrida vox silescat*. Quod si citatio fiat die juridico ad diem non juridicum, seu feriatum expresse, v. g. *die dominico comparere*, non valet, cum omnis strepitus cesset die feriato. At si tacite fiat in diem feriatum, v. g. ut compareat 6. Junii, quo die occurit festum, citatio regulariter fertur in sequentem diem proximum juridicum *arg. c.* 6. *de dolo*, *& contum.* ℞. 2. Nec examen, aut depositio testium; & multo minus juramentum illorum fieri potest die festo, *c.* 1. & *fin. h. t.* cum testes cogi non possint ad testificandum *l. fin. C. h. t.* ibi: *nulla quemquam urgeat admonitio*; & aliunde actus isti multum habent de strepitu judiciali. ℞. 3. Sententia, & ejus exequutio, dum exercentur cum strepitu forensi, invalide fiunt die festo, *c. fin.* & *l. fin. C. h. t.* ibi: *ut a cunctis exequutionibus excusetur*.

5. Q. III. *Qui actus judiciales licite, & valide fieri possint diebus festivis*? ℞. 1. *Oblatio libelli*, quia est tantum præparatoria ad judicium absque ullo strepitu. Idem dic de citatione privata per nuntium, aut litteras. 2. *Sententia*, quæ fertur sine cognitione, & strepitu judiciali, uti etiam actus jurisdictionis voluntariæ; ut emancipare, manumittere, veniam ætatis concedere, dispensare, magistratum creare &c. exceptis illis, qui solemnem causæ cognitionem prærequirunt; ut arrogatio, bonorum possessio decretalis &c. 3. *Sententia excommunicationis*, *suspensionis*, *& interdicti*: nam pœnæ istæ feruntur per modum præcepti, & in bonum, seu medicinam animæ. 4. *Appellatio*; tum quia hæc fit sine strepitu; tum quia vim habet defensionis, quæ cuicumque, & quovis tempore jure naturali est permissa. Oppositum tamen tenent Zoes, Schmier, & alii.

6. Q. IV. *Quis possit instituere ferias sacras*, *& quid in eis observandum*? ℞. ad 1. Solus princeps Ecclesiasticus, scil. Papa pro tota Ecclesia, & Episcopus pro sua diœcesi instituere potest ferias sacras: ita Cathol. contra Hæret. nam laici in spiritualibus nullam habent auctoritatem, utpote quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi *c.* 10. *de const.* unde Innoc. X. *Const. incip. Cum nuper*, *an.* 1657. *die* 6. *Octobr.* irritum declaravit edictum Gubernatoris, & senatus Mediolanensis, quo festum S. Dominici festive celebrari præcipiebatur. At ferias profanas princeps politicus, & quidem solus, instituit, *l.* 4. *C. h. t.* licet earum determinatio quoad tempus spectet ad præsides, & proconsules. *l.* 3. *ff. h. t.* & *l.* 7. *ff. de off. proconf.* ℞. ad 2. Præceptum celebrandi ferias sacras partim est affirmativum de missa audienda, partim nega-

gati-

gativum prohibens opera servilia; juramentum etiam extrajudiciale, quo pacta, & contractus solemniter firmantur; excepto juramento pacis; mercatum, seu nundinas, nisi aliud habeat consuetudo, & omne placitum, seu strepitum judicialem, *c.* 1. *h. t.* Venatio moderata, uti & piscatio in flumine videtur permissa, non tamen piscatio in mari.

☞ *Ex Const. Bened. XIV.* Ab eo tempore 5. *Nov.* 1745. §. 22. *denuo prohibentur mercatus diebus festis; & si in illos incidant, statuitur, transferendos in antecedentem, vel in subsequentem diem. Et* §. 30. *mandatur locorum Ordinariis ditionis Ecclesiast. satagere, & constituere auctoritate ipsiusmet Pontificis, ut matutinis, & vespertinis horis*, quibus die festo, quo nundinæ habentur, claudi debeant apothecæ, nec publica possint exerceri commercia, ut qui ad nundinas confluxerunt, missæ sacrificio, & divinis officiis intersint, aliisque christianis operibus festum sanctificent: *quemadmodum ipsemet jam antea sanxit in const.* Paternæ 4. Aug. 1744. *pro nundinis Senogalliensibus, quarum dies in compensationem imminuti hac de causa sæcularibus negotiis temporis, cum iisdem privilegiis, & immunitatibus multiplicavit, addendo alios quinque præter consuetos.*

Præcipitur præterea altera const. Nihil profecto 12. *Aug.* 1742. §. 3. *ut ab Episcopis turpes, & obscænæ exercitationes puerorum, & adolescentum nudorum cursus, luctaque, festis potissimum diebus, quocumque nomine, & occasione exhibendæ eliminentur.* ☜

TITULUS X.

De Ordine cognitionum.

Agitur de hoc in Decreto 2. *q.* 2. *&* 3. *q.* 1. 2. In Codice *lib.* 3. *tit.* 8. *de ordine judicior.*

1. *Nota* 1. in concursu plurium causarum, ne confusio fiat, ordinem cognitionum observandum esse. Ordo autem cognitionum nihil est aliud, quam prioritas, & posterioritas in cognoscendis, & decidendis pluribus causis in judicium deductis.

2. *Nota* 2. dari quasdam quæstiones *præjudiciales*, a quibus altera causa ita pendet, ut cognosci nequeat, nisi prius cognoscatur quæstio præjudicialis; & sententia lata in una parit exceptionem rei judicatæ in altera, atque ita ei præjudicium affert: ob quod etiam dicitur *præjudicialis*, vel quia præ illa judicari debet. Rursum exceptio alia est *incidens*, seu *peremptoria*, quæ actionem mero jure competentem ita excludit, ut illam omnino perimat, v. g. exceptio metus, JCti Vellejani, Macedoniani &c. alia est *incidens* a cadere, seu *emergens*, quæ negotium principale non perimit, sed tantum differt; & ideo vocari solet *dilatoria*: unde illud Glossæ *c.* 1. *h. t. incidens perimit*, *emergens quæstio differt.* Dicitur autem *emergens*, quia non competit reo ante litem inchoatam, sicut competit peremptoria, sed primo emergit sub lite, v. g. an danda sit dilatio, an hic testis recipiendus. Sed circa hæc diversus est modus loquendi, etiam in ipso jure, quia voces istæ in diversa significatione accipiuntur, ut patet ex *c.* 1. *h. t.* ubi exceptio consanguinitatis dicitur *peremptoria*, cum tamen sit exceptio meri facti nullam de jure actionem præsupponens, quam perimat, eo quod ex matrimonio invalido nulla actio, seu petitio nascatur. Quare pro claritate.

3. *Nota* 3. quod illa dicatur causa, seu quæstio *principalis*, quæ primario, & per se deducitur in judicium; illa vero *incidens*, seu *concurrens*, quæ ratione causæ principalis incidit, concurrit, seu suscitatur in judicio; sive deinde sit pure dilatoria, sive peremptoria de jure, aut de facto, sive litis finitæ, sive stricte præjudicialis, quæ reipsa coincidit cum peremptoria. Et hic modus loquendi habet fundamentum in *l.* 3. *C. de judic.* in *l.* 3. *C. h. t.* ubi quæstio status dicitur concurrens, & quæstio criminalis incidens, & *c.* 1. *h. t.* ubi exceptio consanguinitatis dicitur peremptoria, puta de facto.

4. Q. I. *In concursu plurium causarum, quæ prius cognoscenda est?* ℞. Regulariter loquendo, illa causa prius est cognoscenda, quæ prius in judicium deducta, *arg. reg.* 54. *in* 6. *qui prior tempore, potior jure, & l.* 29. *ff. de judic. qui appellat prior, agit.* Sed hæc regula suas patitur exceptiones, & quidem. 1. Si duæ causæ æque principales simul tempore deductæ sunt in judicium, simul tractandæ sunt, cum non sit ratio unam alteri præferendi; nisi actor vellet unam citius finiri. 2. Si concurrat causa major cum minori, ut criminalis cum civili, causa major utpote dignior prius tractanda est, *l.* 54. *ff. de judic. l. fin. C. hujus titul.* 3. Si concurrat sive principaliter, sive incidenter causa, a cujus decisione pendet decisio alterius causæ, illa prius tractanda est, *c.* 1. 3. *h. t. l.* 1. 2. *C. eod. l.* 5. §. 8. *ff. de agnoscend. & al. liber. c.* 5. *qui fil. legit.* nam judex inutiliter in altera causa procederet, cum ejus cognitio pendeat ex cognitione alterius causæ præjudicialis. Unde prius tractanda est causa status circa libertatem, vel legitimæ nativitatis, quam hæreditatis, aut alimentorum; prius exceptio consanguinitatis, quam causa matrimonii; prius super beneficio valide obtento, aut matrimonio valide inito, quam super decimis dandis, vel super dote. Et generaliter prius cognoscitur super *exceptione stricte peremptoria*, quæ actionem mero jure natam perimit; ut exceptio metus, doli, pacti de non petendo, rei judicatæ &c. item super *exceptione late peremptoria*, seu *facti*, ut vocant, qua excluditur actio tantum de facto intentata, & de jure non competens, vel jam extincta; ut exceptio consanguinitatis, nullitatis, tituli inhabilis ad beneficium &c. quo etiam spectant exceptiones litis finitæ ut soluti, usucapti, permutati &c. 4. Exceptiones dilatoriæ prius cognoscendæ sunt, quam causa principalis; imo etiam per sententiam interlocutoriam terminandæ, uti est exceptio fori incompetentis, judicis suspecti, actoris excommunicati, inhabilis, procuratoris falsi &c. *l.* 4. *C. de dilat.* ibi: *suscepta quæstio per sententiam judicis dirimatur, & l.* 26. *C. ad L. jul. de adulter. Ratio primi* est, quia talis exceptio objecta, dicit non esse procedendum judici; ergo ne judex procedendo faciat contraria in eodem judicio, abstinere debet a processu in causa principali, & interim cognoscere de exceptione objecta. *Ratio secundi*, quia sententia in causa principali virtualiter non continet sententiam super exceptione dilatoria; cum una ab altera necessario non pendeat; ergo super exceptione dilatoria judex prius interloqui tenetur, ut deinde super causa principali procedere possit, vel abstinere.

5. Q. II. *An judex super exceptione peremptoria cognita pronunciare debeat sententiam interlocutoriam?* ℞. Negative regulariter loquendo: ita *l.* 1. *C. de ord. judic.* ibi: *quoniam non de ea, sed de hæreditate pronunciat*, hoc est, judex non pronunciat de exceptione peremptoria, seu quæstione præjudiciali status, sed tantum de causa principali hæreditatis. Ratio est, quia sententia super causa principali tacite in se continet sententiam super exceptione peremptoria, & præjudiciali: nam qui pronunciat matrimonium esse validum, etiam tacite pronunciat nullum adesse impedimentum dirimens &c. Nec obstat *l.* 74. *de qua re ff. de judic.* nam intelligenda est de pronunciatione expressa, vel tacita. *Excipe* casum, quo causa profana principalis proposita est coram judice laico, & concurrit quæstio incidens spiritualis, v. g. super legitimitate liberorum, & valore matrimonii; tunc enim quæstio spiritualis, respectu cujus laicus est incapax, remittitur ad judicem Ecclesiasticum, & ab eo per sententiam terminatur, *c.* 5. 7. *qui fil. legit.* & *c.* 3. *h. t.* ubi Honorius III. scribit Ludovico Regi Galliæ, ne procedat in causa successionis, donec ille terminet causam natalium, an scilicet ex legitimo matrimonio orta fuerit Regina Cypri?

6. Q. III. *Quomodo cognoscenda sit causa spolii?* ℞. cum distinctione: si reus objiciat spoliationem per modum exceptionis, prius cognoscenda est exceptio spolii, & per sententiam interlocutoriam terminanda, *c.* 2. §. *sed quoniam h. t.* nam exceptio spolii est dilatoria retardans processum judiciarium in causa principali; ergo prius cognosci, & terminari debet, etsi actor agat etiam in causa spoliationis; quia in eodem delicto favorabiliores sunt partes rei, quam actoris, *l.* 125. *ff. de R. J.* Hoc tamen casu actor non tenetur restituere spolium reo, cum reus excipiendo hoc non petat, sed præcise repellat actorem ab agendo; si autem actor vult agere, prius restituere debet spolium reo. ℞. 2. Si causa spolii proponatur per modum actionis a reo,

a reo, simul tractari debet cum causa principali actoris, & utraque per unam sententiam terminari, *cit. c.* 2. §. *nos autem h. t.* nam in tali casu concurrunt mutuæ petitiones, seu conventio, & reconventio; ergo gaudent simultate processus, & sententiæ; ita tamen, ut causa actoris, utpote prior, in cognitione sit præferenda, *ibid.*

TITULUS XI.

De plus petitionibus.

Agitur de hac materia in Inst. *lib.* 4. *tit.* 6. §. 33. in Codice *l.* 3. *tit.* 10.

1. *Plus petitio* est excessiva petitio actoris aliquid ultra debitum a reo apud judicem exigentis. Modi autem plus petendi sunt 4. per *c. un. h. t.* ex §. 33. *In. de action.* 1. *Plus causa*, dum petitur aliquid certum in specie, seu individuo, quod est debitum tantum in genere, vel alternative; ut si debeatur equus, vel pecunia, & actor petat determinate hunc optimum equum. 2. *Plus re*, seu *quantitate*, dum petitur major quantitas, ut 20. vel totum, cum debita sit minor quantitas, ut 10. vel tantum pars, v. g. fundi. 3. *Plus tempore*, dum debitum certo die, vel sub conditione petitur ante adventum hujus diei, vel conditionis: nam *qua ratione, qui tardius solvit, minus solvere intelligitur, eadem ratione, qui præmature petit, plus petere videtur, cit.* §. 33. *v. tempore.* 4. *Plus loco*, dum quis alibi ad solvendum convenitur, quam ubi constitutum fuit: nam debitoris sæpe interest in hoc potius, quam alio loco solvere.

2. Q. I. *Quæ sit pœna plus petentis*? R. 1. De jure antiquo plus petens causa cadebat, quæ pœna sublata est, excepto uno casu, si quis dolo malo cautionem obligatoriam super majori quantitate, quam sibi debeatur, exigat, *l. fin. C. h. t.* 2. De jure civili recentiori *plus tempore* petens, amittit sumptus litis, & tenetur debitori duplicare inducias temporis, vel integri, quod præfixum fuit ad solvendum, ut volunt Jo. Andr. Schneid. & alii ex §. 10. *v. hodie autem*, *In. de exception.* vel saltem temporis anticipati, ut docent Bartol. Gonz. Zoes &c. Qui autem plus petit *causa*, *re*, vel *loco*, tenetur debitori damna illata resarcire, & triplum dare ejus, quod viatoribus, seu exequutoribus nomine sportularum ob majorem quantitatem libello expressam solutum fuit, §. 24. *Inst. de act.* 3. De jure Can. *c. un. h. t. re*, aut *causa* plus petens, condemnatur debitori in expensas, *loco* plus petens, obligatur ad resarciendum interesse, *tempore* plus petens, tenetur duplicare inducias. Et quia in *cit. c. un.* non exprimitur pœna tripli, inferunt Abb. Gonz. & alii pœnam istam esse sublatam de jure Can. quod etiam in foro seculari observari asserunt Abb. Manz. &c. Sic etiam proportionaliter puniendus, & in expensas condemnandus est reus, qui plus negat, quam actor juste petat; alioquin si actor plus petat, & reus plus neget, regulariter locus est compensationi.

3. Q. II. *Quæ causæ excusent a pœnis plus petentium*? R. seqq. 1. Si plus petatur, non dolo, sed probabili ignorantia, aut errore *l. pen. C. ad l. Falcid.* 2. Si actor pœnitentia ductus ante vel post litem contestatam a plus petitione recedat *l.* 14. §. 8. *l.* 16. §. 3. *ff. de bonis libert.* si tamen dolose plus petit, pœnitentia eum non liberat, *l. fin. h. t.* 3. Si adsit justa causa petendi *ante tempus*; ut si debitor bona dilapidet, vel de fuga sit suspectus &c. vel *in alio loco*, ut si debitor in loco convento nunquam reperiatur &c. 4. Si actor est minorennis *cit.* §. 33. *pr. de action.* nisi ex dolo plus petierit, *l.* 1. 2. *C. si advers. delict.* Denique si adjecta fuit clausula salutaris: *salvo jure superflui*: sed hæc causa reducitur ad pœnitentiam, ut libellus emendari possit; sicut etiam solet, si creditor minus petiit, quam sibi debitum fuerit *l.* 2. §. 1. *C. h. t.* §. 34. *de action.* ibi: *si minus in intentione sua complexus fuit actor* &c.

TITULUS XII.

De causa possessionis, & proprietatis.

Agitur de hac in Clement. *h. t.* in Institution. *lib.* 4. *tit.* 15. in Pandect. *lib.* 40. *tit.* 1. 2. & maxime *lib.* 43. per totum, ubi agitur de interdictis, in Codice *libr.* 8. *tit.* 1. *usque ad* 13.

Amplissima est materia de possessione, & dominio; sed hujus tractatio non pertinet ad præsentem titulum, sed petenda erit ex jure civili ad *tit. ff. de acq. poss.* & *de A. R. D.* Similiter fusa, & integra doctrina de interdictis haurienda erit ex jure civili locis supra allegatis: hic solum afferentur ea, quæ directe pertinent ad præsentem rubricam.

1. Nota 1. nomine *possessionis* venire hic factum, quo res corporalis detinetur corporis, animi, & juris adminiculo: ita ut jus aliquem non inhabilitet ad possidendum, sicut laicus est incapax possidendi spiritualia, sive deinde possessio sit justa, sive injusta, ut in prædone: si tamen justa est, parit jus, ex quo solet vocari *possessio juris l.* 3. §. 4. *ff. de acq. poss.* alias possessio de se plus habet facti, quam juris; & ideo *res facti* dicitur *l.* 1. §. 4. *ff. eod.* Et quamvis *arg. h. rubricæ* dici posset possessio etiam jurium, & incorporalium; horum tamen solent in jure dici *quasi possessio c.* 3. *h. t.* nomine autem *proprietatis* venit hic jus reale, quo res est mea, sive sit res corporalis, sive incorporalis, uti jura servitutum, parochiæ &c.

2. *Nota* 2. Proprietatem in multis differre a possessione, ut cum ea nihil commune habere dicatur in *l.* 12. §. *un. ff. de acq. poss.* Et quidem differt. 1. *In natura, & cupiditate*: nam proprietas est ipsum jus, quo res vere est mea; at possessio est factum, vel quandoque jus, quo detineo rem ut meam, licet forsitan non sit mea: & ideo ejusdem rei unus potest habere proprietatem, alter possessionem *l.* 35. *ff. eod.* 2. Differt in modo acquirendi, & amittendi: nam proprietas non acquiritur sine titulo habili ad translationem, aut acquisitionem dominii *l.* 31. *ff. de A. R. D.* interdum solo animo acquiritur *l.* 23. *eod.* e contra possessio sæpe acquiritur sine titulo, & causa *l.* 6. *ff. de acq. poss.* solo animo non acquiritur, *l.* 3. §. 1. *eod.* licet solo animo amittatur, *cit. l.* 3. §. 6. ibi: *itaque si in fundo sis, & tamen nolis eum possidere, protinus amittes possessionem.* 3. Differt in effectu: nam ex judicio proprietatis, seu petitorio res contrahit vitium *litigiosi*, *l.* 1. *cum auth. litigiosa*, *C. de litigios.* & sententia lata super proprietate absorbet sententiam latam super possessionem *c.* 6. *h. tit.* e contra ex judicio possessorio res proprie non afficitur vitio litigiosi, cum possessor non teneatur agere, nec cedere possessione, nisi alter probaverit sibi competere dominium, seu proprietatem, Reiff. & alii com. Et hæ differentiæ sufficiant, licet plures ab aliis afferantur.

3. *Nota* 3. Multa, & magna esse commoda possessionis: nam 1. Possessio parit præsumptionem bonæ fidei, quod quisque censeatur bona fide possidere, nisi contrarium probetur. 2. Possessio bonæ fidei parit in judicio præsumptionem dominii, & revelat ab onere probandi, illudque transfert in actorem, quo non probante, reus, etsi nihil præstiterit, obtinebit, *l.* 14. *ff.* & *l.* 2. *C. de probat.* & *c.* 3. *h. t.* Excipe, nisi actor intentionem suam habeat fundatam in jure communi; tunc enim reo possessori incumbit probatio, quomodo rem, vel jus acquisiverit, *c. fin. de restit. spol. in* 6. 3. *In pari delicto, vel causa, potior est conditio possidentis, reg.* 65. *in* 6. quia duos habet titulos, unum certum possessionis, alterum incertum proprietatis, in quo posteriore par est adversario. 4. Possessor tempore litis contestatæ debet a judice defendi in sua possessione, ne ei eripiatur *l.* 1. *ff. uti possidetis*. 5. Possessor bonæ fidei certo tempore præscribit rem, & fructus, imo hos pro interim suos facit: neque ei obstat dubium speculativum superveniens, si adhibita diligentia, certum dominum non reperiat &c. Plures alii effectus possessionis sparsim in jure deprehendentur.

4. *Nota* 4. Causam proprietatis agi in judicio *petitorio*, in quo actor petit se declarari dominum rei; causam vero possessionis, seu *momenti* agi in judicio *possessorio*, seu *momentaneo*, in quo actor contendit posses-

possessionem rei ad se pertinere. Ratio autem quare possessio dicatur *momentum*, & judicium possessorium *momentaneum*, varia a DD. redditur: vel quia apta est *durare momento*, seu tempore modicissimo, ut si unus evincat in possessorio, & alter subito in petitorio; vel quia causa possessionis momento temporis reformanda, & possessio statim restituenda est, relicta quæstione dominii, Gonz. *c.* 1. *h. t. n.* 7. vel ex origine sua, quia prætor causas possessionis de plano, & celeriter, & quasi intra momentum summarie cognoscebat, & datis interdictis adjudicabat possessiones, relicta quæstione proprietatis, ne partes contendentes de possessione, facile ad arma, rixas, & cædes convolarent; & ideo interdicta plerumque erant summaria, & plana, maxime in casu spolii, ut possessio, quam citissime potuit, reformaretur, remota omni appellatione, *l. un. C. si de momentanea poss.* Lexic. Kahl. v. *momentaria possessio*. Ex hac ergo origine cœpit vocari possessio *momentum*, & judicium possessorium *momentaneum*: licet hodie *diuturnum*, & *longævum* dici posset, cum sæpe valde diu duret: nam hodie judicium possessorium vel est *plenarium*, in quo apices juris observantur, & appellatio conceditur, *c.* 10. & 15. *de restit. spol. Clem. un. de sequestr. poss.* vel est *summarium*, in quo de plano proceditur, præsertim si sit periculum, ne partes ad arma convolent; ut si incolæ ex duobus locis contendant de quasi possessione juris lignandi in eadem sylva. Hujusmodi possessio solet etiam dici *interinimistica*, a verbo *interinire*, & *interinimentum*, quod significat mutuum coram judice partium certamen.

5. *Nota* 5. Omissis aliis, huc pertinere *interdicta possessoria*, quæ sunt extraordinariæ actiones in factum ad possessionem adipiscendam, vel retinendam, vel recuperandam, *Rubr. ff. de interd. seu extraord. actionib.* nam jure civili ignota erant, sed ob æquitatem naturalem jure prætorio introducta sunt. Dicuntur autem *interdicta*, vel quia inter duos dicuntur, §. 1. *in fin. In. de interdictis*, vel quia *interim dicuntur* scil. summarie, relicta quæstione proprietatis. Hodie etiam judicia possessoria ordinaria dicuntur *Interdicta c.* 5. *h. t.* Et sunt triplicia: *adipiscendæ*, *retinendæ*, & *recuperandæ possessionis*.

6. *Interdictum adipiscendæ* est, quo agitur ad possessionem obtinendam, antea non habitam: cujusmodi sunt tria: 1. *Quorum bonorum* a primis verbis dictum, quo agit hæres ad obtinendam possessionem hæreditatis contra illum, qui res hæreditarias possidet, vel *pro hærede*, cum hæres non sit; vel *pro possessore*, qui nullo jure, & titulo possidet; & ideo aliam causam possidendi dare nequit, nisi *quia possideo*. 2. *Quorum legatorum*, quo agit hæres contra legatarium, ut restituat rem legatam, quam propria auctoritate ex hæreditate jacente accipit. 3. *Salvianum* a Salvio Juliano suo auctore dictum, quo agit dominus vel locator prædii contra colonum, vel alium possessorem, pro obtinenda possessione rerum in prædium illatarum, & tacite pro pretio conductionis hypothecæ obligatarum: ita hæc omnia *tit. ff. quorum bon. quod leg. de Salvian.*

7. *Interdictum retinendæ* est, quo agitur ad retinendam possessionem, quam habemus: & tunc proprie locum habet, dum controversia oritur super proprietate rei, & prius inter litigantes quæritur, uter eorum possideat, eo quod melior sit conditio possidentis §. 4. *de interd.* Hoc interdictum est duplex: *uti possidetis* pro immobilibus, *utrubi*, seu *utrobi* pro mobilibus retinendis, utrumque a primis verbis dictum.

8. *Interdictum recuperandæ* est, quo agitur primario pro recuperanda possessione amissa, rerum immobilium, & secundario mobilium, si quæ in tali fundo relictæ sunt. Et est unicum *unde vi* a primis verbis *unde tu illum vi dejecisti*, *l.* 1. *ff. de vi, & vi arm.* Quod si autem seorsim occupentur, & tollantur solæ res mobiles, nullum datur interdictum, sed actio furti, vel vi bonorum raptorum, vel ad exhibendum, *l.* 1. §. 6. *ff. eod.* Hæc compendiarie ad terminos intelligendos, ex jure civili retulisse sufficiat. Jam ad nostrum institutum.

9. Q. I. *An causa possessionis, & proprietatis tractanda sit coram eodem judice?* R. Affirmative, sive id expressum sit in libello, sive non, sive simul, sive finito possessorio intentetur petitorium: ita *c.* 1. *h. t.* *legali provisione decretum est, tam momenti*, hoc est, possessionis, *quam proprietatis causam sub uno, eodemque judice debere cognosci*. Et de delegato expresse idem statuitur *l.* 10. *C. de judic. & c.* 1. *de sequestr. poss.* Ratio est: tum quia causæ possessionis, & proprietatis sunt connexæ, quarum continentia non est dividenda; tum quia apud eundem judicem facilior est cognitio utriusque causæ, & celerior expeditio, ergo. *Excipe* 1. nisi idem judex esset incapax in petitorio; ut si Clericus possessorio conveniret laicum coram judice seculari; tunc enim petitorio non posset reconveniri *arg. c. fin. de judic.* 2. Si judex limitate delegaretur, vel tantum ad causam possessionis, vel tantum proprietatis. Ex his solvitur *c. fin. de judic. c.* 1. *de sequestr.* ibi: *quia utraque causa erat ei commissa l.* 3. *C. Si a non competent. l.* 12. §. *un. ff. de acq. poss. c.* 21. *de sent. & re jud. & c.* 17. *de appell.*

10. Q. II. *An causa possessionis regulariter prius sit tractanda, quam proprietatis?* R. Affirmative, ex *l.* 24. *ff. de R. V.* ubi JCtus rationem addit: *quia longe commodius est ipsum possidere, & adversarium ad onera petitoris compellere, quam alio possidente petere*: nam probatio possessionis est facilior, dominii vero difficillima, ut infra dicetur. Absolute tamen causa proprietatis citius proponi potest *c.* 5. *h. t. & c.* 36. *de testib.* imo quandoque id expediet ad litem abbreviandam, dummodo actor provisus sit claris probationibus ad evincendam proprietatem.

11. Q. III. *An possessorium cumulari possit cum petitorio?* Certum est interdictum *adipiscendæ*, vel *recuperandæ* cumulari posse cum petitorio, sive actor utrumque intentet, sive reus unum, & actor alterum simultanee, aut successive, ut patet ex *c.* 2. 3. 4. 5. 6. *h. t. l.* 1. §. 4. *ff. quod legator. l.* 18. §. *fin. ff. de vi arm.* Restat perplexa juris quæstio, an interdictum *retinendæ* ab eodem actore proponi possit cum petitorio? Negant glossa in *c.* 5. *h. t.* Abb. Pirhing, Schneidev. & alii. Affirmant Specul. Zoes. Schmalz cum citt. Cum his affirmantibus eandem sententiam tenui in utroque præcedenti cursu canonico: nunc autem re melius perpensa, & collatis textibus juris, melius penetrata natura interdicti *retinendæ*, corrigo priorem sententiam, & cum negantibus

R. Interdictum *retinendæ* non posse cumulari in petitorio, maxime rerum corporalium. Prob. 1. ex *l.* 1. *ff. uti possidetis*, cujus doctrinam Imperator compendio refert §. 4. *retinendæ*. *In. de interd. retinendæ*, inquiens *possessionis causa, comparata sunt Interdicta* uti possidetis, & utrobi: *& cum ab utraque parte de proprietate alicujus rei controversia fit, & ante quæratur, uter ex litigantibus possidere, & uter petere debeat? namque nisi ante exploratum fuerit, utrius eorum possessio sit, non potest petitoria actio institui; quia & civilis, & naturalis ratio facit, ut alius possideat, & alius a possidente petat*. Ex quo textu manifeste patet, prius per hoc interdictum decidi debere, quis ex duobus possideat; & tum demum contra possidentem institui petitorium; ergo interdictum *retinendæ*, ab eodem actore non potest cumulari cum petitorio. Eandem doctrinam amplectitur Innoc. III. in *c.* 5. *pastoralis h. t.* ubi postquam asseruisset cumulationem petitorii cum interdictis *adipiscendæ*, & *recuperandæ*, subdit: *aliis possessoriis judiciis in suo robore duraturis, quæ vindicationem dominii sui natura præcedunt*: cujusmodi utique sunt judicia *uti possidetis*, & *utrubi*; ergo si hæc interdicta ex natura sua præcedunt vindicationem, non poterunt cum illa cumulari, seu simultanee ab eodem actore proponi. Ex qua doctrina juris sic argumentor: dum v. g. colonus habet meum prædium, vel illud possidet, vel tantum detinet? neutro casu locus est interdicto *retinendæ*; nam si possidet, clam, vel violente dejecit me ex possessione prædii, & tunc locus est interdicto *recuperandæ unde vi*; si tantum detinet, & tenutam suam fatetur etiam, non est locus interdicto *retinendæ*, quia hoc datur tunc tantum, dum inter duos contenditur, *uter possideat, quia alteruter se magis possidere affirmat*, *l.* 1. §. 3. *ff. uti possidetis*; ergo licet in hoc casu procedat rei vindicatio, non tamen interdictum *retinendæ*. Idem argumentum currit in re mobili, circa interdictum *utrobi*. Unde in illo casu, quo unius possessio certa est, ad illam quiete retinendam alia dantur remedia, quæ Menochius,

chius, & alii DD. affirmant: ut interd. *ne vis fiat ei* &c. *de superficiebus*, *de itinere*, *actuque privato*, *de aqua quotidiana* &c. & remedium generale per implorationem officii judicis. Dixi in resol. *maxime rerum corporalium*: nam nonnulli admittunt hanc cumulationem circa jura, & incorporalia. Sed & in his eandem doctrinam servandam esse generalitas textuum, & ratio probat: nam si duo contendant de proprietate juris piscandi, venandi, lignandi, & uterque asserit se possidere, necessario prius interdicto dirimi debet quæstio, quis ex duobus possideat, ut contra illum procedat petitorium. Nec obstat §. *de action.* nam ibi quasi-possidenti conceditur actio confessoria, & negatoria, non tamen simul interdictum *retinendæ*.

Obj. 1. Ideo maxime petitorium non cumularetur cum interdicto *retinendæ*, quia alius esse debet, qui possideat, alius qui a possidente petat, *cit.* §. 4. *de interd.* §. 2. *de action.* ibi: *quod genus l. un. C. de alien. judic. mut. caus.* Sed hæc ratio non est universaliter vera, imo rejicitur ab Ulp. *l. 9. ff. de R. V.* admittente vindicationem contra detentorem, ut depositarium, commodatarium &c. ibi: *puto autem ab omnibus, qui tenent, & habent restituendi facultatem, peti posse*; ergo possessor vi dominii potest proponere vindicationem, & vi possessionis interdictum *retinendæ*, & consf. utrumque cumulare. 2. Idem Ulp. *l. 12. §. un. ff. de acq. poss.* clare dicit: *non denegatur ei interdictum uti possidetis, qui cœpit rem vindicare: non enim videtur possessioni renuntiasse, qui rem vindicavit.* 3. Ulp. *l. 3. §. 3. ff. uti possid.* concedit domino interdictum *uti possidetis* contra inquilinum, qui dominum ædes reficere volentem prohibebat; ergo cum inquilinus ædes tantum teneat, datur interdictum *retinendæ* contra detentorem, & similiter vindicatio *cit. l. 9. ff. de R. V.* 4. *In c. 5. h. t.* per illa verba: *aliis possessoriis judiciis* intelliguntur illa interdicta, quæ mixtam causam habent, hoc est, in quibus debet quis probare dominium, seu jus reale servitutis, & possessionem suam, quod scil. iverit 30. diebus illo anno, uti in interdicto *l. 3. §. hoc autem ff. de itinere, actuque priv. & l. 1. §. ait prætor. ff. de aqu. quotid.* ubi agitur de aqua ducenda ex castello: vel intelliguntur de interdictis præparatoriis ad vindicationem, ut de libris, & tabulis exhibendis &c. ergo ex *cit. c. 5. h. t.* non concluditur, interdictum *retinendæ* non posse cumulari cum petitorio.

℞. Ad 1. Controversia fuit inter JCtos, an rei vindicatio procedat tantum contra possidentem? affirmabat Pegasus, negabat Ulpianus: sententia autem Pegasi videtur confirmata ab Imperatore locis citt. qua stante, infirmata est sententia Ulpiani. Sed etiam hac retenta, nihil sequitur: nam dato, quod contra detentorem procedat vindicatio, non tamen interdictum *retinendæ*, cui locus est inter duos, quorum uterque affirmat se possidere; nisi adversarii velint fabricare novum interdictum *retinendæ*, quod procedat contra detentorem. *Ad* 2. ne Ulp. contradicat sibi in *l. 1. ff. uti possid.* & Imperatori *cit.* §. 4. *retinendæ, de Interd.* dic Ulp. loqui non de cumulatione, sed alternativa propositione utriusque judicii, quod fieri potest in certis casibus, ut si petitor non scivit se possidere, quia possedit per filium, vel servum; vel quia successit in jus alterius, quem ignoravit possidere: imo licet sciverit se possidere, tamen per errorem, vel imprudentiam elegit rei vindicationem; quibus casibus jus permittit deferere vindicationem, & transire ad interdictum *uti possidetis*, dum & alter dicit se possidere: quo interdicto finito recte instituitur vindicatio contra eum, cui adjudicata prius fuit possessio, Glossa in *cit. c. 5. Ad* 3. Inquilinus iste constituebat se in possessione, ut patet ex seqq. ibi: *non prohibere inquilinum, ne habitaret, sed ne possideret.* *Ad* 4. Communis intellectus est, verba illa procedere de judiciis *retinendæ*, aut saltem ea non excludi. Cetera, quæ afferuntur, non militant contra nos.

12. Q. IV. *An agens petitorio, eo relicto, vel suspenso, regredi possit ad possessorium?* ℞. Affirmative, modo id fiat ante conclusionem in causa; ita *l. 12. §. un. ff. de acq. poss. & l. 18. §. fin. ff. de vi arm.* ibi: *eum, qui fundum vindicavit ab eo, cum quo interdicto UNDE VI potuit expediri, pendente judicio, nihilominus interdicto recte agere placuit:* qui textus canonizatur in *c. 5. h. t.* Sic etiam *c. 36. de testib.* Moniales a petitorio transeunt ad possessorium: nam actori, qui incœpit agere remedio difficillimo petitorii, non debet denegari remedium facilius, uti est possessorium. At post conclusionem in causa, nisi urgens causa id exigat, non admittitur talis regressus *cit. c. 5. h. t.* Ex his solvitur *l. 3. C. de edendo auth. qui semel C. quomodo, & quando Clem. un. h. tit. l. 13. C. de R. V. l. 37. ff. de judic.* nam hæc, & similia jura negant regressum ad causam non connexam, & jubent prius tractari causam possessionis in casu, quo nescitur, uter litigantium sit possessor.

13. Q. V. *Quomodo probetur possessio, & dominium?* ℞. 1. Possessio multis modis facilibus probatur, ut per traditionem veram, vel fictam a priori possessore, per adjudicationem possessionis, per actus a solo possessore exerceri solitos; ut quia refecit domum, eam locavit, mercedes exegit, aravit fundos, seminavit, fructus collegit, rem in judicio defendit &c. ℞. 2. Dominium valde difficulter probatur; nam ad hoc ut sim dominus, non sufficit, quod rem ex empto acceperim, vel ex donatione, aut permutatione, & similibus titulis res mihi tradita fuerit; sed insuper requiritur, ut auctor mihi rem tradens fuerit dominus rei, vel ego illam legitimo tempore posséderim, & usuceperim: quo sensu procedit *l. 20. C. de pactis, traditionibus, & usucapionibus dominia rerum, non nudis pactis, transferuntur.* Jus reale in incorporalibus probatur ex legitima collatione, vel electione ad beneficium, ex privilegio, investitura, & aliis modis, quibus confertur jus decimandi, venandi, lignandi, jus feudale &c.

14. Q. VI. *Quomodo procedendum sit in causa possessionis, & proprietatis?* ℞. 1. Si utraque contendat se possidere proposito interdicto *uti possidetis*, vel *utrobi*, ille vincit, qui enervatis alterius rationibus, plene intentionem suam probat. In concursu autem plenæ probationis ex utraque parte, ille vincit, qui probat possessionem suam antiquiorem, & titulatam, *c. 9. de probat.* qui casus est specialis, in quo possessor tenetur probare titulum, ad quem probandum alias non obligatur *l. 2. ff. uti possid.* Tandem si omnia sint æqualia quoad efficaciam probationis, in causis beneficialibus neuter beneficium obtinet, cum alter alterum impediat; in causis vero profanis sententia fertur pro reo contra provocantem; si autem nesciatur, quis provocaverit, judex pronuntiat pro utroque secundum formam interdicti: *uti possidetis, ita possideatis l. 3. ff. uti possid.* cui pronuntiationi non fuit locus *c. 9. de prob.* quia utrinque æquales non erant probationes. Hac sententia lata, partes rem possident communiter, & pro indiviso, vel alternis vicibus: si vero a rixis, & violentiis non abstineant, judex possessionem sequestrabit, donec lis petitorio, transactione, vel amicabili compositione finiatur?

℞. 2. Si possessio, & proprietas cumulative deducta est in judicium, simultanee causa utriusque tractatur, & una sententia (quæ re ipsa est duplex) terminatur, nisi judex propter difficultatem petitorii præmitteret sententiam in posseſsorio. Licet autem sententia super possessorio præcedat pronunciationem super petitorio, ista tamen in exequutione prævalet illi, &, ut dicitur, sententia in petitorio absorbet sententiam in possessorio, *c. 6. h. t.* quia proprietas evicta trahit ad se possessionem, tanquam accessoriam. Neque tamen sententia super possessorio est superflua, cum habeat notabiles effectus, liberando possessorem ab expensis in litem solvendis, a fructibus restituendis, quos medio tempore percepit, & consumpsit; saltem si non sit factus locupletior: item a præstando casu, si res casualiter apud ipsum periit, *l. 16. ff. de R. V.*

℞. 3. Si actor succubuit in petitorio plene, ita ut possessio, & proprietas adjudicata sit reo, non potest transire ad possessorium, vel e contra: nam obstaret ei exceptio rei judicatæ: at si reo non est adjudicata proprietas, a petitorio regredi potest ad possessorium, cum judicia ista sint diversa, & separabilia.

15. Q. VII. *An fructus rei evictæ restituendi sint actori in petitorio evincenti?* Ante resp. nota fructus esse triplices: *naturales*, quos natura sponte producit, ut poma arborum, fœtus animalium &c. *Mere industriales*, quos sola industria hominis producit, ut sunt lucra ex negotiationibus. Et *mixtos*, seu *simpliciter* indu-

industriales, qui magis ab industria hominis, quam a natura producuntur, ut segetes ex feminatione, & agricultura. Quo etiam spectant fructus *civiles*, seu pensiones ex prædiis locatis, ex operis servorum, & jumentorum. Rursum fructus isti vel sunt *percipiendi*, vel jam *percepti*, vel pendentes, vel jam separati a solo: vel *extantes in se*, seu formaliter; vel *extantes in augumento*, seu virtualiter, ex quibus possessor factus est locupletior; vel *consumpti totaliter*, v. g. per donationem, vitam lautiorem &c. ita ut ex his possessor non sit factus locupletior. Ceterum fructus in præsenti illi solum dicendi sunt, qui deductis impensis, supersunt per modum lucri.

16. ℞. 1. Possessor malæ fidei tenetur cum re evicta restituere omnes fructus perceptos, & percipiendos, seu quos percipere potuit, attenta industria domini, sive in se extent, sive sint consumpti, *c.* 11. *de restit. spol. l.* 1. §. 31. *ff. de vi armat.* nam nullo jure eos percepit; & si pauciores percepit, quam dominus industrius percepisset, suæ negligentiæ, & culpæ imputare debet. Et quamvis fructus percepti ex re inhonesta, v. g. ex locatione domus facta meretricibus, restituendi sint, non tamen fructus percipiendi, cum nec dominus honeste eos quærere potuisset, *l.* 27. §. *fin. ff. de hæredit. petit.* Insuper omnia damna in re facta tenetur domino resarcire, *l.* 1. §. 41. *ff. de vi armat.*

17. ℞. 2. Possessor bonæ fidei non tenetur restituere fructus mere industriales, cum non sint fructus rei, sed industriæ, nec fructus naturales, aut mixtos per triennium plene usucaptos, quia per usucapionem suos fecit irrevocabiliter; nec fructus totaliter consumptos, ex quibus non est factus locupletior, quia consumptione fecit suos, §. 35. *Inst. de Rer. div. l.* 4. §. 2. *ff. fin. regundor.* ibi: *aut bona fide percepit, & lucrari eum oportet, si eos consumpsit, aut mala fide, & condici oportet.* 2. At fructus extantes, & post litem contestatam universos tenetur bonæ fidei possessor restituere actori *l.* 22. *C. de R. V.* ubi Impp. rescribunt: *certum est malæ possessores, omnes fructus solere cum ipsa re præstare; bonæ fidei vero extantes, post litis autem contestationem universos:* nam possessor bonæ fidei non acquirit fructus dominio irrevocabili, sed tantum interim suos facit, seu conditionate, si interim res non evincatur, *l.* 48. *ff. de A. R. D.* 3. Etiam fructus consumpti virtualiter extantes, ex quibus bonæ fidei possessor factus est locupletior, restituendi sunt, non tantum in judicio universali hæreditatis, ut omnes concedunt ex *l.* 20. §. 6. & *l.* 25. §. 11. *ff. de hæred. petit.* sed etiam in judicio singulari rerum particularium, ut probabilius tenent, Abb. Covar. Sanch. Reiff. cum citt. contra Ant. de Butrio, Garciam, Schmalz. Pichler. &c. tum quia Imp. §. 2. *ff. de off. judic.* exæquat ista judicia, quoad fructus; tum quia fructus virtualiter extantes proprie in sensu juris non dicuntur consumpti: quia *non absumitur, quod in corpore patrimonii retinetur l.* 72. *ff. de legat.* 2. tum quia nemo debet cum alterius jactura locupletari *reg.* 46. *in* 6. Ex his solvuntur §. 35. *de R. D. l.* 4. §. 2. *ff. fin. regund. l.* 40. *in fin. ff. de A. R. D. l.* 22. *C. de R. V. ibi extantes.* Vide de his disputationes meas civiles *disp. VI. controv.* 6. 7. 8.

18. Q. VIII. *An possessor victus deducat impensas? & quas?* Nota, *expensas* dici, quæ in rem, fructusque colligendos, & conservandos impenduntur. Et sunt triplices: *necessariæ*, sine quibus fructus non nascerentur, ut frumentum dare pro seminatione. *Utiles*, quæ fiunt in aliquam commoditatem domini, ut si sepes ædificetur. *Voluptariæ*, seu *mere voluntariæ*, quæ propter solam voluptatem, & ornatum fiunt, ut picturæ, aquæ salientes &c.

19. ℞. 1. Possessor bon. fid. deducit impensas necessarias, & utiles, si abradi possunt, aut si non possunt, dominus tamen eas approbavit, vel approbare debuit propter majus rei pretium: voluptuarias vero tantum tollit, seu abradit, si sine detrimento rei tolli possunt *l.* 38. *ff. de R. V.* 2. Possessor malæ fid. deducit expensas necessarias, & abradit utiles, si a re tolli possint: nullo modo autem voluptuarias, attento rigore juris *l.* 5. *C. de R. V.* At spectata æquitate, ne dominus cum alterius jactura locupletetur, deducit impensas utiles, & abradit voluptuarias *l.* 38. *ff. de hæred. petit. l.* 39. §. *un. eod. & l.* 37. *ff. de R. V.* Fusius ista vide in *disputat. meis civil. disput.* 6. *controv.* 9.

TITULUS XIII.

De Restitutione spoliatorum.

Agitur de hac materia in Sexto *h. t.* in Decreto 2. *q.* 2. *&* 3. *q.* 1. 2. in Institutionibus §. 6. *de Interd.* in Pandectis *lib.* 43. *tit.* 16. in Codice *lib.* 8. *tit.* 4. 5. & sparsim *tit. ff. & C. ad L. Jul. de vi privata, & publica.*

1. *Nota in hoc tit.* agi de remedio *recuperandæ* possessionis, vi, aut clam ablatæ per spoliationem, seu dejectionem ex re immobili. Et quamvis remedia spoliatorum Maranta 20. Menochius 17. Speculator 7. alii plura, vel pauciora enumerent, tria tamen sunt præcipua: unum ex jure civili scilicet *Interdictum unde vi*, & duo ex jure Can. scil. condictio ex *c. Sæpe contingit* 18. *h. t.* & condictio ex *Can. redintegranda* 3. *q.* 1. De recuperandis mobilibus per vim ablatis competit actio *vi bonorum raptorum*, de qua *tit. Inst. & ff. vi bon. raptor.*

2. Q. I. *Cui, & contra quem competat interdictum unde vi?* ℞. ad 1. Interdictum *unde vi* regulariter competit omni, & soli possessori, etiam prædoni, qui per vim dejectus fuit ex possessione rei immobilis *l.* 1. *per tot. ff. de vi armat. l.* 7. *C. ad L. Jul. de vi publ. c.* 5. *h. t.* ibi: *prædo etiam est secundum rigorem juris restituendus:* nam hoc interdictum introductum est in odium spoliantium, & in favorem publicæ tranquillitatis. Unde quia feudatarius, fructuarius, usuarius sunt veri possessores rerum quoad sua jura, his per vim dejectis competit hoc interdictum: e contra quia colonus ut talis, custos domus, homo respectu liberi hominis, laicus respectu rerum spiritualium non sunt veri possessores, non gaudent hoc interdicto, *cap.* 7. *de præscr. cit. l.* 1. §. 22. Item prædo in certis casibus non restituitur; ut si in continenti dejiciatur a domino, cum dejectio ista vim defensionis habeat; vel si est latro publicus, incendiarius, populator agrorum, quibus nemo debet parcere *l.* 1. *C. quando liceat:* item prædo notorius, saltem de æquitate, non videtur restituendus contra dominum, cujus proprietas certa, & notoria est *arg. l.* 8. *ff. de doli mali except. & c. fin. de restit. spoliat. in* 6. de quo vide disputat. civil. meas *disp.* 18. *contr.* 8.

3. ℞. ad 2. Interdictum *unde vi* competit tantum contra illum, qui vi possessorem dejecit sive physice per se, sive moraliter, mandando, dolose consulendo, ratum habendo *l.* 1. §. 12. 13. 14. *ff. de vi arm.* E contra hoc interdictum non datur contra ullum tertium, qui a spoliatore rem invasam accepit, *c.* 15. *h. t.* quia iste vi non dejecit possessorem. 2. Non datur contra eum, qui clam ingressus est possessionem vacuam, nisi revertenti domino vi resistat, & tunc constituat se in possessione *l.* 6. §. *fin. ff. de aqu. poss.* quo sensu forsan procedit *l. fin. C. unde vi:* nam si revertenti domino non resistat, sed statim possessionem cedat, frustra intentaretur hoc interdictum. 3. Non datur liberis contra parentes, & libertis contra patronos, sed actione in factum agendum erit *l.* 1. §. 43. *de vi arm.* ubi ratio datur, *quia interdictum hoc atrocitatem facinoris in se habet*, nisi pater, vel patronus vi armata usus fuisset, *ibid.* 4. Non datur contra dominum, si absque ejus jussu famuli, & officiales aliquem spoliarunt, *cit. l.* 1. §. 11. nam dominus non tenetur ex delicto famulorum. 5. Non datur contra hæredes spoliatoris, sed actio in factum, si quid ad eos pervenit *l.* 26. *ff. de dolo malo.* At hæredes spoliati convenire possunt spoliatorem hoc interdicto, cum hæredes succedant in omne jus defuncti, *l.* 37. *ff. de acq. hæred.*

4. Q. II. *An de jure Can. spoliatus habeat remedium contra tertium malæ fidei possessorem?* ℞. Affirmative ex condictione *c. sæpe contingit h. t.* nam Conc. Lateranense sub Innoc. III. temperavit rigorem juris civilis, quo interdict. *unde vi* non procedit contra tertium; & decrevit, ut res spoliata ad quemcumque malæ fidei possessorem pervenisset, restitueretur spoliato: tum ne iste defectu probationum dominii, proprietatem amittat: tum ne foveatur mala fides, & injusti-

tia

tiâ tertii possessoris succedentis in vitium spoliatoris, *eo, quod non multum intersit quoad periculum animæ injuste detinere, ac invadere alienum, ibid.* Atque id procedit etiam in casu, quo quis ab initio bona fide rem accepit, deinde autem venit in notitiam spoliationis. Habet item locum dispositio ista canonica in foro seculari, cum agat de removendo peccato, Abb. & alii com.

5. Q. III. *An spoliatus contra tertium bonæ fidei possessorem de jure Can. habeat remedium restitutionis ex Can. redintegranda*, 3. q. 1. Negant Bartol. Menoch. Zoes, Schmalz. & alii: affirmant Gloss. in *cap.* 18. *h. t.* Abb. Innoc. Reiff. cum citt. quorum sententia praxi tribunalium firmata est: cum his ℟. Affirmative: nam cit. Canon. generaliter, & indistincte concedit hanc restitutionem, seu redintegrationem, contra quemcumque possessorem, ad quem res Episcopi spoliati pervenerunt. Idem dic de aliis Clericis, & laicis spoliatis, quia eadem est ratio, ne quis cum alterius jactura, etiam materiali, locupletetur: tum quia tertius possessor, dum spoliatus probat suam spoliationem, & antiquiorem possessionem, ex qua injuste, & sine causa dejectus fuit, jam constituitur in mala fide; ergo obligatur ad restitutionem rei, ex qua prior possessor vi dejectus fuit. *Dices*. Vel cit. Canon. restrictus est per *c.* 18. *h. t.* vel *cap.* 18. *cit.* superfluit. ℟. Nullam esse hic necessitatem corrigendi jura; neque *cap.* 18. superfluit: cum enim *Can. redintegranda* negligeretur a judicibus, maxime laicis sequentibus jus civile, merito Concilium Later. decrevit restitutionem contra tertium malæ fidei possessorem: circa illam vero quæstionem: an spoliatus contra tertium bon. fid. possessorem sit restituendus? nihil decidit.

☞ *Circa bona Ecclesiastica mobilia ab hæreticis, & infidelibus occupata, & a Christianis empta Bened. XIV. in Epist. ad R. P. Nicolaum Lercari Secretarium Cong. de Propaganda Fide, incip.* Urbe Antibarum 19. *Mart.* 1752. *declarat, hæc tuta conscientia retineri posse, dummodo emerint animo ea restituendi, quotiescumque impensa pecuniæ solutio a domino oblata fuerit; quemadmodum etiam responsum fuisse refert* §. 9. *a theologis d. Congr. & Consultoribus Universalis Inquisitionis. Contrarium tamen esse tenendum demonstrat* §. 22. *de bonis immobilibus, quæ secundum veriorem, & tutiorem sententiam probat restituenda esse una cum omnibus fructibus absque ulla pretii solutione a spoliatis facienda.* ☜

6. Q. IV. *Quando, & quomodo restitutio spoliatorum sit facienda?* ℟. 1. Restitutio ex interdicto *unde vi* petenda est intra unum annum utilem *l.* 1. *pr.* & §. 39. *ff. de vi arm.* post annum est actio in factum de eo, quod ad dejicientem pervenit. At remedia canonica nullum determinatum tempus præscriptum habent. ℟. 2. Spoliatus, modo probet, quod possederit, & vi dejectus sit, ante omnia restituendus est quoad rem, fructus, & damna illata: ita instar *reg. c. fin. de ord. cogn. cap.* 11. *h. t. l.* 1. §. 31. *ff. de vi arm.* nec restitutionem istam retardat exceptio dominii, vel criminis *cap.* 1. 6. *h. t.* nec favos ætatis, quia, cum causa spolii specialiter sit privilegiata, spoliatus restitui debet, etiam adversus minorem, vel pupillum, licet hi regressum habeant contra curatorem, aut tutorem, *l.* 6. *C. unde vi.* A data regula multi excipiuntur casus, in quibus spoliatus ante omnia non restituitur, ut 1. Si spoliatus consentiat, ut prius de exceptione proprietatis cognoscatur, *c.* 1. *h. t.* 2. Si notoria, & certa est proprietas spoliantis, ut ante dictum. 3. Si jus commune resistat spoliato, & assistat spoliatori, quia tunc spoliatus non auditur, nisi doceat de titulo, *c. fin. h. t. in* 6. 4. Si ex restitutione immineat periculum animæ *c.* 13. *h. t.* vel grave damnum corporis, aut scandalum; ut si mulier restituenda esset viro crudeli &c. Vide Menoch. &c.

7. Q. V. *Quando in causa spolii admittantur exceptiones?* ℟. 1. Spoliato agenti ad restitutionem regulariter nequit opponi exceptio proprietatis *c.* 1. *h. t.* vel criminis *c.* 6. *eod.* nisi ei annexa sit excommunicatio, vel incapacitas ad possidendum; uti Clericus per simoniam intrusus incapax est possidendi beneficium. Neque spoliati restitutio impeditur reconventione *cap. fin. de ord. cogn.* aut compensatione *l. fin.* §. *fin. C. de compensat.* vel appellatione *l. un. C. si de moment. poss.* 2. Reus civiliter conventus opponere potest exceptionem spolii contra actorem, non vero contra tertium etiam malæ fidei possessorem, vel spoliatorem; at conventus criminaliter, si omnibus bonis, vel majori parte bonorum spoliatus est, excipere potest de spolio, a quocumque factum sit, ne nudus, & inermis cogatur contendere, *c.* 1. *h. t. in* 6. Quo casu causa criminalis, utpote difficilior, magis est privilegiata, quam civilis. 3. Agenti nomine alieno, ut Ecclesiæ, minoris &c. non potest opponi exceptio spoliationis rei privatæ: & e contra agenti in causa privata nequit opponi spoliatio rei Ecclesiasticæ *c.* 1. *in fin. h. t. in* 6. alias exceptio ista non procederet contra actorem spoliatorem.

8. Q. VI. *Quæ specialia habeat restitutio in beneficialibus?* ℟. 1. Spoliatus laborans defectu notorio tituli, ut laicus, hæreticus, institutus a non habente potestatem, vel contra quem magna est præsumptio, quod sine, aut cum titulo vitioso intraverit beneficium, non restituitur; bene vero cessante tali præsumptione, *c.* 5. *h. t.* 2. Spoliatus, v. g. jure decimandi, eligendi, jurisdictionem exercendi, si ei jus assistat, restituitur; non vero si resistat, nisi prius doceat de titulo, *c. fin. h. t. in* 6. ubi Canonici collegiales in decimis non restituuntur contra parochum. 3. Renuntians beneficio post spoliationem, prius restituitur, nisi renuntiatio facta sit sine vi, & metu coram Superiore; renuntians vero ante spoliationem non restituitur, modo constet de valore renuntiationis *c.* 2. 3. *h. t.* Rot. decis. 423. & DD. com.

9. Q. VII. *Quæ specialia habeat restitutio in matrimonialibus?* ℟. 1. Si mulier propria auctoritate recessit, vel a vero expulsa est, si vir est facti pœnitens, restituenda est viro, cum extra casum adulterii non sit licita separatio, *cap.* 13. *h. t.* 2. Si post matrimonium ratum eo tempore, quo deliberare potest de statu Religioso, mulier discessit, restituenda est viro quoad habitationem, & obsequia conjugalia *arg. c.* 14. *h. t.* a sens. contr. non vero plene, & quoad torum, *c.* 8. 10. *h. t.* nisi matrimonium antea sponte fuisset consummatum. Si autem mulier professa sit Religionem, non restituitur, *c.* 14. *de probat.* quia post matrimonium ratum id jure potest. 3. Si mulier ob justam causam discessit, ut ob crudelitatem, hæresim, vel aliam causam a marito datam, durante causa, non est restituenda; bene vero causa cessante, cum similes causæ non inducant divortium perpetuum. 4. Si mulier profuga opponat impedimentum dirimens, & maritus agat petitorio de valore matrimonii, non fit restitutio, cum vir eam non petat, sed prius cognoscitur de exceptione peremptoria impedimenti dirimentis, *c.* 1. *de ord. cognit.* At si vir agat possessorio, discrimen est adhibendum: nam si impedimentum est notorium, vel si tantum certum est, & mulier subito paratas offerat probationes, non est restitutio facienda cum periculo animæ, sed cognoscendum de impedimento dirimente, ut matrimonium dissolvatur de facto. Si vero impedimentum est occultum, & mulier non habet paratas probationes, plena restitutio est facienda quoad cohabitationem, & torum, cum præsumptio sit contra mulierem, quod malitiose opponat impedimentum dirimens *c.* 13. *h. t.* Quo tamen casu, si mulier certa est de impedimento dirimente, etsi illud probare non possit, non potest reddere debitum; cum hoc esset fornicari, etsi per sententiam excommunicationis ad id compelleretur *cit. c.* 13. *h. t.* & *c.* 44. *de sent. excom.* Si vero mulier tantum dubium habet de impedimento, reddere debitum debet, ne maritus propter dubium uxoris privetur usu certæ possessionis: ipsa vero indebitum petere non potest, donec adhibita diligentia sufficienti, & veritate non comperta, dubium deponat, certificando se de valore matrimonii; nisi mala fide contraxisset, maxime cum impedimento juris divini, & naturalis, quia mala fides impedit usum possessionis: ita com. DD. in *cit. c.* 13. *h. t.* 5. Mulier opponens exceptionem voti de perpetua continentia mutuo consensu emissi, restituenda est quo ad habitationem, & obsequia conjugalia, non vero quoad torum, cum votum isti tantum, non illis adversetur.

TITULUC XIV.

De Dolo, & Contumacia.

Agitur de hac materia in Sexto, Clementinis, & Extrav. com. *h. t.* in Decreto 3. *q.* 9. & 4. *q.* 5. & *q.* 2. 3. *per tot.* & 11. *q.* 3. *Can. ceterum*. In Trid. *S.* 21. *c.* 3. *in fin. sess.* 22. *c.* 3. *v. crescente*, *sess.* 23. *c.* 1. *v. quodsi. sess.* 24. *c.* 12. *sess.* 25. *c.* 3. *de refor.* in Pandectis *lib.* 2. *tit.* 3. *cum seqq. lib.* 48. *tit.* 17. In Codice *lib.* 7. *tit.* 43. *lib.* 9. *tit.* 40.

1. *Nota* in *hoc tit.* non agi de dolo, prout miscetur contractibus, & aliis actibus humanis, sub qua ratione de illo agemus in *libr. III.* sed prout miscetur contumaciæ in judiciis; ita ut in dolo esse videatur, qui in judicio renuit ea facere, quæ jus, aut judex fieri præcipit. Porro *contumacia*, a contemnendo dicta, est inobedientia commissa adversus judicem legitime vocantem, vel quid fieri præcipientem. Estque duplex: *Vera*, dum quis personaliter tribus edictis, vel uno peremptorio citatus, venire recusat: si vero expresse sine causa, & impudenter dicat: *non veniam*, est contumacia vera notoria, seu evidens. *Ficta*, dum quis malitiose impedit, ne ad illum citatio perveniat: ad quam reducitur contumacia *præsumpta*, dum citatus edicto in publicis locis, vel in domo ejus affixo, venire renuit; tunc enim citatio ad eum pervenisse præsumitur.

2. Q. I. *Quibus modis contumacia erga judicem committatur?* ℞. seqq. 1. In *non veniendo* post legitimam citationem *l.* 55. §. 5. *ff. de re jud.* & *l.* 157. §. 1. *ff. de R. J.* 2. In *non respondendo*, vel obscure respondendo *l.* 11. §. 4. *ff. de interrogat.* 3. In *non jurando* ad mandatum judicis *l.* 38. *ff. de jurej.* 4. In *non restituendo*, quod judex restitui imperat; secus id manu militari auferendum, *l.* 68. *ff. de R. V.* 5. In *recedendo* absque venia judicis, infecto negotio *c.* 4. *h. t.* Quos modos Glossa in *c.* 2. *h. t.* his versiculis complectitur. *Non veniens, non restituens, citiusque recedens, nil dicens, pignusque tenens, jurareque nolens, obscureque loquens: isti sunt jure rebelles.*

3. Q. II. *Quando reus dicatur contumax, & quæ pœna illius?* ℞. 1. Tunc reus habetur pro contumaci, dum tribus edictis, vel uno peremptorio citatus, absque ulla justa causa non comparens, per interloquutoriam declaratur contumax *c.* 6. *h. t.* nam contumacia ipso jure non incurritur, sed primum post sententiam judicis. ℞. 2. Pœnæ rei contumacis sunt variæ. 1. Negatur ei audientia, nisi prius refundat actori expensas, vel satisdet per fidejussores, aut pignora *c. fin.* §. *in aliis ut lit. non cont.* 2. Fit immissio actoris in illius bona ex primo, & secundo decreto, *tit. seq.* 3. Vere contumax perdit beneficium appellationis *l.* 23. §. *fin. ff. de appel.* nisi stylus curiæ aliud habeat: si tamen impedimentum probaverit, non negatur ei in integrum restitutio, maxime si sit minor læsus. 4. Contumax in non respondendo habetur pro affirmante, vel negante, prout magis est illi præjudiciosum, Abb. 5. Contumax punitur etiam pœnis arbitrariis, ut mulcta pecuniaria, incarceratione, excommunicatione &c. Ceterum pœna contumaciæ, cum descendat ex delicto, non transit in successorem universalem, vel singularem.

4. Q. III. *Quando actor dicatur contumax, & quæ pœna illius?* ℞. 1. Tunc actor habetur pro contumaci, dum post libelli oblationem, & rei citationem, ter, vel semel peremptorie vocatus, actionem prosequi recusat, & uti contumax a judice declaratur: ita com. ex *c.* 3. *h. t.* ℞. 2. Pœna actoris contumacis est, quod intra annum veniens non audiatur, nisi refusis reo expensis, *Aut. qui semel. C. quomodo, & quando* & contra illum procedi possit modo infra dicendo. ℞. 3. Contra actorem contumacem reus quatuor habet remedia præcipua. 1. Ut *circumducatur edictum*, seu decretum citatorium, hoc est, ut reus absolvatur a facta citatione, & libere resiliat a judicio *l.* 73. §. 1. 2. *ff. de judic.* 2. Ut reus *absolvatur a tota instantia*, quo casu omnia gesta in tali instantia annullantur *l.* 13. §. 2. *C. de judic.* 3. Ut reus *definitive absolvatur ab impetitione actoris*, modo reus probet, vel ex probationibus actoris constet injustam esse ejus petitionem, *cit. aut. c.* 3. *h. t.* 4. Ut reus petat *pro se pronuntiari*, quod non fit, nisi reus plene probet de jure suo, quod sit dominus rei *arg. cap.* 25. *de rescript.* nam non sequitur, v. g. fundus iste non est Caji actoris, ergo est Titii rei, nisi iste dominium probet, Reiff. *a n.* 92.

5. Q. IV. *Quomodo judex se gerat in casu contumaciæ?* ℞. Judex regulariter non procedit contra contumacem, nisi ad instantiam alterius partis *l.* 68. *ff. de jud.* nam judex non nisi requisitus officium suum impertiri debet, nisi procedat ex officio nobili, & ad mulctam pecuniariam propter inobedientiam contumacis *l.* 2. §. 1. *ff. si quis in jus voc.*

6. ℞. 2. Judex de æquitate potest citatum non comparentem expectare in sequentem diem *c.* 24. *de offi. del.* ubi glossa *v. gratiam fecerit*, *ait*: *ecce quanta potestas datur judici circa judicia, ut possit parcere contumaci in præjudicium alterius.* Idem rescribitur *l.* 1. *C. quomodo, & quando.* Ratio est: quia æquitas, quam judex spectat, id plerumque suadet, ne pars absens illico condemnetur contumaciæ: potuit enim intervenire justum, & subitum impedimentum, ut citatus nec per se, nec per alium comparere potuerit: hoc autem probato, cessat contumacia, & sententia revocatur. Excipe delegatum pro illo casu, quo in termino peremptorio expirat ejus jurisdictio; tunc enim debet contra absentem procedere, ne alias tota instantia evanescat *cit. c.* 24. ibi: *si autem expiret* &c.

7. ℞. 3. Si actor ante litem contestatam tribus edictis, quorum cuilibet 30. dies assignantur, citatus non compareat, conceditur ei adhuc unus annus, intra quem si non compareat, tunc reo præsente, & instante, judex procedit in negotio principali, testes recipit, & secundum veritatem sententiam pronuntiat: ita de jure Can. *c.* 3. *h. t.* & *c.* 1. *eod. in* 6. Post litem autem contestatam non requiritur expectatio unius anni, sed si actor ad trinam citationem non compareat, statim judex procedere potest in negotio principali, *cit. auth. qui semel. C. quom. & quand.* imo de jure Can. non attenditur tempus dilationum, maxime unius anni, sed actore post trinam citationem non comparente, mox procedi potest in causa principali, *cit. c.* 3. *h. t.* Nec audiendus est hic Gonz. dicens processum istum semper fieri lite contestata, cum litis contestatio hoc ipso induci videatur, quod reus contradicat libello actoris: nam aliud est actionem esse editam libello, aliud litem esse contestatam, ut patet ex *cit. auth.* ubi dicitur, in causa procedi lite non contestata, licet actor libellum porrexerit, & reus libello contradixerit.

8. ℞. 4. Si reus est contumax ante litem contestatam, non proceditur ad sententiam definitivam, sed actor interim mittitur in possessionem rei servandæ causa *cap.* 9. *hoc tit.* quo casu partes rei sunt favorabiliores, quam actoris: tum quia contra actorem contumacem major est præsumptio injustitiæ; tum quia reo, qui invitus trahitur in judicium, plus est indulgendum; ergo licet contra actorem contumacem, lite non contestata, procedi possit, non tamen contra reum. At si reus est contumax, post litem contestatam, & causa est liquida, fertur sententia definitiva, vel pro actore, si intentionem suam probavit, vel pro reo absente, cujus absentiam supplet Dei præsentia *l.* 13. §. 4. *C. de jud.* ibi: *litigatoris absentia, Dei præsentia repleatur* & *l.* 73. *pr. ff. eod.* quod semper observandum est, *dum eremodicium, hoc est*, desertio judicii, *ventilatur sive pro actore, sive pro reo cit. l.* 13. §. 4. Contumax autem victor, semper in pœnam contumaciæ condemnatur in expensas. Gail, & alii. Hoc adhuc speciale est in tali casu, quod sententia hoc modo in materia beneficiali lata non transeat in rem judicatam quoad superiorem, cui adhuc integrum est de partium juribus inquirere, & cognoscere, maxime si sententia lata est contra absentem indefensum *cap.* 7. *hoc tit.* tum ut injustitia vitetur; tum ne beneficium Eccl. sine canonica institutione obtineatur contra *reg.* 1. *in* 6.

TITULUS XV.

De eo, qui mittitur in possessionem causa rei servandæ.

Agitur de hac materia in Sexto *h. t.* & *c. fin. §. fin. ut lite non contest.* In Pandectis *l.* 42. *tit.* 4. 5. *l.* 43. *tit.* 4. & sparsim *tit. ff. de damno infecto*. In Codice *lib.* 7. *tit.* 72. *Nov.* 53. *c.* 4. *l.* 8. *tit.* 22.

1. Nota 1. præsentem rubricam esse unam ex illis, sub quibus *nigrum est generalius rubro*, sicut in *tit. de offic. deleg.* ubi etiam agitur de judicib. conservatorib. & *tit. In. de tutelis*, ubi etiam in specie de testamentaria tutel. *tit. In. de oblig. ex delicto*, ubi etiam de furto in specie &c. ita etiam hic non tantum agitur de missione in possessionem ex primo decreto custodiæ causa, sed etiam ex secundo decreto, quo vera possessio in missum transfertur, licet hodie rarissimæ sint hujusmodi missiones.

2. *Nota* 2. Missionem in possessionem bonorum rei decerni ex ea causa, ut reus a contumacia cesset, & tædio talis missionis affectus compareat ad judicium, ob quod etiam missio ista vocatur *tædialis*; & fit vel *ex primo decreto*, seu prima jussione judicis, qua actor mittitur in bona custodiæ causa; vel ex *secundo decreto*, quo actor ob perseverantem rei contumaciam verus efficitur bonorum possessor, sola quæstione proprietatis reo relicta *c.* 1. *h. t.*

3. Q. I. *Quis judex mittere possit actorem in possessionem bonorum rei*? ℞. Solus ille, cui competit imperium mixtum, adeoque non pedaneus *l.* 4. *ff. de jurisd.* ibi, *in possessionem mittere imperii magis est, quam jurisdictionis*. Cui non obstat *l.* 4. §. 3. *de damno inf.* nam magistratus municipales non jure proprio, sed vice præsidis mittebant in possessionem. Porro, ut hæc missio rite fiat, quatuor requiruntur: trina prævia citatio, vel una peremptoria, causa vera, cognitio saltem summaria causæ, & ut missio fiat ad instantiam actoris, prolata desuper interloquutoria.

4. Q. II. *Quomodo fiat missio in actionibus realibus*? ℞. 1. Lite non contestata, non proceditur ad testium receptionem, aut sententiam, sed interim actor ex primo decreto mittitur in possessionem bonorum rei, vi cujus decreti non efficitur verus possessor, sed tantum custos, & detentor bonorum, & fructuum, *c. fin. §. fin. ut lit. non cont. cap. fin. h. tit. l.* 3. §. *fin. ff. de acq. poss.* quæ jura misso non attribuunt possessionem veram, etiam revocabilem tantum, ut volunt Azo, Goffredus, Maranta, & alii, sed nudam custodiam rerum, seu tenutam. Nec est paritas a pignore conventionali ad hoc prætorium, seu judiciale, quia illud solum tribuit creditori jus reale, & consf. possessionem hujus juris: missio autem, seu pignus prætorium tribuit tantum custodiam, & detentionem. Ex quo solvitur, *l.* 40. *ff. de acq. poss. l.* 2. *C. de Prætor. pignor.* & alia jura, quæ expendit Gonz. *c. fin. ut lit. non contest.*

5. ℞. 2. Si reus intra annum redeat, actori expensas solvat, & satisdationem idoneam de judicio sibi præstet, recuperat omnia bona cum fructibus. At si intra annum non compareat, eo lapso, missus efficitur verus possessor absque necessitate novi decreti secundi, licet hoc pro meliori impetrari possit, *cit. c. fin. §. fin. ut lit. c.* 11. §. *verumtamen, de off. ord.* ibi: *post annum verus efficiatur possessor*: quia vero contumaci absenti salva est quæstio proprietatis, *cit. c. fin.* & *c.* 1. *h. t.* sequitur, quod actor non efficiatur verus dominus, seu quiritarius, sed tantum quasi dominus, seu bonitarius: quo sensu procedit *l.* 15. §. 16. & 18. *ff. de damno inf.* & alia jura, quæ expendit Gonz. *loco cit.*

6. ℞. 3. Si lis est contestata, non fit missio ex primo decreto in actione reali; sed si causa liquida est, fertur sententia definitiva pro actore, vel reo absente, cujus absentia suppletur DEI præsentia: si vero causa pro neutra parte est liquida, præsumitur injustitia rei contumacis, atque ita actor, quasi ex secundo decreto mittitur in possessionem bonorum rei, sola huic proprietate relicta, *c.* 4. *de dol. & contum. l.* 8. *C. quom. & quando.*

7. Q. III. *Quomodo fiat missio in actionibus personalibus*? ℞. 1. Actor, etiam lite non contestata, ob contumaciam rei mittitur in possessionem bonorum ejus ex primo decreto; non quidem absolute omnium, sed pro quantitate debiti, primum mobilium, & his non sufficientibus, etiam immobilium; nisi judex alio medio uti velit, ut excommunicationis &c. *cit. c. fin. §. fin. ut lite non contest.* 2. Si reus intra annum non compareat, actor, ut verus possessor efficiatur, opus habet secundo decreto judicis *c.* 9. *de dolo, & contum. l.* 15. §. 16. *ff. de damno infect.* In quo præsens decisio differt a præcedenti, cum actio realis multo sit favorabilior actori, quam personalis.

8. Q. IV. *Quomodo computetur tempus unius anni, quod præcedere debet decretum secundum*? ℞. 1. Regulariter annus iste computatur a die actualis missionis, cum ante illam reus non censeatur tædium pati, Abb. & alii. 2. At si reus resistat actori volenti occupare bona, is fictione juris censetur missus in possessionem bonorum a die interpositi decreti primi, *c.* 9. *de dolo, & contum.* ne alioquin reus ex sua malitia commodum reportet. Ceterum justa causa suadente, judex terminum annuum vel restringere potest in actione reali, vel prolongare in actione personali, cum id totum videatur ejus arbitrio esse permissum.

9. Q. V. *In quibus causis non admittitur missio in bona rei*? ℞. 1. In causis criminalibus, in quibus bona contumacis adnotari solent, *l.* 1. §. *fin.* & *l.* 2. *ff. de requirend. vel absent.* 2. In causis beneficialibus quoad titulum, ne detur vitiosus ingressus in beneficia, *c. un. h. t. in* 6. nisi agatur de proprietate Ecclesiæ, *ibid.* & *c.* 2. *h. t.* ubi moniales mittuntur in possessionem Ecclesiæ, causa rei servandæ. 3. In causis matrimonialibus, ne missio fiat in periculum animæ, *c.* 3. & *fin.* §. *porro ut lite non contest.* 4. In illis causis civilibus, in quibus actor nihil petit, sed tantum vult ab aliquo liberari; ut si minor petat restitutionem adversus hæreditatem aditam.

10. Q. VI. *Qui sint effectus decreti primi, & secundi*? ℞. *ad* 1. Actor ex primo decreto acquirit custodiam rei, & fructuum, uti & horum administrationem; consequitur in re pignus prætorium, seu judiciale, vi cujus præfertur aliis creditoribus non hypothecariis, & ad exemplum possessoris habet interdictum ex *l.* 1. §. 1. *ff. ne vis fiat ei, qui in possessionem missus est*. ℞. *ad* 2. Actor ex secundo decreto fit verus possessor cum conditione usucapiendi, quia licet sciat rem alienam esse, tamen possidet eam juste; gaudet interdicto *unde vi*, & si mavult sibi solvi, quam bona possidere, Prætor jubebit bona vendi sub publica subhastatione, *l.* 7. §. 1. *ff. quib. ex caus. in poss.* ibi: *ejus bona possideri, vendique jubebo.*

TITULUS XVI.

Ut lite pendente, nihil innovetur.

Agitur de hac materia in Sexto, & Clem. *h. t.* In Decreto 11. *q.* 1. *Can. ult.* & 16. *q.* 4. *Can. volumus.* In Pandectis, *l.* 44. *tit.* 6. In Codice *l.* 1. *tit.* 21. & maxime *l.* 8. *tit.* 37. *Nov.* 112. *c.* 1.

1. Nota litis pendentiam esse durationem controversiæ inter duos motæ, donec terminetur ultima sententia definitiva, a qua ulterius non appellatur, vel transactione, aut alio modo, quo judicium finiri solet.

2. Q. I. *Quo actu inducatur litis pendentia*? ℞. Oblatione libelli, & citatione reo intimata; ita de jure novo *Clem.* 2. *h. t.* ibi: *litem pendere censemus, postquam a judice competenti in ea citatio emanavit, & ad partem citatam pervenit, vel per eum factum fuit, quo minus ad ejus notitiam perveniret: dum tamen in citatione prædicta talia sint expressa, per quæ plene possit instrui, super quibus in judicio convenitur.* Cui consonat *Auth. litigiosa res C. de litigiosis.* Atque ita corrigitur jus antiquum, quo litis pendentia inducebatur per litis contestationem, *l.* 1. *ff. de litig. c.* 30. *in fin. de V. S.* Porro quia citata *Clementina* generaliter loquitur, non distinguendo inter actionem realem, & personalem, sequitur litis pendentiam per citationem induci non tantum in actione reali, ut vult Perez, sed etiam personali.

3. Q. II. *Quis sit effectus litis pendentis*? ℞. Primarium

marium esse, *ut lite pendente, nihil innovetur* puta in præjudicium litigantium: ita instar reg. rubrica *hoc tit.* Unde 1. Lite pendente in actione reali, res evadit *litigiosa*, seu *vitio litigii affecta*, dum super dominio litigatur: si vero agatur solo possessorio, non res ipsa, sed possessio fit litigiosa: in actione vero personali, nec res, nec possessio, sed ipsa actio, seu instantia evadit litigiosa, ita ut actor nequeat illam alteri cedere, nisi cessis aliis obligationibus. 2. Res litigiosa alienari nequit, secus retrahenda, vel alia res æquivalens in locum ejus substituenda, *Can. fin.* 11. *q.* 1. *c.* 3. 4. *h. t.* nam alienatio ista immutat statum rei, & præjudicat alteri litiganti. Probabilius tamen alienatio litigiosi mero jure valet, licet rescindi possit per sententiam: tum quia *c.* 4. *h. t.* alienatio dicitur revocanda; tum quia per *l.* 3. *ff. de litig.* alienatio in favorem Religionis facta subsistit; tum quia, altera parte consentiente, & non excipiente, valet alienatio rei litigiosæ, ergo. Nec obstat *c.* 4. *h. t.* ibi: *irritum decernimus l.* 2. 3. *C. de litig.* & similia jura: nam loquuntur de nullitate quoad effectum, quia alienatio rescindi potest. 3. Pendente lite, non potest impetrari rescriptum in præjudicium collitigantis, nisi in eo mentio fiat litis pendentis *c.* 1. & *fin. h. t.* Lite pendente, possessor non est privandus sua possessione, etiam in matrimonialibus, donec lis decidatur *c.* 1. 2. *h. t.* unde uti potest commodis suæ possessionis, quia utendo, nihil innovat, sed jure veteri utitur. 5. Si lite pendente super electione, aut beneficio, unus litigantium moriatur, vel renuntiet, non potest ad novam electionem, vel provisionem procedi, donec super jure superstitis cognoscatur; secus attentata electio, aut provisio est nulla *c.* 1. *h. t. in* 6. nam morte unius non cessat beneficium esse litigiosum, cum restet dubium, an superstes habeat jus ad illud? Imo si etiam deinde constaret, superstiti nullum jus competere, tamen electio antea facta est nulla, quia quod ab initio vitiosum est, tractu temporis non convalescit *l.* 29. *ff. de R. J.* neque contra jus clarum procedit arg. a sensu contr. ex *c.* 10. *de arbitr.*

4. Q. III. *An dentur casus excepti, quibus, lite pendente, aliquid innovari possit?* ℞. affirmative. Et quidem 1. fieri potest missio in possessionem *tit. præced.* 2. Fieri potest sequestratio possessionis, & fructuum *tit. seq.* 3. Fieri potest alienatio rei litigiosæ in casibus relatis in *l. fin. C. de litigios.* uti ex causa dotis, vel donationis propter nuptias, ex causa transactionis, vel divisionis rerum hæreditariarum, nisi omnes istæ res inter hæredes, & eorum adversarium essent litigiosæ; ex causa necessaria, v. g. alimentorum, vel pro exolutione funeris; & ex gratia principis, consensu adversarii, vel quacumque causa arbitrio judicis probata, tanquam justa, ut si res alias esset peritura &c. Denique cum re litigiosa disponi potest per ultimam voluntatem, sed tunc hæres, vel legatarius tenetur litem prosequi.

5. Q. IV. *Quæ sit pœna contractus laborantis vitio litigiosi*, ut si res litigiosa vendatur, donetur &c.? ℞. 1. Si uterque contrahentium scivit rem esse litigiosam, contractus irritatur, & res vendita in priorem statum reducitur, emens amittit pretium, & vendens tantundem præstat, & utraque hæc pœna applicatur Fisco, *l. fin. C. de litig.* 2. Si solus venditor novit rem esse litigiosam, emptor suum pretium recuperat, & insuper tertiam partem æstimationis, quam venditor præstat; duæ autem partes applicantur Fisco. *ibid.* 3. Si quis rem litigiosam donavit sacris, duplum præstat adversario applicandum. *ibid.* idque propter contumeliam in Deum, quem talis venditor falsa religione colere attentat in præjudicium adversarii: donatio tamen sacris facta subsistit.

TITULUS XVII.

De Sequestratione possessionum, & fructuum.

Agitur de hac materia in Clementinis *h. t.* in Decreto *c. quoties* 2. *q.* 7. in Codice *lib.* 4. *tit.* 4. *de prohibita sequestratione pecuniæ.*

1. Nota, hic non agi de sequestro late accepto pro cura, seu curatela, sicut prodigis majoribus solet dari sequester, seu curator *tit. ff. de curator. furios.* Hic autem *sequestrum*, seu *sequestratio est rei litigiosæ, vel fructuum ejus apud tertium depositio*; vel *voluntaria* de consensu partium, vel *necessaria* ex mandato, & auctoritate judicis. Illa tertia persona, apud quam actor, & reus rem litigiosam deponunt, vocatur *sequester*, a, um, vel *sequester*, *sequestris* in tertia declinatione. Est autem *sequestrum* species depositi *l.* 17. *ff. depositi*: & differt a deposito specifice sumpto, quia sequestratio fit rei litigiosæ, & a pluribus in solidum; e contra depositum fieri potest rei liquidæ, & ab uno *ibid.*

2. Q. I. *An licita sit sequestratio?* ℞. 1. *Voluntaria*, seu *conventionalis* est generaliter permissa *l.* 21. *C. mandati* cum volentibus nulla fiat injuria. ℞. 2. *Necessaria*, seu *judicialis* regulariter est prohibita *l. un. C. de prohibita sequestratione pecuniæ*: ubi nomine pecuniæ venit omnis res, ut bene notant DD. nam lite pendente, possessor non est privandus commodo suæ possessionis. Hæc tamen regula multas patitur exceptiones, & casus, in quibus, æquitate suadente, judex decernere potest sequestrationem; ut si periculum est, ne res, aut fructus rei dilapidentur, si timetur, ne litigantes ad arma veniant, vel maritus rem dotalem dissipet, si jura partium sunt obscura; v. g. circa suppositionem partus, censum emphyteuticum, quem duo domini exigunt, circa beneficium, de cujus possessione duo litigant &c. Denique generaliter ex quacumque justa causa potest judex ad sequestrationem procedere, ut in debitis fiscalibus &c. ita hæc omnia colliguntur ex *c.* 2. & *fin. h. t. l.* 7. §. *fin. ff. qui satisd.* & aliis juribus, Reiff. a *n.* 18. Porro ut judex ex officio nobili procedat ad sequestrationem, requiritur causa gravis, & publica *arg. c.* 1. *h. t.* ut vero procedat ex officio mercenario ad instantiam partis, requiritur summaria cognitio de jure petentis, & de causa, uti & juramentum, quod sequestratio malitiose non petatur, citatio partis adversæ, nisi subsit periculum fugæ, & aliqua præsumptio contra reum, quod dilapidatis bonis, non posset creditori satisfacere.

3. Q. II. *Quæ res sequestrari possint?* ℞. Regulariter omnes litigiosæ, & sub custodiam cadentes, sive sint mobiles, seu immobiles, corporales, vel incorporales, materiales, vel spirituales, imo etiam persona libera sequestrari potest, ut *c.* 13. *de sponsal.* puella sequestratur objiciens exceptionem metus in matrimonio contracto, & *c.* 14. *de probat.* objiciens professionem religiosam; & uxor profuga ob sævitiam mariti sequestrari solet, & custodiri apud honestam fœminam.

5. 2. Beneficium Ecclesiasticum sequestrari potest, servata forma *Clem. un. h. t.* scil. ut prius in curia apostolica lata sit sententia super ipso beneficio contra possessorem, qui necdum triennio pacifice illud possedit, & ut exequutio sequestrationis fiat per Ordinarium, & apud personam idoneam, cui administratio beneficii tuto committi possit: tum subjicitur pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ ab his, qui talem sequestrationem impedire, vel fructus sequestratos occupare præsumpserit &c.

5. 3. Cadaver non est sequestrandum, donec hæres debita defuncti solvat: ita com. contra Angelum, qui hanc sequestrationem admittit, saltem in debito guarentigiato, hoc est, paratam exequutionem habente ex forma statuti: nam inhumanum est negare cadaveribus defunctorum sepulturam, quam omnia jura concedunt, divinum *Eccl.* 7. ibi: *mortuo non prohibeas gratiam*, seu sepulchrum gratuitum: canonicum *cap.* 28. *qui divina* 13. *quæst.* 2. civile *lib.* 6. *C. de sepulchr. viol. Nov.* 60. *c.* 1.

6. Q. III. *Quid juris circa sequestrem?* ℞. 1. Sequester potest esse unus, vel plures, partibus non suspecti, qui fideles, & in administranda re sequestrata diligentes futuri existimantur. Imo ex communi sententia etiam judex sequester eligi potest *l.* 11. §. 2. *ff. de recept. arb.* ibi: *si res apud arbitrum deposita sunt*, & *l.* 7. §. *fin. ff. qui satisdar.* ibi: *apud officium deponi debebit.*

7. 2. Nemo invitus cogitur esse sequester, nisi consuetudo, vel justa causa aliud suadeant, *arg. l.* 7. *pr. ff. depositi* ibi: *cum posset non suscipere talem causam*: nam nemo invitus tenetur contrahere; sequester autem obligatur ex contractu, vel quasi contractu, *l.* 9. §. 3. *ff. de dolo malo.*

8. 3. Possessio rei sequestratæ non transfertur in sequestrem, sed pura custodia *cap.* 2. *hoc tit.* etsi sequestratio sit voluntaria, ut tenent Felin. Zoes. Reiff. cum citt. a *n.* 42. contra Abbatem, Bartol. Gail. &c. tum

quia *proprie in sequestre est depositum l. 6. ff. depositi*; tum quia in sequestratione voluntaria partibus liberum est deponere, vel *custodiæ causa*, & sic possessio victori prodest ad usucapionem; vel *amittendæ possessionis causa*, & sic possessio partibus non prodest ad usucapionem *l. 39. ff. de acq. poss.* Excipe, nisi litigetur de sola possessione, & hæc sola deponatur apud sequestrem; tunc enim sequester fit possessor, & pars utraque privat se incerta possessione, & consf. jure usucapiendi *l. 17. §. un. ff. depositi*, ubi Florentin. ait: *rei depositæ proprietas apud deponentem manet, sed & possessio, nisi apud sequestrem deposita est*.

9. 4. Sequester castri, vel dignitatis, cui annexum est jus eligendi, vel præsentandi, potest sequestratione pendente, eligere, vel præsentare, modo ex alio capite non sit inhabilis ad hos actus: ita com. DD. contra Tholosan. & Selvam: nam per *Clem. un. h. t.* administratio rei sequestratæ pertinet ad sequestrem, eligere autem, aut præsentare est actus administrationis: tum quia id exigit publica Ecclesiarum utilitas, quibus diuturna vacatio nocet. Poterit tamen sequester partes consulere, & quem utraque pars nominaverit, præsentare; in discordia vero eligat aptiorem ex nominatis.

10. Q. IV. *Qui sint effectus sequestrationis*? ℞. seqq. 1. Sequester obligatur rem sequestratam diligenter administrare, & illam cum fructibus victori reddere, *Clem. un. h. t. c. 2. de dol. & contum.* Suadet tamen æquitas, ut si pars sequestrationem necessariam patiens, aliunde non habeat, unde se alat, & expensas solvat, necessaria ei ministrentur ex re litigiosa. 2. Ex sequestro datur victori actio sequestraria depositi directa contra sequestrem, si quid damni intulit, & contraria datur sequestri contra victorem, si quid in rem sequestratam impedit *l. 1. §. 24. ff. deposit.* ne officium suum sit ei damnosum.

11. Q. V. *Quibus modis tollatur sequestrum*? ℞. seqq. 1. Lite per sententiam plene finita. 2. Cautione idonea. 3. Eventu conditionis, sub qua sequestratio facta est; quo etiam spectat regressus rei intra annum, si loco missionis ex primo decreto facta est sequestratio *c. 1. h. t.* 4. Morte sequestris, quo casu res sequestrata deponi solet apud ædem sacram *lib. 5. in fin. ff. deposit.*

De Arrestatione.

Cum *arrestatio* a Gallico *arrester* dicta multum affinis sit sequestrationi, paucis de illa hic agere oportet: 1. Arrestatio est personæ, vel rei detentio, ob securitatem creditoris facta, ne loco moveatur, donec negotium, aut lis cum creditore componatur. Differt a sequestratione: nam hæc est contractus, vel quasi contractus, sub genere depositi, ut res litigiosa custodiatur: e contra arrestatio est impedimentum, vel manuum injectio, ne res, aut persona loco moveatur. 2. Arrestatio est duplex: *publica*, & *privata*: *publica* fit auctoritate judicis vel ex officio, vel ad instantiam partis, justa causa cognita, ex qua constet, necessariam, vel utilem esse arrestationem. Si autem ex post facto constet injustam esse arrestationem, creditor tenebitur arrestato ad omne damnum, & interesse compensandum, imo & injuriarum actione conveniri potest *lib. fin. ff. de reb. auth. jud. poss. l. pen. C. qui bon. ceder.* *Privata* ex conventione partium est permissa: at si fiat sola voluntate creditoris, regulariter est prohibita ex reg. generali, ne quis in propria causa jus sibi dicat, nisi periculum sit in mora; ut quia debitor est suspectus de fuga: nam tunc arrestatio vim defensionis habet. 3. Violans arrestum, v. g. fugiendo, vel bona arrestata amovendo, si subditus est, remitti debet a judice domicilii, & puniri vel multa pecuniaria, vel duriori custodia: si vero subditus sit alteri principi, raro fit remissio, sed attenditur, ut profugus in eadem provincia capi, & puniri possit. 4. Relaxatur arrestatio per solutionem factam creditori, per cautionem idoneam, cessionem bonorum, vel probationem, quod non fuerit causa sufficiens arrestationis. Plura ex Civilistis.

13. Absolutis pertinentibus ad modum, & formam ordinandi judicii, in seq. titulis devenitur ad terminum probatorium, & merita causæ; & sic agitur de probationibus in genere, tum de probationibus in specie per testes, instrumenta, præsumptiones, & jusjurandum. His præmittitur titulus de confessis, quia confessio propria, licet stricte non sit probatio, sed probationis relevatio, tamen probationibus accensetur, & sæpe dicitur in jure optima probatio.

TITULUS XVIII.

De Confessis.

Agitur de his in Sexto *h. t.* In Decreto *Can. non in quemque 2. q. 1. & 15. q. 3. 6. 8. per tot.* In Pandectis *lib. 42. tit. 2.* In Codice *lib. 7. tit. 59. & tit. ff. de interrogat.*

1. *Nota* 1. Quod confessio in præsenti sit quædam contra se pronuntiatio, seu asseveratio ejus, quod adversarius intendit. Dividitur. 1. In *judicialem*, quæ fit in judicio vel ore, vel facti evidentia, vel ex præsumptione; ut si reus contumaciter se absentet; & *extrajudicialem*, quæ fit extra judicium. 2. In *discretam*, seu *determinatam*, in qua exprimitur causa obligationis, ut debeo 100. ex mutuo; & *indiscretam*, in qua generice exprimitur obligatio sine causa specifica, ut debeo 100. 3. In *simplicem*, in qua nulla restrictio adjungitur, ut occidi Stichum; & *qualificatam*, in qua per appositionem qualitatis, vel conditionis restrictio additur, v. g. occidi Stichum, sed necessariæ defensionis causa. Hic tamen nota ex Bart. in *l. Aurelius ff. de liber. leg.* non esse confessionem qualificatam, si diversum capitulum adjiciatur, v. g. *accepi 100. mutuos, sed jam solvi*: nam hoc alterum capitulum vim habet exceptionis, quam reus probare tenetur. 4. In *expressam*, seu *veram*, quæ fit verbo, vel alio signo æquivalenti; & *tacitam*, seu *quasi confessionem*, quæ ex aliquo facto elicitur, & a jure fingitur intervenisse; ut si quis ex contumacia non respondeat, vel se absentet, vel super delicto transigat, numerando pecuniam accusatori, ut ab accusatione desistat; talis enim habetur pro confesso, *c. fin. h. t. in 6. l. 53. §. 1. ff. de re judic.*

2. *Nota* 2. Conditiones, seu requisita validæ confessionis, præsertim judicialis, esse decem, quæ glossa his versiculis complectitur: *major, sponte, sciens, contra se, ubi jus sit & hostis, certum, lisque, favor, jus, nec natura repugnet*: unde requiritur. 1. Ut *fiat a majorenni*; minor autem cum auctoritate curatoris confitens, si læsus est, restituitur, *l. 6. §. pen. ff. h. t.* 2. Ut *fiat sponte*, alias vi, & tormentis elicita, non valet, nisi secunda, aut tertia die ad bancum juris ratificetur, *l. 1. ff. de qq.* 3. Ut *fiat scienter*, seu ab homine sanæ mentis, & furore, vel calore iracundiæ, aut probabili errore non impedito, *l. quidquid calore, 48. ff. de R. J. cap. fin. hoc tit.* 4. Ut *fiat contra se*, cum nulli in præjudicium alterius confitenti credatur, *reg. 74. ff.* 5. Ut fiat in *jure*, hoc est, in judicio, judice pro tribunali sedente; uti & coram arbitro, cum arbitria ad formam judiciorum redacta sint, *l. 1. ff. de recept. arbitr.* 6. Ut fiat coram hoste, seu adversario, vel ejus procuratore præsente, *l. 6. §. 3. ff. h. t.* 7. Ut fiat super *re certa* quoad substantiam, & quantitatem, *l. 6. pr. ff. h. t.* 8. Ut fiat super *re litigiosa*, *l. 13. ff. de interrogat.* 9. Ut favor confessioni non repugnet; uti favor libertatis, matrimonii; quia si probari potest contrarium, non valet confessio contra libertatem, aut valorem matrimonii, *c. 5. de eo, qui cognov.* 10. Ut confessioni nec jus, nec natura repugnet. Sic rejicitur confessio Christiani confitentis, se cum judæa matrimonium contraxisse, vel occidisse Cajum, qui adhuc vivit; priori enim resistit jus Can. & posteriori natura.

3. Q. I. *An reus legitime, & servato juris ordine, a judice interrogatus teneatur fateri veritatem*? Quæstio hæc locum habet in criminalibus, in quibus difficilis est plena probatio: raro in civilibus, in quibus ad complendam probationem deferri solet juramentum necessarium, seu suppletorium. Tunc autem censetur judex interrogare legitime, seu ut judex, dum contra reum adest semiplena probatio, vel diffamatio cum indiciis semiplenæ probationi æquivalentibus: ita com. DD. ex *c. 17. 19. 21. de accus.*

℞. 1. Reus in criminalibus, etiam majoribus, legitime a ju-

a judice interrogatus, tenetur in conscientia fateri veritatem: ita Covar. Navar. Sanch. & communis sententia cum S. D. 2. 2. q. 69. ar. 1. contra Lessium, de Lugo, Reiff. & quosdam Recen. docentes, reum posse amphibologia uti in causis gravissimis, in quibus timetur sententia mortis, perpetui carceris, confiscationis omnium bonorum; licet Lugo dicat sententiam nostram esse probabilissimam. Prob. 1. Reus ex præcepto 4. Decalogi tenetur parere justo præcepto superioris, *non tantum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Rom.* 13. sed judex legitime, & servato juris ordine, interrogans imponit reo justum præceptum de veritate dicenda; unde enim est injustum? nisi forsan dicas judicem nunquam habere jus reum interrogandi de veritate, quod aperte falsum est, juri, & praxi tribunalium contrarium, ergo. 2. Judex, posita semiplena probatione, habet jus quæsitum ad decernendam torturam, tanquam medium eliciendæ veritatis; ergo a fortiori ad finem confessionis, cum medium detur propter finem; & reus ideo teneatur ad subeundam torturam, quia obligatus est ad dicendam veritatem: tum quia ex opposita sententia sequitur, quod multa delicta in detrimentum reipubl. impunita manere deberent; quod judices inique agant interrogando, torquendo, deferendo juramentum super eo, quod reus non tenetur fateri.

Dices: præceptum humanum non obligat cum gravi periculo, præsertim mortis; ergo nec præceptum Judicis ita obligat. ℞. Si quis sponte sua peccando, conjiciat se in periculum vitæ, vel tale periculum sit intrinsecum præcepto Superioris, jam præceptum est obligatorium, non attento periculo mortis. Sic reus ex præcepto judicis tenetur sustinere torturam, quæ forsan ipsa morte est crudelior, miles sub periculo capitis sæpius tenetur jussa ducis facere &c. Cum vero opposita sententia, cujus censuram Layman relinquit aliis, ut probabilis defendatur, servire poterit confessario in illo casu, quo reus capitis damnandus induci non potest ad veritatem dicendam: alioquin ex communi sententia, si reus in criminalibus minoribus legitime interrogatus nolit dicere veritatem, non est absolvendus, utpote indispositus, quamdiu retinet pravam voluntatem negandi veritatem. At si judex legitime non interroget, vel dubium est de legitimitate interrogationis, quia v. g. indicia, quæ contra reum afferuntur, non videntur sufficientia ad semiplenam probationem, reus non tenetur fateri veritatem, sed citra falsitatem, aut mendacium, aut restrictionem mentalem ab Innoc. XI. *numer.* 26. damnatam, prudenter potest amphibologia uti: tum quia Judex non interrogat, servato juris ordine; tum quia in dubio favendum est potius reo, quam accusatori, aut judici. Idem dicendum in casu, quo reus de uno crimine convictus, vel confessus, interrogatur de altero non connexo, de quo nulla infamia, aut indicia præcesserunt. Vide S. D. 2. 2. q. 69. ar. 2.

4. ℞. 2. Si Judex ex falsa præsumptione delicti, vel debiti reum interroget, is negare potest propositionem, utpote falsam in sensu judicis hic, & nunc principaliter intento, licet ceteroquin propositio materialiter sit vera, v. g. non occidisti Stichum, & tamen stricto ense, sanguine infecto, exivisti ex tali loco, interrogatus a judice, an hoc modo exiveris? respondendo: *non exivi*, non mentiris; quia judex interrogat de exitu, ut est indicium manifestativum homicidii patrati, quo modo utique non exivisti: ita Navar. Covar. Sanch. & alii ex *Can. humanæ aures.* 22. q. 5. & c. 6. *de V. S. intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi: quia non sermoni res, sed rei est sermo subjectus*. Sed intentio judicis est, ut interrogatus confiteatur propositionem, non utique materialiter spectatam, sed formaliter, quatenus est manifestativa delicti, aut debiti; ergo si delictum, vel debitum in reo non præcessit, vere negatur talis propositio. Neque hic est restrictio mentalis: sed loquutio sensibilis ex causis, & circumstantiis interrogantis. Vide Carden. diss. 19. c. 4. a n. 36.

5. Q. II. *An reus regulariter interrogari, vel confiteri possit de sociis criminis?* ℞. Negative ex *Can. fin.* 15. q. 3. ubi Julius Papa, *nemini*, inquit, *præterquam in crimine læsæ majestatis, de se confesso credi potest super crimen alienum*, & c. 1. *h. t.* ibi: *eos* &c. c. 10. *de testib. l.* 16. *ff. de qq.* ibi: *is, qui de se confessus est, in caput aliorum non torquebitur*, & *l. fin. C. de accus.* nam crimen de se in judicio confessus fit infamis, adeoque repellendus a testimonio: tum quia periculum est, ne malitiosi homines ex odio, vel alia prava passione innocentibus calumnias struant, & falsa crimina impingant. Excipe crimina gravissima, seu excepta, maxime in futurum pendentia, ut crimen hæresis, perduellionis, læsæ majestatis, veneficii, falsæ monetæ, assassinii, simoniæ, quibus hodie additur furtum. Item si delictum ex natura sua a pluribus fieri petit, ut adulterium; vel si socii de tali delicto diffamati, aut indiciati sunt. Quibus concurrentibus, maxime si crimen sit exceptum, vel socius diffamatus, judex procedere potest ad inquisitionem specialem, dummodo reus inimicitias non habuerit contra eos, de quibus confitetur, & confessionem suam tortura confirmet, & juramento more testium. Secus confessio rei de aliis non diffamatis non sufficit ad inquisitionem specialem, sed tantum generalem.

6. Q. III. *Qui sint effectus confessionis judicialis simplicis?* ℞. seqq. 1. Plena, & maxima probatio, quæ sanat omnem defectum processus judiciarii, tollit præsumptionem juris, & de jure: imo, quod speciale est, rem judicatam in favorem rei infirmat, & revocat, *l. 1. ff. & l. un. C. h. t.* quia nulla melior, & verior est probatio, quam proprii oris confessio. 2. Inducit notorium juris, & ideo præcludit viam appellationi, *c.* 13. 14. *de appell. l.* 2. *C. quor. appell. non recip.* nisi reus ex causa confessionem revocasset. 3. Vim habet rei judicatæ *cit. l. 1. & 6. in fin. & l. un. C. h. t.* An vero confessio per omnia æqualis sit rei judicatæ, ita ut non requiratur sententia judicis, dubium est ex citt. juribus ortum; ad quod cum distinctione. ℞. 1. Reus in criminalibus de se confessus crimen, non habetur pro judicato, nisi constet de corpore delicti, & ex aliis probationibus, atque indiciis sententia definitiva feratur contra reum *c. 2. h. t. & l. 5. ff. de custod. & exhib. reor.* nam periculum est, ne reus ex tædio vitæ, & desperatione, vel timore tormentorum, falsum crimen de se confiteatur. 2. Reus in civilibus post litem contestatam confitens debitum, per sententiam condemnandus est, *c.* 10. *de transact. l. 3. 5. ff. h. t.* nam judicium cœptum sententia terminari debet. At si confiteatur debitum ante litem contestatam, non opus est sententia definitiva, sed simplici præcepto judicis, ut reus solvat *l. 20. ff. de judic.* nam in hoc casu judicium non est cœptum, ac proinde confessus hic saltem habetur plene pro judicato, *cit. l. 1. ff. h. t.* His non obstat *l. 25. ff. ad L. aquil.* ibi: *nullæ partes sunt judicandæ inconfitentes:* nam licet post litem contestatam nullæ sint partes quoad excipiendas probationes causæ, opus tamen est definitiva sententia, qua judicium terminetur per *l. 74. ff. de judic.*

8. Q. IV. *An confessio qualificata præjudicet confitenti?* ℞. Cum distinctione: si præsumptio juris non adversatur confitenti, vel qualitati adjectæ, non præjudicat confitenti, v. g. fateor, quod 100. promiserim, sed cum conditione, si navis ex India feliciter advenerit: unde talis confessio, vel tota respuenda, vel tota recipienda est; & tunc actori incumbit onus probandi eventum conditionis, aut qualitatis; nam qualificate confitens, magis videtur negare, quam affirmare. 2. At si jus adversetur qualitati, vel præsumptio est contra confitentem, acceptatur confessio quoad substantiam, rejecta qualitate, quam reus probare debet, v. g. occidi Stichum, sed necessariæ defensionis causa: ita in criminalibus statuit *l. 1. C. ad L. Cor. de Sicar.* & in civilibus *l. 25. §. fin. ff. de probat.* & *c. 6. de institut.* ubi præsumptio stat pro concessione reali instituendi in beneficiis contra Archiepiscopum confitentem, concessionem fuisse tantum personalem, Reiff. a *n.* 123.

9. Q. V. *Quantum probet confessio exrrajudicialis?* ℞. Cum distinctione. 1. Si facta est præsente adversario, vel ejus procuratore cum expressione causæ, v. g. mutui, & legitime per testes duos, vel per confessionem rei probatur, plene probat in civilibus, *c. 10. de probat. l. 13. C. de non nu. pecun.* ubi ratio datur: *nimis enim indignum esse judicamus, quod sua quisque voce dilucide protestatus est, id in eundem casum infirmare, testimonioque proprio resistere.* 2. At si con-

confessio facta est sine expressione causæ, regulariter plene non probat, sed tantum facit præsumptionem, *arg. cap.* 14. *de fid. instrum. l.* 25. §. *fin. ff. de prob.* cum in omnibus obligationibus causa maxime attendi debeat. Excipe, nisi confessio fuisset jurata, vel ex intervallo geminata, vel liberatoria; ut confiteor te mihi nihil debere, *l.* 40. *ff. de pactis*. Porro ut confessio ista præjudicet confitenti, & non possit ab eo revocari, probabilius requiritur expressa acceptatio præsentis adversarii, ut docet Felinus; ut vero ex tali confessione acquiratur jus adversario, sufficit tacita acceptatio. Abbas &c. quæ distinctio conciliat contrarias sententias. 3. Confessio cum expressione causæ, absente adversario facta, parum, vel nihil probat, quia præsumitur fieri ex inconsideratione, nisi sit jurata, vel in favorem causæ piæ, ubi Deus supplet præsentiam adversarii, vel nisi aliud ex circumstantiis colligatur. 4. Confessio extrajudicialis in criminalibus, in quibus requiruntur probationes luce meridiana clariores, plene non probat, sed plerumque semiplene, ut sufficiat ad torturam; nam ex tali confessione oritur gravis præsumptio contra confitentem.

10. Q. VI. *Quid probet confessio per torturam, vel per judicem sub spe impunitatis extorta?* ℞. *ad* 1. Confessio per torturam plene probat, si secundo, vel tertio die extra tormenta ratificetur; secus, si reus neget, quod in tormentis confessus est, nihil probat, quia reus præsumitur in tormentis falsum dixisse. Porro, ut reus ad quæstionem severam trahi valeat, præter corpus delicti, requiritur semiplena probatio per unum testem de visu, vel per famam, & alia indicia semiplenam probationem facientia. Plura de his Clar. & alii Criminalistæ. ℞. *ad* 2. Talis confessio nihil probat, utpote dolo, & fraude judicis extorta *c.* 7. *de renunt.* unde judex, vel non debet uti fictis promissis, vel datam fidem servare debet, cum etiam hosti fides servanda sit de jure naturali, *Can. noli* 23. *q.* 1.

☞ *Circa reos convictos, & non confessos ex motu proprio Bened. XIV.* Avendovi noi 2. *Jan.* 1753. *quo confirmat resolutiones Cong. particularis, quasque declarat habere vim legis universalis in tota Ecclesiastica ditione, statuitur.* 1. *In tribunalibus supremis, & Papæ vicesgerentibus, in delictis atrocissimis, homicidiis appensatis, & furibus famosis probationem suppleri posse tam ex indiciis, quam ex numero etiam per testes minus habiles, & idoneos.* 2. *Idem servandum in delictis secutis in locis, ubi nec actu, nec habitu solent intervenire, aut intervenerint alii testes, quam personæ infames; dummodo suppletio fiat per indicia & conjecturas, quæ probentur per alios testes.* ☜

11. Q. VII. *An confessio criminis incidenter in judicio facta probat ad pœnam ordinariam?* ℞. Negative: nam ad pœnam ordinariam non proceditur sine legitima querela, quæ in tali casu deest. *Excipe*, nisi judex super tali crimine instituat inquisitionem, & alias legitimas probationes hauriat; tunc enim locus erit pœnæ ordinariæ *c.* 1. *de except. a sensu contr.*

12. Q. VIII. *An confessio Prælati vel procuratoris noceat Ecclesiæ, aut domino principali?* ℞. Cum distinctione: si confessio ista est voluntaria, & sponte facta, non nocet, ne alteri per alterum iniqua conditio inferatur, nisi Prælatus de consensu capituli confiteretur, quod Ecclesia mutuum acceperit &c. *c.* 17. *de præscript. c.* 2. *de capell. monac.* At si confessio fuit necessaria, hoc est, mandato judicis imperata, nocet, modo procurator habuerit mandatum speciale ad confitendum, vel constitutus sit *cum libera*; sicut olim erant œconomi Ecclesiarum *c. fin. h. t. c.* 2. *eod. in* 6. *c.* 21. *de sent. & re judic.* nam actus intranei judicio, quos litigans necessario præstare debet, prosunt, vel obsunt principali. Si tamen Ecclesia propter errorem confessionis læsa est, habet ordinarium remedium revocandi confessionem *in continenti*, hoc est, in eadem moraliter præsentia judicis, quod aliqui ad triduum extendunt ex *l. fin. C. de error. advoc.* & tunc non est opus probare errorem; vel *revocandi ex intervallo* ante sententiam latam, & tunc probari debet, quod confessio per errorem facti acciderit, *l.* 7. *C. de J. & F. Ignor. error facti, necdum finita negotio, nemini nocet.* Insuper Ecclesia læsa, aut minor, habet beneficium restitutionis in integrum, quod durat quadriennio a sententia lata, ut *tit. de in integ. rest.* docetur. At dominus major, præter remedium revocandi confessionem, raro habet restitutionem in integrum, sed si læsus est, succurritur ei *actione mandati* contra procuratorem.

13. Q. IX. *An confessio testatoris in testamento valido facta aliquid probet?* ℞. 1. Plene probat in præjudicium confessi, modo sit expressa causa debiti, vel injusta possessio, vel additum sit juramentum, aut aliud adminiculum: nam confessio ista fit coram legitimis testibus testamentariis. At si non est expressa causa debiti, nec aliud adminiculum, v. g. *Titio debeo* 100. regulariter nihil probat, & hæredes ad nihil tenentur, cum confessio ista videatur in fraudem legis facta *l.* 37. §. 6. *ff. de legat.* 3. nisi talis esset persona, cui testator fatetur se esse obligatum; tunc enim debitum expressum peti potest, saltem per modum legati *l.* 28. §. *fin. ff. de liberalit. legat.* ℞. 2. Confessio testamentaria in præjudicium tertii facta, nihil probat in jure, *arg. l.* 6. *C. de testam. l.* 3. §. 1. *ff. ad SC. Silan. Nov.* 48. *c.* 1. §. 1. ex reg. generali, quod nulli sit credendum in præjudicium tertii. Unde si pater, vel mater scribat in testamento, quod filius ingratus, vel ex adulterio natus fuerit, & ideo exhæredetur, nec patri, nec matri creditur.

14. Q. X. *An confessio sacramentalis aliquid probet in judicio?* ℞. Omnino nihil *c.* 2. *de off. ordin. c.* 13. *de excess. Prel.* nam confessio ista totaliter est extra commercium humanum, nullusque ejus usus in foro externo; imo ob reverentiam Sacramenti pœnitentiæ, etiam instrumenta confessionis, ut schedæ, in quibus conscripta sunt peccata, non debent produci ad forum externum, neque ex illis judex procedere ad inquisitionem contra illum, cujus scheda reperta fuit, Reiff. cum citt. licet Navar., Coninck, & alii doceant ex tali scheda induci tantum secretum naturale.

§.

De positionibus, articulis, & interrogatoriis.

15. Paragraphus iste additur per modum complementi in *h. t.* cum in *c.* 1. & 2. *h. t. in* 6. expresse agatur de positionibus, quæ quandoque cum articulis confunduntur; in rigore tamen distingui debent: nam *positio* est simplex assertio facti ad causam pertinentis, medio juramento in scriptis exhibita, ut per responsionem adversarii prævio juramento firmatam, pars relevetur ab onere probandi in his, quæ admittuntur. Illud ponentis vocatur *juramentum dandorum*, quod ponens nihil calumniose posuerit; istud vero respondentis vocatur *juramentum respondendorum*, quod nihil calumniose, & contra mentem respondere velit. Formantur autem *Positionalia*, seu positiones ex libello post litem contestatam conformiter causæ propositæ, v. g. pono, quod calendis Junii pecuniam mutuam a me petiveris &c. *Articulus* est illa propositio, quæ post responsionem adversarii restat probanda a proponente. *Interrogatoria*, sunt illæ quæstiones, quæ a judice vel ex officio, vel ad instantiam partis proponuntur reo, & testibus.

16. Q. I. *Quid juris circa positiones?* ℞. 1. Has facere potest actor, & reus, si is in probando sustineat vices actoris, *c.* 2. *h. t. in* 6. & *c.* 2. *de testib. in* 6. uti & procurator speciali mandato instructus, *cap. fin. de jurejur. in* 6. non autem judex, cui sola interrogatoria permittuntur, non vero positiones, quæ vim probationum habent 1. Si reus a judice jussus sine rationabili causa recusat positionibus respondere, habetur pro confesso in eis; modo per sententiam interlocutoriam declaretur pro tali *c.* 2. *h. t. in* 6. Causæ autem non respondendi sunt, v. g. quia positio est superflua, impertinens, obscura, captiosa, multiplex, interrogatorie concepta &c. negativa autem, suadente æquitate admitti potest, *c.* 1. *h. t. in* 6. v. g. pono, quod tempore meridiano in civitate non fuerim &c. 3. Positiones, licet fieri nequeant ante litem contestatam, formari tamen possunt, non solum in termino probatorio, sed probabilius etiam post conclusionem in causa; quia hic non est periculum subornationis sicut in testibus, nisi quis renuntiasset omni generi probationum, cum & positio sit species probationis *c.* 2. *h. t. in* 6. Semel autem positiones in acta relatæ, in præjudicium alterius revocari, & mutari non possunt; bene vero

obscu-

obscuræ declarari, nisi mutationem suadeat error facti. 4. Spectato jure communi, copia positionum non est danda responsuro, nec terminus dilatorius ad respondendum; tum quia quilibet in suo facto censetur bene instructus; tum ne advocatorum suggestione finis positionum impediatur. Excipe, nisi contrarius sit stylus tribunalis, sicut in curia romana. Circa articulos residuos ad probandum nihil speciale examinandum venit: hoc solum notandum, quod articulans non fateatur esse articulos veros, sicut positiones, sed tantum eos probari posse.

17. Q. II. *Quid juris circa interrogatoria, quæ reo, aut testibus a judice proponuntur*? ℞. Judex inprimis proponere debet *interrogatoria generalia*, v. g. cujus nominis sit reus, aut testis? cujus ætatis, conditionis? an testis sit subornatus, inimicus parti? an circa dicenda non convenerit cum aliis testibus? tum descendit ad *interrogatoria specialia*, ex ipso facto controverso, ejusque circumstantiis desumpta per *c. 37. de testibus*, v. g. an audiverit factum fuisse homicidium? an viderit? quis percusserit? ubi? quando? &c. At *interrogatoria suggestiva*, quibus judex in speciali suggerit, quid testis respondere debeat, tanquam perniciosissima vitari debent a judice: alias si reus per suggestionem, vel testis fateatur crimen, confessio ista, & depositio non sufficit ad condemnandum, sed pro infecta haberi debet, cum ordo judiciarius non servetur.

TITULUS XIX.

De probationibus.

Agitur de his in *Clem. un. h. t.* in Decreto *Can. 5. d. 44.* & *6. q. ult.* In Pandectis *lib. 22. tit. 3.* In Codice *lib. 4. tit. 19.*

1. *Nota* 1. Quod probatio est rei controversæ per legitima argumenta ostensio. Ista autem in judicio potissimum desumuntur ex locis extrinsecis, ut testibus, instrumentis &c.

2. *Nota* 2. Probationem judicialem dividi in *plenam*, quæ tantam fidem facit judici, ut sufficiat ad decisionem causæ; & *semiplenam*, quæ facit judici aliquam fidem, sed non sufficientem ad causæ decisionem. Utraque suam habet latitudinem: nam *plena* vel est *evidentissima*, seu *plenissima* per argumenta indubitata, vel est *clara*, seu *plenior* per testes omni exceptione majores, vel *plena tantum*, seu *minus evidens*, quæ fit per præsumptiones. Sic etiam argumenta quandoque faciunt probationem *semiplenam*, ut depositio unius testis integri; quandoque *plusquam semiplenam*, ut depositio personæ valde excellentis, præsertim adjutæ per alia adminicula: & quandoque *minus quam semiplenam*, ut præsumptio levis, comparatio litterarum, si de scriptura controvertatur.

3. *Nota* 3. Species probationis plenæ esse quatuor: *testimonium duorum*, *instrumentum publicum*, vel *authenticum*, *præsumptionem* juris, & de jure, aut violentam hominis, & *jusjurandum* ad delationem partis præstitum. Quibus additur *confessio propria*, & *evidentia facti*: sed hæ licet maxime judici fidem faciant, tamen proprie non sunt probationes; siquidem confessio est relevatio probationis; & evidentia facti non tam est probatio, quam demonstratio, seu repræsentatio facti. Species autem probationis imperfectæ sunt multæ; ut depositio unius testis, juramentum suppletorium, scriptura privata non authentica, comparatio litterarum, præsumptio levis, fama &c.

4. *Nota* 4. *Notorium* esse, quod ita patet, ut nulla tergiversatione celari possit: & quidem si pateat in judicio, quia reus de causa convictus, vel confessus est, dicitur *notorium de jure*, seu *notorietate juris*: si vero actus factus est in præsentia multorum, ut decem in civitate, vel sex in communitate minori, dicitur *notorium de facto*, seu *notorietate facti*.

5. Q. I. *Quis obligetur ad probandum*? ℞. Asserentis est probare, seu ut ait Paulus *l. 2. ff. h. t. ei incumbit probatio, qui dicit, non qui negat*. Et quia actor plerumque affirmat, actoris est probare *l. 21. ff. eod.* Excipe. 1. Si reus excipiendo aliquid affirmet; tunc enim *in exceptione actor est l. 1. ff. de except.* 2. Si jus resistat reo, & assistat actori, fundando ejus intentionem; ut si Episcopus petat capellam suæ diœcesis, vel parochus decimas; tunc enim reus probare debet, quo jure capella, vel decimæ ad eum pervenerint. 3. Si minor agat contra venditionem rei immobilis celebratam cum majori; tunc enim major probare debet decretum Prætoris cum aliis solemnitatibus intervenisse, *l. 13. §. fin. ff. de publiciana.* 4. Si reus ultro in se suscipiat onus probandi; & quamvis non probet, non perinde causa cadit, *lib. 14. ff. hoc tit.* vel si judex onus probandi transferat in reum, deferendo ei juramentum *cap. fin. in fin. de jejun.* Vide Gloss. in *c. un. ut benefic. Eccles.*

6. Q. II. *An negans quandoque obligetur ad probandum; seu an propositio negativa probari possit*? ℞. Cum distinctione: 1. Propositio negativa juris in materia generaliter permissorum, probanda est; ut si quis neget validam esse emancipationem, electionem &c. *l. 5. ff. h. t.* nam de jure omnia censentur esse licita, & valida, nisi probentur prohibita, vel irrita. At negans id, quod est de genere prohibitorum, non tenetur probare, sed alter; ut si quis dicat: *nego quod Titium jure occideris*, vel *ejus bona abstuleris*. 2. Negans *qualitatem*, quæ a natura communiter inest, debet probare defectum; ut si quis dicat alterum non esse sanæ mentis, non esse potentem ad copulam &c. cum talis qualitas inesse præsumatur. At negans qualitatem accidentalem, quæ communiter non inest, ut non esse nobilem, doctorem &c. si neget ante promotionem, non tenetur probare, sed alter dicens sibi inesse hanc qualitatem; at si neget post promotionem ad effectum demotionis, probare debet defectum qualitatis, cum alter constitutus in possessione officii, etiam constituat se in possessione hujus qualitatis, *lib. 7. C. de profess. & med.* 3. *Negativa prægnans*, quæ in se virtualiter includit affirmativam facti, probanda est: ut si quis dicat, se sponte non contraxisse matrimonium, affirmat enim metum sibi illatum, & hunc probare debet. Similiter negativa facti determinata per circumstantias loci, temporis &c. probari potest indirecte, v. g. hoc tempore fui in alio loco, ergo illo tempore in isto loco non occidi, *cap. 35. de testib.* At si est *negativa facti* pura, simplex, indefinita, v. g. non occidi, non sum citatus, nullo modo probari potest, *c. 12. h. t.* ibi: *in probatione negativa neminem audiatis*: nam sicut non entis nulla sunt prædicata, ita nulla probatio.

7. Q. III. *Quodnam sit objectum probationis*? ℞. Factum controversum in judicium deductum: nam ea, quæ sunt juris communis, non probantur, sed allegantur, utpote nota judici; licet privilegia privata, & consuetudo, & statuta particularia, quæ æquiparantur quæstionibus facti, probanda sint. Nec obstat *cap. 11. de Simon.* ibi: *si vero id manifestum est*: nam hic manifestum non accipitur pro *notorio*, sed pro diffamato, seu divulgato, & hoc probari debet. Quomodo quælibet res in specie probanda sit, fuse per 4. libros docet Joseph Mascardus. Sic excommunicatio probatur ex litteris Ordinarii, *cap. 7. hoc tit.* ætas ex testimonio parentum, propinquorum, obstetricum, libris parochialibus, habitu corporis &c. filiatio ex parte patris, quia filius natus est ex uxore in domo mariti habitante, ut filius appellatus, & tractatus, & communiter in civitate pro tali habitus est &c.

8. Q. IV. *In quo consistat forma probationis judicialis*? ℞. In legitimis actibus, & solemnitatibus a jure ad probandum requisitis: & quidem 1. Probatio debet fieri judici, præsente adversario, & notario publico, seu duobus viris idoneis, qui probationes in scriptum redigant, *cap. 11. hoc tit.* 2. Debet probatio esse clara, & conformis libello, ordinata, ita ut actor prius probet suam intentionem, deinde reus in suis exceptionibus audiatur, *lib. 19. Cod. hoc tit.* 3. Debet fieri tempore legitimo, seu intra terminum probatorum a judice constitutum; regulariter a lite contestata, usque ad publicationem testimoniorum, & conclusionem in causa. 4. Probatio debet esse plena saltem ordinarie: in modicis, & factis antiquis nulli præjudiciosis sufficit semiplena. Jam si actor plene probavit suam intentionem, non tenetur eam juramento firmare, *cap. 2. hoc tit.* quia superfluis remediis non est utendum, maxime in præjudicium alterius.

9. Q. V. *An duæ probationes semiplenæ, in eumdem finem tendentes, faciant unam plenam?* v. g. si res probetur per unum testem de visu, & per juramentum suppletorium, vel per adminicula semiplenæ probationi æquivalentia? ℞. Affirmative in causis civilibus: ita Menoch. Mynsing. Zoes, & alii ex *c.* 13. *h. t. c.* 27. *de testib.* ubi ad plenam probationem recipiuntur testes, fama, libri antiqui, indicia, & alia adminicula: nam quæ non prosunt singula, multa juvant, ait Gloss. in *cit. c.* 13. *h. t. v. adminicula*, & ex duobus imperfectis, si ad idem tendant, effici potest unum perfectum, sicut in physicis corpus, & anima faciunt hominem, & in moralibus tres faciunt familiam, & collegium. *Excipiuntur* causæ criminales, matrimoniales, & gravissimæ causæ civiles, quæ criminalibus æquiparantur: in his enim duæ semiplenæ probationes non conjunguntur, sed ob gravissimum præjudicium tertii, aut periculum animæ requiritur una plena probatio. His non obstant *l. fin. C. de R. V. l.* 9. *C. de O. & A. l.* 9. *C. de except. l.* 9. §. 1. *C. de testib.* & similia jura: nam his rejicitur semiplena probatio ad effectum sententiæ, si per aliam semiplenam non compleatur; veluti per juramentum suppletorium, vel alia adminicula.

☞ *Huc revocandæ sunt additiones ad præcedentem titulum post n.* 10. *ex motu proprio Benedicti XIV. quoad duas semiplenas probationes.* ☜

10. Q. VI. *Quis sit effectus plenæ probationis?* ℞. 1. Plena probatio adstringit judicem, ut ferat sententiam, vel pro actore, si is plene probavit, vel pro reo, si actor nihil, vel reus plene probavit, *l.* 11. 12. *C. h. t.* 2. Plene probans liberatur a præstando juramento, & reo impedit admissionem ad purgationem canonicam, vel probationem propositionis negativæ, *c.* 2. & 12. *h. t.* 3. Si concurrant plures probationes sibi non contrariæ, una non elidit alteram, sed quælibet pro sua causa subsistit, *Clem.* 2. *de testib.* ut si unus plene probet datum mutuum, alter vero probet mutuum esse solutum. At si contrariæ sint, ut super legitimitate, & illegitimitate &c. illa prævalet, quæ est efficacior. Sic probationes per rei veritatem, per duos testes de visu, sunt efficaciores, quam probationes per præsumptiones, vel per unum testem, & famam viciniæ: & *c.* 4. *h. t.* probatio virginitatis per juramentum, & per inspectionem 7. matronarum prævalet probationi viri jurantis, se mulierem cognovisse &c. Si omnimoda sit paritas probationum, quod raro accidit, fertur sententia pro reo, vel possessore; vel tandem pronuntiatur, *uti possidetis, ita possideatis c.* 9. *h. t.* exceptis causis favorabilibus, libertatis, matrimonii, testamenti, dotis, donationis, pro quibus in æqualitate probationum pronuntiandum est *c. fin. de sent. & re jud. c.* 3. *hujus titul.*

11. Q. VII. *Qui sint effectus semiplenæ probationis?* ℞. 1. Dat locum juramento suppletorio, & cum aliis adminiculis facit plenam probationem, *cap.* 3. *hoc tit.* 2. In causis modicis, vel antiquis nulli præjudicantibus sufficit ad ferendam sententiam ex com. DD. 3. Regulariter sufficit ad torturam, & minus quam semiplena ad inquisitionem, & purgationem canonicam, *c.* 5. 8. *de purg. Can.* Denique si causa ad alium judicem devoluta est, acta prioris processus remittenda sunt ad judicem devolutionis, *c. fin. h. t. & c.* 11. *de testibus*, cum acta legitima unius judicii fidem faciant in altero.

§.

De evidentia facti, fama, & verbis narrativis principis.

Cum de his speciales tituli non habeantur, præsenti titulo eorum tractationem subjicimus.

12. Q. I. *Qualis sit probatio per facti evidentiam, seu inspectionem ocularem?* ℞. Est omnium validissima, ita ut nunquam censeatur exclusa, etsi sententia transeat in rem judicatam; cum veritas melius hauriri nequeat, quam per aspectum ocularem, *arg. l.* 8. *ff. fin. regund. l.* 32. §. 5. *ff. de auro, & arg.* Unde *c.* 9. *de accus.* dicitur: *evidentia patrati sceleris non indiget clamore accusatoris.* Inspectio ocularis locum habet in causa homicidii, vulnerationis, novi operis nuntiatione, in causa damni infecti, limitum parochiæ, vel alterius territorii, impotentiæ ad copulam &c. Instituitur autem, præmissa aliqua causæ cognitione, præsentibus partibus, testibus, notariis, & aliis personis necessariis; ut sunt medici, & chirurgi in casu vulneris, obstetrices in causa impotentiæ, fabri in novi oper. nunciat. aut damni infecti, agrimensores in dimetiendis agris &c.

13. Q. II. *Quid sit, & quid probet fama?* ℞. ad 1. Fama hominis est ipsius existimatio, seu *dignitatis illæsæ status, legibus, ac moribus comprobatus, qui ex delicto nostro auctoritate legum, aut minuitur, aut consumitur, l.* 5. §. 1. *ff. de extraord. cognit. Fama inter homines* est in aliquo loco commune populi constans, & publicum judicium. Et de hac *fama* hic loquimur, quæ differt a *rumore* per hoc, quod rumor sit sermo, seu opinio particularis inter paucos; fama vero sit sermo communis in populo. ℞. *ad* 2. Fama probata per instrumenta antiqua, vel saltem per duos testes deponentes, se ita audivisse a potioribus in communitate, regulariter non facit plenam fidem, nisi in rebus modici præjudicii, vel ad impediendum peccatum, ne v. g. matrimonium contrahatur cum impedimento: ita *com.* nam fama est valde fallax, & *dictum unius facile sequitur multitudo c.* 12. *de purg. Can.* An vero fama faciat semiplenam probationem, relinquitur arbitrio judicis, cujus erit considerare qualitatem famæ, negotii gravitatem, personæ honestatem, & alias circumstantias. Et quidem in civilibus valde arduis, & criminalibus fama nec semiplene probat, quia in his requiruntur probationes luce clariores *l. fin. C. de probat.* imo fama sine aliis adminiculis nec sufficit ad torturam; bene vero ad inquisitionem specialem diffamati, vel ad incarcerationem, si de fuga suspectus sit, uti & ad purgationem canonicam *cap.* 17. 19. *de accus. Can.* 5. *presbyter.* 2. *q.* 4. Plura de fama vide in Mascardo, Reiff. &c.

14. Q. III. *Quid probent verba narrativa principis in rescripto posita?* ℞. 1. Si princeps, ut Papa, Imperator, intentionem suam, vel gratiam fundet in verbis, hæc plene probant; modo princeps proprium factum enarret, *Clem. un. h. t.* quia princeps ob eminentiam dignitatis, de suo facto testificans, plene probat; ut in contrarium non admittatur probatio directa, sed quandoque indirecta; ut si Papa dicat, beneficium fuisse in manibus suis resignatum a Titio, & illud alteri conferat; tertius vero dicat beneficium non fuisse resignantis. 2. Si intentio Papæ fundetur super facto alieno a se narrato, narratio plene probat; nisi quis contrarium probet *c.* 7. *de sent. & re judic.* cum circa factum alienum facile error intervenire possit. 3. At si intentio principis nullo modo fundetur in narratione, hæc nihil probat, cum ex ignorantia, vel subreptione multa dici possint; ut si Papa excommunicato det litteras, eumque salutet, *c.* 41. *de sent. excom.* vel si in litteris Ecclesiam aliquam vocet exemptam, vel aliquem sub titulo certæ dignitatis compellet &c. nam hæc incidenter dicta non curantur, nisi specialiter edatur instrumentum exemptionis, dignitatis &c. Reiff. a *num.* 98.

TITULUS XX.

De Testibus, & Attestationibus.

Agitur de hac materia in Sexto, & Clementinis *h. t.* in Decreto 2. *q.* 4. & 4. *q.* 2. in Tridentino *sess.* 13. *c.* 7. *de refor.* in Pandectis *lib.* 22. *tit.* 5. in Codice *libr.* 4. *tit.* 20. *Nov.* 90.

1. *Nota* 1. Testes in genere esse personas idoneas, quæ ad fidem alicujus rei instruendam adhibentur *l.* 1. *pr. ff. h. t.* eorumque depositiones, seu assertiones super aliquo facto vocantur *attestationes*. Sunt autem testes alii *testamentarii*, qui in testamento, alii *instrumentarii*, qui in instrumento, alii *judiciales*, qui in judicio adhibentur. Et de his ultimis hic.

2. *Nota* 2. quod testis judicialis est persona idonea, & fide digna, quæ legitime vocata ad judicium, fert testimonium in causa controversa, *c.* 1. *h. t.* ubi tres conditiones requiruntur in testibus, scil. *ut sint idonei*, seu natura, vel jure non prohibiti; *fideles*, seu fide digni; & *jejuni*, saltem ex honestate, & ob reverentiam juramenti; licet hæc ultima conditio hodie neces-

necessario non exigatur. Ceterum Maschardus, & alii merito admittunt latitudinem inter testes idoneos, ut alii sint *simpliciter idonei*, qui nulla exceptione repelli possunt a testimonio, alii *omni exceptione majores*, qui majori honestate, fide, & existimatione præstant. Similiter testes alii sunt *simpliciter idonei*, qui nullo modo in aliqua causa testificari possunt; alii *inidonei secundum quid*, qui vel in certa causa, vel contra certas personas, vel pro certis personis testificari nequeunt.

3. *Nota* 3. Testes dividi in *testes contestes*, qui concorditer deponunt super eodem facto; & in *testes singulares*, qui in testimonio non concordant. Hæc autem singularitas est triplex, *obstativa*, seu *adversativa*, dum dictum unius contrariatur dicto alterius; ut si unus dicat, quod Titius occiderit Cajum in foro civitatis vesperi, & alter, quod occiderit illum in loco extra civitatem hora matutina. *Diversificativa*, si testes deponant de factis diversis, non tamen sibi contrariantibus; ut unus de occisione Caji, alter de occisione Titii, vel de futuro &c. *Adminiculativa*, seu *cumulativa*, dum dicta testium super diversis quidem actibus proferuntur, attamen mutuo se adjuvant ad probationem rei controversæ; ut si unus testificetur de visu, alter de auditu, tertius de actu, vel indicio præparatorio, v. g. ad homicidium. Rursum testis in deponendo vel est *vacillans*, qui titubando, & dubitando profert testimonium; vel *varius*, seu *varians*, qui in diversis judiciis, vel diversis instantiis ejusdem judicii varia, & diversa profert, non tamen directe sibi contraria; vel *contrarius sibi*, qui directe contraria, & inter se pugnantia profert. Agetur hic de testibus habilibus, & inhabilibus, de eorum productione, receptione, probatione, & impugnatione.

§. I.

De habilitate, & inhabilitate Testium.

4. Q. I. *Quis testis reputetur simpliciter habilis, seu idoneus*? ℞. Omnis regulariter, nisi probetur inhabilis: nam edictum de testibus *l.* 1. §. 1. *ff. h. tit.* est prohibitorium in materia generaliter permissa; ergo omnes admitti possunt, quibus *non interdicitur testimonium*.

5. Q. II. *Qui sint testes simpliciter inhabiles*? ℞. 1. De jure naturali sunt omnes illi, qui carent usu rationis; ut infantes, amentes, perfecte ebrii, furiosi, nisi habeant lucida intervalla *l.* 5. *ff. de R. J.* ℞. 2. De jure positivo ex defectu ætatis 1. *Impuberes. l.* 3. §. 5. *ff. h. t.* nisi in criminibus læsæ majestatis *lib.* 4. *C. ad L. Jul. Maj.* 2. Ex defectu status civilis *servi* legales *l.* 10. *ff. de V. S. l.* 7. *ff.* & *l.* 11. *C. hoc tit.* nisi alii testes deficiant; & tunc depositiones servorum non dicuntur *testimonia*, sed *responsa* in contemptum conditionis servilis *l.* 7. *cit.* 3. Ex vitio corporis, cæci, surdi, & muti *c.* 37. & *l.* 18. *C. h. t.* nisi in casu necessitatis scripto testimonium esset dandum de eo, quod cæcus ante cæcitatem, vel surdus, aut mutus vidit, *arg. l.* 65. §. 3. *ff. ad SC. Trebell.* 4. Ex defectu fidei, seu probæ vitæ, omnes vitio legali infecti; uti sunt *infames* infamia juris *c.* 47. *l.* 3. §. 5. *ff. hoc t.* & de jure Can. etiam infames infamia facti, *Can.* 17. *infames*, 6. *q.* 1. nisi in causa hæresis, læsæ majestatis, & si aliter veritas haberi nequit: *Pecunia corrupti cit. l.* 3. & *c.* 1. *h. t. perjuri c.* 54. *h. t.* etiam emendati, excepto crimine hæresis. *Excommunicati*, qui non tolerati repelli debent; tolerati vero ad instantiam partis repelli possunt; si autem non repellantur, probabilius valet eorum testimonium, *arg. c.* 13. *de hæret.* a sens. contr. cum ibi hæretici solum repellantur a testimonio valido. *Criminosi*, & quidem de jure Can. quicumque perseverantes in gravi crimine *Can.* 1. *neganda* 3. *q.* 11. *c.* 54. *h. t.* de jure autem civili criminosi, saltem in causis civilibus admittuntur, nisi ratione criminis contraxissent infamiam juris, *lib.* 3. §. 5. *ff. h. t. Accusati* de crimine infamiam irrogante *c.* 56. *h. t.* at de jure civili non repelluntur, nisi per sententiam condemnati sint, aut saltem incarcerati, *cit. l.* 3. §. 3. Denique *pauperes*, & *viles personæ* ob periculum corruptionis, *l.* 3. *pr. eod. c.* 7. *v. sed & 2. q.* 1. nisi pauperes essent honestæ, & bonæ famæ. Quæ autem sint personæ viles, locorum consuetudo attendi debet: sic alicubi lictores, & carnifices, alicubi macellarii inter infames habentur. Ceterum in criminibus gravissimis, & exceptis, & dum veritas aliter haberi nequit, admittuntur etiam testes inhabiles: quanta autem fides eis habenda sit, relinquitur arbitrio judicis.

6. Q. III. *Qui sint testes secundum quid inhabiles*? ℞. 1. Personæ, quæ in certis causis testificari nequeunt, sunt: 1. *Minor* 20. *annis* in causa criminali; & probabiliter etiam in causa civili valde ardua, quæ criminali æquiparatur *l.* 20. *ff. h. t.* 2. *Clerici*, & *Religiosi* in causa sanguinis contra reum, *Can.* 9. *testimonium*, 11. *q.* 1. *c.* 14. *h. t.* idque ob periculum irregularitatis. 3. *Femina* de jure Canon. in criminalibus, in foro Ecclesiastico, & ubi jus Papæ viget. *Canon.* 7. *mulierem* 33. *q.* 5. & *c.* 10. *de V. S.* idque ob mutabilitatem, & inconstantiam judicii feminei. At de jure civili femina honesta potest esse testis etiam in criminalibus, cum mulieris testimonium generaliter admittatur, excepto testamento *l.* 20. §. 6. *ff. qui test. fac.* & causa feudali *l.* 2. *F. t.* 32. nisi esset femina illustris, & feudum habens: item excepta femina, quæ suo corpore quæstum palam facit *l.* 3. §. 5. *ff. h. t.* & adultera in causa adulterii *l.* 18. *eod.* quam legem Gratianus retulit in Decretum *Can.* 2. *ex eo* 15. *q.* 3. sed ibi non habet plus auctoritatis, quam in jure civili. 4. In causa universitatis concernente utilitatem singulorum, ut de pascuis, lignis cædendis &c. cives, aut membra hujus communitatis nequeunt testificari, cum hoc testimonium esset in propria causa. At si causa est solius communitatis, v. g. Ecclesiæ, capituli, & non est nimis ardua, produci possunt testes ex ipsa communitate, v. g. Clerici, & Religiosi; imo & Prælatus, si non sit actor, maxime in defectu aliorum testium, etsi alias vivant ex proventibus Ecclesiæ, *c.* 6. & 12. *h. t. l.* 7. §. 1. *ff. quod cujusque univers.* In causa vero nimis ardua, vel criminali testes de communitate, pro illa testificantes, non sunt idonei idque propter suspicionem falsitatis. Vide Reiff. a *num.* 197. Denique 5. In causa propria nemo idoneus testis *l.* 10. *ff. h. t.* cum non careat suspicione falsitatis ob propensionem ad proprium commodum. Ex eodem fundamento non est testis idoneus, *qui consimili morbo laborat*, hoc est, qui similem causam habet, ut judex in causa, quam judicat, actor in causa, quam agit, fidejussor in causa fidejussionis, venditor pro emptore, donatarius pro donante; & generaliter omnes, qui commodum ex testificando, & damnum ex non testificando reportare possunt.

7. ℞. 2. Personæ, quæ pro certis personis testificari nequeunt, sunt: 1. Parentes pro liberis, & contra *c.* 22. *h. t.* quod extenditur ad ascendentes; vitricos, filios naturales, & spurios, ob causam affectionis, *l.* 9. *ff.* & *l.* 6. *C. h. t.* 2. *Fratres*, *consanguinei*, & *affines usque ad* tertium gradum inclusive; uti & magna familiaritate conjuncti pro se invicem *Can.* 1. & 12. *causa* 3. *q.* 5. *l.* 4. 5. *ff. h. t.* 3. *Conjuges*, imo & sponsi pro se invicem *Can.* 3. *si testes* 4. *q.* 1. *cit. l.* 4. nam inter has, & priores personas præsumitur magna affectio, & periculum falsitatis. 4. *Domestici* pro domino, aut patrefam. ob affectum, *c.* 1. *super* 14. *q.* 2. *l.* 24. *ff.* & *l.* 3. *C. h. t.* Nomine autem domesticorum veniunt, quibus ratione patriæ, dominicæ, aut gubernativæ potestatis imperari potest; ut servi, famuli mercenarii &c. non autem regulariter coloni, inquilini, vel emphyteutæ &c. 5. Vasalli, & subditi pro causa domini directi, ubi timetur injusta eorum vexatio, si contra dominum testificarentur. Secus hoc timore præciso, Vasallus in causa domini est testis idoneus, ut sæpe legitur in LL. Feudorum, cum Vasallus magnam notitiam habeat jurium domini sui. Hæ tamen personæ regulariter possunt esse testes in instrumentis; item in causis, ex quibus nullum commodum in eas redundat; ut parentes, & consanguinei circa ætatem liberorum, circa impedimenta cognationum &c.

8. ℞. 3. Personæ, quæ contra certas personas testificari nequeunt, sunt: 1. *Socius contra socium criminis*, *c.* 10. *h. t. l.* 11. *C. eod.* nam confessus, vel convictus de crimine, fit infamis. 2. *Inimicus contra inimicum*, modo sit inimicitia gravis, aut capitalis, *c.* 13. 19. *de accus. l.* 3. *ff. l.* 17. *C. h. t.* nam malevolentia subvertit veritatem, 3. *Infidelis*, ut Judæus *contra*

tra

tra fidelem c. 21. *h. t. l.* 21. *C. de Haeret.* nam tales suspecti sunt de falsitate, cum nec Deo fidem servent. At fidelis contra infidelem est testis idoneus. 4. *Laici contra Clericum* in causa criminali *c.* 14. *hoc tit.* nam laici plerumque erga Clericos alieno sunt animo; & aliunde reverentia, quam debent Clericis, prohibet illos a testificando, At si Clerici testes haberi nequeunt, admittuntur laici, maxime in delictis scandalosis, & notoriis; uti etiam si parochiani, vel patronus, quorum interest bonum pastorem habere, agant contra Clericum, *c.* 7. 14. 33. *h. t.* 5. Ob reverentiam naturalem specialiter conjuncti contra se invicem, ut liberi, fratres, liberti, maritus contra parentes, fratres, patronos, uxorem, & econtra, *Can.* 3. *si testes.* 4. *q.* 3. *l.* 3. §. 5. & *l.* 6. 12. *C. h. t.* nisi esset causa modica, consanguinitatis, vel aliter veritas haberi non posset. In his omnibus privilegiata sunt delicta excepta, praesertim perduellionis, haeresis, & alia gravissima, in quibus testes alias inhabiles admittuntur, sed quantum probent, pensatis circumstantiis, judex arbitrabitur.

§. II.

De productione, juramento, examine, & depositione testium.

9. Q. I. *An, & quando testes sint producendi?* ℞. *ad* 1. affirmative. Unde testis ultroneus, hoc est, non citatus, nec a parte productus, tanquam suspectus, repellendus est; nisi talis testis in praesentia adversarii, & judicis deponeret, nemine reclamante, cum hoc modo non censeatur se ingerere, sed potius a parte produci. ℞. 2. Testes regulariter producendi sunt post litem contestatam intra terminum a judice praefixum, *tit. ut lite non cont.* non ultra ter: quarta vero productio non admittitur, nisi ex justa causa, & cum solemnitate legali, scil. praestito juramento super tribus punctis, quod petens quartam productionem testium, testificata non suppresserit, vel occultaverit, quod ea non sit percontatus, seu quod priores depositiones non exploraverit, & quod malitiose quartam istam productionem non petat, sed quia testes istos antea producere non potuit: ita *nov.* 90. *cap.* 4. cujus dispositio recipitur a jure can. *cap.* 15. & 55. *hoc tit.* tum ut coerceatur effraenata testium multitudo; tum ut praecaveantur pericula subornandorum testium. Si tamen adversa pars non contradiceret quartae productioni sine solemnitate hac factae, valerent testimonia, cum non irritentur? ℞. 3. Testes iidem semel producti, possunt in eodem judicio super iisdem articulis reproduci, dummodo producens alteri productioni non renuntiaverit, vel priora testificata non didicerit, v. g. audiendo a judice lecta, vel accipiendo illa per communicationem notarii, *c.* 46. *h. t.* nam eo casu, quo reproducens testes non didicit priora testificata, non est suspectus de subornatione testium; ex altero autem capite facultas probationum non est indebite coangustanda *c.* 40. *h. t.*

10. Q. II. *Quae forma servetur in productione testium?* ℞. 1. Actor in Scriptura, continente articulos probandos, exprimit testes, quis super quo articulo examinandus sit. 2. Hanc Scripturam judex communicat reo, an excipere velit contra articulos, vel personas testium, vel formare interrogatoria. 3. Reus in scripto offert judici suas exceptiones, & interrogatoria; judex vero exceptiones communicat actori, sed non interrogatoria, ne testes subornentur, vel instruantur ad respondendum. 4. Tum judex exceptiones contra testes rejicit ad finem causae (nisi exceptio absolute excluderet personam a testificando) & mox citat testes ab actore nominatos; & si subditi sunt, cogit eos ad comparendum in judicio certa die praefixa. Si vero testes ob locorum distantiam, vel aliud justum impedimentum comparere non possunt, judex per *litteras remissoriales* requirit judicem alterius Provinciae, ut examen testium in se recipiat, eorumque depositiones in scriptis sub suo sigillo clausas remittat, *l.* 18. *Cod. de fid. instrum. Sed hoc in civilibus tantummodo causis: nam in criminalibus testes apud judices repraesentandi sunt, & cum res exegerit, tormentis subjiciendi, seq. auth. apud C. eod.* Depositiones testium, si aperte mittantur, per hoc non vitiantur; pars tamen aperiens absque auctoritate judicis, punitur poena falsi; neque opponere potest de habilitate, vel falsitate testium. 4. Ad receptionem testium regulariter citanda est pars adversa, ut in praesentia ejus testes recipiantur, puta ut eos videat, juramentum audiat, non tamen intersit secreto examini, & depositionibus: quo sensu procedit *c.* 2. *h. t.* ibi: *venire, & audire testes*, & *c.* 52. *lib.* 14. *C. eod.* In certis tamen casibus non requiritur, ista citatio partis adversae; ut si est periculum in mora, periculum fugae, in causa haeresis: item si necessario standum sit dicto jurato testis, v. g. ex voluntate testatoris ita mandantis &c. *c. fin. de haeret. in* 6. *lib.* 14. *ff. de dote praeleg.* Ceterum productio testium fieri debet sumptibus producentis *c.* 11. §. *penult. de rescr. in* 6. *l.* 11. & 16. *in fin. C. hoc tit.* cum is regulariter expensas faciat, in cujus gratiam actus celebratur.

11. Q. III. *An juramentum necessario praerequiratur ad depositionem testium?* ℞. Affirmative, sive testis sit laicus, sive Clericus, Religiosus, sive etiam Episcopus, aut Cardinalis: ita *l.* 9. & 18. *C. h. t. cap.* 17. 29. 39. 51. *eod.* quia nulli testi non jurato credendum est in alterius praejudicium, non obstante quacumque consuetudine, utpote irrationabili, & praejudiciosa sinceritati testimoniorum. Mysing. tamen, & alii non audent reprobare consuetudinem in certis provinciis, in quibus personae illustres, morum integritate conspicuae, non sub juramento corporali, sed sub fide sua testificantur, cum tale juramentum mutuo partium consensu, utpote in favorem earum principaliter introductum, regulariter remitti possit testibus, *c.* 39. *h. t.* exceptis causis beneficialibus, matrimonialibus, criminalibus, & civilibus valde arduis, quae non pendent a voluntate partium, Reiff. a *n.* 480. ℞. 2. Hoc juramentum praemittendum est depositionibus, ut communis docet ex *l.* 9. *C. h. t.* relata in *Can. si testes*, 4. *q.* 3. ibi: *jurisjurandi Religione testes, priusquam perhibeant testimonium, coarctentur:* nam ex postfacto timore verecundiae, & infamiae nullus facile fateretur, se falsum dixisse. Opposita sententia Laymanni, & Canisii forsan in hoc casu admitti posset, si testis praemoneretur, quod mox super facta depositione jurare debeat. ℞. 3. Testes jurant super tota veritate dicenda, super nulla falsitate intermiscenda, super omni veritate dicenda pro utraque parte, super veritate dicendâ, sive speciatim interrogentur, sive non; item super eo, quod non ex causa mercedis, vel passionis testimonium dicent; & juxta Abbatem, quod dicta sua secreto teneri velint usque ad publicationem, Gloss. in *c.* 17. *h. t.* Circa formam juramenti, an id fiat coram Crucifixo, tactis Evangeliis, vel erectis indice, & medio digito, servanda est consuetudo cujusque tribunalis.

12. Q. IV. *Quomodo instituatur examen, & depositio testium?* ℞. 1. Examen instituitur a judice, vel ejus delegato, in loco judicii; die juridico, seu non feriato, mane, dum testes adhuc jejuni, & sibi bene praesentes sunt, *l.* 3. *ff.* & *c.* 1. *h. t.* 2. Judex proponit testibus interrogatoria super articulis, primum generalia, deinde specialia; nunquam autem suggestiva, ut dict. *tit. de Conf. n. ult.* 3. Quilibet testis seorsim, & secreto examinatur, ne alter sequatur dictum alterius, & quilibet deponit, seu respondet clare, certe conformiter articulo, & interrogationi, & viva voce, quia per *l.* 3. §. 3. *ff. h. t. testibus credendum est, non testimoniis*, seu viva voce, & non scripto deponentibus. 4. Has omnes depositiones, servatis, quantum possibile est, ipsis verbis testium, notarius annotat, & ex protocollo testi praelegit, ut perpendat, an recte responderit, vel intellectus fuerit, quia tunc adhuc dicta corrigere potest. 5. Tandem imponitur testi silentium de sua depositione, etiam sub juramento, si ita consuetudo habet.

§. III.

De probatione testium, & publicatione attestationum.

13. Q. I. *Quot testes requirantur ad plenam probationem?* ℞. 1. Duo regulariter testes idonei *contestes*, qui sint *testes de scientia* deponentes, se scire rem gestam, & dantes causam suae scientiae, quod per sensum corporeum rem perceperint, puta per visum rem visi-

visibilem, & per auditum rem audibilem, v. g. vidi, quod Titius occiderit Cajum, vidi, & audivi Titium blasphemantem: ita *Deuter.* 17. *v.* 6. *in ore duorum, aut trium testium peribit, qui interficietur: Nemo occidatur, uno contra se dicente testimonium*, & *c.* 23. 37. *h. t.* nam in ore duorum legitime examinatorum non præsumitur periculum falsitatis. 2. Dantur aliqui casus, in quibus jura requirunt plures testes, ut septem in testamento. 7. In probanda impotentia pro solvendo matrimonio *c.* 7. *de frigid.* 4. In purgatione Can. *c.* 12. *de purg. Can.* & olim 72. contra Episcopum Card. 44. contra Presbyterum Card. 27. contra Diaconum Card. septem contra Subdiaconum, & inferiores Clericos, *Can.* 2. 3. *caus.* 2. *q.* 4. Hodie plerumque duo sufficiunt omni exceptione majores. Econtra dantur casus, in quibus unus testis sufficienter probat, ut in causis modicis, in causis nulli præjudiciosis, v. g. an Ecclesia sit consecrata? in denuntiatione impedimentorum matrimonii, in causa testamenti, si testator voluit stari unius declarationi *l.* 18. *ff. de dote præleg.* Item si Princeps testificetur, vel Notarius publicus dicat instrumentum a se confectum &c. Extra hos casus locus est brocardico: *unus testis, nullus testis, dictum unius, dictum nullius.*

14. Q. II. *Quid probent testes de credulitate, qui deponunt, quod credant rem ita esse?* ℟. Regulariter nihil probant; imo nec sunt proprie testes, cum rationem sui dicti reddere nequeant per sensum corporeum; sicut requiritur in testibus *cap.* 37. *&* *l.* 3. §. 1. *ff. h. t.* In casu tamen necessitatis admittuntur, v. g. ad probandam filiationem, inculpatam tutelam occidentis, in his, quæ pertinent ad peritiam artis, quia peritoin arte sua credendum est: item si credulitas est proxima sensui; ut siquis deponat adulterium commissum esse ex eo, quod nudum cum nuda deprehenderit &c.

15. Q. III. *Quid probant testes de auditu auditus, seu de auditu alieno deponentes, se ita audivisse a viris fide dignis?* ℟. Regulariter plene non probant, *Can. in primis* 2. *q.* 1. *c.* 47. *hoc tit.* nam non testantur ex propria scientia, sed ex dicto tertii, & famæ fallibilis, maxime in criminalibus. In certis tamen casibus admittuntur; ut in factis antiquis, in causis difficilis probationis &c. An vero testes de auditu alieno faciant semiplenam probationem, pensatis circumstantiis, relinquitur arbitrio judicis.

16. Q. IV. *Quantum probent testes singulares?* ℟. cum distinctione: 1. Testes singulares singularitate obstativa, prorsus nihil probant, cum dictum unius enervetur per dictum alterius; sicut accidit in illis senioribus *Daniel.* 13. unde in tali casu non est locus juramento suppletorio. 2. Testes singulares singularitate diversificativa deponentes de diversis, non tamen sibi contrariantibus, plene non probant, sed quisque in suo dicto semiplene *c.* 9. §. *quamquam de prob.* ibi: *in dicto sui testimonii sunt singulares*: quo valet illud Baldi: *testes singulares tantum probant mille, quantum unus.* 3. Testes singulares singularitate adminiculativa plene probant, si deponant super pluribus actibus tendentibus ad idem factum successivum, genericum, vel continuum: sic possessio probatur, si unus dicat, quod viderit Titium arantem, alter seminantem, tertius colligentem fructus &c. nam hic quoad substantiam testes sunt contestes. At si deponant super uno facto specifico, plene non probant, sed plusquam semiplene; ut si unus dicat, quod viderit Titium dedisse Cajo pecuniam mutuam, alter vero, quod id audiverit a Cajo, nisi valde multa, & gravia adminicula concurrerent ad complendam probationem in civilibus: in criminalibus vero numquam sufficiunt ad pœnam ordinariam, sed ad torturam, & quandoque pœnam extraordinariam *l. fin. C. de probat.*

17. Q. V. *Quid probet testis sibi contrarius, vel varians?* ℟. ad 1. nihil probat, *Can. nihilominus* 3. *q.* 6. *c.* 54. *in fin. de appell.* quia non est ratio, cur uni potius, quam alteri dicto credatur, nisi in continenti dictum erroneum revocaret, *c.* 7. *in fin. de test. cog.* imo testis sibi contrarius, tamquam perjurus, puniendus est pœna L. Corneliæ de falsis, *l.* 16. *ff. hoc tit. Can. si testes* 4. *q.* 3. quæ pœna olim de jure Canon. fuit pœnitentia 7. annorum, *c. quicumque* 6. *q.* 1. hodie est arbitraria. At si testes extra judicium dicat quid contrarium, statur potius dicto jurato judiciali, utpote magis deliberato, & qualificato, quam dicto contrario extrajudiciali, etsi quis expresse dicat se falsum dixisse in judicio, *c.* 9. *h. t.* quo tamen casu redditur suspectum testimonium judiciale. ℟. ad 2. si testis est varius, regulariter valet primum illius dictum juratum *l.* 13. *C. de non num. pec.* cujus textus finalis refertur in *c.* 10. *de probat.* ibi: *cum nimis indignum sit, ut quod sua quisque voce dilucide protestatus est, in eumdem casum proprio valeat testimonio infirmare*: nam primum dictum præsumitur verum; secundum vero præsumitur proficisci ex subornatione. Excipe, nisi testis probet errorem facti; vel pro secundo dicto stent plura adminicula; vel si primum sine, & alterum cum juramento fuit depositum. In causa hæresis auditur testis, etsi prius perjurus fuerit, *cap.* 8. §. *licet de hæret. in* 6.

18. Q. VI. *Quid juris, si concurrant testes discordantes?* ℟. 1. Testimonia, quantum possibile est, reducenda sunt ad concordiam, ut vitetur reatus perjurii, & testimonia potius valeant, quam pereant *c.* 16. *h. t.* Si vero ad concordiam reduci nequeant, regulariter prævalet major numerus concorditer affirmantium; ut si duo contestes affirment, & tertius dicat, se non recordari, non interfuisse actui &c. nam ex communi brocardico *magis credendum est duobus testibus affirmantibus, quam centum negantibus*, qui dicunt se nihil scire: judicis tamen partes erunt, attendere non tantum numerum, sed & qualitates testium, an sint graves, majori fide digni. 2. Si testes ex utraque parte actoris, & rei sint omnino pares numero, & fide, favendum est reo, *c.* 2. *de probat.* nisi actor habeat causam favorabilem testamenti, libertatis, matrimonii, dotis; si pares fide, & non numero, præferuntur plures numero; si denique impares fide, præferuntur pauciores pluribus minore fide dignis, *c.* 32. *h. t.* Post excepta, & perpensa testimonia deveniendum est ad eorum publicationem; quæ est publica prælectio depositionum, quas singuli testes juridice, & secreto examinati fecerunt.

19. Q. VII. *An publicatio attestationum sit necessaria, & qua forma fiat?* ℟. ad 1. Est quidem necessaria ad justitiam judicii, ne altera partium exinde gravetur; & ideo locus est appellationi a sententia lata, non publicatis depositionibus; at non est necessaria ad substantiam processus judiciarii, *c.* 22. *de sent. & re judic.* ubi jubetur confirmari sententia lata, *depositionibus coram partibus minime publicatis, nec ostensis eidem*: tum quia judici semper publicatæ sunt attestationes, seu nota acta judicialia, & jura partium; tum quia sententia secus lata nullibi a jure invalidatur. ℟. ad 2. Forma publicationis consistit in seqq. actibus: 1. Utraque pars necessario citatur ad interessendum publicationi, *c.* 2. *h. t. in* 6. Judex partes præsentes (contumaciter absens habetur pro præsente) interrogat, an consentire velint in publicationem, an vero justas causas habeant eam differendi? 3. Consentientibus partibus, publicatur rotulus examinis, seu attestationes præleguntur publice cum nominibus testium; excepto judicio hæresis, ubi nomina accusantium, denuntiantium, & testificantium non publicantur ex Constit. Pii IV. incip. *Cum sicut.* 4. Facta publicatione, datur partibus copia attestationum, ut, si quid habeant, intra præfixum terminum, contraponant.

20. Q. VIII. *An post attestationes publicatas testes produci possint?* ℟. cum distinctione: 1. Super articulis omnino novis non sunt producendi, cum articuli isti ad causam non pertineant. 2. Super articulis emergentibus ex causa produci possunt testes, uti etiam super articulis antiquis in directe contrariis, *c.* 35. *h. t.* ut si actor prius produxit testes super mutuo dato, absque expressione loci, & temporis, deinde producere poterit testes testificantes de certo loco, & tempore: nam hic nulla est subornationis suspicio. 3. At super articulis antiquis, vel directe contrariis, regulariter nec iidem, nec alii testes admittendi sunt post publicatas depositiones, v. g. si actor per testes probavit, se mutuum dedisse certo loco, & tempore, reo non admittitur productio testium probantium contrarium, quod eo tempore non fuerit in illo loco, sive in prima, sive in secunda instantia: ita *Nov.* 90. *c.* 4. & *auth. at qui semel C. de prob.* quæ dispositio recipitur a jure Canon. *c.* 17. 18. 36. *h. t. Clem.* 2. *eod.* ratio uni-

universalis additur, scil. periculum subornationis testium; tum etiam, quia partes consentientes in publicationem attestationum, saltem tacite renuntiarunt ulteriori probationi per testes. Nec obstat, quod tunc instrumenta produci possint *c. 9. de fide instrum.* nam in his cessat periculum subornationis. Excipe varios casus, in quibus specialis ratio aliud suadet propter periculum animæ, vel corporis, aut gravis injustitiæ; uti in criminalibus, matrimonialibus, beneficialibus; item si altera pars non consentit in publicationem attestationum, vel si testes de perjurio erant convicti, vel si ex malitia, aut negligentia judicis non erant plene examinati, vel obscure deposuerunt. Vide Farin. Reiff. Speculat. &c.

21. Q. IX. *An attestationes in uno judicio receptæ fidem faciant in alio judicio inter easdem personas, eisque succedentes, & in eadem causa?* R. cum distinctione: 1. Si publicatæ non sunt, regulariter non faciunt fidem, *c. 37. §. fin. hoc tit.* quia ante publicationem judex alterius judicii non informatur notitia publica talium testimoniorum. Si tamen partes consentiant, vel testes sint mortui, valetudinarii, aut nimis distantes, attestationes etiam post publicatæ fidem faciunt in alio judicio. 2. Attestationes a judice publicatæ, faciunt publicam fidem in alio judicio, *cap. fin. de probat. l. fin. C. de re jud.* ubi ratio additur: *neque enim morte cognitoris perire debet publica fides*, seu veritas, quæ semper, & ubique est eadem. At si attestationes publicatæ sunt ab arbitro compromissario, vel in judicio summario, non probant in plenario, nisi adversarius consentiat, vel testes mortui sint; neque probant inter alias personas, vel in causa diversa, ut receptæ in civili, non probant in criminali. Ex his solvitur *l. fin. C. h. t. c. 50. eod. c. 6. v. nec attestationes, de fid. instrum. c. 4. de jud. arg. a l. 9. §. fin. ff. de jurej.*

22. Ex dictis constat duplicem esse effectum publicationis, quod scil. testes recipi non possint super iisdem articulis, vel directe contrariis, & quod attestationes publicatæ fidem faciant in alio judicio; quibus tertius additur ex dicendis, quod facta publicatione, non admittantur exceptiones contra personas testium.

§. IV.

De exceptionibus contra personas, examen, & dicta testium, eorumque reprobatione.

23. Q. I. *Quando proponendæ sunt exceptiones contra personas testium?* R. Regulariter ante publicationem testium, non vero post illam, ut deciditur *c. 31. h. t.* ubi tres casus excipiuntur: si quis juramento affirmet, quod malitiose non excipiat, si sibi reservavit jus excipiendi, si causa excipiendi primo post publicationem innotuit. Ratio resolutionis est, quia litigantes consentientes in publicationem testium, censentur eorum personas approbasse. Porro exceptio contra personas testium non est *dilatoria per se*, quia non differt processum, nec *peremptoria*, quia non excludit actionem, sed vocari solet *quasi peremptoria*, quia sublata probatione per testes quasi indirecte tollitur actio.

24. Q. II. *Quando discutiendæ sunt exceptiones contra personas, examen, & dicta testium?* R. ad 1. Rejiciendæ sunt ad finem litis, *auth. si testis C. h. tit.* nam alias inutiliter protraherentur judicia, cum fieri possit, ut judex sententiam ferat, non attento testimonio eorum, contra quos excipitur, eo quod aliorum depositiones sufficiant. Excipe, nisi talis exceptio objiciatur, quæ jure, aut speciali ratione impedit receptionem testis; tunc enim statim cognoscenda est, ut exceptio excommunicati, *c. 2. de except. in 6.* criminis, vel defectus notorii in continenti probabilis, *cap. 7. h. t.* servitutis, inimicitiæ capitalis; & si testes in fine litis non possent reperiri, ut quia sunt valetudinarii, procul abituri &c. R. ad 2. Exceptiones contra examen testium, quod legitimo modo peractum non fuerit, & contra dicta, quod dubia, obscura, & incerta, vel sibi contraria sint, proponuntur post publicationem attestationum, cum citius non innotescant.

25. Q. III. *An, & quomodo testes reprobari possint?* R. 1. Nemo personam testis a se producti reprobare potest, nisi ex nova causa, v. g. inimicitiæ, affinitatis cum altera parte &c. *l. 17. C. h. t.* nam producens testem censetur habilitatem ejus approbare. Hoc non obstante, dicta testis, si falsa, vel contraria sibi sint, reprobari possunt, quia prævideri non poterant, sicut habilitas testis. Sic etiam potest quis appellare a sententia judicis, quem sibi impetravit, *c. 14. de sent. & re jud.* 2. Testes *probatorii*, qui inducuntur ad probandum negotium principale, reprobari possunt per testes *reprobatorios*, & reprobatorii per alios *reprobatoriorum reprobatorios cap. 49. hoc titul.* cum reprobationes istæ vim habeant justæ defensionis. Ulteriores vero reprobationes, ne erescant in infinitum, non conceduntur, sed sistendum est in reprobatoriis reprobatoriorum. 3. Forma reprobationum traditur in *c. 2. §. testes etiam h. t. in 6.* & potissimum in duobus consistit: *primo* volens reprobare testes, debet specifice exprimere crimina, aut defectus inhabilitatis, & simul testes in specie, v. g. volo probare Titium testem furem esse, quia Cajo furatus est hoc vas aureum, & pro hac probatione inducam testem A. B. C. secundo volens reprobare testes reprobatorios reprobatoriorum debet præmittere juramentum malitiæ, quod reprobationem istam malitiose non petat, quia maior in hac, quam illa reprobatione præsumitur malitia, licet judex, si ita judicaverit, indicere possit juramentum etiam illi, qui vult reprobare testes probatorios.

TITULUS XXI.

De Testibus cogendis, vel non.

Agitur de hac materia sparsim in juribus titulo præcedenti allegatis, cum specialis rubrica de hoc jure civili non extet.

1. Q. I. *An quis regulariter a suo judice cogi possit ad testificandum?* R. Affirmative, laicus quidem a laico, & Clericus ab Ecclesiastico, *c. 2. & 4. h. t. c. 18. 45. de testib.* nam hoc exigit bonum reipubl. ne veritas occultetur; & lex charitatis, ac justitiæ, ne defectu probationum jus suum parti pereat. Coactio autem ista de jure civ. fit, indicta mulcta pecuniaria, vel captis, pignoribus &c. de jure Can. autem prius per admonitionem; deinde per censuras; & si Clerici sunt, prius ab officio, & beneficio suspenduntur, deinde interdicuntur, tum excommunicantur, & tandem deponuntur *c. 1. 2. 5. h. t.* in casu necessitatis, si Clericorum testimonium requiritur in judicio sæculari, Episcopus rogatus a judice laico testimonium excipiet a Clericis, vel illos mittet ad judicem laicum, ut ibi more Clericorum juramentum, & attestationes deponant. 2. Testes non tantum in causa civili, sed etiam criminali cogi possunt ad testificandum: ita de jure civ. *l. 16. C. de testib.* ne crimina maneant impunita. At de jure Can. regulariter non sunt cogendi in causa criminali *c. 7. & 10. h. t.* nisi in criminibus exceptis, vel si judex ex officio procedat, vel pro innocentia rei, & quoties veritas sine gravi peccato celari nequit.

2. Q. II. *Quæ sint personæ privilegiatæ, quæ cogi nequeunt ad testificandum?* R. Parentes contra contra liberos, & e contra, etsi vellent, cognati, & affines usque ad tertium gradum inclusive, nisi forsan in causa civili vellent. Uxor contra maritum, libertus contra patronum, Clericus in causa sanguinis, de quibus *tit. præced.* dictum. Excipe crimina gravissima, maxime in futurum pendentia, & si aliter veritas obtineri non potest; quo casu judicis est ostendere necessitatem ferendi testimonii *c. 2. quanquam 14. quæst. 2.* Secus est de non privilegiatis, qui etiam extra casum necessitatis, & dum veritas per alios haberi potest, cogi possunt per citt. jura.

3. Q. III. *An omnes testes, qui cogi possunt ad dicendum testimonium, etiam cogi valeant ad illud deponendum in loco judicii?* R. Negative: nam multi ex privilegio juris excipiuntur: 1. Majores 70. annis, infirmi, vel aliter impediti *c. 8. & l. 8. ff. h. tit.* 2. *Paupertate depressi*, qui ob verecundiam exire prohibentur, uti & mulieres, *cit. c. 8. & Can. 2. de jud. in 6.* 3. Longe distantes, *nov. 90. c. 5. & cap. 3. de fidej.* 4. Milites, & personæ egregiæ, uti Episcopi, Abbates, Electores, duces, barones &c. qui depositiones suas scriptis consignare, & clausas ad locum judicii

cii mittere solent, *l. 15. ff.* & *l. 16. C. de testib. 5.* Doctores *l. 6. C. de professor.* quod in hac materia favorabili aliqui extendunt ad licentiatos: sed probabilius est *cit. l. 6.* loqui tantum de doctoribus actu scientias profitentibus, & medicis suam artem practicantibus, ne a munere docendi, & medendi avocentur. Ceterum hæ personæ privilegiatæ, si velint, possunt testificari in judicio: secus judex per se, vel per commissarium juratum testimonium ab eis domi suæ morantibus excipiet.

4. Q. IV. *Quæ sit pœna testem subtrahentis suo adversario?* ℟. Potest excommunicari *c. 45. de testib.* vel pœnæ extraordinariæ subjici *c. 4. h. t.* non tamen pœnæ falsi *arg. l. 14. C. ad L. Cornel. de fals.* nam in hac materia odiosa nomine instrumentorum subtractorum, non veniunt testes subtracti: neque talis cadit causa, licet præsumptio injustitiæ oriatur *c. 1. h. t.* & in dubio judicatur contra illum, nisi clare probet jus suum, aut innocentiam. Host. Farin. &c.

5. Q. V. *An laicus coactus testimonium dicere in causa sanguinis fiat irregularis?* ℟. Probabilius negative cum Gonz. *c. fin. h. t. n. 10.* & prob. ex *c. 19. §. ad ultimum, de homicid.* ubi ab irregularitate excusatur scholaris, qui imperanti judici ostendit signa comprobantia delictum latronis, postea mutilati; nam hic non est defectus christianæ lenitatis, sicut in judice, & ministris justitiæ, qui sponte hoc officium suscipiunt, cum talis non sponte, sed necessitate coactus testimonium perhibeat. Secus est in Clerico, cui simpliciter prohibetur testificatio in causa sanguinis *Can. 30. his a quibus 23. q. 8.*

TITULUS XXII.

De Fide Instrumentorum.

Agitur de hac materia in Pandectis *lib. 22. tit. 4.* in Codice *lib. 4. tit. 21.* & *22. nov. 44.* & *73.*

1. *Nota 1.* Instrumenta dici ab instruendo, & late accipi pro omni eo quod causam instruit; at stricte, & proprie *Instrumentum est scriptura ad probationem alicujus rei confecta:* & dividitur in *publicum*, quod manu publica, seu per notarium publicum cum legitimis solemnitatibus confectum est, *c. 2. h. t.* & *privatum*; quod manu privata, seu absque notario publico confectum est, sive deinde sit authenticum, sive non. Et quamvis instrumentum *publicum*, & *authenticum* sæpe confundantur, imo in effectu non differant, cum per utrumque plena fiat probatio; in se tamen differunt, sicut genus, & species; quia omne instrumentum publicum est authenticum, sed non e contra, cum instrumentum authenticum possit esse privatum, seu privata manu confectum. Rursus instrumentum publicum est duplex: *protocollum*, & *transumptum*, quod communiter nomine instrumenti venit. *Protocollum* est scriptura prima, & brevis summatim continens capita substantialia rei gestæ. Nomen hoc tractum est a protocollo olim usitato, quod significabat quandam in chartæ capite notam, seu signum, quo videlicet artificio, quove tempore ea confecta fuerit, cum comitis sacrarum largitionum nomine, Lexic. Kahl. hodie etiam libri, in quibus gesta summarie notantur, dicuntur *protocolla*, & ab his protocollistæ notarii. Solet etiam protocollum dici *imbreviatura*, *abbreviatura*, *originale primum*. *Transumptum* est Scriptura plena, & fusa super re tota gesta confecta, ita dicta, quod transumatur ex protocollo. Ex transumpto originali transcribi solent *exempla*, *copia vidimata*, a verbo *vidimus* dicta, seu *collationata*, quatenus notarius testatur, se vidisse originale, & cum eo exemplar transcriptum contulisse.

2. *Nota 2.* requisita ex parte notarii esse, ut sit laicus, liber, legitime natus, jurisperitus, & a supremo Principe creatus, vel ab alio privilegiato; uti sunt Principes Imperii, Comites palatini, & Episcopi in suis territoriis. Clericis autem saltem in sacris constitutis prohibetur officium notarii, seu tabellionis, *cap. 8. ne Cler. vel Monach.* His qualitatibus instructus notarius publicus, rogatus a partibus, super quocumque negotio honesto conficere potest instrumentum, per se (sufficit etiam per amanuensem, dummodo ille subscribat *c. 6. h. t.*) scribendo ea, quæ præsens vidit, vel audivit; nihil tamen in suum commodum, sed hoc per alium scribendum erit, v. g. legatum in testamento, alioquin incidit in pœnam falsi *l. 15. ff. ad L. Corn. de fals. & tit. C. de his, qui sibi adscrib. in testam.* Tum in ipso instrumento observat consuetas solemnitates, v. g. ad initium ponendo: *In nomine Domini Amen* &c. ipsum totum negotium scribendo sine terminis ambiguis, sine abbreviationibus, sine cyphris ob periculum additionis, detractionis, vel erasionis. Ad finem, vel in loco convenienti, non quidem necessario, sed de congruo inseruntur nomina testium: tandem annus incarnationis dominicæ, mensis, dies, indictio Romana, nomen, & annus supremi Principis, nomen suum, & Principis, cujus auctoritate creatus est notarius; addit sigillum proprium, & alterum sigillum notariatus; puta per certam figuram sculptam, vel calamo depictam, ut facilius manus notarii dignoscatur. Quæ ex his sint substantialia, loci consuetudo docebit.

3. *Nota 3.* Officium notarii esse constrictum territorio constituentis, cum extra illud sit persona privata, *arg. l. 3. ff. de off. præsid.* unde alibi existens de jure non potest conficere instrumentum, ut hoc valeat in alieno territorio. At contra, quia confectio instrumenti non est actus jurisdictionis, etiam voluntariæ, sed muneris, notarius in territorio constituentis existens potest extraneis, & peregrinis conficere instrumenta, ut valeant in eorum territorio; imo alibi existens valide conficit instrumentum, ut hoc valeat in territorio constituentis, pro quo est persona publica. Insuper de consuetudine notarii Pontificii possunt conficere instrumenta in terris Imperii, & notarii Cæsarei in terris Ecclesiæ Romanæ. Vide VVesenb. Hiltrop. Reiff. &c.

§. I.

De fide instrumentorum publicorum.

4. Q. I. *An instrumentum publicum in forma plena confectum, se solo faciat plenam fidem?* ℟. Affirmative circa id, quod dispositive continet, *c. 1. 2. & l. 15. C. h. t. l. 18. C. de probat.* nam pro veritate instrumenti militat duplex magna præsumptio, puta ex officio publico notarii, & ex solemnitatibus legitimis, quæ omnem falsi suspicionem tollunt; & ideo instrumentum publicum dicitur *probatio probata*. Excipe, nisi per testes juratos probetur error, vel fraus, quod aliter res scripta, quam gesta fuerit, *Nov. 73. cap. 3.* ibi: *nos existimavimus* &c. nam etiam in ministros publicos fraus, & falsitas, vel error cadere potest.

5. Q. II. *An protocollum habeat vim plene probandi?* ℟. Affirmative ex *l. 10. ff. de edendo*, & *c. 11. de probat.* ubi notarii jubentur apud se servare originalia, ut orta quæstione, *per hoc veritas possit declarari:* nam protocollum est quasi fons, ex quo hauritur veritas transumpti; imo in dubio potius est credendum protocollo, utpote priori, & simplicius continenti rei gestæ seriem, quam transumpto. *Excipe*, nisi partes contrahendo non aliter se vellent obligare, nisi confecto pleno instrumento; quo casu scriptura plena ex lege contrahentium est de substantia contractus, & partibus prælegenda, *l. 17. C. h. t.* Sic etiam gratiæ, & privilegia Apostolica non prius suum robur obtinent, quam cum debitis solemnitatibus in scriptutam plenam rediguntur ex *Constit. 141.* Urb. VIII. *Alias*

6. Q. III. *An copia publici instrumenti plene probet?* ℟. cum distinctione: 1. Si idem notarius publicus, qui confecit instrumentum, transcribat solemniter ejus copiam, hæc plene probat, cum notarius utrobique sit ejusdem auctoritatis, & fidei. 2. Copia a privato transumpta, non probat plene, sed ad summum præsumptive *c. 1. h. t. si scripturam authenticam non videmus, ad exemplaria nihil possumus facere.* 3. Copia transcripta ab alio notario publico, si id fiat cum auctoritate judicis ordinarii, vel delegati, ex justa causa, & partibus citatis, actuique præsentibus, plene probat *c. fin. h. t.* secus non, sine his solemnitatibus, quia per *Nov. 44. h. t.* non creditur notario publico, nisi interfit actui, videndo, & audiendo ea, quæ gesta sunt. Similiter, si alter notarius complere vult instrumenta, quæ prior morte naturali, aut civili præventus perficere non potuit, necessaria est ad hoc auctori-

ctoritas judicis, & partium petitio, *c. penult. hoc tit.* In certis tamen casibus exemplar fideliter transumptum probat, ut si Papa addat hanc clausulam: *quodque præsentium transumpti etiam impressi* &c. vel si de consuetudine fides habeatur copiis a notario vidimatis *c. 9. h. t.* vel si copia ab antiquo sit exemplata; tunc enim omnia necessaria adfuisse præsumuntur &c.

§. II.

De Fide instrumentorum privatorum.

7. Instrumenta privata sunt duplicia, *authentica*, quæ sunt munita subscriptione testium, sigillo, vel alio modo legitimo, ad fidem faciendam sufficiente; uti sunt acta judicialia, & non judicialia legitimo modo in scripturam redacta. *Non authentica*, quæ legitimo, & solemni modo non sunt confecta, neque vim authenticam ex jure, aut consuetudine acceperunt; cujusmodi sunt, *epistola*, quam absens absenti mittit: *libri rationum*, quos quisque privatus facit de dato, & accepto, debito, & soluto, uti facere solent tutores, curatores &c. quo etiam spectant *inventaria privata*, in quibus bona omnia adnotantur: *cautiones*, quæ dantur a parte una alteri, ut *apocha* vulgo *quietantia*, seu *securitas*, quæ a creditore confitente sibi debitum persolutum fuisse datur debitori: *antapocha*, seu *litteræ reversales*, quas creditori dat debitor confitens se tantum, vel tantum pro annuo censu solvisse: & hæ litteræ sæpe utiles sunt creditori ad probandum jus suum, quod tantum exigere possit: *syngrapha*, quæ mutuo a contrahentibus propria manu subscribitur in fidem rei gestæ.

8. Q. I. *Quantum probent instrumenta privata authentica?* ℞. Plene probant *c. 1. 2. h. t. nov. 49. c. 2, §. 2.* ideo enim dicuntur authentica, quia de jure, aut consuetudine tantam vim, & auctoritatem habent, ut eis plene credatur. Hujusmodi instrumenta, quæ pro authenticis habentur, sunt. 1. *Acta publica judicialia protocollata, l. fin. C. de re jud.* 2. Acta publica extrajudicialia, seu monumenta coram judice exercente jurisdictionem voluntariam gesta; ut emancipationes, minorum alienationes cum decreto, donationum insinuationes, testamenta apud acta condita &c. *cit. l. fin.* & *l. 2. C. de testam.* 3. Scripturæ productæ ex archivio publico, seu grammatophylacio auctoritate Principis summi erecto, *Auth. ad hæc C. h. t. nov. 49. c. 2.* Jus erigendi archivia competit etiam ex privilegio Episcopis, & statibus Imperii jus regalium exercentibus in suis territoriis. At Scripturæ productæ ex archiviis privatis Religiosorum, nobilium, & minorum communitatum, accensendæ sunt instrumentis privatis, cum ejusmodi chartophylacia non erigantur pro Scripturis asservandis ad probationem, sed ad posterorum instructionem. Plerumque tamen probant, si a subdito contra subditum, vel dominum, non vero, si a domino archivi contra subditum producuntur. 4. Scripturæ etiam a privatis confectæ, munitæ sint sigillo authentico Principis, Episcopi, civitatis, vel alterius communitatis, *cap. 23. hoc tit.* non tamen probant pro sigillante, nisi esset summus Princeps, cujus dignitas omnem fraudis suspicionem purgat. 5. Libri parochiales, in quibus notantur baptismata, matrimonia, & funera parochianorum plenam fidem faciunt, nisi evidenter probetur contrarium: nam Parochus est ad hoc specialiter electus a Trid. *sess. 24. c. 1. de refor. matr.* & sustinet vicem notarii publici. Ceteri autem libri de juribus Ecclesiæ habentur pro privatis, ut probent contra Ecclesiam, sed non pro illa. 6. Libri publicorum officialium, v. g. ad gabellas, & alias exactiones deputatorum plene probant in his, quæ ad eorum officium spectant, non tantum pro aliis, sed & pro officialibus scribentibus *l. 10. ff. de edendo:* nam talis officialis constitutus est non tantum ad aliena negotia conscribenda, sicut notarius, sed etiam ad officium suum concernentia. 7. Denique libri censuales, in quibus descripta est bonorum taxatio, tributa, & exactiones, uti & libri collegiorum opificum ex longo usu vim authenticam obtinuerunt.

9. Q. II. *Quid probent instrumenta privata non authentica?* ℞. 1. Regulariter nihil probant in favorem scribentis, vel ejus hæredum, pro, vel contra tertium, *l. 5. 6. 7. C. de prob.* nam nemo testis idoneus in propria causa, & aliunde talis Scriptura est testimonium extrajudiciale non juratum, cui non creditur, nisi aliter conveniat inter partes, vel juramentum, & alia adminicula accedant. 2. Scriptura privata authenticatur, & plene probat, si saltem duo testes sint subscripti, & recognoscant suam subscriptionem, & sigilla: si vero mortui sint, mors eorum perimit vigorem instrumenti, *c. 2. h. t.* & in hoc instrumentum privatum differt a publico, quod morte notarii non expirat. 3. Scriptura privata continens expressam causam debiti, si confessata sit, & recognita a scribente, plene contra illum probat; si autem negetur, non probat, donec probetur per testes, vel alio modo ejus esse scripturam, vel ita negotium gestum esse, *c. 14. h. t. l. 25. §. fin. ff. de probat. l. 13. C. de non num. pec.* nam ista propria, & deliberata confessio scribentis, quæ prævalet confessioni extrajudiciali, sufficienter scripturam istam authentizat. Excipe causam *mutui*, & *dotis*, si opponatur debito tempore exceptio *non numeratæ pecuniæ, non numeratæ dotis, tit. C. de non num. pec. & tit. C. de dote caut. non num.* vel si creditor contra apocham confessatam intra 30. dies opponat exceptionem pecuniæ non numeratæ, *l. 14. pr.* & *§. 2. C. de non num. pec.* 4. At scriptura privata confessata non exprimens causam debiti, v. g. an ex mutuo, vel empto &c. debeatur, regulariter non probat contra scribentem, nisi aliunde ostendatur causa debiti *l. 25. §. fin. ff. de probat.* relata in *c. 14. h. t. si cautio, quam a te indebite proponis expositam, indeterminate loquatur, adversarius tuus tenetur ostendere debitum, quod continetur in ea:* nam debitum non nascitur, nisi ex causa, & titulo debendi *§. fin. in. de oblig.* Excipe, nisi quid vicem causæ suppleat, ut favor Religionis, *c. fin. de success. ab intestato,* misericordiæ, ut si quid pauperi promittatur, conditio sub qua promittitur, juramentum, sub quo quis obligat se daturum &c. *Dices:* Scriptura creditoris liberantis debitorem a debito probat; etsi causa liberationis non exprimatur *arg. l. 40. pr. ff. de pactis:* ergo a pari. ℞. omisso anteced. quod negat Gonzal. neg. conseq. quia jura proniora sunt ad liberandum, quam obligandum *lib. 47. ff. de O. & A.*

10. Q. III. *Quid probent libri mercatorum recte, & judicialiter instructi?* ℞. De jure contra scribentem, sed non pro scribente probant, *l. 6. 7. Cod. de probat.* At de consuetudine, & æquitate saltem semiplene probant in his, quæ ad eorum merces pertinent, *arg. l. 9. ff. de edend.* nam mercatores sine chirographo emptoribus suis credunt; ergo æquum est, ut illorum libris fides habeatur. At libri rationum a sociis, vel uno eorum deputato conscripti, regulariter plene probant inter illos etiam pro scribente, uti & libri tutorum, aut curatorum, modo verisimilia scribant, v. gr. pro victu, & amictu pupilli &c. nam contractus isti ex natura sua talem fidem requirunt, alias dura esset societas, & durum officium tutoris &c.

11. Q. IV. *Quid probent litteræ missivæ, & sculpturæ marmoribus incisæ?* ad 1. Probant contra scribentem, si recognitæ sint, non vero pro scribente, nisi acceptatæ sint ab eo, cui scriptæ sunt, & non remissæ; ut si Cajus non remittat Titio litteras, quibus eum monet de solvendo debito. Litteræ autem cambii acceptatæ habent vim plenam instrumenti, & rei judicatæ, ut teste Jord. resolvit Rot. Rom. ℞. *ad* 2. Sculpturæ istæ probant in factis antiquis, & rebus parvi præjudicii; non vero si vertatur magnum præjudicium, quia tunc probationes evidentes sunt necessariæ.

§. III.

De productione, impugnatione, amissione, renovatione, & interpretatione instrumentorum.

12. *Producere* instrumenta, est illa in judicio exhibere ad probandam suam intentionem: *Edere* vero instrumenta, est illa ad describendum communicare adversæ parti coram judice: nam *edere est copiam describendi facere, l. 1. §. 1. ff. de edendo.*

13. Q. I. *Quando, & quomodo producenda sint instrumenta?* ℞. *ad* 1. Regulariter producenda sunt post litem contestatam usque ad conclusionem in causa, *c. 9. h. t.*

h. t. nam sunt species probationis; ergo produci debent in termino probatorio, nisi justa causa suadeat, ea produci ante litem contestatam, vel post conclusionem in causa. 2. Semel tantum producenda sunt, nisi justa causa suadeat iteratam productionem ad ostendendam falsitatem probationis: quo casu opus est juramento, *lib. 6. §. fin. ff. de edend. lib. 21. Cod. h. t.* 3. Instrumentum habens plura capitula non connexa, totum integraliter coram judice, & parte adversa prælegendum est, ut plene illius tenor percipiatur: quo sensu procedit, *cap. 7. de privil. in 6.* sed totum non est edendum adversæ parti, bene vero quoad capitulum, de quo controvertitur: quo sensu procedit. *cap. 5. hoc tit.* sine ulla antinomia, vel correctione juris: nam si omnia capitula ederentur, lites ex litibus suscitarentur. Sic etiam legatario non est edendum totum testamentum, sed tantum quoad capitulum legati.

14. Q. II. *An reus sua instrumenta, quibus non est usurus in judicio, teneatur actori edere?* ℞. Negative ex *cap. 1. de probat.* & *l. 1. Cod. de edendo:* nam actor debet paratus venire ad judicium, & probandum, neque arma mendicare debet ex domo adversarii. Nec obstat, quod reus teneatur actori respondere ad positiones: nam respectu confessionis rei actor non potuit venire paratus, bene vero respectu instrumenti. Excipe 1. instrumenta communia utrique parti *cap. 12. hoc tit.* sive *ratione proprietatis;* ut si res pluribus donata, vel communibus sumptibus facta est: sive *ratione materiæ*, dum instrumenta communem materiam continent; ut testamenta inter cohæredes, & legatarios: sive denique communia *ex natura negotii*, dum quis omnia negotia adnotat: sic judex omnia acta judicii cuilibet interesse habenti edere debet. *Excipe* 2. causas privilegiatas fisci *l. 1. §. 1. & seqq. ff. de jure fisci*, usurarum, si usurarius neget se exercuisse usuras. *Clem. unic. §. ceterum de usur.* 3. Si actor intentionem suam jam fundatam habeat; ut si probavit prædium esse venditum reo, & nescit, quibus conditionibus, *lib. 48. 52. ff. de act. empt.* Sic etiam Ecclesia in diœcesi ostendere debet privilegium exemptionis a jurisdictione Ordinarii. Denique privilegium fisci multi extendunt ad alias causas favorabiles Ecclesiæ, alimentorum, matrimonii, dotis, libertatis &c. saltem si judex imperet exhibitionem instrumenti, aut veritas aliter haberi non possit, Reiff. *n.* 8. Schmalz. &c.

15. Q. III. *Quomodo instrumenta impugnentur, aut reprobentur?* ℞. 1. Ex defectu eorum, quæ necessaria sunt ad confectionem instrumenti; ut quia conficiens non erat notarius, quia solemnitates non erant observatæ, quia ob, vel subreptio intervenit. 2. Ex defectu sigilli; ut quia est ignotum, fractum, noviter agglutinatum, adulterinum, *c. 6. h. t.* 2. Ex rasione, & cancellatione in loco substantiali, nisi de hoc notarius mentionem faciat, *cit. c. 6. v. instrumentum, h. tit.* Si tamen rasio sit in loco non substantiali, probabilius non vitiat instrumentum, *cap. 3. h. t.* ubi rasura in facti narratione, & *c. 11. eod.* ubi omissio litteræ, vel syllabæ, imo & vocis integræ facile subintellectæ, non obest valori instrumenti. Quæ autem sit pars, vel locus substantialis, determinari non potest, sed pro subjecta materia id relinquitur arbitrio judicis. 3. Testes instrumentarii, seu instrumento inserti, si omnes, vel plerique dicant, se non interfuisse actui, vel aliter esse scriptum, quam gestum, plene probant contra instrumentum, illudque reprobant, *cap. 10. hoc t. cap. 5. de probat.* & *argum. cap. 33. §. fin. de testib.* nam dignior, fidelior, & æstimabilior est vox viva testium, quam mortua instrumenti *nov. 73. c. 3.* unius autem, vel alterius testis contradictio, si plerique, & sufficientes stent pro valore, & fide instrumenti, non obest, *arg. l. 1. ff. quemadm. testam. aper.* & *lib. 3. C. si ex falso instr.* 4. Si testes instrumentarii mortui sunt, regulariter ad reprobationem instrumenti sufficiunt duo testes extranei omni exceptione majores: ita Innoc. Covar. Reiff. & alii contra alios, qui requirunt plures, quam sunt in instrumento, vel saltem tres contra instrumentum publicum. Prob. ex *lib. 14. v. etsi C. de contrah. stipul.* ubi asseritur reprobari posse instrumentum *per testes undique idoneos, & omni exceptione majores*. Ratio est, quia instrumentum, mortuis testibus, non habet fidem, nisi ex auctoritate notarii, & præsumptione juris assistentis notario; sed auctoritas ista, & præsumptio cedere debet veritati manifestatæ per duos testes contrarium probantes juxta illud: *in ore duorum, vel trium testium*: tum quia ex probatione testium oritur præsumptio contra notarium, cum & is facile committere possit falsitatem in conscribendo negotio, & inscribendis testibus, ergo. At si testes instrumentarii vivant, & stent pro valore instrumenti, & ad reprobandum illud plures requiruntur testes extranei, ita ut prævaleant instrumentariis secundum arbitrium judicis. His non obstat *l. 15. C. h. t. c. 13. de præscr.* nam hæc, & similia jura attribuunt instrumento probationem tantum præsumptivam, quæ cedit vivæ probationi per testes sufficientes.

16. Q. IV. *Quid juris, si concurrant instrumenta contraria?* ℞. 1. Si ab eadem parte producantur instrumenta contraria, quæ conciliari non possunt, neutrum facit fidem, cum alterum alteri deroget *l. 14. C. & c. 13. h. t. sibi enim imputare debet, qui contrarias inter se scripturas in judicio protulit*. Si autem idem instrumentum contineat in se vera contraria, inter se inconciliabilia, rejici debet, cum contraria simul esse vera non possint. 2. Si actoris, & rei instrumenta sunt vere contraria, præfertur dignius, ut publicum privato, *c. 32. de testib. l. 14. C. de contr. empt.* si vero æqualis sint auctoritatis, neutri creditur, & reus absolvitur; nisi actor habeat causam favorabilem, *arg. c. 3. de probat.* ibi: *promptiora sunt jura ad absolvendum, quam condemnandum, præterquam in causa liberali*, seu alia favorabili.

17. Q. V. *An fidem faciat instrumentum simulatum?* hoc est, dum utriusque partis consensu aliud scribitur, quam gestum est, v. g. *de re ad rem*, si fundus scribatur venditus, cum res mobilis sit vendita, *de contractu ad contractum*, si fundus scribatur venditus, cum tantum sit pignoratus. ℞. Negative: ita *rubrica C. plus valere, quod agitur, quam quod simulate concipitur, & l. 1. ibid. in contractibus rei veritas potius, quam scriptura perspici debet*. Si simulatio est *de persona ad personam*, ut si scribatur mulierem comparasse, quod vir comparavit, contractus non vitiatur, sed jus acquiritur ei, qui vere contraxit. Differt autem instrumentum simulatum a falso, quia hoc voluntate unius, illud vero voluntate utriusque committitur.

18. Q. VI. *Quid juris, si instrumentum, in quo actor fundat suam intentionem, casu fortuito periit, v. g. per incendium?* ℞. 1. Actor probare debet casum fortuitum, & simul tenorem instrumenti per testes, qui dicant, se vidisse, & legisse instrumentum nullo vitio laborans. Quæ probatio erit saltem semiplena, complenda per juramentum suppletorium, nisi testes isti interfuissent etiam negotio gesto; tunc enim plene probant *l. 1. 5. C. h. t.* 2. Si instrumentum periit proprio facto creditoris, ut quia illud debitori reddidit, vel laceravit spe futuræ solutionis, stat pro debitore præsumptio liberationis, donec probetur contrarium, *l. 2. §. 1. ff. de pact. l. 24. ff. de prob.* At si facto adversarii instrumentum laceratum, corruptum, vel subtractum sit, sufficit solo juramento probare illius tenorem, *l. 20. C. de probat.* nam hic dolus præsumitur in adversario.

19. Q. VII. *An instrumentum vetustate consumptum innovari possit?* ℞. Affirmative, modo id fiat coram judice, etiam ante litem contestatam, & parte altera non citata, *c. 4. de confir. util.* ne veritas occultetur casu, quo instrumentum totaliter corrumperetur.

20. Q. VIII. *Quomodo interpretanda sint instrumenta?* ℞. Stricte, & ideo extendi non debent ad ea in eis non contenta: nam termini conventionum diligenter sunt observandi. 2. Si allegetur aliqua constitutio Papalis extravagans, & dubitetur de ejus valore, siquidem conformis est juri communi, judex secundum illam judicabit; si vero difformis, consulendus erit Papa de ejus interpretatione, *c. 8. h. t.* nam cujus est condere, ejusdem est interpretari legem, *l. 12. C. de LL.*

TITULUS XXIII.

De Præsumptionibus.

Agitur de hac materia in Decreto *c. 14. absit 11. q. 3.* & hinc inde sparsim. In Pandectis *lib. 22. tit. 3.*

1. *Nota* 1. Præsumptionem dici quasi *antesumptionem*,

quia

quia ante legitimas probationes aliquid sumitur pro vero. At quoad rem, *præsumptio est conjectura rationabilis super re dubia, proveniens ex indiciis frequenter connexis cum veritate rei.* Et quamvis præsumptio in rigore probatio non sit; quia tamen relevando a probatione, æquivalenter probat, merito speciebus probationis accensetur.

2. *Nota* 2. Indicium esse quoddam signum rei dubiæ ad cognitionem veritatis deserviens. Differt autem a præsumptione, sicut causa ab effectu, quia præsumptio oritur ex indiciis: porro indicium est triplex, *plenum*, seu *gravissimum*, aut violentum, quod regulariter sufficit ad generandum plenum assensum judicis; & ideo dicitur *indubitatum*, seu *moraliter certum lib. 19. indicia certa C. de R.V. Semiplenum*, seu *grave*, quod fortiter moveat ad assensum, attamen cum formidine; & ideo *dubitativum* dici solet. *Leve*, quod debiliter movet ad assensum, & plerumque suspicionem temerariam generat, quæ non deservit judiciis, sed utroque jure reprobatur, *c. 2. de purg. vulg.* Ex his *levia indicia* in criminalibus sufficiunt ad capturam, ne reus aufugiat; gravia ad citationem reo absenti transmittendam, & ad torturam; gravissima sæpe ad condemnationem *arg. l. fin. C. de prob.* Clar. *lib. 5. pract. crim. q. 20.* In specie, quæ indicia sint levia, gravia, & gravissima, judex arbitrabitur. 2. Indicium aliud est *proximum*, quod immediate connectitur cum actu, estque magis verisimile; aliud *remotum*, quod immediate non connectitur cum ipso actu, sed tantum cum circumstantiis illius.

3. *Nota* 3. Præsumptionem dividi: 1. In *præsumptionem juris, & hominis: præsumptio juris* est, quæ specialiter in aliqua lege, aut Canone exprimitur: & quidem si jus aliquid præsumit pro vero, donec contrarium probetur, est *præsumptio juris tantum;* si vero aliquid præsumat pro vero, & non admittat probationem, saltem directam in contrarium, est *præsumptio juris, & de jure*, ut patebit ab exemplis infra afferendis. *Præsumptio hominis*, seu *judicis* est conjectura nullo jure expressa, licet generaliter a jure approbetur, dum judex ex ipsa qualitate, & circumstantiis facti aliquid præsumit pro vero. 2. Præsumptio hominis ex qualitate indiciorum pariter dividitur in levem, *gravem*, seu *probabilem*, aut *discretam*, & *gravissimam*, seu *vehementissimam*, aut *violentam*.

4. Q. I. *An præsumptio juris tantum plene probet?* ℞. Affirmative, non absolute, sed conditionate, si contrarium non probetur: ita *c. 10. h. t. c. fin. de rest. spoliat. in 6. l. 25. pr. ff. de probat.* ibi: *præsumptionem*, puta debiti, *pro eo esse, qui accepit:* unde is, pro quo stat præsumptio juris, habet intentionem suam fundatam in jure, & conf. relevatur ab onere probandi, *ibid.* & *arg. c. 2. 4. de probat.* Ratio est, quia præsumptio juris procedit ex certis, ac legitimis indiciis, & fundatur in iis, quæ plerumque fieri solent; & ideo præsumptio juris est liquida probatio in causa ceteroquin obscura, donec contrarium probetur *l. 74. ff. de legat. 1.* Tales præsumptiones sunt in specie: 1. Quod qualitas, quæ naturaliter inest homini, semper adesse præsumatur; ut prudentia in senibus *l. 5. ff. de jure immun.* inconsulta facilitas in minoribus *l. 3. ff. ad SC. Maced.* imbecillitas, & loquacitas in mulieribus *l. 2. ff. ad SC. Vellej.* & generaliter quilibet præsumitur esse idoneus ad aliquod officium, vel actum *c. fin. h. t.* 2. Quilibet præsumitur bonus, nisi probetur malus, *cit. c. fin.* & semel malus, semper præsumitur malus, *reg. 8. in 6.* & quælibet res præsumitur talis, qualis erat, quia mutatio est facti, adeoque probari debet. Sic homo præsumitur bonus, & prædium allodiale *l. 9. 10. C. de servit.* natus ex justis nuptiis, præsumitur esse in patria potestate, donec probet emancipationem *l. 8. ff. de probat.* &c. 3. Ex communiter contingentibus, in actu de se malo præsumitur dolus *c. 1. h. t.* in actu vero indifferenti bonitas *reg. 2. in antiq.* inter personas valde propinquas præsumitur honestas, & non incestus *c. 15. h. t. c. 9. de cohabit. Cler.* vicinus præsumitur scire, quæ notoria sunt in vicinia *c. 7. h. t.* commutans beneficium pingue cum tenui, præsumitur id facere simoniace, *c. 10. h. t.* Princeps in dubio præsumitur juste agere in his, quæ sunt juris humani, *Clem. un. de probat.* & judex in his, quæ pertinent ad processum judiciarium *l. fin. C. de off. civ. jud.* Plures hujusmodi præsumptiones passim occurrunt in utroque jure, & videri possunt apud Menoch. Reiff. &c.

5. Q. II. *An præsumptio juris, & de jure ita plene probet, ut non admittat probationem directam in contrarium?* ℞. Affirmative ex *c. 30. de sponsal.* ibi: *contra præsumptionem hujusmodi non est probatio admittenda*, puta in foro externo; nam in foro interno attendenda est veritas, si re ipsa præsumptio fallat. Ratio resolutionis est, quia præsumptio juris, & de jure pro veritate habetur ad instar legis; & consequenter, sicut lex, ita nec talis præsumptio impugnari debet, saltem directe. Tales præsumptiones sunt: 1. Quod de jure antiquo sponsalia per copulam firmata transiverint in matrimonium, *cit. c. 30. de sponsal.* 2. Quod mulier sesquianno cohabitans marito, metum purgaverit, & libere consenserit *c. 21. de sponsal.* 3. Quod Religiosus intra quinquennium non reclamans contra professionem, eandem ratificaverit, Trid. *Sess. 25. c. 19. de Regg.* 4. Quod intra biennium non opponens exceptionem pecuniæ non numeratæ, præsumatur pecuniam accepisse; licet de hoc aliqui contrarium sentiant, *tit. C. de non num. pec.* &c. Ceterum contra præsumptionem juris, & de jure admittitur probatio indirecta; ut si mulier, vel Religiosus probet metum durasse toto sesquianno, aut quinquennio, si pars adversa, pro qua stat præsumptio, fateatur contrarium; ut si pupillus major factus fateatur in inventario fuisse aliquid per errorem adscriptum; vel si oppositum probetur per notorietatem facti, vel per instrumentum publicum &c. nam præsumptio cedere debet liquidæ veritati.

6. Q. III. *Quantum probent præsumptiones hominis?* ℞. Cum id pro particularibus casibus jure decisum non sit, relinquitur arbitrio prudentis judicis, cujus est æstimare, an probatio sit plena, vel semiplena, *l. 3. ff. de test.* pro quo judicio servient seqq. regulæ: 1. Præsumptio gravis, seu probabilis, se sola probat semiplene; si vero adjuvetur per aliam similem præsumptionem, vel per famam, & alia adminicula, probat plene in civilibus *c. 11. & 13. h. t. c. 44. §. fin. de sent. excom.* ubi stante præsumptione probabili, defertur juramentum suppletorium, & accedente fama viciniæ cum jurata partium confessione, fertur sententia divortii, *cit. 13. h. t.* 2. Præsumptio violenta hominis plene probat, saltem in civilibus *c. 2. h. t.* ubi refertur factum Salomonis ex præsumptione violenta judicantis inter duas fæminas de filio litigantes, & *c. 12, 13. h. t.* ex violento indicio nudi cum nuda deprehensi probatur fornicatio: sed contra hanc præsumptionem admittitur probatio, *c. fin. de Presbyt. non bapt.* ibi: *donec evidentissimis forsan argumentis contrarium probaretur.* 3. Præsumptio violenta hominis in delictis capitalibus non probat plene, nisi adsint indicia luce clariora: ita Gomez, Mysing. Reiff. cum citt. contra Farin. Menoch. &c. item contra Tiraq. VVagnerek, & alios docentes talem præsumptionem sufficere ad pœnam saltem extraordinariam. Prob. ex *l. fin. C. de probat.* ubi rescribitur, quod res criminalis debeat esse *munita idoneis testibus, vel instructa apertissimis documentis, vel indiciis ad probationem indubitatis, & luce clarioribus expedita*, & *c. 14. h. t.* ibi: *propter solam suspicionem, quamvis vehementem, nolumus illum de tam gravi crimine* hæresis *condemnari.* Ratio est, quia pœna capitalis non est infligenda, nisi delicto omnino certo; sed ex sola præsumptione violenta non probatur delictum omnino certum, nisi adsint indicia indubitata; ut si marito per annum absente, uxor reperiatur gravida, ergo. At præsumptio violenta locum facit torturæ, ut propria confessio extorqueatur; & si hæc non sequatur, neque probatio evidens afferatur, præstat reum nocentem dimittere, quam innocentem damnare *l. 5. ff. de pœnis.* Neque hic extraordinaria pœna infligenda est, nisi ipsa indicia de se sint etiam mala, & scandalosa, sicut pleraque indicia hæreticorum, *cit. c. 14. h. t.* In minoribus autem criminalibus violenta præsumptio videtur sufficiens ad pœnam ordinariam, cum non sit tantum periculum, & damnum.

7. Q. IV. *Quid juris in concursu plurium præsumptionum sibi contrariarum?* ℞. Fortior prævalet debiliori *c. 3. qui filii legit. l. 25. ff. de prob.* ita ut præsumptio validior hominis vincat præsumptionem juris, *arg. l. 93. §. 3. ff. de legat.* 3. Jam specialius loquendo: 1. Præsumptio naturæ conformior, honestior, & benignior præ-

prævalet contrariæ; ut quod aliquis sit liber, legitimus, non criminosus, vel quod patet malo animo non occiderit filium &c. nisi contrarium probetur. 2. Præsumptio in specie prævalet præsumptioni in genere, quia generi per speciem derogatur, *reg.* 34. *in* 6. sic in genere nemo præsumitur jactare suum, *l.* 25. *ff. de prob.* si tamen creditor reddat chirographum debitori, vel illud laceret, præsumitur id facere animo liberandi debitorem *l.* 2. *ff. de pact.* 3. Præsumptio stans pro valore actus, vel causa favorabili, vel bono animæ, prævalet oppositæ, *c.* 25. *de V. S.* & verisimilior prævalet minus verisimili, *arg. c.* 10. *de prob.* &c. Si præsumptiones omnino sint æquales, reus absolvitur, nisi actor habeat causam favorabilem, ut sæpius dictum. Vide Reiff. a *n.* 78. Schmalz. a *num.* 38.

Quomodo lex fundata in præsumptione facti, si præsumptio sit falsa, in foro interno obliget, dictum est in *tit. de Const. n.* 26.

TITULUS XXIV.

De Jurejurando.

Agitur de hac materia in Sexto, & Clementinis *h. t.* in Decreto 22. *q.* 1. & *seqq.* in Pandectis *l.* 2. *tit.* 2. 3. in Codice *lib.* 4. *tit.* 1. *& lib.* 5. *tit.* 53.

1. *Nota* 1. Juramentum esse invocationem divini nominis in testimonium; & si rite fiat *in justitia*, *in judicio*, *in veritate*, ut præcipitur *Jerem.* 4. *v.* 2. esse actum religionis, quo Deus colitur, & conf. sanctum, & licitum, *Deut.* 6. *v.* 13. ut tenent catholici contra Valdens. quibus non suffragatur S. Jacob. *c.* 5. *v.* 12. *nolite jurare*: nam hic prohibetur juramentum temere, & pro placito, non vero ex necessitate, & justa causa fieri solitum. Inter ceteras causas, etiam est defectus probationum in judicio; & ideo JCtus *l.* 1. *ff. h. t.* ait: *maximum remedium expediendarum litium in usum venit jurisjurandi religio.*

2. *Nota* 2. Juramentum dividi 1. in *assertorium*, quo asseritur veritas rei præsentis, aut præteritæ; & *promissorium*, quo firmatur promissio de futuro: & utrumque vel est *simplex* sine ullis solemnitatibus, vel *solemne* coram superiore, & cum solitis solemnitatibus: vel *execratorium*, quo jurans sibi, vel alteri sibi charo aliquid mali imprecatur a Deo vindice sacrilegi mendacii: vel *judiciale*, quod in judicio, vel *extrajudiciale*, quod extra judicium fit. 2. Assertorium dividitur in *litis decisorium*, quod fit causa litis finiendæ; & *litis æstimatorium*, seu *in litem*, de quo infra. 3. Litis decisorium ex recepta doctrina dividitur in *voluntarium*, quod ex libera conventione pars parti defert sine ulla approbatione judicis. *Judiciale specifice*, quod pars parti defert in judicio, judice approbante; & *necessarium*, quod judex defert alterutri parti ad complendam plenam probationem; & ideo etiam vocatur *suppletorium*, quod tunc primo defertur, dum alia probatio non suppetit, *c.* 2. *de probat.* & quia judex quandoque necesse habet illud deferre, pars vero acceptare, ideo etiam dicitur *necessarium*.

§. I.

De Juramento litis decisorio.

3. Q. I. *Quid generaliter requiratur ad juramentum litis decisorium*? ℞. 1. Ut lis sit dubia, cum causa certa non indigeat decisione. 2. Ut probationes aliunde non suppetant ad veritatem rei *c.* 2. *de prob.* alias juramentum fieret temere, & sine necessitate. 3. Ut non fiat spontanee, sed ad delationem partis, aut judicis, alias ultroneum nihil probat *l.* 3. *ff. h. t.*

4. Q. II. *Quis, cui, & in qua causa deferre possit juramentum voluntarium*. ℞. 1. Quicumque de re controversa transigere, & disponere potest, etiam deferre potest juramentum voluntarium; uti dominus liberam habens rerum suarum administrationem, curator in rebus minoris, Prælatus in rebus Ecclesiæ, servus, & filiusfam. in rebus peculii, procurator cum mandato speciali &c. ita *l.* 17. *& l.* 26. §. 2. *ff. h. t.* nam hoc juramentum ex conventione vim transactionis habet. Ob contrariam rationem juramentum hoc deferre nequit pupillus sine auctoritate tutoris, amens, furiosus, minor sine auctoritate curatoris, si illum habeat; Nec obstat *l.* 9. §. 4. *ff. h. t.* nam in casu legis, vel minor curatore caruit, vel ejus auctoritas supponitur intervenisse 2. Juram. voluntarium deferri potest cuicumque, qui ex conventione sibi, vel alteri acquirere potest actionem, aut exceptionem, cujuscumque sit ætatis, sexus, aut conditionis; ut pupillo, mulieri, servo in causa domini, procuratori &c. *l.* 26. *ff. h. tit.* Nec obstat *l.* 34. §. 2. *ff. h. t.* ibi: *pupillo non defertur juramentum*: nam sermo est de juramento judiciali. 3. In omni causa dubia, quæ pendet a voluntate partium, locus est juramento voluntario *l.* 3. §. 1. *ff. h. t.* At circa matrimonium solvendum, vel circa possessionem religiosam invalidandam, uti & circa criminalia, in quibus transactio non admittitur, non est locus huic juramento: nam hæc, & his similia non sunt in potestate litigantium.

5. Q. III. *Quis sit effectus juramenti voluntarii*? ℞. cum distinctione: 1. Si juramentum tantum delatum, vel acceptatum; vel relatum est, nihil speciale operatur: nam in placito partium est, ut acceptetur, vel referetur, vel ut acceptatum revocetur, antequam fiat, *l.* 11. *C. de R. C.* ibi: *si quis Sacramentum intulerit, & hoc revocare malueri*t, *licere quidem ei hoc facere* &c. Nec obstat *reg. quod semel placuit in* 6. nam locum non habet in his, in quibus lex permittit revocationem, uti in mandato, societate, contractibus innominatis *l.* 5. *ff. de condict. caus. data*, & similiter in nostro casu. 2. Si juramentum voluntarium est præstitum, proximus illius effectus est *decisio causæ dubiæ*; remotus vero, seu consequens, est *actio in factum*, *ex jurejurando*, si actor juravit sibi deberi, vel si eo volente jurare, reus remisit ei juramentum; vel *exceptio juratoria*, si reus juravit se non debere, *l.* 7. 8. 9. 11. 18. 28. *ff. h. t.* quæ actio, & exceptio utrinque transit ad hæredes; non tamen præjudicat tertio extraneo *l.* 10. *ff. eod.* licet, si alius pro tertio juret, acquirat ei actionem, vel exceptionem jurisjurandi *l. fin.* §. 2. *ff. h. t.* Nec obest *reg.* quod alteri per alterum non acquiratur, §. 4. *in. per quas pers.* nam hic actio directe non acquiritur, sed tantum indirecte, & ex consequenti; quatenus pars altera deferendo juramentum, cedit juri suo. 3. Tanta est vis juramenti voluntarii præstiti, ut res eo decisa non rescindatur, etsi postea detegatur perjurium fuisse: ita *l.* 5. §. 2. *ff. h. t.* & *l.* 1. *C. de R. C. causa jurejurando ex consensu utriusque partis decisa, nec perjurii prætextu retractari potest, nisi specialiter hoc lege excipiatur*. Ratio est, quia deferens juramentum, obligat se ad cadendum causa sub conditione, si juramentum ab altero præstitum fuerit; ergo eo præstito, tota conditio impletur, ut non sit locus retractationi. Excipe causam legati, vel fideicommissi, si postea appareat, nihil fuisse legatum, vel fideicommissum *l. fin. C. de R. C.* Item si a partibus exceptus fuit casus perjurii, vel si suprema potestas in pœnam perjurii, & ob æquitatem naturalem rem ita decisam rescindere velit.

6. Q. IV. *Quis, cui, & in qua causa deferre possit juramentum judiciale, a judice competente approbatum*? ℞. *ad* 1. Quicumque deferre potest juramentum voluntarium, potest etiam judiciale, sive actor, sive reus, *l.* 12. *pr. C. de R. C.* Si actor omnino nihil probavit, nec positive, nec præsumptive, non potest reo deferre juramentum, cum nulla rationabilis causa adsit jurandi; at si probavit aliquid vel positive, vel præsumptive, hoc est, si gravis præsumptio stet pro actore, potest reo deferre juramentum; cum talis præsumptio vim probationis habeat, & per se sit causa sufficiens jurandi: ita Schmier, Haunol. & alii medium tenentes inter duas oppositas sententias. Prob. ex claro textu *c. fin.* §. *sane hoc tit. Sane*, *si actor omnino in probatione defecerit, reus debet, etsi nihil præstiterit, obtinere: præsumptione vero faciente proillo, reo deferri potest ad ostendendam suam innocentiam juramentum*. Ex his solvitur *l.* 38. *ff. h. t. l.* 35. *pr. eod. l.* 12. *C. de R. C.* nam in his semper supponitur aliqua probatio ex parte actoris, saltem præsumptiva; alias locus daretur pluribus calumniis. ℞. *ad* 2. Juramentum judiciale deferri potest illi, qui est dominus rei controversæ, aut loco domini, seu qui deferre illud potest: nam hoc juramentum vim habet transactionis, & alie-

& alienationis. ℞. *ad* 3. In omni cauſa controverſa, in qua licet tranſigere, deferri poteſt juramentum judiciale *l.* 3. *ff. h. t.*

7. Q. V. *Quis ſit effectus juramenti judicialis*? ℞. 1. Delatio hujus juramenti alternative obligat, ut vel referatur deferenti, vel præſtetur *c. fin. h. t.* niſi juſta cauſa aliud ſuadeat: ſic enim in delictis reus illud referre non poteſt, cum ipſe de ſuis factis optime noverit veritatem, *cit. c. fin. h. t.* uti etiam in caſu, quo actor non plene probavit factum alienum, ſuper quo plenam habere notitiam non præſumitur *l.* 11. *ff. de act. rer. amot.* 2. Si primo deferenti relatum eſt juramentum, tenetur illud præſtare, niſi juſta cauſa illum excuſet; alias reus habetur pro convicto, & actor repellitur ab agendo, *l.* 34. §. 7. *& fin. ff. hoc t.* nam *non debet diſplicere conditio jurisjurandi ei, qui detulit*, *ibid.* 3. Si juramentum judiciale acceptatum eſt, revocari non poteſt, niſi occurrat juſta cauſa; ut ſi ſuperveniant aliæ probationes: nam in judiciis *quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt reg.* 21. *in* 6. tum ne judici illudatur; tum ne judicia protelentur. 4. Si hoc juramentum præſtitum eſt, vim habet rei judicatæ, producentis actionem, aut exceptionem juratoriam; non admittit appellationem, aut reſciſſionem, etiam prætextu inſtrumentorum de novo repertorum, *l.* 5. 9. 34. *ff. h. t. l.* 1. 12. §. 3. *C. de R. C.* nam juramentum judiciale eſt ſpecies tranſactionis, & vim conditionis habet ad deciſionem cauſæ.

8. Q. VI. *Quis, cui, & in qua cauſa deferre poſſit juramentum neceſſarium*? ℞. *ad* 1. Solus judex ordinarius, vel delegatus, & in compromiſſo arbiter deferre poteſt juramentum neceſſarium, *l.* 1. 31. *ff. h. t. l.* 3. & 12. *C. de R. C.* cum ſolius judicis ſit cogere partes litigantes ad jurandum: atque id judici incumbit non tantum ad inſtantiam partis, ſed etiam ex officio, ſeu de neceſſitate, ſaltem morali, *cit. l.* 3. *C. de R. C.* quia judicis eſt ſatagere pro veritate eruenda. ℞. *Ad* 2. In prudenti judicis arbitrio ſtat, an juramentum deferat reo, an actori *c. fin. in fin. h. t.* Et quidem, ſi actor ſemiplene probavit, reus vero nihil probavit, actori deferendum eſt juramentum ſuppletorium, *cit. c. fin.* quia ſemiplena probatio per hoc juramentum compleri poteſt. In aliis caſibus, ut ſi pro actore ſtet ſola præſumptio, vel ſi actor, & reus ſemiplene probavit, regulariter reo deferendum eſt, quia favorabiliores ſunt partes rei. Quod ſi uterque plene probavit, & probationes ſunt compoſſibiles, ut de mutuo dato, & ſoluto, reus abſolvitur abſque juramento: ſi vero ſint contrariæ, defertur ei, in quo videtur major probabilitas obtinendæ veritatis; ſi tandem ſint omnia paria, reus abſolvitur, vel ſaltem ei potius, quam actori defertur juramentum. ℞. *Ad* 3. In omni cauſa ſpecialiter non excepta deferri poteſt juramentum neceſſarium, cum ſit de genere permiſſorum *l.* 3. *ff. h. t. l.* 3. *C. de R. C.* Excipiuntur cauſæ *criminales, & famoſæ*, & quæ his æquiparantur, cauſæ civiles valde arduæ: nam in iſtis, non actori, ſed reo deferri poteſt juramentum purgationis *c. fin. h. t. l.* 6. §. 4. *de his, qui not. infam.* niſi ageretur civiliter ad ſolam pœnam pecuniariam, *l.* 3. §. 1. *ff. h. t.* item cauſæ matrimoniales, & profeſſionis religioſæ, dum agitur ad vinculi diſſolutionem; & omnes illæ, in quibus jura requirunt liquidas probationes.

☞ *De juramento reo in criminalibus deferendo, vide additionem ad tit. VII. de juram. calumn. poſt num.* 6. ☜

9. Q. VII. *Quæ requirantur ad legitimam juramenti ſuppletorii delationem*? ℞. 1. Ut deferatur a judice prævia cognitione cauſæ *l.* 3. *C. de R. C.* 2. In præſentia adverſarii citati. 3. Perſonæ honeſtæ habenti ſcientiam ex ſenſu corporeo; non autem vili, & ſuſpectæ de perjurio. 4. In cauſa civili non nimis ardua. 5. Præcedente ſemiplena probatione, & ante concluſionem in cauſa, licet etiam poſt judex illud deferre poſſit; cum judici nunquam ſit concluſum in cauſa.

10. Q. VIII. *Qui ſit effectus juramenti ſuppletorii*? ℞. 1. *Ut delati*, eſt abſoluta neceſſitas illud præſtandi; alias recuſans cauſa cadit, niſi legitime delatum non fuiſſet, *l.* 12. *C. de R. C. c. fin. h. t.* 2. *Ut præſtiti*, eſt completio probationis, ut ſententia feratur pro jurante. Ab hac autem ſententia appellari, & ejus retractatio peti poteſt propter inſtrumenta noviter reperta, in quo effectu juramentum neceſſarium notabiliter differt a voluntario, & judiciali, a quibus non appellatur, nec ſententia, ſeu res deciſa retractatur: ita Gajus *l.* 31. *ff. h. t. admonendi*, inquiens, *ſumus, interdum etiam poſt jusjurandum exactum permitti conſtitutionibus Principum ex integro cauſam agere, ſi quis nova inſtrumenta ſe inveniſſe dicat: quod ſi alias inter ipſos jurejurando tranſactum ſit negotium, non conceditur eamdem cauſam retractare.* Ratio eſt, quia juramentum neceſſarium partibus coactis, & ex defectu probationum a judice defertur, & tantum extraordinarie, ac privilegiate probat; ergo ſi de novo emergant inſtrumenta, infirmant ſententiam ex eo latam. *Dices*: res judicata non eſt retractanda *lib.* 4. *Cod. de re judic.* 2. Talis ſententia nequit infirmari per teſtes: ergo nec per inſtrumenta. ℞. *ad* 1. res judicata non retractatur, ſi lata eſt ſententia ex probationibus ordinariis; ſecus ſi ex privilegiatis per juramentum, *Ad* 2. omitto antecedens, & neg. conſ. nam in teſtibus timetur ſubornatio, non vero in inſtrumentis. Ceterum, ſi quis juſtam cauſam habuit recuſandi juramentum neceſſarium, non prohibetur appellare a ſententia; bene vero deferens juramentum judiciale, & probabiliter etiam referens, ſi alter juravit. Reiff. a *n.* 239.

§. II.

De juramento litis æſtimatorio.

11. Juramentum *in litem* eſt, quo lis, ſeu res controverſa æſtimatur, *l.* 1. & *ſeqq. ff. de in litem jur.* eſtque triplex. *Veræ æſtimationis*, ſeu *veritatis*, quod deponitur ſuper vero valore rei. *Affectionis*, quod deponitur de valore rei non ſecundum communem taxationem, ſed ſecundum privatam affectionem, & commoditatem. *Super intereſſe ſingulari*, ſeu *extra rem*, quod deponitur ſuper damno cauſato ex re ſubtracta, vel debito tempore non reddita; ut ſi quis cogatur majori pretio emere frumentum, aut vinum ex eo, quod citius pecunia ei non ſit reddita, *l.* 3. *ff. eod.*

12. Q. I. *Quid juris circa juramentum affectionis*? ℞. 1. Solus judex illud deferre poteſt, *l.* 4. §. 1. *ff. d. tit.* nam hoc juramentum defertur actori in pœnam rei ob dolum, & contumaciam, ſeu doloſam moram in reſtituendo, ob quod etiam a jure habetur ratio affectionis, cum alias affectio in judiciis non curetur *l.* 35. *ff. ad l. Aquil.* ſed ſolus judex punire poteſt dolum, & contumaciam partis, ergo. 2. Si actor pretium affectionis exceſſivum exprimat, judex illud moderari poteſt ſecundum æquitatem; & facta condemnatione, ſtatim dominium rei æſtimatæ transfertur in reum. *l.* 46. 47. *ff. de R. V.* ubi ratio additur: *quia actor cum eo tranſegiſſe videtur*; ut ſi reus habuit equum actoris conſtantem 100. veri pretii, & addito pretio affectionis condemnatus eſt in 140.

13. Q. III. *Qui, cui, & in qua cauſa deferre poſſit juramentum veræ æſtimationis*? Idem eſt, ſuper intereſſe ſingulari? ℞. ad 1. Non tantum judex, ſed & reus illud deferre poteſt, quia hic non punitur dolus, & contumacia, ſed præciſe ſpectatur veritas pretii ſecundum communem taxationem. Quod ſi res adhuc integra apud reum exiſtit, in arbitrio judicis erit vel rem manu militari auferre, vel juramentum actori deferre, *l.* 4. §. 2. *l.* 5. *ff. de in lit. jur.* ℞. *ad* 2. Soli actori, qui eſt dominus litis, vel liberam habet adminiſtrationem, deferri poteſt hoc juramentum, *l.* 7. *ff. eod.* nam juramentum hoc tendit ad alienationem. ℞. *ad* 3. Juramentum æſtimationis veræ locum habet in omnibus cauſis tam bonæ fidei, quam ſtricti juris, ſive ex contractu, ſive delicto, *l.* 5. *ff. eod.* modo intercesſerit aliqua culpa debitoris: jam poſtquam actor pretium expreſſit, judex, ſi viderit nimium, illud minuet, & ſuper pretio a judice taxato deponet juramentum. Si vero taxatione judicis actor gravatur, antequam juret, ab hoc gravamine appellare poteſt. Tandem effectus hujus juramenti eſt, quod reus condemnetur ad ſolvendum pretium a judice taxatum; & ſi reo nimium videatur, judex pro æquitate ſummam minuere debet.

§. III.

§. III.

De juramento promiſſorio, & contractuum confirmatorio.

14. Q. I. *Quæ ſit materia juramenti promiſſorii?* ℞. Res de ſe bona, & majoris boni non impeditiva. Unde ſuper re mala non eſt jurandum, ne juramentum ſit vinculum iniquitatis; nec ſuper re indifferenti; quia exinde nullus honor Deo accedit; ut ſi promittas juramento te non luſurum; non iturum per hanc plateam, niſi accedat finis honeſtus, v. gr. quia luſus eſt tibi cauſa rixandi, blaſphemandi &c. Quod ſi juramentum impeditivum majoris boni, factum eſt ſoli Deo, non obligat, quia ſapit naturam voti, quod debet eſſe de meliori bono; & ſic non obſtante juramento de bonis tuis amico diviti donandis, donare illa potes pauperibus, vel Eccleſiis. At ſi factum eſt homini propter jus ei quæſitum infringi nequit; ut ſi amico tuo juraſti de bonis tuis ei donandis, non potes ea donare Eccleſiis. Ex his notandæ veniunt duæ regulæ: 1. *Omne juramentum, quod in alterius præjudicium non redundat, nec obſervatum vergit in diſpendium ſalutis æternæ, obſervandum eſt*, c. 28. *cum contingat*, *h. t.* 2. *Non eſt obligatorium contra bonos morés præſtitum juramentum*, *reg.* 58. *in* 6. ſeu *juramentum non debet eſſe vinculum iniquitatis c.* 18. *h t.*

15. Q. II. *Qualem obligationem pariat juramentum promiſſorium?* ℞. 1. Juramentum, qua tale, parit obligationem religionis, cujus eſt actus; qua promiſſio, obligationem fidelitatis; & qua pactum, ſeu promiſſio acceptata a promiſſario, obligationem juſtitiæ, cum promiſſio ſit actus fidelitatis, & pactum, ſeu contractus actus juſtitiæ. Unde violans pactum juratum, committit duo peccata, alterum contra religionem, alterum contra juſtitiam; & ſi votum additum fuit, eſt tertium peccatum contra religionem, & quidem diſtinctum; quia juramentum reſpicit Deum ut teſtem; votum vero, ut creditorem, ſeu promiſſarium. 2. Probabile eſt, quod juramentum in re levi obliget tantum ſub veniali ad ſui impletionem, S. D. 2. 2. *q.* 110. *a.* 3. *ad* 5. nam licet jurare ſine animo implendi promiſſionem, ſit grave ſacrilegium, cum Deus vocetur in teſtem mendacii, tamen ſi quis juret cum animo promiſſionem implendi, obligatio exequutionis regulari debet ſecundum rem juratam, & promiſſam; ergo ſi res promiſſa eſt tantum levis, etiam obligatio ad exequendum erit tantum levis ſub veniali: quamvis non deſint, qui aſſerant eſſe adimplendam ſub mortali. 3. Obligatio juramenti tacitas habet conditiones, v. g. *ſi potuero*, non tantum potentia facti, ſed & juris, *ſalvo jure tertii*, *ſalva auctoritate ſuperioris*, *ſi res in eodem ſtatu permanſerit*, *ſi non altera pars fidem fregerit*, vel *obligationem remiſerit* &c. *c.* 19. 25. 29. *h. t. c.* 12. *de for. compet.* Nota tamen, ſi quid alicui jurato promittatur in honorem Dei, & res tangit commodum tertii, promiſſarius non poteſt remittere obligationem juratam; ut ſi Titio jurato promittas, quod velis bona dare pauperibus &c. S. D. 2. 2. *q.* 89. *art.* 9. *ad* 2.

16. Q. III. *An obligatio juramenti promiſſorii tranſeat ad hæredes, & ſucceſſores?* ℞. 1. Obligatio perſonalis, quæ ex ipſo juramento oritur, eſtque religionis, non tranſit ad ſucceſſores; & ideo hi non fiunt perjuri, ſi hoc juramentum violent. 2. Obligatio realis, ſeu juſtitiæ ex pacto jurato orta tranſit ad ſucceſſores, ſicut aliæ obligationes ex juſtitia, *l.* 9. *ff. de probat.* Unde hæredes tenebuntur dare puellæ dotem, vel pauperibus eleemoſynam, quam eis anteceſſor dare promiſit cum juramento; ſecus peccant contra juſtitiam, non tamen contra religionem. 3. Juramentum promiſſorium ex parte ejus, cui juratur, reale tranſiens ad ſucceſſores: licet quandoque ad majorem ſolemnitatem præcipiatur renovatio talis juramenti, ut ſubditi novo regi, vaſalli novo domino illud præſtent.

17. Q. II. *An, & quomodo juramentum confirmet pacta, ſeu contractus humanos?* ℞. 1. Pacta valida, & honeſta confirmantur juramento, ut præter obligationem juſtitiæ, quæ oritur ex valore pacti, etiam inducant obligationem religionis, quam ex natura ſua parit actus jurisjurandi. ℞. 2. Pacta contra bonos mores naturales, ſeu contra jus naturale & divinum, vel humanum præceptivum, nullo modo confirmantur per juramentum, ſed per ſe ſunt deteſtabilia, & invalida; ut pactum juratum de fornicando, occidendo, non ſuſcipiendo baptiſmo, non obſervando jejunio ab Eccleſia præſcripto &c. tum quia juramentum non debet eſſe vinculum iniquitatis *c.* 18. *hujus titul.* tum quia materia talium pactorum, utpote turpis, & illicita eſt impoſſibilis de jure; impoſſibilium autem nulla eſt obligatio *reg.* 6. *in* 6. Similiter, ſi pactum de jure naturali eſt invalidum, v. g. ex defectu materiæ, aut conſenſus, non firmatur juramento, cum huic non competat vis ſupplendi defectum ſubſtantialem juris naturalis: unde non valet matrimonium, vel ſponſalia jurata cum Berta, quam cogitaſti eſſe Titiam, nec valet venditio jurata unionis, quam cogitaſti eſſe vitrum &c. ℞. 3. Contractus jure humano invalidi, ſi vergant in præjudicium boni publici, vel tertii, nullo modo confirmantur per juramentum *c.* 28. *h. t.* quia pacta privatorum, etiam jurata non poſſunt derogare juri, & bono publico, aut tertii, *l.* 38. *ff. de pact.* quo ſenſu explicari debent *l.* 7. §. 16. *ff. de pact. l.* 5. *C. de LL.* ibi in fin. *nec Sacramentum admitti*, *lib.* 112. §. *fin. ff. de legat.* & ſimilia jura. Unde non valet pactum juratum, quo Clericus renuntiat privilegio fori, aut Canonis, judex ordini judiciario, electores formæ electionibus præſcriptæ, & ſi teſtis juret alicui, quod legitime citatus non dicet teſtimonium &c. ℞. 4. Pacta humano jure invalida, vel reſciſſioni obnoxia, ſi contineant turpitudinem tantum ex parte accipientis, non confirmantur juramento quoad obligationem juſtitiæ, ſaltem firmam, ubi de ſe ſunt reſcindibilia, ſed tunc juramentum *per ſe ſtat.* & producit ſolam obligationem religionis, donec relaxetur. Talia pacta ſunt, v. g. de ſolvendis uſuris, metu, vel dolo extorta, & omnia promiſſa, vel data ob turpem cauſam, ut ſi tibi promiſi 100. ne occidas &c. *c.* 6. 28. *h. t.* quo ſenſu etiam intelligi poteſt *cit. l.* 1. §. 16. *ff. de pact.* ℞. 5. Pacta de ſe honeſta, & ſolo jure humano invalida, vel reſcindibilia, confirmantur juramento, ut præter obligationem religionis etiam producant firmam obligationem juſtitiæ: ita Gloſſ. *c.* 2. *h. t. in* 6. Abb. Covar. Gonz. & alii communiſſime contra Jaſon. Merend. Pont. Gletle, Pichler, qui ſtant pro ſola obligatione religionis. Prob. ex *c.* 2. *de pact. in* 6. ubi Bonif. VIII. ſignate dicit, non ſolum juramentum additum pacto de jure civili invalido eſſe obligatorium, ſed etiam ipſum pactum juramento firmari, & ſervandum eſſe, ut patet ex littera textus, ibi: *ſi tamen juramento non vi, nec dolo præſtito*, pactum *firmatum fuerit ab eadem* filia, *omnino ſervari debebit*; obſervatio autem pacti pertinet ad obligationem juſtitiæ. Idem diſponitur in *c.* 28. & *c.* 2. *eod. in* 6. Prob. 2. ex *Auth. Sacramenta*, *C. ſi adverſ. vendition. Sacramenta puberum*, ſeu minorum, *ſponte facta ſuper contractibus rerum ſuarum non retractandis inviolabiliter cuſtodiantur.* Nec obſtat, etſi dicas Authenticam iſtam procedere de contractibus validis minorum carentium curatore, quod ex Conſt. Friderici non colligitur, ſequitur hoc ſaltem, quod contractus reſcindibiles vi juramenti accipiant firmam obligationem juſtitiæ, & inviolabilem: hoc autem in effectu perinde eſt, ac ex contractu invalido facere validum in linea juſtitiæ. *Prob.* 3. unica ratione a poſteriori: obligatio pacti jurati, v. g. quo filia renuntiat hæreditati, vel mulier conſentit in alienationem rei dotalis, tranſit in hæredes, ita ut iſti non poſſint petere hæreditatem, aut bona dotalia alienata, prout recepta DD. ſententia tenet; ſed ſi ex tali pacto oriretur ſola obligatio religionis, hæc non tranſiret ad hæredes: nam obligatio religionis ex parte jurantis eſt mere perſonalis, & intranſitoria; ut patet in pacto jurato de uſuris ſolvendis, cujus obligatio ex juramento non tranſit ad hæredes jurantis; ergo obligatio iſta non eſt ſolius religionis, ſed juſtitiæ, ſeu realis ex pacto per juramentum convalidato, & confirmato. Vel adverſarii aſſignent cauſam meliorem ex titulo religionis, cur filii matris, quæ cum juramento conſenſit in alienationem bonorum dotalium, non poſſint bona iſta revocare? an ex contractu, vel quaſi? ſed iſte fuit invalidus an ex propria natura juramenti? ſed hujus obligatio perſonam jurantis non excedit; & ideo hæres violans pactum juratum defuncti, non fit perjurus, aut ſacrilegus, ut adverſarii fatentur.

Obj. 1. *l. 7. §. 16. ff. de pact. l. 5. in fin. Cod. de LL. l. 112. §. fin. ff. de legat. 1. l. 56. pr. ff. de fidej. & mand.* 2. Non apparet unde juramentum habeat vim pacta invalida firmandi, seu convalidandi. ℟. *ad* 1. Jura ista vel correcta sunt per jus Can. & *cit. Auth.* Friderici, vel procedunt de pactis invalidis redundantibus in præjudicium boni communis, tertii, aut continentibus turpitudinem ex parte accipientis; *L. 56. cit.* procedit in casu erroris, quo fidejussor jurat pro liberto, qui libertus non est. *Ad* 2. cum Gonz. & aliis vis ista tribuitur juramento a jure positivo Can. & Civili, idque ob reverentiam nominis divini.

18. Q. V. *Quis relaxare possit juramentum?* ℟. 1. Si est factum soli Deo, relaxari potest ab eo, qui habet facultatem dispensandi in votis. 2. Si factum est homini, & exequutione turpitudo est ex parte recipientis, relaxari potest ab Episcopo, vel alio Prælato jurisdictionem quasi Episcopalem habente; ut juramentum de solvendis usuris, vel dolo, aut metu extortum, *c. 2. de his, quæ vi, c. 8. h. t.* &c. At si juramentum factum homini nullam turpitudinem continet ex parte recipientis; regulariter relaxari nequit, nisi a Papa ex gravi, & publica causa; & in casu urgentis necessitatis probabiliter etiam ab Episcopo, ut colligitur ex S. D. *2. 2. q. 89. a. 9. ad* 3. Ratio est, quia in priori casu, quo turpitudo est ex parte accipientis, nullum acquiritur jus promissario; bene vero in casu posteriori: jus autem quæsitum alteri regulariter nemo potest tollere, nisi supremus Princeps ex causa publica, ergo. Ceterum pro foro externo relaxatio juramenti petenda est ab Episcopo ejus, cui juratum est, quia hic sustinet partes rei, & ad relaxationem juramenti citandus est; ergo jurans ejus forum sequi debet. 3. Princeps secularis non potest directe relaxare juramentum, utpote spirituale, sed indirecte in certis casibus; ut si ex causa publica remittat contractum, & juramentum nomine civis, vel si eum reddat incapacem ad effectum promissionis juratæ &c.

19. Q. VI. *Quid observandum in juramenti interpretatione?* ℟. 1. Juramentum, cum sit inductivum obligationis, est stricte interpretandum *c. 19. de V. S.* 2. Factum in materia juris, secundum hujus dispositionem interpretari, nec ultra extendi debet, *c. 6. de Eccl. ædif. c. 13. de Cler. non resid.* 3. Generaliter bona fide præstitum; interpretandum est secundum intentionem jurantis, S. D. *2. 2. q. 98. a. 2. ad* 3. Sic generale juramentum parendi intelligitur, si justum, portabile, & moderatum præceptum fuerit. 4. Juramentum generale dolo, & verbis callidis præstitum, interpretandum est secundum sanum intellectum recipientis, cui juratur, *Can. quacumque 22. q. 5. quacumque arte verborum quisque juret, Deus tamen qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit,* Reiff. *num.* 38.

Hactenus de jure, & armis actoris, seu de probationibus in genere, & specie: nunc de jure, & armis reorum, seu exceptionibus, & præscriptionibus, quæ reis defendendis conceduntur.

TITULUS XXV.

De Exceptionibus.

Agitur de his in Sexto, & Clement. *h. t.* in Decreto 3. *q. 6. Can.* 2. in Institutionibus *lib. 4. tit. 13.* & 14. in Pandectis *lib. 44. tit. 1. usque ad 6.* & *lib. 21. tit.* 3. In Codice *lib. 8. tit. 36.* 37.

1. *Nota* 1. Exceptionem dici, quod aliquid ex actione capiat, seu tollat: quoad rem *exceptio* est exclusio, aut retardatio actionis, mero jure competentis: & hæc est proprie dicta *exceptio juris*. At si nulla actio actori de jure competat, contra illum de facto agentem datur exceptio impropria, seu *facti*, aut *intentionis*, qua eliditur actio proposita in re non existens; ut si agas ex mutuo, quod mihi non dedisti. Tales sunt exceptiones contractus non celebrati, delicti non facti, soluti, usucapti, non legati, non donati &c.

2. *Nota* 2. Exceptionem varie dividi: 1. In *nominatam*, quæ habet proprium nomen in jure, ut rei judicatæ, jurisjurandi &c. & *innominatam*, quæ proprium nomen in jure non habet, sed generaliter dicitur *exceptio in factum*. 2. In *civilem*, quæ descendit ex aliqua specie juris civilis, ut SCti Maced. Vellej. non numeratæ pecuniæ &c. & *prætoriam*, quæ descendit ex edictis Prætorum ob naturalem æquitatem; ut doli, metus, pacti conventi de non petendo &c. 3. In *realem*, quæ rei, seu causæ cohæret, & consequenter est transitoria ad hæredes, & fidejussores *l. 6. 7. ff. h. t.* ut exceptio doli, metus, rei judicatæ, & pleræque aliæ; & *personalem*, quæ intuitu personæ conceditur propter specialem rationem, v. g. reverentiæ, pietatis, dignitatis; uti est exceptio *competentiæ*, ne certæ personæ teneantur solvere ultra id, quod possunt, salva sua honesta, & competenti sustentatione, sicut pater, maritus &c. & hæc est transitoria, quæ nec ad hæredes, nec ad fidejussores transit, *l. 7. pr. ff. h. t.* 4. In *perpetuam*, quæ semper durat; & *temporalem*, quæ certo tempore opponenda est. 5. In *dilatoriam*, quæ actionem simpliciter non elidit, sed tantum differt, seu retardat; ut exceptio judicis incompetentis, suspecti &c. & *peremptoriam*, quæ actionem simpliciter elidit; ut exceptio metus, SCti Macedoniani &c. *Dilatoriæ* vocantur *temporales*; *peremptoriæ* vero *perpetuæ*, non eo sensu, quia illæ tempore aliquo, & istæ semper durant, sed quia *temporales* actionem in tempus differunt, *perpetuæ* vero, etsi certo tempore proponendæ sint, actionem pro semper perimunt; ut exceptio pecuniæ non numeratæ, quæ est peremptoria perpetua, & tamen intra biennium proponenda *tit. C. de non numer. pecun.* 6. In *justam*, seu *legitimam*, seu *relevantem*, quæ ob justam causam approbatur a jure; & *injustam*, seu *frivolam*, seu *frustatoriam*, quæ ad protelandam litem malitiose opponitur.

3. Q. I. *Quis, & cui opponere possit exceptionem?* ℟. Quicumque reus etiam excommunicatus, vel inhabilis ad agendum, opponere potest actori exceptionem, ejusque hæredibus *arg. l. 143. ff. de R. J. c. 5. h. t.* nam cuicumque defensio a jure naturali conceditur; exceptio autem est species defensionis, & quoad substantiam, juris naturalis: nec obest, quod reus excipiendo fiat actor *l. 19. pr. ff. de prob.* & cons. inhabilis ad agendum, etiam inhabilis esse debeat ad excipiendum: nam reus non fit actor simpliciter, puta aliquid petendo, sed tantum actor secundum quid, & per accidens, scilicet ad probandam suam exceptionem.

4. Q. II. *Quando proponendæ sint exceptiones dilatoriæ?* ℟. Regulariter ante litis contestationem *l. fin. C. h. t.* nam exceptiones istæ litis ingressum, & constitutionem judicii impediunt; ergo proponendæ sunt, antequam litis contestatione judicium constituatur; cujusmodi sunt contra *judicem*, ut exceptio judicis incompetentis, suspecti, excommunicati, juris imperiti, præventionis ab alio judice; contra *actorem*, quia non habet legitimam personam standi in judicio, quia procurator est destitutus mandato &c. item exceptio loci non tuti; feriarum, temporis arctati, seu brevis ad comparendum, libelli inepti, vel obscuri, litis pendentis, plus petitionis, divisionis continentiæ causarum &c. Excipe tres casus *c. 4. h. t.* expressos: si reus protestetur salvas sibi fore exceptiones, quas in scripto exprimere debet: si aliquæ primum post litem contestatam innotescant, vel tunc primo probari possint, si tunc primo emergant: nam quæ de novo emergunt, novo indigent auxilio, *l. 11. §. 8. ff. de interrog.* item si exceptio in continenti post litem contestatam, vel terminum lapsum objiciatur, cum ea, quæ in continenti fiunt, inesse dicantur, *l. 24. C. de prob.* Ceterum, ne lites nimis protelentur, judicis erit præfigere terminum exceptionibus dilatoriis *c. 4. h. t.*

5. Q. III. *Quando proponendæ sunt exceptiones peremptoriæ?* ℟. Regulariter post litem contestatam ante conclusionem in causa, *l. 9. C. h. t. l. 2. C. sent. rescind. non poss.* nam tales exceptiones proprie excludunt, seu perimunt actionem: actio autem excludi, & perimi nequit, nisi ut deducta in judicium. Tales exceptiones sunt: doli, metus, erroris, non numeratæ pecuniæ, pacti de non petendo, jurisjurandi, rei judicatæ, SCti Maced. Vellej. &c. 2. Exceptiones *impropriæ*, seu *facti* opponi possunt etiam ante litem contestatam; ut soluti, usucapti, non donati; uti etiam exceptiones, quæ dicuntur *litis finitæ*; ut judicati, transacti, jurisjurandi litis decisorii: nam frustra fieret contestatio litis, dum actori vel nulla actio de jure competit, vel notorium est actionem istam inutiliter,

liter, & sine effectu proponi. 3. Quædam exceptiones etiam post sententiam opponi valent; ut exceptio, seu allegatio nullitatis sententiæ, restitutionis in integrum contra sententiam, & quæ exequutionem sententiæ impediunt; ut SCti Maced. Vellejan. non numeratæ pecuniæ, competentiæ, compensationis. Secus gravato per sententiam non superest ordinarium remedium, nisi appellationis; & tunc in secunda instantia etiam locus est exceptionibus peremptoriis, exceptis illis, quas reus malitiose in prima instantia non proposuit. 4. Si judex cum causæ cognitione terminum præfixit exceptionibus peremptoriis, eo elapso, non auditur reus *arg. lib. 2. Cod. de re judic.* quia terminus iste juste præfixus erat, adeoque observari debuit: secus dic, si causæ cognitio non præcessit; cum hic agatur de gravi præjudicio rei. Ceterum judicis non est supplere exceptiones; cum non agat officium partis litigantis, excepta exceptione extra excommunicatum vitandum, & his, quæ ipso jure elidunt actionem; ut soluti, usucapionis &c. cum enim re ipsa nulla actio competat actori, judex ex officio eum repellere debet ab agendo *arg. l. 7. ff. de postulando.*

6. Q. IV. *Quando proponendæ sint exceptiones anomala, seu irregulares?* ℞. Cum regulam communem non sequantur, proponi possunt ante, vel post litem contestatam; ut exceptio judicis incompetentis omnino, excommunicationis majoris, termini angusti, feriarum, gravaminis successivi, loci non tuti, suspecti, & omnes illæ, quæ reddunt processum retro nullum, ut falsi procuratoris, *l. 24. C. de probat.*

7. Q. V. *Quæ sit forma servanda in proponendis exceptionibus?* ℞. 1. Exceptiones scripto, vel viva voce proponendæ sunt clare, & determinate, ut jus, & causa excipiendi appareat, *arg. l. 48. ff. de procur.* Si autem in modum actionis proponitur exceptio, uti non numeratæ pecuniæ, regulariter in scriptum redigenda est. 2. Inter exceptiones dilatorias observatur ordo, ut prius opponantur contra judicem, quia est incompetens, suspectus, infamis; deinde contra rescriptum, quia est vitiosum, ob, vel subreptitium; tum contra personam actoris, vel procuratoris; & tandem contra ipsam causam, locum, libellum &c. 3. Cumulari possunt plures exceptiones, etiam contrariæ *lib. 8. ff. hoc tit.* quia pluribus defensionibus uti nemo prohibetur *reg. 20. in 6.* etsi ad speciem contrariæ sint; ut exceptio pecuniæ non numeratæ, & debiti soluti, privilegii, & præscriptionis &c. nam reus asserit non utramque exceptionem esse veram, sed si actor contra unam probaverit, se velle probare secundam. In quo genere partes rei sunt favorabiliores, quam partes actoris, *quia, quoties concurrunt plures actiones ejusdem rei nomine, una experiri debet, l. 43. ff. de R. J.*

8. Q. VI. *Quis sit effectus exceptionum?* ℞. 1. Reus excipiendo fit actor, puta secundum quid ad probandam suam exceptionem, *l. 19. pr. ff. de prob.* 2. Exceptio rite probata excludit id, contra quod objicitur, ita ut dilatoria retardet processum, & peremptoria ipsam actionem elidat. 3. Si ratione *peremptoriæ* sententia lata est pro reo, oritur exceptio rei judicatæ. 4. Si reus in probatione exceptionis defecerit, non ideo statim actor vincit, sed ubi intentionem suam probaverit. Unde reus *exceptionem objiciens, non videtur de intentione adversarii confiteri, reg. 64. in 6. c. 6.* & *l. 9. ff. h. t.* nam exceptio ex natura sua est ad elidendam intentionem, seu actionem actoris; ergo contrarium effectum non potest operari, scilicet confessionem intentionis adversarii. Sic reus dicendo actori debitum repetenti: *jam solvi*, non fatetur se mutuum accepisse, sed conditionate, si mutuum accepi, jam solvi: nam istæ illationes non sunt bonæ: *solvi, ergo debui, permutavi, ergo fui dominus*; potuit enim solutio, & permutatio esse de facto, & per errorem, non vero de jure, & obligatione. Excipe, nisi cum exceptione accedat etiam confessio rei, sicut *c. 10. de transact. c. 34. v. fuit, de elect.*

Exceptiones in specie sunt.

9. I. *Exceptio excommunicationis* potest opponi actori a reo pariter excommunicato *c. 2. h. t.* quia non defensio, sed actio, aut reconventio excommunicato negatur, *c. 5. eod.* Opus est autem, ut reus speciem, & nomen excommunicationis exprimat, intra octo dies eam probet; alias judex in causa procedet. Nec ultra bis eadem excommunicatio objicienda est, sed si secunda vice probata non fuerit, tertio non admittitur; quia præsumitur malitiose opponi, *c. 1. hoc tit. in 6.* Porro excommunicatio dupliciter opponitur: *peremptorie*, dum inducit nullitatem actus; ut si excommunicatus eligatur, vel beneficium ei conferatur, *c. 7. de Cler. excom. dilatorie* dum prohibet actorem stare in judicio. Si autem post rem judicatam objiciatur, sententia quidem valet per *reg. 73. in 6.* sed ejus exequutio suspenditur, ne excommunicatus agere ad exequutionem videatur, *cit. c. 1. h. t. in 6.*

10. II. *Exceptio pluralitatis beneficiorum* non potest ab eo opponi, qui plura beneficia obtinet, *c. 3. h. t.* quia non licet in aliis reprobare, quod quis in se ipso approbat, nec prohibere alterum eo jure uti, quo ipse utitur *arg. rubr. ff. quod quisque juris.* Si tamen alii idonei deessent, posset talis nomine Ecclesiæ excipere contra pluralitatem beneficiorum, ne Ecclesia per hoc lædatur, ejusque cultus minuatur: nam delictum personæ non debet nocere Ecclesiæ; ergo, non obstante proprio vitio, potest quis contra hanc pluralitatem excipere, ostendendo, quod requisita residentia adimpleri, & divina officia rite peragi nequeant.

11. III. *Exceptio criminis* contra testem probata, repellit eum a dicendo testimonio; non tamen sufficit ad pœnam ordinariam, *c. 1. h. t.* nisi delictum cohærens sit negotio principali *l. 2. §. 5. 6. ff. ad L. Jul. de adult.*

12. IV. *Exceptio rei judicatæ* est proprie dicta exceptio; nam sententia actionem penitus non extinguit, cum non sit modus solvendæ obligationis: ita *§. 4. In. de except.* & *tit. ff. de except. rei jud.* locum habet inter easdem personas, in eadem actione, & eadem causa, seu medio agendi, *c. 13. h. t.* Alioquin non procedit, sive sint diversæ personæ, sive diversum corpus, aut res, quæ petitur, sive diversa causa petendi; ut si petii fundum ex causa legati, licet victus fuerim, potero eumdem fundum petere ex causa dominii, vel donati &c. unde reo absoluto, quia non possidebat, si iterum possidere incipiat, non prodest exceptio rei judicatæ, *c. 13. h. t. ex l. 17. ff. de except.* vide disput. meas civil. *disp. 19. contr. 5.*

13. V. *Exceptio metus, seu quod metus causa* competit ei, qui metu injusto aliquid promisit dare, ut actorem id petentem repellat.

14. VI. *Exceptio doli*, competit ei, qui dolo inductus aliquid alteri promisit, v. g. dixisti te esse civem nicolspurgensem, ego tibi promisi mutuum, interim rescio te esse hominem vagum.

15. VII. *Exceptio erroris* competit ei, qui errore lapsus aliquid stipulanti promisit, quod promittere non debuerat; ut si putans me tibi debere 100. eos tibi stipulanti promittam. Error autem iste debet esse tantum in causa, ut ipso merito jure subsistat factum: si enim error sit in corpore, seu substantia, vel in persona, vel in specie contractus, non habet locum exceptio juris; quia ex actu nullo nulla nascitur obligatio, & consequenter neque exceptio proprie dicta elisiva actionis; sed sola tunc procedit exceptio facti; seu allegatio nullitatis actus, Manz. a *n. 9. h. t.* Porro cum exceptio erroris non habeat nomen proprium in jure, vocari solet *exceptio in factum*.

16. VIII. *Exceptio non numeratæ pecuniæ* competit ei, qui spe futuræ numerationis chirographum scripsit, & tamen pecuniam numeratam non accepit: talis enim scribens, saltem civiliter obligatur ex contractu chirographario; neque tamen æquum est, eum condemnari ad solvendum, quod non accepit: ac proinde hac exceptione se tuebitur, dummodo illam proponat intra biennium, *§. 2. h. t.* an vero post biennium eam proponere possit, vide in meis disp. civilib. *disputat. 12. contr. 6.*

17. IX. *Exceptio pacti de non petendo* competit debitori, cum quo pactus est creditor, quod debitum repetere nolit, vel ab eo tantum; & tunc ille solus liberatur, & non hæredes ejus; vel a nullo, & tunc exceptio ista prodest etiam hæredibus debitoris: nam tali pacto prior obligatio non tollitur, cum pactum non sit modus tollendi obligationem *l. 27. §. pactus, ff. de pactis*, sed tantum ex illo nascitur exceptio, qua creditoris actio elidatur, *§. 3. h. t. in Inst.*

18. X. *Exceptio jurisjurandi* competit ei, qui juravit rem ſuam eſſe, vel ſe non debere, ſi tale juramentum ab actore ei delatum ſit, §. 4. *eod.* Hæc exempla exceptionum affert Imp. *tit. In. de except.* quibus plura alia addi poſſunt ex digeſtis.

19. XI. *Exceptio reſcripti moratorii*, ſeu *dilatorii* competit debitori ex caſu facultatibus lapſo, cui Princeps dilationem debiti concedit ad certum tempus, ut triennium, vel quinquennium. Et cum dilatio iſta minuat debitum illud differendo, ſequitur hanc exceptionem eſſe realem, & conſequenter fidejuſſori competere, ſicut alias exceptiones reales, *l. 7. ff. h.t. l. fin. in fin. C. de uſur. rei jud.*

20. XII. *Exceptio competentiæ* conceditur marito, patri, patruo, ſocio, donatori §. 37. & *ſeq. In. de act.* militi terreſtri *l. 6. ff. de re jud.* & militi cœleſti, ſeu Clerico, *c. 3. de ſolut.* ne in ſolidum condemnetur. ſeu quam poſſint, ſalva competenti, & honeſta ſuſtentatione. Hæc exceptio eſt pure perſonalis, adeoque perſonam non egreditur, nec directe prodeſt fidejuſſori, *l. 7. pr. ff. h.t.* ſed ſolum indirecte, quatenus fidejuſſor conventus a creditore adigere poteſt debitorem principalem, ut is, ſuſcepto judicio in propria perſona, opponat exceptionem competentiæ *l. 10. §. penult. ff. mandati.*

21. XIII. *Exceptio de eo*, quod onerandæ, ſeu comprimendæ libertatis cauſa factum eſt; ut ſi dominus ſervum ultro manumittat, & deinde ab eo pecuniam ſtipuletur, non tam, ut eam exigat, quam ut libertum ſibi obnoxium, reverentem, ac timentem habeat, *l. 1. ff. quar. rer. actio non detur.*

Sunt præterea aliæ innumeræ exceptiones, ut SCti Maced. Vellejani, ceſſionis bonorum, quæ perſonalis eſt, querelæ inofficioſi, minoris ætatis, litigioſi, dum res litigioſa alienatur, compenſationis, tranſactionis &c.

22. Q. *Quid ſit replicatio, & quid juris circa eam?* ℞. 1. Replicatio eſt exceptionis eliſio, qua actor reum contra ſe excipientem repellit, *l. 2. ff.* & *l. 10. C. h.t.* & *pr. In. de replicat.* ubi cauſa ponitur, cur admittendæ ſint replicationes contra exceptiones: quia *interdum evenit, ut exceptio, quæ prima facie juſta videtur, tamen inique noceat.* 2. Contra actoris replicationem opponitur a reo duplicatio, & contra hanc ab actore triplicatio, & contra hanc a reo quadruplicatio &c. ne vero in infinitum procedatur in replicationibus, judicis erit terminum eis præfigere, ſicut in Cam. Imperiali in dilatoriis non proceditur ultra duplicam, & in peremptoriis ultra triplicam Accipe exemplum: convenio te ex locato, ut ſolvas mercedem, tu dicis pactum fuiſſe de ſolvendo poſt duos annos (*hæc eſt exceptio*) contra oppono tranſactionem, qua tibi remiſi unum ſolidum (*hæc eſt replicatio*) tu dicis huic tranſactioni te conſenſiſſe ex metu (*hæc eſt duplicatio*) ergo contra dico hunc metum fuiſſe vanum, & levem &c. (*hæc eſt triplicatio*) & ſic de ceteris.

TITULUS XXVI.

De Præſcriptionibus.

Agitur de his in Sexto *h.t.* in Decreto *16. q. 3. 4.* in Inſtitution. *lib. 2. tit. 6.* in Pandectis *lib. 41. tit. 3. uſque ad 11.* & *lib. 44. tit. 3.* in Codice *lib. 7. tit. 21. uſque ad 41. Nov. 9.*

1. *Nota* 1. In Pandectis rubricam ſcribi: *De uſurpationibus, & uſucapionibus*, ordine præpoſtero; cum uſucapio ſit prior, poſterior vero uſurpatio, quæ eſt uſucapionis interruptio *l. 2. ff. h.t.* adeoque prius agendum de uſucapionibus, quam uſurpationibus.

2. *Nota* 2. Uſucapionem, & præſcriptionem hodie ſynonimice uſurpari, poſtquam differentia inter res mancipi, & non mancipi ſublata eſt per Juſtinianum *l. un. C. de nudo jure Quir. toll. l. un. C. de uſucap. transfor.* Ex modo tamen ſignificandi *uſucapio* eſt modus acquirendi dominium: *præſcriptio* vero eſt ſpecies exceptionis peremptoriæ, non quidem proprie talis, cum nullam præſupponat actionem de jure, quam perimat; ſed improprie talis ſeu *facti*; quia repellit actorem ab agendo, utpote actione deſtitutum; quæ ratio ſufficiens eſt, cur in jure Can. & Pandectis poſt *tit. de exceptionibus*, ſubjungatur *titulus de præſcriptionibus*; licet præſcriptio latius ſumatur etiam pro exceptione *tit. ff.* & *C. de except.* & *præſcript.*

3. *Nota* 3. Præſcriptionem dupliciter ſumi: *in fieri*, prout eſt actus continuativus poſſeſſionis necdum tempore completæ; quo ſenſu dicitur: *præſcriptio non currit, dormit, interrumpitur* &c. *in facto eſſe*, prout eſt jus quæſitum ex poſſeſſione legitimo tempore continuata; quo ſenſu definitur a Modeſtino *l. 3. ff. h. t. Uſucapio eſt adjectio dominii per continuationem poſſeſſionis temporis lege definiti.* Dicitur 1. *adjectio*, ſeu adeptio, vel *poſitiva*, qua acquirimus rem, vel jus alienum; & tunc utimur accuſativo, v. g. præſcripſi fundum, decimas, jus venandi &c. vel *privativa*, ſeu *extinctiva*, qua jus alienum in re noſtra extinguimus; & tunc utimur dativo: præſcripſi decimis, juri venandi. Dicitur 2. *dominii*, late ſumpti pro quocumque jure. Per ceteras particulas intelliguntur requiſita de jure neceſſaria ad præſcriptionem, de quibus infra.

4. *Nota* 4. Præſcriptionem dividi 1. in *ordinariam*, ſeu *longi temporis*: qua res mobilis triennio, immobilis vero decennio inter præſentes, & vicennio inter abſentes præſcribitur. *Extraordinariam*, ſeu *longiſſimi temporis*, quæ tempore 30. vel 40. annorum completur, & *Immemorialem*, cujus initium excedit memoriam hominum, ſive lapſum ſit tempus centum, ſive plurium, aut pauciorum annorum. 2. In *odioſam*, quæ in odium negligentiæ, & ſomnolentiæ poſſeſſorum res ſuas non curantium introducta eſt, ut olim de jure civ. præſcriptio 30. an. cum mala fide; *Favorabilem*, quæ introducta eſt in favorem poſſidentis propter bonam fidem, & juſtum titulum, uti triennalis in mobilibus: & *mixtam*, quæ introducta eſt partim ob odium negligentis, partim ob favorem poſſidentis bona fide, & juſto titulo; uti præſcriptio 10. vel 20. ann. 3. In *poſitivam*, qua jus alienum nobis acquiritur: & *privativam*, quia jus alienum in re noſtra extinguitur; ut ſi præſcribas ſervituti, quam vicinus habet in tuo fundo.

5. *Nota* 5. Requiſita legitimæ præſcriptionis eſſe quinque: I. eſt materia apta præſcribi. II. poſſeſſio. III. tempus. IV. titulus. V. bona fides, juxta hunc verſiculum, *Sit res apta, fides, titulus, poſſeſſio, tempus.*

§. I.

De origine, juſtitia, ſubjecto, & effectu præſcriptionis.

6. Q. I. *Quo jure introducta ſit præſcriptio?* ℞. Jure civili Romano ex *L. XII. Tabb.* & ad præſentem formam reducta per conſtitutiones Juſtiniani, atque per jus Can. approbata, & quoad bonam fidem reformata: ita conſtat ex integris titulis de uſucapionibus *tit. C. de uſucap. refor.* & in jure Can. *h. t.* præſertim *c. 5. & fin.* Cauſa autem principalis introducendæ præſcriptionis fuit *bonum publicum*, ne rerum dominia manerent incerta, & confuſa *l. 1. ff. h. t.* ne tribunalia, & poſſeſſores rerum continuis litibus vexarentur, *l. fin. ff. pro ſuo l. 7. C. de præſcr. 30. vel 40. an.* & cultura agrorum negligeretur propter dubium dominium. Cauſa ſecundaria fuit, ut hoc modo excitaretur diligentia hominum ad res ſuas inveſtigandas, & amiſſione dominii, vel aliorum jurium puniretur ſocordia dormitantium *l. 5. h. t.*

7. Q. II. *An præſcriptio ſit juſta in foro conſcientiæ?* ℞. Affirmative: ita com. DD. contra Alciat. Adrian. & alios paucos. Ratio eſt, quia Princeps vi dominii alti ob gravem, & publicam cauſam poteſt dominium ab uno ſubdito transferre ad alterum; hoc enim non excedit ejus poteſtatem, cum omnia bona ſubditorum deſervire debeant communi bono, & felicitati Reipublicæ; ſed adſunt graves, & publicæ cauſæ mox enumeratæ, quæ militant pro juſtitia præſcriptionis, ergo: tum quia jus Can. approbat præſcriptiones, & corrigendo malam fidem, vult eas eſſe ſine peccato mortali, *c. fin. h. t.* ergo cenſet illas eſſe juſtas, non tantum pro foro externo, ſed & interno. Unde qui legitimo tempore rem præſcripſit, etſi poſtea reſciat rem fuiſſe alienam, licite eam retinet, quia jam ſua eſt, cum præſcriptio dominia, & jura ab uno ad alterum transferat. *Dices*: attento jure naturali, nemo debet cum alterius jactura locupletari, *reg. 48. in 6.* & ideo Imp. *Nov. 9.* præſcriptionem vocat *impium præſidium*, & *improbam temporis allegationem.* ℞. Dicta regula, uti & jus naturale non extenditur ad caſum, in quo ſuprema poteſtas ob cauſas publicas dominium ab uno transfert in alterum;

terum; tunc enim jure, & sine ulla injustitia conceditur locupletatio ex re, quæ antea fuit aliena. Imp. vocat præscriptionem *impium præsidium* pro eo tempore, quo præscriptio cum mala fide fiebat, etiam contra Ecclesias.

8. Q. III. *Quis, & contra quem præscribere possit?* ℞. *ad* 1. Regulariter omnis præscribere, qui & nomine suo rem alienam possidere potest: nam præscriptio generaliter est permissa omnibus; & sic præscribere valet infans, tutore auctore, pupillus, vel minor etiam sine tutore, aut curatore, si animum usucapiendi habeant *l.* 11. *ff. de A. R. D.* furiosus, vel amens, si ante furorem, vel amentiam possidere incœperunt, *l.* 4. §. 3. *ff. h. t.* E contra præscribere nequeunt infantes, & rationis usu carentes, nisi eorum judicium ad principium possessionis suppleatur auctoritate tutoris, vel curatoris *l.* 32. §. 2. *ff. de acq. poss.* uti nec illi, qui alieno nomine possident, ut coloni usufructuarii quoad proprietatem &c. ℞. *ad* 2. Præscriptio procedit contra omnes, nisi specialiter excipiantur. Excipiuntur autem omnes illæ personæ, quæ in judicio stare, bona sua administrare, & defendere nequeunt; uti est pupillus, filiusf. quoad bona adventitia, captivus, prodigus, cui bonorum administratione interdictum est, nisi res præscribi cœpisset ante prohibitionem, vel bona fide ad tertium pervenisset: nam non est æquum eorum bona præscribi, qui illa tueri non possunt.

9. Q. IV. *Qui sint effectus præscriptionis?* ℞. 1. *Acquisitio dominii* non tantum utilis, sed etiam directi in rebus comporalibus sive mobilibus, sive immobilibus: ita com. contra Bart. Bald. Felin. docentes in rebus immobilibus præscribi solum dominium utile: nam usucapio dicitur simpliciter *adjectio dominii*, quod pro principaliori significat directum: tum quia alias non obtineretur finis præscriptionum, cum circa dominium directum plurimæ lites suscitari possent. 2. *Exceptio* non quidem juris, & proprie talis, sed facti dumtaxat, qua repellitur adversarius rem usucaptam reperens, *l.* 11. *C. de præscr. long. temp.* 3. *Actio realis* saltem utilis pro vindicanda re usucapta *l. pen. pr. C. de præscr.* 30. Ex his sequitur præscribentem fieri securum de acquisito jure tanquam suo; vel si præscriptio est privativa, de extincto jure alieno, & propria libertate recuperata.

10. Q. V. *An pactis privatorum renuntiari possit præscriptioni?* ℞. Affirmative: nam licet præscriptio introducta sit propter bonum publicum, tamen favorem privatorum concernit ultimate, & in effectu; ergo huic favori renuntiari potest: tum quia præscriptio tunc tantum est necessaria bono publico, dum contra alterum invitum exercetur, ne dominia sint incerta, & lites oriantur; ergo si duo paciscantur, ne procedat usucapio, nihil præjudicatur bono publico, cum nec sequatur incertitudo dominiorum, nec litium multitudo, sed præcise indultum a jure beneficium non acceptetur.

§. II.

De materia, possessione, & tempore ad præscriptionem requisitis.

11. Q. I. *Quæ res præscribi possint?* ℞. Generaliter omnes, sive corporales, sive incorporales, nisi specialiter excipiantur. Ex his aliæ ex natura sua, aliæ ex juris prohibitione, vel nunquam, & a nullo, vel ordinario tempore, & a quibusdam personis præscribi nequeunt, videlicet.

12. *Res natura sua* præscribi non possunt, quæ sunt extra commercium humanum: 1. *Res sacræ*, ut altaria, calices, templa, cœmiteria, monasteria &c. §. 1. *In.* & *l.* 19. *ff. h. t.* nam res istæ possideri nequeunt; ergo nec præscribi. At jus sepeliendi in certo cœmiterio est præscribibile *l.* 6. *ff.* & *l.* 6. *C. de Religios.* 2. *Res sanctæ*, quæ speciali sanctione defenduntur a violatione hominum, ut muri, & portæ civitatis *l.* 8. 9. *ff. h. t.* & Rom. Imperium, quod etiam *sacrum* dicitur. 3. *Res publicis usibus deputatæ*, ut forum, plateæ, fontes, curiæ, theatra &c. licet populus uti eis desierit, *l.* 2. *ff. de via publ.* 4. *Homo liber*, ut fiat servus §. 1. *h. t.* si tamen servus per 20. an. bona fide pro libero se gerat, præscribit servituti contra dominum, & fit liber, *l. fin. C. de præscr. long. temp.* 5. *Jurisdictio papalis* in totam Ecclesiam a Christo data summo Pontifici; uti nec alia, quæ sunt juris divini, præscribi possunt, v. g. Sacramenta, actus ordinandi, confirmandi, & alia pontificalia exercitia obeundi ab eo, qui non est tali charactere instructus. Sic neque quis matrimonium cum impedimento dirimente contractum præscribet, etsi longissimo tempore se pro marito gerat. 6. *Res meræ facultatis:* seu arbitrii, quæ citra ullam obligationem, aut conventionem permittuntur; ut si sæpius ad prandium gratuito voceris, vel ludere in horto permittaris, *l.* 2. *ff. de via publ.* nisi utens bona fide constituat se in quasi possessione juris exigendi tales actus.

13. *Res ex prohibitione juris* præscribi vetitæ sunt: 1. Jura majestatis majora, quæ Principi dantur in recognitionem supremi principatus, ut esse exemptum a legibus, a judicio Principis, a vectigalibus &c. nisi quis desineret esse subditus. Minora autem regalia præscribuntur; ut jus cudendi monetam, indicendi tributa pro bello, legitimandi &c. modo fit præscriptio quadragenaria cum titulo, & immemorialis sine titulo, *l.* 4. §. 2. *ff. de publican.* 2. *Limites* parochiarum, & episcopatuum *c.* 4. *de paroch. c.* 9. *h. t.* ne jurisdictiones confundantur, & perturbentur. Ipsa tamen terra, aut locus, ubi limes prefixus est, uti etiam limites prædiorum Ecclesiasticorum præscribi valent. 3. *Res pupillares*, nisi usucapio completa fuisset pupillo adhuc in utero existente; quo casu pupillus habet beneficium restitutionis in integrum, *l.* 45. *ff. de minor. l.* 3. *C. de præscr.* 30. *auth. nisi tricennale C. de bon. matern.* 4. Juri visitationis, & obedientiæ subditus non præscribit extinctive, ut nulli subsit, sed tantum translative, ut non huic, sed alteri Prælato pareat; *cap.* 16. *hoc tit.*

14. *Res, quæ ex juris dispositione* a certis personis præscribi non possunt, sunt. 1. *Res hæreditariæ*, aut communes, quæ antequam dividantur, ab uno cohærede, aut socio non præscribuntur, cum nomine omnium possideantur, *l.* 10. *ff. quemadm. serv. amitt.* 2. Jura spiritualia, ut eligendi, instituendi in beneficiis &c. a laicis non præscribuntur, quia nec possidentur *c.* 7. *h. t.* exceptis iis, ad quæ laici generaliter a jure habilitati sunt; uti est jus patronatus, sepulturæ &c. 3. Beneficia Ecclesiastica in titulum obtenta sine titulo non præscribuntur a Clericis, *c.* 1. *de reg. in* 6. & multo minus, ut ex beneficialibus fiant patrimonialia Clericorum. Nec obstat *c.* 11. *de jure patr.* ibi: *nisi legitima fuerit præscriptione munitus*: nam ibi sermo est de beneficiis obtentis, quoad proprietatem, sicut quandoque monasteriis donari solent. 4. *Res furtivæ, vel vi occupatæ* a fure, & male fidei possessore nunquam: a tertio vero bonæ fidei possessore, quamdiu affectæ sunt vitio reali furti, aut violentiæ, usucapi non possunt, donec purgetur vitium reale per tempus longissimum 30. vel 40. ann. vel fur fiat hæres illius, cui furatus est, §. 2. 3. *In. h. t. & l.* 3. 4. *C. de præscr.* 30. *l.* 42. *ff. h. t.* At si hæres bona fide rem, quam defunctus habuit commodatam, aut locatam, vendendo, vel in dotem dando, tradat tertio bona fide accipienti, is ordinario tempore eam usucapiet, cum nullo vitio reali affecta sit, §. 4. *In. h. t.* nam in odium furti, lex XII. Tabb. & lex Attilia, & in odium violentiæ lex Julia, & Plautia prohibuit usucapionem: ergo ubi non est furtum, aut violentia, locus erit usucapioni. Sic etiam bonæ fidei possessor, licet ancillam furtivam non usucapiat, tamen partum ejus usucapere potest. §. 5. *In hujus titul.* quia ancilla, & non partus afficitur vitio reali furti. Dantur præterea aliæ res, quæ ordinario tempore non præscribuntur, de quibus infra.

15. Q. II. *An, & qualis possessio ad præscribendum requiratur?* ℞. *Ad* 1. affirmative *ex l.* 25. *ff. h. t. sine possessione usucapio contingere non potest*, & *reg.* 3. *in* 6. *sine possessione præscriptio non procedit*. Ex quibus natum est hoc brocardicon: *tantum præscribitur, quantum possidetur*. Sufficit autem in rebus incorporalibus quasi possessio, qua jura possideri dicuntur. ℞. *Ad* 2. possessio ad præscribendum necessaria debet esse. 1. *Nomine proprio*, seu *opinione domini*, seu ut quis rem sibi tanquam suam possideat, sive deinde possessionem istam voces civilem, sive naturalem,

de

de quibus vocibus hic non disputo: sic enim & solum dominium utile, & solus usufructus, & servitus præscribuntur. Id vero, quod quis alieno nomine possidet, non sibi, sed principali suo usucapit, ut colonus, inquilinus &c. 2. Debet esse *continua*, & *non interrupta* §. 12. *In. h. t.* & *c.* 8. *eod.* quia interruptio contraria est præscriptioni; sufficit autem possessio, sive continuetur ab uno, sive successive a pluribus possessoribus; cum jus admittat accessionem temporum, & possessionum; ita ut possessio antecessoris numeretur cum possessione successoris, si aliud non obstet, *cit.* §. 12. *In. h. t.*

16. Q. III. *Quantum tempus requiratur ad præscribendum*? R. Pro varietate rerum quandoque requiritur tempus *breve*, quod est minus decennio; quandoque *longum*, quod est spatium 10. annorum inter præsentes, & 20. inter absentes, qui in diversa provincia, vel in notabili distantia sub diversis judicibus ejusdem provinciæ morantur; quandoque longissimum 30. vel 40. annorum; & quandoque *immemoriale*, cujus initii non datur memoria. Porro hoc tempus in usucapione rerum computatur civiliter, seu de die in diem, *l.* 15. *ff. de diversf. & temp. præscript.* ibi: *in usucapione ita servatur, ut etiamsi minimo momento novissimi diei possessa res sit, nihilominus repleatur usucapio, nec totus dies exigitur ad explendum constitutum tempus*: idem docet Ulp. *l.* 6. 7. *ff. h. t.* At in præscriptione extinctiva actionum personalium tempus computatur mathematice de momento ad momentum; ut, si actor ultimo diei momento veniat, repelli non possit, *l.* 6. *ff. de O. & A. pr. in omnibus temporalibus actionibus, nisi novissimus dies totus compleatur, non finit obligationem.* Jam in particulari quærendum, quid quo tempore præscribatur?

17. Q. IV. *Quanto tempore præscribantur res corporales*? R. 1. Res mobiles, etiam pretiosæ, vel Ecclesiæ romanæ cum titulo præscribuntur triennio, sublata annali præscript. *pr. In. h. t.* & *l. un. C. de usucap. transfor.* & quia dispositio ista non est correcta per jus Can. neque per *auth. quas actiones, C. de SS. Eccl.* quæ solum loquitur de præscriptione immobilium, merito DD. tenent res mobiles Ecclesiæ, etiam romanæ præscribi triennio cum titulo, licet Abb. Host. Azor, & alii idem privilegium attribuant rebus mobilibus, quod immobilibus Ecclesiarum. Id tamen recte concedi videtur rebus valde pretiosis, cum hæ æquiparentur immobilibus. R. 2. Res immobiles privatorum usucapiuntur decennio inter præsentes, & vicennio inter absentes cum titulo, & bona fide, *cit. l. un.* & *l. fin. C. de præscr. long. temp.* sine titulo autem spatio 30. an. *l.* 3. 4. *C. de præscr.* 30. & quia de præscriptione rerum mobilium sine titulo, nullum speciale jus est proditum, sequitur & istas sine titulo usucapi spatio 30. an.

18. Q. V. *Quanto tempore res corporales privilegiatæ præscribantur*? R. 1. *Bona fiscalia* jam ærario principis incorporata, non præscribuntur longo tempore §. 9. *In. h. t.* sed longissimo 40. annorum *arg. l.* 4. *C. de præscr.* 30. ubi statuitur omne jus sive privatum sive publicum spatio 40. an. extingui. At bona fisco non incorporata, si quidem ei denunciata non sint, usucapiuntur longo tempore 10. an. *l.* 18. *ff. h. t.* si vero denunciata sint, præscribuntur contra fiscum quadriennio, *l.* 1. *C. de quadr. præscr.* Quod si ex delicto sint fisco aperta, seu *commissa*, v. g. ob vectigal non solutum, quinquennio præscribuntur contra fiscum *l.* 2. *C. de vectigal.* Illud privilegium fisci §. *fin. In. h. t.* & *l.* 2. 3. *C. de quadr. præscr.* ut emens a fisco statim securus sit, & fiat dominus rei emptæ, hodie non viget, teste Perez, quem laudat Koes in *cit.* §. *fin. h. t.* atque ita possessor, qui rem alienam emit a fisco, vel principe, conveniri potest, teneturque laudare auctorem. 2. Ut res allodialis in feudalem, & feudalis in allodialem, vel feudum ab uno vasallo in alterum transeat, requiruntur 30. anni, 2. *F.* 26. §. *si quivero.* Cui non obstat 2. *F.* 40. *praterea* ibi: *nulla obstante præscriptione revocare*: nam textus iste intelligitur de præscriptione ordinaria longi temporis. 3. *Res alienari prohibitæ* absolute, ut majoratus, primogenituræ, fideicommissa, prædia dotalia, non inducuntur, nisi spatio 40. an. cum titulo, & tempore immemoriali sine titulo; ut vero extinguantur in præjudicium successorum, videtur requiri tempus immemoriale, propter prohibitionem alienationis a primo instituente factam: ita Covar. Fachin. & alii, licet circa hæc maxime attendi debeant locorum statuta, & consuetudines. 4. *Res minorum* non usucapiuntur, nisi spatio triginta annorum *l.* 3. *C. de præscr.* 30. 5. *Res civitatibus*, vel pagis donatæ, venditæ; aut legatæ, sed necdum traditæ, non præscribuntur, nisi spatio centum annorum *l.* 23. *c. de SS. Eccles.* neque hoc privilegium coarctatum est ad 40. annos per *Auth. quas actiones eod.* nam Authentica ista loquitur solum de Ecclesiis, non de civitatibus. 6. Res immobiles Ecclesiæ romanæ, uti & jura particularia eis cohærentia, non præscribuntur, nisi spatio centum annorum. Ita *c.* 13. 14. 17. *h. t. c. fin. eod. in* 6. & *Auth. quas actiones. C. de SS. Eccl.* quibus juribus cedere debent anteriora, quæ in hoc puncto vel sunt ambigua, vel minus quid contra Ecclesiam romanam concedunt. Hoc privilegium continet sub se jura exemptionum Sedi Apostolicæ quæsita, jura feudorum, & alia similia. Si tamen vasallus alius præ alio præstaret obsequia Ecclesiæ romanæ scienti, sufficeret præscriptio 30. annorum, cum per hoc nullum præjudicium fiat Ecclesiæ, sed tantum vasallo alteri. 7. Res immobiles aliarum inferiorum Ecclesiarum præscribuntur spatio 40. annorum: ita *c.* 4. 6. *h. t.* ubi corriguntur jura anteriora a *Can.* 1. 2. &c. 16. *q.* 3. quibus tantum 30. anni concedebantur; jus vero civile concedens præscriptionem centenariam *l.* 23. *C. de SS. Eccl.* correctum est per *seq. auth. quas actiones eod.* Hæc quadragenaria præscriptio competit omnibus monasteriis, & locis Religiosis: imo ex novis privilegiis, quæ monasteriis Cisterciensibus data, & a Leone X. & Pio IV. Ordinibus mendicantibus communicata sunt, sola centenaria præscriptio procedit contra illa, Rodriq. *qq. Regg. tom.* 1. *q.* 36. *ar.* 3. Sed privilegium hoc non extenditur ad bona propria Clericorum, nisi essent bona indivisibilia communia Ecclesiæ, & Clerico: tunc enim Ecclesia privilegiata traheret ad se Clericum non privilegiatum, *arg. l.* 10. *ff. quemadm. servit. amitt. Hæc de rebus corporalibus.*

19. Q. VI. *Quanto tempore res incorporales, jura, actiones, & obligationes præscribantur*? R. 1. Omnis servitus rustica, & urbana, ususfructus, usus, habitatio, jus venandi, piscandi &c. regulariter acquiritur præscriptione ordinaria 10. vel 20. annorum cum titulo *l. fin. in fin. C. de præscr. long. temp. l.* 1. 2. *C. de servit.* Nec obstat *l.* 14. *ff. de servit. l.* 4. §. *fin. ff.* & *l.* 43. §. 1. *ff. de A. R. D.* nam lex Scribonia prohibens usucapionem servitutum sublata est per jura posteriora: quia vero in servitute discontinua, ut itinere, via, actu, usus non facile admittitur, plerumque ad eam sine titulo præscribendam requiritur tempus longius, licet ordinarium sufficere dicant Fachin. Struv. & alii ob generalitatem jurium citt. & *l.* 5. §. *pen. ff. de itin. actuque priv.* & *l.* 10. *ff. si servit. vind.* Eodem tempore quo acquiruntur, etiam præscriptione extinguuntur servitutes, & similia jura, *l.* 13. *C. de servit. urb. præd.* modo tamen diverso; nam servitutes rusticæ amittuntur solo non usu; at servitutes urbanæ non amittuntur, nisi vicinus facto contrario, quo se constituat in quasi possessione suæ libertatis, bona fide incipiat, & compleat jus libertatis, v. g. obstruendo foramen, quo tignum esset immittendum, altius tollendo ædes &c. vide Civilistas ad *tit. de servitutib.*

20. R. 2. Si jus commune resistat præscribenti, & positive assistat ei, contra quem præscribitur, fundando ejus intentionem, jus aliquod non præscribitur, nisi 40. annis cum titulo, & tempore immemoriali sine titulo: ita expresse decidit Bonif. VIII. *c.* 1. *h. t. in* 6. quo proinde jura anteriora *c.* 6. & 15. *h. t.* si quid contrarium statuunt, reformantur: nam in tali casu jus præsumit malam fidem in præscribente, nisi præsumptio ista elidatur per ostensionem tituli, vel per possessionem privilegiatam temporis immemorialis. Sic quia Episcopo jus assistit quoad jurisdictionem in omnibus Ecclesiis suæ diœcesis *tit. de Religios. dom.* & parocho quoad decimas suæ parochiæ *c. fin. de rest. spol. in* 6. nec jus decimandi, nec jurisdictio, aut alia jura Episcopalia præscribuntur, nisi 40. annis cum titulo, vel tempore immemoriali sine titulo. At si jus resistat præscribenti, non autem positive assistat ei,

con-

contra quem præscribuntur aliqua jura, sufficiunt quadraginta anni, nec opus est allegare, vel probare titulum: ita Gloss. c. 1. h. t. in 6. Laym. Schmalz. & alii contra Abbatem, qui etiam in hoc casu requirit allegationem tituli: nam si jus commune positive non assistat petitori, contra quem præscribitur, hoc ipso efficaciter non resistit possessori præscribenti, cum petitor non habeat intentionem fundatam in jure. Unde monasterium contra aliud monasterium præscribit 40. annis jus decimandi in tertia parochia, quin necesse sit probare titulum. Ceterum, ut præscriptio ista procedat, jus non debet resistere inhabilitando, sicut laicus inhabilitatur ad possidenda, & præscribenda jura spiritualia c. 7. h. t. tunc enim nullo tempore præscribitur, sed resistere solum prohibendo, dum subjectum alias est capax possidendi talia jura.

21. ℞. 3. Actiones reales conformiter rebus mobilibus, vel immobilibus, vel incorporalibus positive, vel privative præscribuntur spatio 3. vel 10. aut plurium annorum, sicut ipsæ res: nam actio realis sequitur conditionem rei.

22. ℞. 4. Actiones personales ex contractu regulariter extinguuntur spatio 30. annorum, saltem si debitor bona fide contradicat petitioni creditoris, & ita constituat se in quasi possessione suæ libertatis, seu immunitatis a debito: ita l. 3. C. de præscr. 30. ubi emendatur jus antiquum, quo nulla dabatur præscriptio actionum personalium. *Excipe* 1. Actiones competentes Ecclesiis, & piis locis, quæ non extinguuntur, nisi præscriptione quadragenaria, vel centenaria respectu Ecclesiæ Romanæ. *Auth. quas actiones. C. de SS. Eccl.* *Excipe* 2. Actionem hypothecariam creditoribus pro re hypothecata competentem, quæ quidem realis est fundata in jure reali hypothecæ, sed non extinguitur a debitore, vel ejus hæredibus, nisi 40. annis *l.* 7. *C. de præscr.* 30. At si tertius non creditor rem pignori suppositam bona fide cum titulo possideat, præscribit eam ordinario tempore, triennio, si res mobilis, & decennio inter præsentes; vicennio vero inter absentes, si res immobilis sit, *cit. l.* 7. §. 1. & *l. fin. C. si advers. vend. pignor.* *Excipe* 3. actionem redhibitoriam, quæ post semestre, & quanti minoris, quæ post annum non tam præscribitur privative, quam negatur pro foro externo, remanente obligatione naturali in venditore ad reparandum damnum, quod sentit emptor ex re vitiosa empta, *l.* 1. & *seqq. ff. de ædilitio edict.* *Excipe* 4. querelam inofficiosi, quæ quinquennio extinguitur: *l.* 34. *ff. de inoff. test.* & actionem *pro legatis*, quæ 30. annis contra legatarium præscribitur, *l.* 3. §. 3. *C. commun. de legat.* actionem, quæ datur reipubl. contra quæstorem, vel administratorem post rationes subscriptas: nam hæc 20. annis a quæstoribus, & 10. annis ab eorum hæredibus præscribitur contra rempublicam, *l.* 13. §. 1. *ff. de divers. temp. præscr.* Cetera de his vide *tit. C. de præscr.* 30.

23. ℞. 5. Actiones personales, seu obligationes ex delicto regulariter privative præscribuntur spatio 20. annorum, *l.* 12. *C. ad l. Corn. de fals.* ac proinde hoc tempore elapso, nec accusatio, nec inquisitio institui potest. *Excipitur.* 1. Actio injuriarum, & fere omnis actio prætoria pœnalis, quæ uno anno extinguuntur, *l.* 5. *C. de injur. l.* 35. *ff. de O. & A.* & *pr. In. de perpet. & temp. act.* *Excipitur.* 2. Actio ad accusandum adulterium, & alia delicta carnis, quæ quinquennio consumitur; uti & actio de peculatu *l.* 29. §. 6. *ff. ad l. jul. de adult.* & *l.* 7. *ff. ad l. jul. peculat.* *Excip.* 3. actio doli, cui biennio præscribitur *l. fin. C. de dol. malo excep.* Certa tamen delicta ob enormitatem sui nullo unquam tempore præscribuntur; ut hæresis, crimen læsæ majestatis, assassinii, falsæ monetæ, parricidii, stupri, suppositi partus, *l. fin. ff. ad l. Pompej. de parricid. l.* 29. §. *fin. ff. ad l. jul. de adult. l.* 19. §. 1. *ff. ad l. Corn. de fals. l.* 2. 4. *C. de apostat.* &c.

24. Q. VII. *An pensionibus annuis præteritis præscribatur omnibus simul spatio* 30. *annorum*? Negant Mynsing. Layman. & alii, imo Kees, Hunnius, &c. dicunt futuris obligationibus nullo modo præscribi, præteritis vero successive pro singulis annis, sed ℞. Affirmative: ita Durand. Chling. Haunol. Schmalz. & Pichler, qui sicut in aliis, ita & in hac controversia solide procedit. Prob. ex *l.* 26. *C. de usuris*, ubi Justin. rescribit spatio 30. vel 40. ann. extingui non tantum sortem, sed etiam usuras annuas præteritas, & futuras. Ratio est ex eadem lege, quia præstationes annuæ non debentur, nisi dependenter ab uno jure, sed huic juri præscribi potest spatio 30. ann. ex regula generali *l.* 3. & *fin. C. de præscr.* 30. ut etiam admittunt adversarii, ergo. Huc facit, *c.* 4. & 6. *h. t.* de decimis præscriptis, quæ etiam annuæ sunt. Nec obstat *l.* 7. §. *fin. C. de præscr.* 30. nam fateor, tempora præscriptionum non computari ab exordio obligationis, bene vero ab exordio cessationis, dum debitor bona fide cessans solvere, constituit se in quasi possessione immunitatis a solvendis annuis præstationibus. Vide meas disp. civ. *disp.* 8. *contr.* 3.

§. III.

De justo titulo, & bona fide ad præscribendum requisitis.

25. *Nota* 1. nomine *justi tituli* hic intelligi causam ex se habilem ad trasferendum dominium, seu aliud quodcumque jus. Tales tituli enumerantur in digestis, & codice: *pro emptore*, *hærede*, *donato*, *derelicto*, *legato*, *dote*, & *pro suo*: quibus adde titulos *pro soluto*, *judicato*, *transacto*, *permutato*, *pro socio*. Præterea tituli usucapionum sunt: collatio beneficii, institutio, confirmatio electi, constitutio judicis, servitutis, ususfructus &c. Tunc autem tituli isti procedunt, dum v. g. emi aliquid a venditore, prudenter putans eum dominum esse rei venditæ, cum tamen revera dominus non fuerit, vel si donatum accepi a non domino, vel tanquam legatum, quod legatum non fuit &c. Ex his, titulus pro *soluto* tunc est specialis, dum quis bona fide ab altero accipit rem indebitam, putans sibi esse debitam. Et titulus pro *suo*, tunc est specialis, dum ad transferendum dominium adest causa habilis, quæ tamen specialiter non numeratur in jure inter titulos usucapionum; uti est venatio, seu occupatio, alluvio &c. ut si capias feram cicurem, & domesticam, quam putas esse sylvestrem, & communem &c. Alias tituli *pro soluto*, & *suo* sunt generales, ceterisque imbibiti, nec per se sufficiunt ad usucapionem, nisi determinentur ad aliquam causam, seu titulum particularem, de se sufficientem ad translationem dominii, aut juris. E contra tituli ad præscribendum inhabiles, sunt, commodati, depositi, pignoris, locati, conducti, ususfructus, emphyteusis, feudi per ordinem ad præscribendam proprietatem.

26. *Nota* 2. Titulum recte dividi quadrifariam: in *verum*, qui nullo defectu laborat; ut si verus dominus rem alteri idoneo vendat, aut donet. *Coloratum*, seu *apparentem*, qui de facto quidem ponitur, sed re ipsa non est propter occultum vitium: ut si emas equum a non domino, qui tamen creditur esse dominus; vel accipias beneficium ab eo, qui habetur pro Episcopo, re ipsa tamen non est Episcopus propter latens vitium. In *existimatum*, seu *putativum*, qui cogitatur intervenisse, cum tamen nec de facto intervenerit; ut si accipias equum ex empto, cum tamen nulla emptio equi intervenerit. *Præsumptum*, qui ob diuturnitatem temporis præsumitur intervenisse, sive re ipsa intervenerit, sive non. Multi tamen DD. his vocibus promiscue utuntur; adeoque ex subjecta materia sensus, & significatio colligi debebit.

27. *Nota* 3. Nomine bonæ fidei hic non intelligi fidem Religionis catholicæ, sed judicium, seu conscientiam in præscribendo. Unde *bona fides* est judicium prudens, quo quis judicat, se juste rem possidere absque læsione juris alieni: seu est sincera ignorantia rei alienæ alteri debitæ. *Mala fides* est judicium prudens, quo quis judicat, se injuste rem possidere cum læsione juris alieni. Ex quibus patet ad bonam fidem non requiri, ut quis sibi persuadeat rem, quam possidet, esse determinate suam, & non alienam: nam qui auctoritate judicis possidet, bona utique fide possidet, licet sciat proprietatem esse debitoris contumacis &c. Rursum vel fides est *bona theologice* tantum, quæ peccatum excludit juxta illud *Rom.* 14. *quod non est ex fide, peccatum est*, vel simul est *bona civiliter*, seu *juridice*, quam jus approbat, ita ut possessio ex juris dispositione non sit vitiosa, & contra leges.

28. *Nota* 4. Dubium in hac materia esse duplex: *positivum*, dum pro utraque parte contradictionis adest ratio probabilis; & *negativum*, dum judicium suspenditur, quia pro neutra parte adest ratio, quod res sit mea, vel aliena. Et quidem si in thesi, seu in genere dubitatur, est dubium *speculativum*; si vero in hypothesi, seu attentis omnibus circumstantiis dubitatur, an ego hic, & nunc licite rem retinere, vel actum omittere possim, est dubium *practicum*.

29. Q. I. *An, & qualis titulus requiratur ad præscribendum*? R. *ad* 1. Affirmative ex *c.* 7. *h. t.* & *l.* 14. *C. de R. V.* ubi JCtus ait: *nullo justo titulo præcedente, possidentes ratio juris quærere dominium prohibet*; nam titulus est radix bonæ fidei, & justæ possessionis, cum sine causa habili nemo credere possit, se habere jus possidendi. R. 2. Titulus *verus* non requiritur, cum iste per se transferat dominium, & alia jura, ut non sit opus præscriptione. Sufficit autem titulus *coloratus*, ut patet ex *tit. ff. pro emptore, donato* &c. nam mediante tali titulo, sufficienter justificatur possessio, & conditio usucapiendi acquiritur. R. 3. Titulus *existimatus*, qui nec de facto intervenit, tunc sufficit ad præscribendum, dum intervenit error facti alieni; ut si putes rationabiliter rem, quam possides, servo tuo donatione, legato, vel stipulatione acquisitam esse, quæ tamen his modis acquisita non est: nam error facti alieni est probabilis, & in jure toleratur *l.* 2. *ff. de J. & F. Ignor.* Emptio tamen id speciale habet, ut, licet quis rem alteri tradat, tanquam venditam, hic tamen eam usucapere non possit, si re ipsa illam non emit, *l. pen. ff. h. t. l.* 2. *ff. pro emptor.* quia facile scire potuit, & debuit, an illam emerit, & pretium persolverit: at si error causæ, seu tituli teneat se ex parte possidentis, seu in facto proprio, regulariter impedit usucapionem, §. 11. *In. h. t. l.* 6. *ff. pro derelicto*, *l.* 11. *ff. pro emptor.* nam error circa factum proprium est intolerabilis, cum quisque facile scire possit, an contraxerit, an quid ei donatum sit &c. Unde si putes tibi donatum esse, ubi donatio non præcessit, non usucapies. R. 4. Titulus præsumptus non sufficit ad præscriptionem ordinariam, sed allegari, & probari debet, *l.* 27. *ff. h. t. l.* 24. *C. de R. V. Can. placuit. v. præscriptionem* 16. *q.* 3. Sufficit autem ad præscriptionem extraordinariam longissimi temporis, ut non sit opus eum allegare, & probare *l.* 3. 4. *C. de præscr.* 30. quia ex tam longo tempore, maxime si sit tempus immemoriale, jus præsumit titulum intervenisse. Excipe, nisi jus præscribenti resistat, quia tunc titulus non præsumitur, nisi ex tempore immemoriali *c.* 1. *h. t. in* 6. de quo supra *n.* 20.

30. Q. II. *An ad præscribendas servitutes requiratur titulus positivus*? R. probabiliter affirmative: nam per *l. fin. in fin. C. de præscr. long. temp.* res corporales, & incorporales exæquantur quoad usucapionem; ergo in utrisque requiritur titulus positivus habilis ad præscribendum; alias non erit bonum initium usucapionis, utpote sine causa. Fateor tamen, satis probabile esse, ut asserit opposita sententia, quod scientia, & patientia domini scientis in fundo suo fieri actus præscriptivos servitutis, ut itineris &c. & his non contradicentibus, suppleat vicem tituli per *l.* 5. §. 3. *ff. de itinere, actuque priv.* Vide disputation. meas civ. *disp.* 7. *contr.* 5.

31. Q. III. *An hæredi suo sufficiat titulus pro hærede ad præscribendas res alienas in hæreditate paterna repertas*? R. Affirmative: ita Rath. Chling. Gonz, *c.* 17. *h. t. n.* 9. Schmalz. & alii *ex l.* 3. *ff. pro hæred.* ubi generaliter dicitur: *plerique putaverunt, si hæres sim, & putem rem aliquam ex hæreditate esse, quæ non sit, posse me usucapere.* Idem clare colligitur *ex l.* 4. §. 1. *ff. pro suo.* Ratio est, quia hæredes extranei præscribere possunt cum titulo *pro hærede*, cum de novo acquirant bona hæreditaria; ergo, & hæredes sui, cum & isti de novo acquirant saltem dominium plenum, liberum, & expeditum, quoad administrationem; quæ ratio est sufficiens, ut *pro hærede* usucapiantur res alienæ, quæ putantur hæreditariæ. Nec obstat *l.* 2. §. *fin. ff. pro hæred.* nam id solum negat, quod hæres partem cohæredis possit usucapere, ibi: *pro parte cohæredum usucapere non possit.* Nec obstat fictio juris, qua filius. habetur pro una persona cum patre: tum quia favori filii non debet præjudicare; tum quia fictioni isti prævalet veritas, dum hæres suus post mortem patris vere dominus, & possessor constituitur. Ex quo solvitur *l.* 2. *C. de usucap. pro hær. l.* 11. *ff. de lib. & posth.* §. 2. *Inst. de hæred. qual.*

32. Q. IV. *An præscriptio longissimi, aut immemorialis temporis corruat, detecto vitioso, seu inhabili titulo*: ut si probetur possessionem cœpisse titulo pignoris, depositi, locati &c. R. Affirmative ex communi contra Vasquium: & prob. ex *c.* 31. *de decimis*, ubi rejicitur præscriptio decimarum ex eo, quia invalido titulo per regem laicum attributæ erant hospitali. Ratio est, tum quia præsumptio tituli cedere debet manifestæ veritati, *Can.* 4. *d.* 8. tum quia sine titulo habili non potest haberi bona fides theologica, nec bonum initium possessionis; tum quia præscriptio longissimi temporis defenditur a jure tantum quo ad hoc, quod possessor non teneatur probare titulum, *l.* 3. 4. *C. de præscr.* 30. ergo si petitor, vel alius detegat vitium tituli inhabilis, statim manifestum fit, quod præscriptio nec inceperit, & multo minus completa sit. *Dices*: præscriptio saltem immemorialis parit præsumptionem juris, & de jure; ergo contra illam non datur probatio tituli vitiosi. R. Neg. ant. nam præsumptio ista nullo jure est prodita; imo si esset, cedere deberet manifestæ veritati.

33. Q. V. *An bona fides requiratur ad omnem præscriptionem, tam inchoatam, quam continuatam, & completam*? R. Affirmative ex *c.* 5. *& fin. h. t. & reg.* 2. *in* 6. *possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit*: nam sine fide theologice bona detinetur res aliena cum peccato; sed legislator humanus non potest permittere detentionem, & præscriptionem rei cum peccato; tum quia id contrariatur juri naturali; tum quia princeps, licet permittere possit aliqua mala minora ad evitanda mala majora, nunquam tamen potest mala, & peccata præmiare; sicut in hoc casu princeps præmiaret malam fidem, attribuendo dominium via præscriptionis, ergo. Unde jure Can. merito correctum est jus civile, quo bona fides exigebatur tantum ad initium, non vero ad continuationem usucapionis §. 12. *Inst. h. t.* & possessio longissimi temporis 30. vel 40. ann. procedebat cum mala fide *l.* 8. *C. de præscr.* 30. ac proinde, cum versemur in materia peccati, & conscientiæ, jus hoc Can. servandum est etiam in foro seculari.

Dices: 1. *c. fin.* §. *fin. ut lite non cont.* admittitur possessio cum scientia rei alienæ. 2. Libertas a servitute rustica præscribitur a domino sciente servitutem deberi *l.* 13. *C. de servitut.* uti etiam obligationes debitorum in probabili sententia. 3. *C.* 15. §. *potest.* 16. *q.* 3. R. *Ad* 1. scientia ista non obest bonæ fidei, quia possessor scit, se juste possidere auctoritate judicis. *Ad* 2. neque hic scientia obest: quia dominus scit se obligatum ad patiendum, si alter petat actum servitutis, sed simul scit, se non esse obligatum, ut moneat vicinum ad utendum servitute; adeoque si legitimo tempore non utatur, servitus per non usum extinguitur, non tam via præscriptionis, quam ex mera dispositione juris hoc modo circa servitutes rusticas statuentis. De obligationibus debitorum infra dicetur. *Ad* 3. Canon iste ex jure civili desumptus, cum jure civili correctus est.

34. Q. VI. *An bona fides juridica requiratur ad usucapionem*? R. Affirmative: unde ignorantia juris certi, & clari impedit ordinariam præscriptionem rei in utroque foro: ita com. contra Joan. Medinam, qui docuit ignorantiam invincibilem non obesse præscriptioni pro foro interno. Prob. ex *l.* 31. *ff. h. t. nunquam in usucapionibus juris error possessoribus prodest, & l.* 4. *ff. de J. & F. Ignor. juris ignorantia in usucapione negatur prodesse, facti vero ignorantiam prodesse constat.* Exemplum ponitur *in l.* 2. §. 15. *ff. pro emptor. si a pupillo emeris, & scias pupillum esse, putes tamen pupillo licere res suas sine tutoris auctorit. administrare non capies usu, quia juris error nulli prodest.* Ratio est, quia cum præscriptio a jure conceditur, in tantum valet, in quantum a jure approbatur; sed in hoc casu non approbatur a jure, ergo: unde sola fides theologice bona, nisi approbata sit per leges, non sufficit ad beneficium præscriptionis *l.* 24. *ff. h. t. ubi lex inhibet usucapionem, bona fides possidenti nihil prodest.* Dixi autem *ordinariam rei*: nam ignorantia

tia invincibilis non nocet tricenariæ præscriptioni cum jus civile bonam fidem ad eam non requirat; jus vero Canon. correxerit solam fidem malam theologice, seu cum peccato. Similiter fructus, cum percipiantur ex sola ignorantia facti, quatenus possessor credit se fructus percipere ex re sua, legitimo tempore præscribuntur, licet res ipsa non præscribatur. *Excipe* illas personas, in quibus toleratur ignorantia juris; ut in feminis, militibus, rusticis, & simplicibus: his enim ignorantia juris prodest in dispendiis, ne lædantur, non tamen in compendiis, ut lucrentur, *l. 8. ff. de J. & F. Ignor.* Ex his abunde solvitur *c. 5. & fin. h. t. c. 4. de empt. & vend. l. 25. §. 6. ff. de hæred. petit. l. 7. C. de agricol. &c.*

35. Q. VII. *An dubium obstet usucapioni?* R. 1. Dubium antecedens obstat initio, & continuationi præscriptionis: nam de jure Can. ad præscriptionem requiritur bona fides. 2. Dubium superveniens, si adhibita sufficienti diligentia, verus dominus reperiri nequeat, non obest continuationi justæ possessionis: nam hic locus est *reg. 65. in 6. in dubio melior est conditio possidentis, & Can. 5. si virgo 34. q. 1.* ibi: *tamdiu quisque bonæ fidei possessor recte dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum.*

36. Q. VIII. *An scienter præscribi possit debitis, & aliis actionibus personalibus?* Affirmant Schmier, & Pichler cum citt. sed horum sententia adhuc hodie durissima mihi videtur, ut eam pro praxi suadere non præsumam. Hinc R. negative: ita Barbos. Mynſ. Covar. Gail. Laym. Engl. Reiff. & alii graves TT. & Juristæ. Prob. 1. Ad præscriptionem requiritur possessio *reg. 3. in 6.* & bona fides *cap. 5. & fin. h. t.* sed stante scientia juris alieni circa debitum, debitor bona fide non potest se constituere in quasi possessione suæ libertatis, & immunitatis a solvendo; nam in obligationibus agendi, vel non agendi quasi possessio libertatis non acquiritur, nisi facto contrario bona fide exercito; ut si creditor debitum petat, & debitor ei contradicat, asserendo se nihil ei debere, seu immunem esse a solvendo, ut patet ex *l. 6. ff. de S. P. U.* ibi: *si vicinus simul libertatem capiat*, ergo stante scientia juris alieni, debitor non præscribit suam immunitatem a solvendo, & conf. nec præscribit debito, seu actioni personali ad solvendum. 2. Ideo depositarius non præscribit actioni personali depositi, quia licet scientia rei alienæ non sit conjuncta cum peccato, tamen ex defectu tituli, & possessionis justæ, non est capax præscribendi rem depositam; atqui etiam in nostro casu, licet scientia debitoris non sit conjuncta cum peccato in ordine ad hoc, quod non solvat, creditore non petente, tamen deest ipsi justus titulus, & bona fides, ad hoc, ut se constituat in quasi possessione justæ suæ immunitatis; ergo eam non est capax præscribendi, & conf. scienter non extinguit debitum, & actionem personalem. *Dices:* servitutes rusticæ, licet dominus sciat eas deberi vicino solo non usu extinguuntur, *l. 6. ff. de Servit. Præd. Urban.* ergo etiam debita per hoc solum extinguuntur, quod creditor ea non exigat legitimo tempore, quia scilicet jus non vult debita, & actiones personales diutius durare, quam spatio 30. vel 40. annorum. R. Retorquendo ex eadem *l. 6.* in servitutibus urbanis, quæ solo non usu non extinguuntur, nisi dominus contrario facto usucapiat libertatem. Quod ergo servitutes rusticæ pereant solo non usu, id speciale est, & non præscriptioni, sed meræ juris dispositioni tribuendum, non vero ad alias obligationes extendendum. Si adversarii ostenderint jus aliquod, quoad præscribendum obligationibus agendi, vel non agendi, nulla requiritur quasi possessio immunitatis, vel hanc introduci posse juste, stante scientia juris alieni, probaverint, libens eorum sententiæ subscribam; sed nunc adhæreo communi sententiæ, quam fusius discussi in meis disput. civil. *disp. 8. contr. 5.*

37. Q. IX. *An, & quomodo fides auctoris prosit, vel obsit successori?* R. 1. Bona fides auctoris prodest successori tam universali, quam particulari, seu singulari, qui titulo singulari emptionis, permutationis, legati &c. succedit, *§. 12. Inst. & l. 14. ff. h. t.* nam successor succedit in omni jure rei connexo; ergo etiam in conditione usucapiendi: ac proinde datur accessio temporum, ut tempora antecessoris accedant, & connumerentur temporibus successoris: imo si auctor rem bona fide possedit sine titulo, adeoque indiguit longiori tempore ad præscribendum, successor ratione tituli universalis *pro hærede*, vel singularis pro emptore, donato &c. citius rem usucapere poterit. 2. Mala fides auctoris non nocet successori singulari; modo iste bona fide inchoet possessionem, & inde incipiat numerare tempora præscriptionis *§. 12. Inst. h. t.* nam successor singularis non est representative eadem persona cum suo auctore, neque succedit in vitia personalia, uti est mala fides, ergo. Excipe, nisi res sit affecta vitio reali furti, aut violentiæ; hæc enim a successore bonæ fidei non præscribitur, nisi tempore longissimo, quo vitium reale purgatur, *Auth. ad hæc C. de præscr. long. temp.* 3. Mala fides testatoris nocet hæredi immediato, licet bona fide res alienas in hæreditate inveniat; ita ut præscriptione ordinaria eas usucapere non possit: bene vero extraordinaria, computando sua, & non tempora antecessoris *l. 11. C. de acq. poss.* ubi Imp. rescribunt: *vitia possessionum a majoribus contracta perdurant, & successorem auctoris sui culpa comitatur, & §. 12. Inst. h. t.* Imp. ait: *si defunctus initium justum non habuit, hæredi, & bonorum possessori, licet ignoranti, possessio non prodest:* nam hæres est eadem persona cum defuncto fictione juris, ergo in illo perseverat mala fides ficta, quæ tamen non obstat præscriptioni extraordinariæ, pro qua sufficit sola fides theologice bona. At mala fides defuncti non nocet hæredi mediato, seu hæredi hæredis; quia licet mala fides vera parere possit malam fidem fictam in hærede immediato propter fictionem juris, tamen mala fides ficta non parit aliam fictam in hærede mediato: tum quia fictio ista nullo jure exprimitur; tum quia corpus quidem parit umbram, non tamen umbra aliam umbram; ergo a pari. 4. Mala fides antecessorum civitatis, vel alterius corporis probabilius nocet successoribus, ut hi res, & jura a se cum bona fide possessa præscribere nequeant: ita Haun. Fach. Rath, Pirh. & alii contra Innoc. & P. Wiestner cum citt. quorum sententia non videtur improbabilis. Ratio est ex *reg. generali 3. in 6.* quia idem possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit; sed in hoc casu semper manet idem possessor, scilicet eadem civitas, seu universitas, licet materialiter alii, & alii cives succedant; sicut succedentibus diversis aquis, manet idem numero fluvius, ergo: unde si Episcopus sine debitis solemnitatibus, adeoque invalide, vendidit aliquod prædium civitati, prædium hoc etiam post 400. annos repeti posset, cum propter malam fidem initio interpositam non sit præscriptum a civitate. His non obstat *l. 48. §. 1. ff. de Acquir. Rer. Domin. reg. 14. in 6.* & arg. a successoribus universalibus, & singularibus: nam hæc, & similia tunc procedunt, dum personæ antecessoris, & successoris sunt diversæ, communitas autem semper manet eadem persona, ac proinde ut præscribat, juxta doctrinam Baldi *l. 3. ff. de jurisd.* requiritur, ut saltem major pars initio possessionis bonam fidem habeat.

38. Q. X. *An, & quomodo mala fides Prælati noceat Ecclesiæ?* R. 1. Si Prælatus probare potest rem alienam esse, tenetur admonere capitulum, ut res domino restituatur; cum hoc justitia administrationis exigat: & a fortiori, si notorie constat, rem alienam esse. 2. Si Prælatus probare nequit rem esse alienam, frustra admoneret capitulum, quia ei soli asserenti non crederetur, *arg. Can. 2. si tantum 6. q. 2.* sed tali casu, si res possideatur a solo capitulo in bona fide constituto, præscriptio procedit; at si possideatur communiter a Prælato, & capitulo, non est locus præscriptioni, quia mala fides Prælati inficit totum corpus capituli, Reiff. Schmalz. &c.

39. Q. XI. *An possessor probare debeat bonam fidem?* R. Negative, nam bona fides, seu ignorantia rei alienæ præsumitur, ubi scientia non probatur, *reg. 47. in 6. l. 21. ff. de prob.* Mala autem fides ex variis conjecturis probatur, ut ex defectu tituli in recenti possessione; si contractus factus est contra jura, ut cum prodigo, minore, vel cum eo, de quo contrahens audivit, quod non sit dominus rei; vel si contractus clanculum, & cum insolitis cautelis celebratus est: aut si per famam, instrumenta possessoris, & libros constet rem esse alienam &c. Vide Mascard. Menoch. &c.

§. IV.

§. IV.

De usurpationibus, seu contrariis præscriptioni.

40. Q. I. ***Quando præscriptio dicatur non procedere, seu non currere?*** ℞. Dum ob defectum alicujus requisiti præscriptio incipere non potest; ut si desit bona fides, titulus, vel ex legis dispositione res alienari nequeat, sicut fundi dotales, majoratus &c.

41. Q. II. ***Quando præscriptio dicatur dormire?*** ℞. Dum semel legitime inchoata ob superveniens impedimentum interim quiescit, & suspenditur; sublato vero impedimento, denuo procedit, computatis anterioribus, & posterioribus temporibus, excepto medio tempore impedimenti, utpote inutili *c.* 10. & 14. *h. t.* Talia impedimenta, sunt tempus belli, & hostilitatis, uti & pestis grassantis, dum jus non dicitur; tempus vacationis, dum Ecclesia caret proprio Prælato, tanquam defensore, vel is ob excommunicationem inhabilis est ad agendum &c. *c.* 4. 10. *h. t. Can.* 13. ***prima***, *6. q.* 2. Item tempus pupillaris ætatis: & generaliter præscriptio dormit contra non valentem agere, ut contra filiumf. quoad bona adventitia, contra uxorem quoad fundos dotales, constante matrimonio, cum non valenti agere tempus non currat, *l.* 1. *C. de annali except. auth. nisi C. de bon. mater.* Nec obstat, quod præscriptio currat contra minorem, & Ecclesiam, licet eorum bona per administratores curentur: nam pater bona adventitia filiifam. & maritus bona dotalia proprio jure retinent, & administrant, neque acta eorum imputantur filiof. vel uxori: e contra curatores, & Prælati sunt administratores legitimi, quorum acta imputantur principali, puta minori, Ecclesiæ &c.

42. Q. III. ***Quando dicatur præscriptio interrumpi?*** ℞. Dum ita cessat, ut tempora anteriora non continuentur cum posterioribus. Fit autem interruptio ista dupliciter: ***naturaliter***, dum deprehenditur aliquis substantialis defectus in præscriptione; ut titulus inhabilis, mala fides &c. & tunc præscriptio interrumpitur absolute quoad omnes. Unde qui aliquo tempore amisit possessionem, ea recuperata, denuo incipere debet præscriptionem. ***Civiliter***, dum jus possidendi actu aliquo juridico revocatur in dubium; & tunc præscriptio interrumpitur tantum comparative ad hunc actorem. Et quidem ***præscriptio odiosa*** 30. ann. interrumpitur sola citatione, *l.* 7. *pr. C. de præscr.* 30. quia tunc cessat negligentia domini: mixta 10. vel 20. ann. litis contestatione, *l.* 26. *C. de R. V.* & favorabilis, seu triennalis interrumpitur sola sententia judiciali, *l.* 18. *ff. de R. V. l.* 2. *§. fin. ff. pro emptore.* Unde si quis ante sententiam usucapionem complevit, facit rem suam non absolute, & irrevocabiliter, sed conditionate, si res actori adjudicata non fuerit. 2. Sola oblatio libelli civiliter interrumpit præscriptionem, si lis contestari nequit cum absente, *l.* 2. *C. de annal. except.* idem dic de sacro oraculo, seu petitorio, aut rescripto principi oblato, *l.* 3. *C. de præscr.* 30. At per solam denuntiationem extrajudicialem regulariter nunquam interrumpitur præscriptio, *l. pen. ff. pro emptor.*

43. Q. IV. ***An usucapio completa rescindi possit?*** ℞. Affirmative ex justa causa respectu personarum, quæ gaudent beneficio restitutionis in integrum, de quibus *lib.* 1. *tit.* 41.

Absoluto principio, & medio judicii, in seqq. titulis traduntur quæ spectant ad finem processus judiciarii; uti sunt sententiæ, appellationes, profectio ad sedem apostolicam, & confirmatio sententiarum.

TITULUS XXVII.

De sententia, & re judicata.

Agitur de hac materia in Sexto, & Clem. *h. t.* in Decreto 3. *q.* 9. & 5. *q.* 4. 35. *q.* 9. in Trid. *sess.* 14. *c.* 7. & *sess.* 25. *c.* 3. *de refor.* in Institut. *lib.* 4. *tit.* 17. In Pandectis *lib.* 42. *tit.* 1. & *seq.* In Codice *lib.* 7. *tit.* 42. *usque ad* 61.

1. *Nota* 1. Sententiam dupliciter accipi: 1. ***Formaliter***, & sic sententia est pronuntiatio judicis super causa inter litigantes agitata; & hoc sensu est proprie ***res judicans***, seu actus judicis. 2. Accipitur ***objective*** pro ipsa re judicata; quo sensu sententia dicitur transire in rem judicatam, hoc est, res per sententiam decisa, & judicata adhuc incomplete, & revocabiliter, transit in rem judicatam complete, & irrevocabiliter, si intra decem dies a sententia non appelletur.

2. *Nota* 2. Sententiam dividi 1. In ***definitivam***, quæ causam principaliter in judicium deductam decidit, & terminat; & ***interlocutoriam***, quæ super aliquo articulo incidenti, vel emergenti profertur inter principium, & finem causæ, seu inter citationem, & sententiam definitivam. Ea vero jussa, quæ dat judex ante citationem, vel post definitivam, non sunt proprie sententia interlocutoria. Ceterum licet definitiva sit nobilior species sententiæ, tamen interlocutoria est proprie sententia, ut colligitur ex *l.* 39. *ff. de minor*, *l.* 12. *C.* & *fin. C. de sentent. & interl.* ubi interlocutio judicis dicitur sententia. At laudum arbitri compromissarii, cum non sit actus judicis, & jurisdictionis *l.* 3. *C. de jurisd. omn. jud.* nec pariat exceptionem rei judicatæ, proprie non est sententia, sed analogice. 2. Definitiva est triplex: ***absolutoria***, quæ reum absolvit: ***condemnatoria***, quæ reum condemnat, eique pœnam infligit: & hæc effectum suum sortiri incipit a tempore, quo profertur: ***declaratoria criminis***, quæ declarat crimen commissum fuisse, cui lex ipsa pœnam infligit: & hæc retrahitur ad tempus delicti, & statim ab eo tempore effectum suum sortitur. 3. Interlocutoria est duplex: ***simplex***, seu ***mere interlocutoria***, quæ non officit causæ principali, sed post illam expectatur definitiva: uti sunt interlocutiones super dilationibus dandis, testibus producendis &c. ***Mixta***, seu ***media, habens vim definitivæ***, quæ licet causam principalem expresse non decidat, tamen fere illam perimit, ita ut post illam alia definitiva non expectetur; ut si judex pronuntiet se esse incompetentem, vel partes ab instantia absolvat, vel admittat exceptionem peremptoriam &c. Ex quibus facille colligitur discrimen inter has sententias.

3. *Nota* 3. Sententiæ regulariter præmitti ***conclusionem in causa***, quæ est ulteriorum probationum renuntiatio, seu submissio causæ ad decisionem a judice faciendam. Et hoc fit vel ***expresse***, dum partes scripto, aut oretenus renuntiant ulterioribus probationibus; vel ***tacite***, dum controversiam suam submittunt decisioni judicis, aut tempus probationibus præfixum elabi sinunt. Est autem conclusio in causa duplex: ***pura***, seu ***absoluta***, quæ simpliciter causam concludit; & ***conditionalis***, seu ***eventualis***, quæ fit cum conditione, protestatione, aut reservatione, qualiter pars prior solet concludere, v. g. renuntio ulteriori probationi, si & pars altera renuntiet, si nihil novi in scriptura ultima proferat, si instrumenta nova reperta non fuerint &c. & quidem si concluditur in tota causa, est conclusio ***generalis***, si in aliquo tantum articulo, est conclusio ***specialis***. Ceterum, cum judici semper conclusum sit in causa, si videat causam liquidam, licet partes in causa non concludant, valide profert sententiam: nam hæc nullibi irritatur, & conf. conclusio in causa, quamvis regulariter sit facienda, tamen non est de substantia judicii plenarii.

4. Q. I. ***Quis, quo modo, & quo effectu concludere possit in causa?*** ℞. *Ad* 1. Partes litigantes, & procurator cum mandato speciali; his enim competit renuntiare ulterioribus probationibus. ℞. *Ad* 2. Modus seu forma concludendi in causa consistit in seqq. Judex, finitis recessibus, seu allegationibus, & responsionibus, interrogat partes, an quid ultra afferre velint? si ita, audientur, si non, jubebit fieri conclusionem in causa, quæ mox referetur in acta, cum non præsumatur conclusum in causa, nisi ex actis probetur *c.* 11. *de probat.* Quod si una pars renuntiet probationibus, & altera non, judex recusanti præfigit sufficientem dilationem temporis, quo elapso, causa ipso facto habetur pro conclusa, *auth. jubemus C. de judic.* ℞. *Ad* 3. Effectus conclusionis eventualis sequitur naturam, & qualitatem conditionis appositæ; effectus vero conclusionis puræ est, quod post illam regulariter nulla probatio, aut exceptio admittatur, *c.* 9. *de fid. instr. c.* 5. *de caus. possess.* exceptis causis ***criminalibus*** pro defensione rei, *l.* 27. *ff. de pœn.* ***matrimonialibus***, & similibus, in quibus est periculum animæ, *c.* 7. 11. *h. t.* causis minorum, & Ecclesiæ propter beneficium restitu-

stitu-

stitutionis, *c. 3. de fid. instr.* item si appellatione interposita, prior conclusio tollatur *l. 4. C. de temp. appell.* Præterea post conclusionem in causa admittuntur instrumenta noviter reperta, *c. 4. de except. l. 7. ff. de feriis*; probatio per confessionem partis adversæ, *c. 10. §. porro de fid. instr.* per evidentiam facti, aut inspectionem, & quoties judici legitima causa videbitur, admittere poterit probationem, cum conclusio in causa partibus, & non judici præjudicet.

5. Q. II. *Quæ sint requisita, & solemnitates validæ sententiæ*? ℞. 1. Ex parte judicis requiritur, ut sit competens, *c. 4. de judic.* & nullo notorio defectu a judicando prohibitus, uti est excommunicatus, *c. 24. h. t.* Ex parte sententiæ requiritur 1. ut sit *certa*, nisi res in judicium deducta petat sententiam incertam vel alternativam, v. g. prædium cum fructibus restituatur, solvantur mille, vel prædium restituatur: secus sententia incerta, v. g. *solve, quod debes*, litem porius suscitat, quam sopit, §. 32. *Inst. de action. l. 3. & fin. C. de sent. quæ sine cert. quant.* 2. Ut sit *pura, & non conditionata*, v. g. condemno Titium, si mutuum accepit *l. 1. §. 5. ff. quando appell. sit*, nisi sit conditio intrinseca, & connexa, v. g. condemno, excommunico te, nisi intra 8. dies satisfeceris, mandatum revocaveris &c. 3. Ut sit *conformis libello in re*, quæ petitur, *in causa*, ex qua petitur, *in actione*, quæ intentatur, etsi actor pinguiorem actionem intentare potuerit, *c. 24. de accus. Clem. 2. de V. S. l. fin. C. de fidei com. libert.* 4. Ut sit *conformis juris constitutioni*, si clarum sit, etsi rigorosum, *l. 13. C. de sent. & inter & c. 1. h. t. sententia contra leges, canonesve prolata, licet non sit appellatione suspensa, non potest tamen subsistere ipso jure:* ut si judex pronuntiaret post acquisitionem alterius beneficii incompatibilis, primum non vacare ipso jure, quod est contra *c. 28. de præb. & Trid. S. 7. c. 4. de refor.* Et quidem sententia contra jus solemnitates extrinsecas præscribens lata, est ipso jure nulla, etsi error non exprimatur in sententia; ut si sententia feratur ab excommunicato, die feriato &c. nam *quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi, reg. 64. in 6.* At si sententia feratur contra jus respiciens merita causæ, tunc solum est invalida, dum error juris exprimitur in sententia; ut si judex condemnaret in usuras usurarum &c. secus erit mero jure valida, & subsistet, nisi ab ea intra 10. dies appelletur; ut si judex condemnaret in sexaginta, licet decem deberentur pro usuris usurarum *l. 1. ff. quæ sent. sine appell. l. 32. ff. de re jud. c. 13. in fin. h. t.* nam jus in hoc casu præsumit judicem bene processisse, & judicasse; secus est de solemnitatibus extrinsecis, quæ non substant ejus judicio, & arbitrio. Tandem si sententia sit injusta contra jus partis, seu litigatoris, regulariter mero jure valet, donec ab ea appelletur, *c. 13. h. t. l. §. 2, ff. quæ sent.* nam præsumptio stat pro judice, quod juste judicaverit, donec in instantia appellationis probetur, sententiam fuisse injustam. Excipe, nisi evidens, & notorium esset, sententiam esse injustam; tunc enim cessat præsumptio justitiæ pro judice. Similiter valet sententia contra privilegium lata, *cap. 21. h. t.* nam vel privilegium non fuit exhibitum judici, & tunc judex probabiliter illud ignorat, vel si fuit exhibitum, judex contra pronuntiando, censetur illud reprobasse: unde si pars privilegiata læsa est, ad remedium appellationis confugere debet.

6. ℞. 2. Solemnitates extrinsecæ in prolatione sententiæ observandæ sunt. 1. Ut sententia feratur utraque parte legitime citata, & præsente; absens tamen contumaciter, habetur pro præsente, *c. 2. h. t. l. 7. 8. 9. C. quomodo, & quando.* 2. Ut sententia feratur die non feriato, seu juridico, ad quem facta est citatio, interdiu, & non noctu, *c. 24. de off. Ord. c. 1. de fer. l. fin. C. eod.* in loco publico, seu tribunalis, nisi is esset non tutus propter hostilitatem &c. vel partes consentirent in locum alium *l. 11. ff. de J. & J. l. 6. C. de sent. & interloc.* Episcopus autem in quolibet loco suæ diœcesis loco jus dicere potest, *c. 7. de off. Ord. in 6.* 3. Ut sententia feratur, judice sedente pro tribunali, *c. fin. h. t. in 6.* ex periculo, seu breviculo, hoc est, ex scriptura nomine judicis concepta, ita ut judex sedendo nomine suo pronuntiet, *l. 2. C. de sent. ex peric.* licet consuetudo alicubi obtineat, ut Episcopus, & aliæ illustres personæ per alium sententiam recitari faciant. 4. Ut sententia concipiatur contra illum, qui litem contestatus est, *l. 27. ff. & lib. 23. C. de procur.* licet de jure Canon. sententia ferri possit, vel in procuratorem, vel in principalem litigantem, *c. 6. de relig. dom. c. 14. de censibus &c.* exceptis illis casibus, in quibus ob specialem rationem sententia non potest concipi in procuratorem, sed in principalem; uti in matrimonialibus, beneficialibus, criminalibus, & causis communitatum, pupillorum, minorum &c. In camera Imp. semper sententia fertur in principalem litigantem. His tamen solemnitatibus non ligatur Papa, vel princeps, qui de plenitudine potestatis de jure potest supra jus dispensare, *c. 4. de concess. præb.* modo observet ea, quæ de jure naturali requiruntur ad substantiam judicii.

7. Q. III. *Quid juris, si sententia feratur a pluribus judicibus*? ℞. 1. Si plures judices diversa pronuntient, valet sententia plurium concordantium, *l. 39. ff. de re judic.* quia major pars trahit ad se minorem: si vero æquali numero discordent, & sint judices ordinarii, prævalet sententia pro reo, nisi actor causam favorabilem habeat; *c. fin. h. t. l. 28. ff. de re judic.* nam alterutra sententia valere debet, cum judices ordinarii habeant jurisdictionem in solidum; ergo cum partes rei sint favorabiliores, prævalet sententia pro reo: at si sint judices delegati, neutra valet, donec alterutra a delegante confirmetur, *c. 17. de hæret. in 6. l. 28. ff. de re judic. & cit. c. fin. h. t.* ℞. 2. Si ex pluribus judicibus ordinariis unus est excommunicatus, valet sententia, quia his jurisdictio in solidum competit, & utile per inutile non vitiatur, at si sint delegati etiam cum clausula, *quod si non omnes*, & ad pronuntiationem admittant excommunicatum, vitiatur pronuntiatio, & sententia *c. 24. h. t.* quia jus propter vitium excommunicationis non permittit delegatos ita pronuntiare.

8. Q. IV. *An judex sententiam latam revocare possit*? ℞. Judex interlocutoriam revocare potest, *c. 60. de appell. c. 10. eod. in 6.* nam interloquendo, non amittit jurisdictionem, nec desinit esse judex in causa: at sententiam definitivam validam judex ordinarius, vel delegatus revocare nequit, aut corrigere, *l. 55. ff. de jud.* ubi JCtus ait, *judex posteaquam semel dixit sententiam, judex esse desinit, ut amplius sententiam corrigere non possit: semel enim sive bene, sive male officio functus est.* Si autem sententia fuit invalida, eam quidem judex ordinarius de facto revocare, aut corrigere potest, *l. 1. C. de sent. & interl.* non vero delegatus *c. 9. de off. deleg.* cum huic sola exequutio, non vero revocatio sententiæ concedatur, *c. 26. eod.*

9. Q. V. *Quando sententia transeat in rem judicatam*? ℞. Eo tempore, quo pars victa acquiescit sententiæ, vel *expresse*, v. g. petendo terminum solutionis, *l. 5. C. de re judic. vel tacite* non appellando intra decem dies, *c. 15. h. t.* & tunc sententia est firma; & pro veritate accipitur *l. 207 ff. de R. J.* tum quia id exposcit rerum judicatarum auctoritas *cit. l. 5.* tum quia pro justitia sententiæ stat præsumptio juris, & de jure, contra quam non admittitur probatio, etiam regulariter per instrumenta de novo reperta *c. 21. h. t.* Dantur tamen casus, in quibus sententia non transit in rem judicatam, sed causa denuo tractari potest, *cap. 7. h. t.* & quidem 1. In causa matrimoniali, si deinde pro, vel contra dissolutionem matrimonii probationes afferantur, *c. 7. 10. 11. h. t.* 2. In causa beneficiali, si contra victorem probetur nullitas tituli, *cap. 46. in fin. de appell.* 3. Si sententia lata est ex instrumentis, aut testimoniis notorie falsis, præsertim si testes pecunia corrupti sunt *c. 22. h. t. l. 33. ff. de re jud. l. 2. 3. C. si ex falsis*, nisi judex non fuisset sequutus fidem falsorum testium, & instrumentorum. 4. Si sententia lata est ex juramento suppletorio, & deinde reperiantur instrumenta in contrarium, *l. 31. ff. de jurej.* vel ex probationibus a jure reprobatis, ut per duellum, contactum ferri candentis; vel ex consilio alicujus periti, quia perito peritior dari potest; vel si causa ad non causam redeat, *l. 17. §. fin. ff. commod.* 5. In causa censurarum *c. 36. de off. deleg. c. fin. de pœn. c. 48. de sent. excom.* quia petens absolutionem, & pro-

& probare volens sententiam esse injustam, semper auditur. 6. In causis criminalibus, si emergant probationes pro favore rei, *l. 27. de ff. de pœn.* 7. Si testamentum noviter repertum producatur contra sententiam latam, *arg. l. 3. §. 1. ff. de transact. l. 1. §. 1. ff. testam. quemad. aper.* vel si ex instrumento noviter reperto constet, quod jam prius lata fuerit contraria sententia, *Can. 41. ei, qui 2. q. 6. l. 1. C. quando provoc.* 8. In causis minorum, eorumque privilegiis gaudentium: nam *minor omissam allegationem per in integrum restitutionis auxilium potest petere l. 36. de minor.* at major adversus rem judicatam non restituitur, quia ex ignorantia probabili instrumenta non produxit, *l. 4. C. de re jud.* ubi sic rescribitur: *sub specie novorum instrumentorum postea repertorum, res judicatas restaurari exemplo grave est*: ne scil. vacillet rerum judicatarum auctoritas *l. 65. §. 2. ff. ad S. C. Trebell.* 9. Denique in negotio publico post rem judicatam ex causa admittitur instrumentorum novorum productio, & causæ restauratio, *l. 35. ff. de re judic.*

10. Q. VI. *Qui sint effectus rei judicatæ?* ℞. 1. Ex parte judicis est, quod functus sit suo officio, ut sententiam rescindere non possit, bene vero declarare. Ex parte partium, quod inter illas jus faciat, & obliget ad parendum, *c. 13. v. quamvis h. t.* aliis tamen res judicata nec prodest, nec obest, *c. 25. h. t. l. 2. C. quib. res judic.* nisi causæ essent connexæ, *Can. tantis d. 81.* ubi sententia lata contra indigne ordinatum præjudicat ordinanti, & pronuntiatio testamenti invalidi contra hæredem præjudicat legatariis. 3. Ex parte causæ est finis controversiæ, ita ut vincenti actori competat *actio judicati in factum*, in quam prior actio dicitur esse novata, ad præstandum id, super quo reus fuit condemnatus *l. 8. C. de R. C.* reo autem vincenti, seu absoluto competit *exceptio rei jud.* qua repellat actorem, ejusque hæredes, si denuo eamdem rem ex eadem causa peterent, *l. 6. §. fin. ff. de re jud.* item sententia definitiva in delictis famosis irrogat infamiam juris, uti etiam in 4. contractibus, deposito, mandato, societate, & tutela, si dolus in sententia expressus est, *l. 1. ff. de his, qui not. infam.* denique sententia solius principis tunc solum facit jus commune, dum princeps eam vult observari instar legis, *c. 19. h. t.* nam *quod principi placuit, legis vigorem habet*, *l. 1. ff. de consi. prin.* præjudicata autem, seu conformes sententiæ inferiorum judicum non faciunt jus commune *l. 13. C. de sent. & interloc.* ibi: *non exemplis, sed legibus judicandum est*. Sæpe tamen ex multis præjudicatis oritur particularis consuetudo, quæ *stylus curiæ*, seu *fori* vocatur, & pro lege in tali loco recipitur.

11. Q. VII. *An res judicata sit firma pro foro conscientiæ?* Affirmant Joan. Andr. Gonz. Host. Schmier, Schmalz. Pichler. & alii dicentes, litigatorem bonæ fidei, cui res adjudicata fuit, ita tutum esse in conscientia, ut, licet post rem judicatam deveniat in certam notitiam rei alienæ, tamen non teneatur eam restituere priori domino collitiganti. Huic sententiæ & ego quondam adhæsi, sed propter nova mihi occurrentia argumenta, quæ apud adversarios proposita non invenio, mentem muto, & subscribo negativæ, quam tenent Innoc. Abb. Felin. Silvester, Sotus &c. hinc ℞. Res judicata non est plene firma pro foro conscientiæ, sed de se solam usucapiendi conditionem tribuit. Prob. 1. ex *l. 60. ff. de condict. indeb.* ubi Paulus ex Juliano docet, quod verus debitor absolutus solutum non repetat, quia *natura debitor permanet*. Neque textus iste restringi debet ad litigantem mala fide: tum quia hoc divinatorie diceitur: tum quia responsio ista non congruit causali: *natura debitor permanet*. 2. Sententia, & res judicata nullibi in toto jure numeratur inter modos solvendi obligationem, vel transferendi dominia, aut jura, imo post rem judicatam *nihilominus obligatio durat*. §. 5. *Inst. de except.* ergo vi rei judicatæ victor in judicio non est tutus in conscientia, si post deveniat in notitiam rei alienæ, aut debiti. 3. Res transacta est tantæ firmitatis, ac res judicata *l. 5. 16. C. de transact.* sed transactio non transfert jura, & dominia, si re ipsa transigens non est dominus, sed tantum usucapiendi conditionem *l. 8. C. de usucap. pro emptor.* ergo etiam sententia, & res judicata ipso jure non transfert dominia, sed solam usucapiendi conditionem, si interim possessor non deveniat in notitiam rei alienæ. Et ideo ipsimet adversarii inter alios titulos usucapionis ponunt etiam titulum *judicati*, cui non est locus in alio casu, nisi dum victor bona fide rem sibi adjudicatam possidet, quæ tamen re ipsa non est illius. Evanescit autem iste titulus, si ante completam usucapionem superveniat certa notitia rei alienæ. Ratio est, quia sententia, & res judicata fundatur in præsumptione facti particularis, quatenus ex allegatis, & probatis constat, quod contractus, debitum, aut delictum intervenerit, vel quod iste, aut ille sit dominus rei *c. 13. in fin. h. t.* ubi de sententia dicitur, quod *præsumatur rite per omnia celebrata*: sed si præsumptio est falsa, talis sententia, & res judicata nihil efficaciter operatur pro foro interno; quia in hoc foro præsumptio, & res judicata cedit manifestæ veritati ex communi doctrina S. Aug. *Can. 4. d. 8.* ergo. *Confir.* ex hac instantia: dum non debitor condemnatur actori bona fide litiganti in mille, vel ad tradendum fundum, vel ipso jure, seu auctoritate publica actor post rem judicatam efficitur verus dominus rei ex causa judicati traditæ, vel non efficitur tali dominus? si non, cessat quæstio circa punctum principale, de quo agimus; si ita, ut concedunt adversarii, dicentes via judicati, non secus ac via præscriptionis jura, & dominia transferri ex vi legum, & auctoritatis principalis ita disponentis, contra sic arguo: si actor in hoc casu efficitur verus dominus rei sibi adjudicatæ, ita pro foro interno excludit, seu perimit jus condemnati, ut is in foro interno teneatur rei judicatæ parere, solvere, & nullo modo possit occulta compensatione uti, cum a reo translatum sit jus, & dominium in actorem. Sic enim post usucapionem completam ex communi sententia non est licita occulta compensatio, etsi quis resciat, se antea verum dominum fuisse rei ab alio usucaptæ; sed in hoc casu debitor putatitius condemnatus non tenetur in foro interno parere sententiæ, nec solvere, licet hæc in foro externo præsumatur justa: hoc enim præter communem sententiam, docent ipsimet adversarii, ut Schmalz. *tit. de Constit. n. 34.* Pichler *eod. tit. n. 39.* ergo actor in hoc casu non efficitur verus dominus, neque perimit jus debitoris, sed huic in foro conscientiæ jus manet ad rem suam, vel non tradendum; vel si in foro externo coactus solvit, aut tradidit, ad eamdem, vel æquivalens repetendum.

Ex his pro praxi colliges. 1. Si pars bona fide litiget, & vincat, vi rei judicatæ acquiri ei possessionem, & usucapiendi conditionem, ita ut rem sibi adjudicatam ordinario tempore contra privatos usucapiat, modo toto tempore præscriptionis perseveret bona fides. *Colliges.* 2. Si notitia certa rei alienæ superveniat ante completam usucapionem, naturaliter interrumpi præscriptionem rei adjudicatæ, puta ob malam fidem supervenientem, & conf. in foro conscientiæ dari obligationem restituendi, vel solvendi, quod vi falsæ rei judicatæ acquisitum fuit.

Obj. 1. Res judicata accipitur pro veritate *l. 207. ff. de R. J.* & quantum ad litigantes jus facit *c. 13. h. t.* sed nec est veritas, nec jus, quo quis uti non potest absque peccato, & alterius injuria, ergo res judicata valet in foro conscientiæ. 2. Lex fundata in præsumptione obligat etiam pro foro conscientiæ, ut alias dictum de legibus præscribentibus solemnitates electionibus, testamentis &c. licet præsumptio fraudis falsa sit; sed res judicata vim habet legis *l. 38. ff. de LL.* ergo. 3. Rei judicatæ tanta est vis, quanta usucapionis: tum quia utraque jus tribuit; tum quia utriusque eadem est ratio, ne dominia maneant incerta, ne lites tribunalibus, & bono publico gravamen afferant. 4. *L. 36. ff. famil. hercisc.* hæreditas adjudicata cohæredi putatitio, non condicitur, & *l. 1. C. de condict. indeb.* a sent. contr. negatur repetitio pecuniæ ex causa judicati solutæ: item contra firmitatem rei judicatæ non admittitur novum instrumentum, nec rescriptum principis, nec transactio *c. 20. 21. h. t. l. 32. C. de transact. l. 1. C. quando provoc.* & ideo JCti dicunt, quod res judicata faciat de non ente ens, & de ente non ens, ex indebito debitum, ex nigro album, ex quadrato rotundum, & e contra; quæ omnia innuunt rem judicatam esse firmam in foro interno.

℞. *Ad* 1. Res judicata accipitur pro veritate præsumpta in foro externo; & similiter facit jus præsumptum, quod eatenus victori prodest in foro conscientiæ,

tæ, quatenus ante completam usucapionem non supervenit certa notitia rei alienæ. *Ad* 2. Lex fundata in præsumptione periculi universalis fraudium obligat in conscientia, etsi præsumptio in casu particulari fallat, quia motivum talis legis non cessat: at lex fundata in præsumptione facti particularis, etsi sit præsumptio juris, & de jure, non obligat in conscientia, si præsumptio fallat, ut docet certa sententia ab exemplis *c.* 21. 30. *de sponsal. c. un. in fin. de desponsimpub. in* 6. *l.* 22. *ff. de probation.* &c. ergo multo minus in conscientia obligat sententia, & res judicata fundata in falsa præsumptione. *Ad* 3. Neg. ant. quod solidius ex claro jure probandum esset, maxime cum jura omnia clament, rem judicatam non esse modum solvendi obligationem, sed propter auctoritatem judicis esse titulum justæ possessionis, & usucapionis, modo continuetur bona fides sine notitia rei alienæ. Et quomodo res judicata æquiparatur usucapioni, cum etiam in sententia adversariorum, non debitor condemnatus uti possit occulta compensatione? nisi forsan dicas, quod actor, & reus æquale jus retineant in eadem re. Nec sunt eædem rationes: nam res semel judicata non permittitur iterum resuscitari, adeoque non timentur lites, & incerta dominia, quorum certitudini satis consulitur per usucapionem. *Ad* 4. In citt. juribus negatur condictio, repetitio, & resuscitatio litium pro foro externo; & quidem juste, ne tribunalia antiquis litibus onerentur; sed exinde nihil infertur pro foro interno, quia jus sæpe negat actionem pro foro externo, relicta obligatione in foro interno, in quo veritas rei spectatur, *l.* 7. §. 4. *ff. de pact. l.* 2. *C. de rescind. vend.*

12. Q. VIII. *Quid juris circa exequutionem rei judicatæ?* ℞. 1. Exequutio, qua realiter victori præstatur id, quod verbaliter per sententiam ei adjudicatum est, fieri debet a solo judice ordinario, vel delegato; alias victor propria auctoritate attentans exequutionem, *actione furti, & vi bonorum raptorum tenetur*, *l.* 6. §. 2. *ff. de re jud. c.* 5. *de off. deleg.* quod si a sententia appellatum fuit, judex appellationis, sive reformet, sive discussis meritis causæ confirmet priorem sententiam, exequitur sententiam, cum ad eum jurisdictio sit devoluta *l.* 32. §. 2. *C. de appell. & auth. si quis C. de Episcop. aud.* Si vero judex *ad quem* tantum tacite confirmaret sententiam, v. g. pronuntiando fatalia esse lapsa, vel appellationem esse desertam, exequutio pertinebit ad *judicem a quo l. fin.* §. 4. *C. de tempp. appell.* quia tunc judex *ad quem* fatetur jurisdictionem ad se devolutam non fuisse. ℞. 2. Exequutor mixtus, cui non mera exequutio, sed etiam cognitio circa faciendam exequutionem commissa est, admittere potest exceptionem ad retardandam exequutionem, non vero ad sententiam impugnandam; sed si circa hanc aliquid opponatur, v. g. a tertio ignorante sententiam fuisse latam, id ad judicem principalem referendum est, *l.* 75. *ff. de judic.* At exequutor merus, cui non cognitio, sed merum exequendi ministerium commissum est, regulariter nullam exceptionem admittere potest, nisi sententia esset invalida, vel notorie injusta, *l.* 6. 8. *C. de exeq. rei jud. c.* 28. *de off. deleg.* Ceterum is, contra quem tres sententiæ conformes latæ sunt, non auditur agens de nullitate earum, nisi prius exequutioni mandentur, *Clem.* 1. *h. t.* ℞. 3. In actionibus realibus exequutio statim post decendium decerni potest in rem, de qua litigatum fuit, quia hæc præsto est ad restituendum, nisi possessor ob impedimentum statim illam restituere non posset; & tunc datis fidejussoribus, aut pignoribus, tempus ei præfigitur ad restituendum, *l.* 68. *ff. de R. V. c.* 6. *h. t.* §. 2. 3. *Inst. de off. jud.* at in actionibus personalibus, & debitis, cum pecunia numerata non semper sit præsto, debitori condemnato conceditur quadrimestre ad solvendum, *c.* 15. *h. t. l.* 2. 3. *pr. C. de usur. re jud.* In criminalibus pro exequutione pœnæ corporalis nec decem dies expectantur, *l.* 18. *C. de pœnis.*

13. Q. IX. *Quæ sit pœna temere litigantis*, qui inconsulto, seu sine prævio sufficienti examine litem movit? ℞. Hodie est sola multa pecuniaria, seu condemnatio in expensas necessarias, & moderatas, quarum causa fuit, ut eas resarciat victori, *c.* 5. *de dolo c.* 4. *de pœn. l.* 79. *pr. ff. de jud.* §. 1. *Inst. de pœn. temer. litig.* expensæ tamen delicatæ, & voluntariæ, ut sumptus justo majores in itinere, dona advocatis data &c. non refunduntur. Is autem censetur temerarius litigator, qui libellum mutavit, ab una actione transeundo ad aliam, vel qui nihil pro causa sua probavit, vel personam, cui reverentia debetur, sine venia prætoris in jus vocavit &c. E contra a pœnis temere litigantium excusatur, qui justam habuit causam litigandi; ut si semiplene probavit, & speravit se admittendum ad juramentum suppletorium, si confidit in sententia plurium DD. vel unius celebris, si causam auctoritate principis, vel metu gravis pœnæ suscepit &c.

14. Q. X. *Quæ sit pœna judicis male judicantis?* ℞. 1. Si ex dolo, & malitia male judicavit, & ad hoc inductus est timore, gratia, vel odio, tenetur parti læsæ ex delicto vero ad solidam litis æstimationem *l.* 15. *ff. de jud. l. fin. C. de pœn. judic.* si ad hoc inductus est pecunia, in causa civili, præter litis æstimationem, tenetur triplum dati, & duplum promissi reddere, ac dignitate penitus privatur; in causa vero criminali, confiscatis omnibus bonis mittendus est in exilium, *auth. novo jure C. de pœna jud. & Nov.* 124. *c.* 2. idque in detestationem tanti delicti. 2. Si judex male judicavit per imprudentiam, vel imperitiam, tenetur ex quasi delicto ad litis æstimationem; non quidem in solidum, sed quantum videbitur Religioni illius, qui illum, considerata culpæ qualitate, condemnabit, *l.* 5. §. 4. *ff. de O. & A. pr. Inst. de oblig. ex quasi. del.* 3. Si judex Ecclesiasticus favore, vel per sordes aliquid egerit, præter litis æstimationem, punitur pœna suspensionis ab officio, modo judicaverit formaliter injuste, seu contra propriam conscientiam *c.* 1. *h. t. in* 6. quæ tamen pœna non comprehendit Episcopum ex privilegio *cap.* 4. *de sentent. excom. in* 6. neque extendi debet ad arbitrum, vel merum exequutorem.

TITULUS XXVIII.

De Appellationibus, Recusationibus, & Relationibus.

Agitur de hac materia in Sexto, & Clementin. *h. t.* In Decreto 2. *q.* 6. In Trident. *sess.* 13. *c.* 1. *in fin. & c.* 2. 3. *de ref. sess.* 22. *c.* 7. *sess.* 24. *c.* 10. 18. 20. *sess.* 25. *c.* 14. *v. nec quævis de ref.* In Pandectis *lib.* 49. *tit.* 1. *usque ad* 13. In Codice *lib.* 7. *tit.* 62. *usque ad finem Nov.* 23.

1. *Nota* 1. Parti per sententiam læsæ competere varia remedia: & quidem si sententia ex aliquo capite est invalida, datur unicum *remedium nullitatis*, quod rarius solum, frequentius cumulative cum appellatione proponitur; & quidem utilissime, quia si pars defecerit in probanda nullitate, recursum habet ad probandam iniquitatem sententiæ, *l.* 1. *C. de exequut. rei jud. l.* 1. *C. de sent. ex peric. recit. Clem.* 1. *de sent. & re jud.* Hoc remedium, seu *querela nullitatis* seorsim, & principaliter intentanda de jure com. durat 30. annis ex dispositione generali, *l.* 3. *C. de præscr.* 30. nisi jure statutario, vel consuetudinario brevius tempus ei præfigatur, sicut decem dies in camera Imper. *R. J. an.* 1654. §. 121. Si sententia injusta est, contra ejus injustitiam datur *remedium ordinarium appellationis*, & remedia extraordinaria; ut *restitutio in integrum*, *supplicatio* Principi facta, ut ex gratia supplicantem gravatum restituat adversus sententiam, contra quam non suppetit ordinarium remedium appellationis *lib.* 5. *& seq. auth. C. de precib. Imper. offic. Revisio* in locum supplicationis subintrans, est remedium, quo petitur, ut Superior per se, vel per alios revisores sententiam revideat, & si iniquam repererit, eam reformet. Circa hanc consulenda sunt statuta cujusque loci, cum jure com. non concedatur.

2. *Nota* 2. quod appellatio sit provocatio ab inferiori ad Superiorem ob justam causam gravaminis, partim ut gravamen tollatur, partim ut iniquitas, aut imperitia judicis corrigatur, partim ut defectus in probando admissi in secunda instantia emendentur; licet quandoque per accidens sententiæ latæ in secunda instantia in pejus reformentur *l.* 1. *pr. ff. h. tit.* Porro appellatio est duplex: *judicialis*, quæ interponitur ab actibus judicialibus, vel ante litem contestatam a brevi termino ad comparendum, vel post litem con-

conteſtatam ab aliqua ſententia interlocutoria, vel poſt ſententiam definitivam, dum ab iſta, vel ejus exequutione appellatur. *Extrajudicialis*, quæ fit ab actibus extrajudicialibus, quibus quis gravatur; ut a delatione tutelæ, vel alterius oneris, uti etiam a gravamine, quod a privatis infertur, vel inferendum timetur in præſentatione, electione &c. Diviſio iſta fundatur in utroque jure; ut *c.* 19. *&* 29. *de elect. c.* 5. 46. 51. *h. t. c.* 8. *eod. in* 6. *l.* 1. §. 1. *& ſeqq. ff. quando appell. l.* 7. *C. h. t.* Utraque vel eſt *juſta*, vel *rationabilis* ex juſta cauſa, quæ admittenda eſt, vel *frivola* ex levi cauſa, aut *fruſtatoria* tantum litis protrahendæ cauſa: quæ tamquam temerariæ rejiciendæ ſunt. Jam agendum erit de appellationibus, judice, cauſis, modo, & effectu appellationum; & tandem de recuſationibus, & relationibus.

3. Q. I. *Qui appellare poſſint*? ℞. Regulariter omnes, quibus intra, vel extra judicium gravamen illatum eſt, vel inferendum timetur, *Can.* 10. *ideo* 2. *q.* 6. *c.* 61. *h. t. l.* 1. *ff. & l.* 20. 30. *C. eodem*. Et quidem non ſolum condemnatus, ſed & ii, quorum intereſt, appellare poſſunt; ut hæres pro cohærede, maritus pro uxore, venditor pro emptore, fidejuſſor pro debitore principali, pater pro filio, & e contra, dominus pro ſubdito, Epiſcopus pro Clerico, quilibet pro condemnato ad ſupplicium, cum innocentem defendere omnium interſit *l.* 6. *ff. & l.* 29. *C. h. t.* imo judex, ſi ſuccedat condemnato, citra notam imperitiæ contra ſuam ſententiam appellare poteſt, ſi deinde comperiat quod pars victa debite intentionem ſuam non probaverit. Interdum etiam utraque pars appellare poteſt, ſi ſententia ſuper pluribus articulis lata, in uno uni, in altero alteri nocet *c.* 7. *h. t.* Excommunicato admittitur appellatio judicialis, tamquam defenſio *c.* 5. 8. 11. *de except.* non tamen regulariter extrajudicialis, quæ vim conventionis habet.

4. ℞. 2. Appellare non poſſunt. 1. Qui expreſſe, aut tacite ſententiam approbavit, vel legitime citatus contumaciter dixit, ſe nolle venire, *l.* 23. §. *fin. ff. hujus tituł.* 2. Qui in eadem cauſa non detulit legitimæ appellationi ſui adverſarii *c.* 42. *h. t.* nam quod quiſque juris in alterum ſtatuit, eodem ipſe uti debet. 3. Qui tribus conformibus ſententiis condemnatus eſt, ab ultima appellare nequit, quia præſumptio juris, & de jure eſt pro æquitate ſententiarum, & contra reum, quod cauſam iniquam foveat, *cap.* 65. *hoc tit.* 4. In notorio crimine, vel ſi copulative adſit propria confeſſio in jure, & convictio criminis, *l.* 2. *C. quor. appell. c.* 13. 14. *h. t. Can.* 4. §. *nullus* 2. *q.* 6. Denique 5. qui juravit, ſe non appellaturum, regulariter in cauſa civili nequit appellare, niſi ſententia eſſet notorie injuſta; quia tunc juramentum in materia juris præſtitum, ſecundum jus interpretandum eſt ſub tacita conditione *ſi ſententia juri, & juſtitiæ conformis eſt*, *arg. c.* 13. *de Cler. non reſid.*

5. Q. II. *An appellatio unius proſit ceteris correis ejuſdem cauſæ conſortibus*? ℞. Cum diſtinctione: ſi unus reus in prima inſtantia condemnatus eſt, & in ſecunda inſtantia vicit, appellatio ejus prodeſt ceteris ejuſdem litis conſortibus, eamdem defenſionis cauſam habentibus, *c.* 72. *h. t. ex l.* 10. §. *fin. ff. eod.* nam ſententia appellationis fertur ſuper ſententia primæ inſtantiæ; ergo cum pro uno non poſſit eſſe vera, & falſa pro altero, cujus eadem eſt cauſa, & idem jus, neceſſario debet prodeſſe etiam alteri. At ſi ſententia primæ inſtantiæ lata eſt pro uno, ſententia ſecundæ inſtantiæ, utpote priori conformis, non prodeſt ceteris, niſi cauſa ſit individua, ut in ſervitutibus, Schmalz. a *n.* 15.

6. Q. III. *A quo, & coram quo judice appellari debeat*? ℞. 1. Appellatur a judice inferiori, ſive ordinario, ſive delegato; & qui ſententiam tulit *l.* 32. §. 3. *h. t.* & in hujus defectum appellatio interponenda eſt coram judice *ad quem*; & ſi neutrius copia haberi poteſt, vel ſi propter metum gravem non expedit appellationem interponere coram judice *a quo*, facienda eſt appellatio coram viris honeſtis, vel notario cum proteſtatione, quod coram judice appellari non potuerit, *c. fin. h. i.* quod ſi autem ſententia a pluribus judicibus lata eſt, & omnium ſimul, aut ſeorſim copia ad appellandum haberi nequit, ſaltem coram uno appellandum eſt, *Clem.* 1. *h. t.* ℞. 2. A judice ſupremo nulla datur appellatio, cum is Superiorem non recognoſcat, niſi per accidens ſententia Principis politici eſſet manifeſte injuſta; tunc enim ad Papam appellari poſſet, qui ratione peccati eſt judex competens, & ſupremus omnium fidelium *c.* 13. *de judic.* Ab ipſo autem Papa, qui in terris nulli judici ſubjectus eſt, nulla datur appellatio, ne quidem ad concilium generale; imo ſic appellantes, ipſo facto incurrunt excommunicationem Bullæ Cœnæ *caſu* 2. Similiter rejicitur appellatio a Papa male informato ad eumdem, ut bene informatum; ſed ſi ſententia Romani Pontificis in melius reformanda eſt, opus eſt ſupplicatione, & reſtitutione in integrum, *c.* 5. *de in integr. reſt.* Præterea non datur appellatio a concilio generali ſuo capiti unito, nec a ſententia totius ſac. Collegii Cardd. nec a Rota Romana, & ſupremis tribunalibus Principum, nec ab Epiſcopo in caſu, quo laici non ſubditi, prorogando ejus juriſdictionem, ſe illi ſubmiſerant, *l.* 8. *C. de Epiſcop. aud.* ℞. 3. Judex *a quo*, tenetur ex juſta cauſa deferre cuilibet appellationi, cum appellans utatur jure ſuo, niſi appellatio ſpecialiter ſit prohibita *l.* 24. *C. h. t. c.* 15. *eod.* In dubio, an cauſa ſit juſta, propter reverentiam judicis ſuperioris deferendum eſt appellationi. Si autem judex juſtæ appellationi non deferat, præter damnum litis, multatur 10. libris auri ex *Nov.* 126. *c.* 3. & jure antiquo multabatur 30. libris, *l.* 21. *C. h. t.* de Jure Can. ſaltem ſi non deferat appellationi ad Papam, deponitur, *Can.* 11, §. *ſi autem*, 2. *q.* 6. vel arbitrarie punitur *c.* 31. *h. t.* Quod ſi ab interlocutoria appelletur, Judex non tenetur deferre appellationi; imo progredi poteſt in cauſa, donec ei legitime prohibeatur, *c.* 5. 7. *h. t.*

7. Q. IV. *Ad quem judicem appellandum ſit*? ℞. 1. Ad Superiorem; & quidem gradatim, ſicut in Eccleſiaſticis ab Archidiacono ad Epiſcopum, ab hoc ad Archiepiſcopum, Primatem, Patriarcham, & tandem ad Sedem Apoſtolicam, ubi ex conceſſione plurium Pontificum Auditor Cameræ Apoſtolicæ eſt ordinarius judex omnium appellationum, exceptis cauſis beneficialibus, & matrimonialibus, & quibuſdam aliis, quarum cognitio ad Signaturam juſtitiæ, & Auditores ſacræ Rotæ pertinet. Ratio hujus ordinis eſt, ne confundantur juriſdictiones Eccleſiaſticæ, *c.* 66. *h. t. c.* 3. *eod. in* 6. ſi tamen pars adverſa non contradiceret, probabilius valeret appellatio ad Superiorem mediatum, ut colligitur ex *cit. c.* 66. *h. t.* Sic etiam in Religionibus a Prælato locali appellandum eſt ad provincialem, ab hoc ad Generalem, tum ad Protectorem, Sacr. Congregationem negotiis Epiſcoporum, & Regularium præpoſitam; tandem ad Sedem Apoſtolicam. ℞. 2. A delegato appellatur ad delegantem, vel ejus in officio ſucceſſorem *arg. l.* 21. §. 1. *ff. h. t.* a ſubdelegato ad delegatum ſubdelegantem, niſi totam ſuam juriſdictionem ſubdelegaſſet; tunc enim ad primum delegantem eſſet appellandum, *c.* 27. §. *porro de off. deleg. cap.* 7. 14. *eod. in* 6. uti etiam in caſu, quo condelegatus ſubdelegat ſuo collegæ condelegato, ne appellatio videatur fieri partialiter ad eum, qui judex fuit, *c.* 27. §. *ſi vero, de off. deleg.* Quod ſi Epiſcopus cauſam, alias ſubjectam juriſdictioni officialis, ſubdelegavit, regulariter appellari poteſt non tantum ad Epiſcopum delegantem, ſed etiam ad ejus officialem, ſeu vicarium generalem, cum utriuſque ſit idem tribunal, *c.* 3. *pr. h. t. in* 6. niſi expreſſe conſtaret, quod Epiſcopus talem cauſam ſubduxerit juriſdictioni vicarii, Pirhing & alii. ℞. 3. Ex ſpeciali præeminentia, & privilegio, a quolibet judice Eccleſiaſtico (& in territorio papali a judice laico) immediate appellari poteſt ad Papam; *Can. ſi quis* 2. *q.* 6. *c.* 7. 31. 34. *h. t.* nam Papæ juriſdictio eſt concurrens cum juriſdictione omnium Ordinariorum: excipe ſubdelegatum delegati Papæ, nam ab illo ad hunc appellandum eſt, *cit. c.* 27. §. *porro de off. deleg.* item in provincia immediate appellari poteſt ad legatum Papæ, cujus juriſdictio eſt concurrens, *c.* 1. *de off. legat.* Si vero cauſa agitata ſit coram Ordinario, & delegato Papæ, appellatur ad Papam, quia delegatus tanquam major trahit ad ſe Ordinarium tanquam minorem. In foro civili regulariter non permittitur immediata appellatio ad Imperatorem *l.* 21. *ff. h. t. l.* 29. *C. eod.* niſi miſerabilibus perſonis, & ſtudioſis, *l. un. C. quand. Imp. int. pup. Auth. habita*, *C. ne filius pro patr.* ℞. 4. In caſu, quo ex duobus litigantibus unus appellat ad Superiorem proximum, & alter ad

remo-

remotum in eodem capitulo, si judex inferior scit interpositam esse appellationem ad superiorem, non potest procedere in causa, quia jurisdictio Superioris absorbet jurisdictionem inferioris *arg. l.* 54. §. 1. *ff. de re jud.* secus recte procedit, donec appellans ad judicem mediatum ei legitime manifestet suam appellationem, *arg. l.* 2. *ff. si quis in jus voc.* cum citius non desinat ei esse subditus in hac causa.

8. Q. V. *In quibus causis admittatur, vel negetur appellatio?* R. 1. In omni causa, in qua quis gravatur, regulariter admittitur appellatio, *Canon.* 20. *liceat*, 2. *q.* 6. & quidem si appellatio est judicialis, debet esse gravamen illatum, vel comminatum; si vero est extrajudicialis, sufficit gravamen futurum, licet non sit comminatum, *c.* 60. *h. t. Clem.* 3. *eod.*

9. R. 2. Appellatio non admittitur in seqq. 1. A sententia interlocutoria de jure novo Tridentini *sess.* 13. *c.* 1. & *sess.* 24. *c.* 20. *de refor.* conformiter juri civili *l.* 7. *C. quor. appell. non recip. l.* 6. *C. de jud. l.* 2. *C. de Episcop. aud.* Excipe, nisi interlocutoria vim habeat definitivæ, vel contineat gravamen non reparabile per definitivam, *l.* 39 *ff. de minorib. Tridentin. loc. cit.* 2. *In causa correctionis*, si Prælatus, ut pater procedat juxta sacros Canones, aut propriam regulam ad observantiam disciplinæ Ecclesiasticæ, aut regularis, Trid. *sess.* 13. *c.* 1. & *sess.* 24. *c.* 10. *de refor. c.* 3. 26. *h. t.* &c. nam hoc modo appellans, sacros Canones, & regulam redargueret iniquitatis: at si Prælatus procedat ut judex, vel in corrigendo modum excedat, ut imponendo jejunium triduanum, cum regula statuat biduanum, recte ab illius correctione appellatur, Trid. *loc. cit. c.* 13. *de off. Ord.* In hac autem appellatione exprimi debet, quod Prælatus in corrigendo modum excesserit, ut Superior cognoscat appellatum esse in casu permisso. 3. *In causa censurarum*, excommunicationis &c. si latæ sint ante appellationem, quia statim ligant animam, ut tanto magis timeantur, *c.* 37. *h. t. c.* 20. *in fin. de sent. excom.* ut autem superior de justitia censuræ cognosat, licite appellatur, uti etiam in casu, quo quis non a divinis officiis, sed v. g. a voce activa, & passiva, a perceptione fructuum, & similibus suspensus est: nam tunc appellatio utrumque effectum parit, suspensivum, & devolutivum. 4. *In causa electionis* ad impediendam ejus exequutionem: & tunc non obstante appellatione, electus investiri, & in pacificam possessionem mitti debet, nisi appellans valde gravem, & rationabilem causam allegaret *cap.* 46. *h. t.* nam appellans præsumitur malitiose velle protestationem investituræ electi. At post exequutionem electionis libere potest contra electum agere *ibid.* 6. *In causa momentaneæ possessionis*, quæ celeriter expedienda est, ne partes ad arma convolent, *l. un. C. si de moment. poss.* cui consonat Trid. *sess.* 13. *c.* 1. & *sess.* 24. *c.* 20. *de refor.* prohibens appellationem ab interlocutoria; & consequenter etiam a decreto possessorii momentanei, seu summarissimi, quod sententia interlocutoria dicitur *Can.* 42. *ei qui* 2. *q.* 6. *in* §. *de possessione etiam, & ejus momento si causa dicatur (quæ sententia interlocutoria appellatur) quamvis provocatio interposita fuerit, tamen lata sententia sortiatur effectum*: nam sententia ista in possessorio summarissimo parvi est præjudicii, & facile reparari potest in possessorio plenario, vel petitorio: at si instituatur possessorium ordinarium, seu plenarium, in quo plerumque magnum vertitur præjudicium, admittitur appellatio maxime per jus Can. antiquum *c.* 5. 12. *h. t. & c.* 7. *& fin. de cauf. possess.* atque id hodie servatur, cum judicia possessoria, quæ olim erant extraordinaria, hodie elevata sint ad formam judiciorum ordinariorum. Aliter ista jura conciliat P. Reiff. a *n.* 304. dicens jure civili negari appellationem solum quoad effectum suspensivum, non vero devolutivum: sed prior doctrina magis recepta, & praxi accommodatior est, maxime cum jus simpliciter negando appellationem, nihil excipiat. 6. *In causa testamenti* non appellatur a sententia, qua judex præcipit testamentum aperiri, & hæredem institutum mitti in possessionem hæreditatis, *l. fin. ff. de appellat. recip. l.* 6. *C. quor. appellat. non recip.* 7. Dantur præterea multi casus videndi apud Reiff. Schmalz, Pirh., & alios fusiores, in quibus non conceditur appellatio; ut in delictis notoriis, in exequutionibus, modo exequutor non excedat limites mandati, in causa nominationis ad munera publica privatam utilitatem concernentia, ut ad tutelam, nisi adesset causa excusans: item in causis alimentorum, in crimine falsæ monetæ, læsæ majestatis, hæresis, raptus &c. 8. Denique dum causa committitur decidenda cum clausula: *remota appellatione*, quam solus supremus princeps apponere potest, cum inferior derogare nequeat juri communi concedenti appellationem.

☞ *In Constit. Benedict. XIV.* Ad Militantis 30. *Martii* 1742. *referuntur sequentes causæ, in quibus appellatio cum inhibitione in suspensivo concedi prohibetur, non obstante quacumque contraria consuetudine, etiam immemorabili, aut privilegia, sub pœna nullitatis actorum, etiam quoad citationes expediri solitas coram Signaturæ Præfecto, ad effectum comparendi, aut adeundi eamdem Signaturam.*

1. *A decretis, quorum exequutio a Trident. demandata est locorum Ordinariis, etiam uti Sedis Apost. delegatis, appellatione, vel inhibitione quacumque postposita.*

2. *Ab eorum decretis tam in visitatione, quam extra circa cultum divinum conservandum, vel augendum; & præcipue circa missæ celebrationem.*

3. *A decretis cogentibus Clericos tam sæculares, quam regulares: etiam monachos, & exemptos ad processiones publicas; servata tamen forma Constit. Pii V.* Et si mendicantium, *& circa præcedentias in eisdem inter dictos Clericos, vel associatione cadaverum, delatione umbellæ, &c. ac super observantia censurarum etiam Episcopalium, & festorum diœcesum.*

4. *A decretis circa curam animarum, & Sacramentorum administrationem, aliaque Parochialia munera, etiam quoad exemptos, tam sæculares, quam regulares.*

5. *A deputatione Vicariorum, etiam perpetuorum, cum assignatione congruæ in Parochialibus perpetuo unitis quibuscumque Ecclesiis, aut locis piis.*

6. *A visitatione dictarum Ecclesiarum Parochialium, & aliarum quarumcumque quomodolibet exemptarum; & a decretis circa earumdem reparationem, & curam animarum.*

7. *A decretis, quibus Episcopi, etiam, uti Sedis Apost. delegati, cogunt rectores Ecclesiarum Parochialium, aut baptismalium ob populi numerositatem sibi tot Sacerdotes adjungere, quot sufficiant ad Sacramentorum administrationem; aut quibus ob grave populi incommodum ad hæc percipienda, ipsis etiam invitis, novas Parochias constituunt cum assignatione competentis portionis; vel quibus tandem ob paupertatem, & in ceteris casibus a jure permissis perpetuo alia simplicia beneficia uniunt.*

8. *A deputatione coadjutorum, aut vicariorum Parochialium Ecclesiarum ob earum rectorum illiteraturam, vel suspensionem, aut etiam privationem, quando turpiter, & scandalose vivunt; si moniti incorrigibiles perseverant.*

9. *A translatione beneficiorum simplicium, etiam juris patronatus, ex Ecclesiis collapsis, quæ ob inopiam reparari nequeunt, in matrices, aut alias Ecclesias cum omnibus emolumentis, & oneribus; vocatis iis, quorum interest: & a decretis cogentibus patronos, rectores, beneficiatos, aut Parochianos ad restaurationem Ecclesiarum Parochialium, servata forma Trident. sess.* 21. *c.* 7.

10. *A censuris, sequestratione, & subtractione fructuum contra curam animarum habentes non residentes.*

11. *A denegatione, revocatione, suspensione, vel restrictione facultatis audiendi sæcularium confessiones contra Sacerdotes non Parochos, etiam regulares.*

12. *A divisione, seu distinctione parochiarum, earumque institutione in titulum juxta Triden. sess.* 24. *de reform. cap.* 13. *ubi Parochiæ, vel certos non habent fines, qua de causa earum rectores promiscue petentibus Sacramenta administrant, vel nullæ sunt.*

13. *A deputatione œconomi tempore Parochialis Ecclesiæ vacantis: sicut, & ab indictione concursus, relatione examinatorum, prælectione, & provisione Episcopi in eodem concursu.*

14. *A decretis contra habentes publicas lectiones, nec non prædicationem verbi Dei sine licentia Episcopi,*

ſcopi, etiam a regularibus in alienis Eccleſiis; & in ſuis, non petita ejus benedictione, juxta Conſt. Clem. X. Superna.

15. *A Decretis circa clauſuram monialium, ac punitionem delinquentium in eam, & perſonas intra eam degentes. Item circa examen pro approbatione, vel reprobatione confeſſariorum earumdem, tam ordinariorum, quem extraordinariorum, & tam ſæcularium, quam regularium quomodolibet exemptorum; etiam pro monialibus ſubjectis iiſdem Regularibus: ſicuti & contra earumdem miniſtros, tam pro mala adminiſtratione, quam pro reddenda ſingulis annis bonorum ratione: ac demum circa quorumcumque ipſorum officialium amotionem, ſervata forma, quoad Regulares & exemptos, Conſtit. Gregor. XV.* Inſcrutabili.

16. *A paſtorali viſitatione diœceſis, & præſertim monaſteriorum commendatorum, abbatiarum, prioratuum, & præpoſiturarum, in qnibus non viget regularis obſervantia; ac beneficiorum tam curatorum, quam non, ſæcularium, & regularium, qualitercumque commendatorum, etiam exemptorum; & ab exequutione decretorum in ipſa viſitatione factorum, ſicuti & ab illis factis extra viſitationem pro conſervatione, & reparatione diſciplinæ Eccleſiaſticæ circa vitam, mores, honeſtatemque quorumcumque Clericorum, ac luxum, commeſſationes, choreas, luſus, crimina, & ſecularia negotia evitanda, ad formam tamen decretorum Congreg. Epiſc. edit. ann.* 1600. *de mandato Clem. VIII.*

17. *A decretis cogentibus præſentatos, electos, vel nominatos quibuſvis Eccleſiaſticis perſonis, etiam Sedis Apoſt. Nunciis, ad ſe ſubjiciendum examini Ordinariorum, antequam inſtituantur, & confirmentur.*

☞ *Vide notata in Elencho conſuetudinum abrogatarum a Concil. Trident. num. VII. in fine ſecundæ partis.* ☜

18. *A denegatione promotionis ad ſacros ordines, & a ſuſpenſione ſuſceptorum ob crimen occultum, ſive ex informata conſcientia.*

19. *A præfixione termini pro punitione Regularis Epiſcopo non ſubjecti, degentis intra clauſtra, ſed extra notorie ſcandaloſe delinquentis, facienda a ſuo Superiore, & pro notitia punitionis hujuſmodi Epiſcopo danda.*

20. *A cenſuris, aliiſque proviſionibus contra concubinarios; & etiam contra detinentes mulieres ſuſpectas domi, aut extra.*

21. *A privatione privilegii fori; & a decretis contra Clericos non incedentes in habitu, & Tonſura; & in aliis caſibus a Trident. præſcriptis ſeſſ.* 14. *c.* 6. *&* 23. *de reform.*

22. *Ab approbatione, & reprobatione patrimonii penſionis, aut beneficii, quoad promovendos ad ſacros ordines.*

23. *A convocatione capituli facta ab Epiſcopo pro deliberando aliquo negotio cum voto capitularium, ad ipſius tamen, vel ſuorum commodum non ſpectante.*

24. *A decretis circa converſionem tertiæ partis quorumcumque proventuum, & obventionum tam dignitatum, quam Canonicatuum, perſonatuum, portionum, & officiorum in diſtributiones quotidianas, earumque diviſionem inter dignitates obtinentes, & alios divinis intereſſentes in Eccleſiis cathedralibus, & collegiatis, in quibus nullæ ſunt hujuſmodi quotidianæ diſtributiones; vel ſunt ita tenues. ut veriſimiliter negligantur juxta Trident. cap.* 3. *ſeſſ.* 21. *& ſeſſ.* 22. *cap.* 3. *de reform.*

25. *Ab exequtione piarum diſpoſitionum tam in ultima voluntate, quam inter vivos, juxta idem Trident. dicta ſeſſ.* 22. *c.* 8.

26. *A viſitatione hoſpitalium, & quorumcumque piorum locorum, etiam exemptorum, & a laicis adminiſtratorum; collegiorum, confraternitatum, eleemoſynarum, montium pietatis, ac a cognitione, & exequutione pertinentium ad Dei cultum, & pauperum ſuſtentationem; atque a ratione adminiſtrationis eorumdem locorum ſingulis annis Epiſcopo reddenda; niſi aliter in ipſorum inſtitutione, & ordinatione expreſſe cautum fuerit, juxta cit. c.* 8. *ſeſſ.* 22. *& c.* 15. *ſeſſ.* 7. *c.* 9. *ſeſſ.* 22. *& c.* 8. *ſeſſ.* 25.

27. *Ab examine, ſuſpenſione, vel remotione quorumcumque notariorum ſcribentium in cauſis Eccleſiaſticis juxta c.* 10. *dictæ ſeſſ.* 22.

28. *Ab erectione ſeminarii, & præfixione taxæ imponendæ dignitatibus, perſonatibus, officiis, præbendis, portionibus, Abbatiis, & Prioratibus cujuſcumque ordinis, etiam regularium hoſpitalium (quæ dantur in titulum, vel adminiſtrationem) beneficiis quibuſcumque tam regularium, quam juriſpatronatus, exemptorum, & nullius diœceſis, vel annexis aliis Eccleſiis, monaſteriis, hoſpitalibus, aut quibuſvis locis piis, licet exemptis: ac tandem imponendæ redditibus pertinentibus ad fabricas Eccleſiarum, confraternitates, & monaſteria omnia (non tamen mendicantium) & decimis quacumque ratione ſpectantibus ad laicos, & milites cujuſcumque militiæ, aut ordinis (excepto Hieroſolymitano,) nec ab unione aliquot beneficiorum ſimplicium; ſicuti neque a decretis contra ſcholaſterias obtinentes, quibus lectionis, vel doctrinæ munus ad docendum aut per ſe, aut per alios eſt annexum. Nec denique a quibuſcumque proviſionibus curam, directionem, & adminiſtrationem ſeminarii reſpicientibus, juxta Trident. ſeſſ.* 13. *de reform. c.* 18.

29. *A reddenda ratione adminiſtrationis geſtæ ab œconomo, & vicario capitulari tempore Sedis Epiſcopalis vacantis, juxta Trident. ſeſſ.* 24. *de reformat. cap.* 16.

30. *A comminatione excommunicationis a jure latæ, & a ſententia ſuſpenſionis, & interdicti, niſi appellatio fuerit interpoſita ex capite nullitatis, & e converſo a ſententia abſolutionis ab iiſdem cenſuris.*

31. *Ab exequutione quorumcumque aliorum decretorum, locorum Ordinariis a Trident., & Conſtit. Pii IV.* Benedictus Deus *demandata.*

32. *In prædictis omnibus cauſis permittitur ſimplex dumtaxat, & extrajudicialis recurſus ad S. Sedem, & juxta earum naturam appellatio in ſolo devolutivo ad quos de jure ſine retardatione legitimæ exequutionis decretorum ſuper eiſdem cauſis: nunquam autem admittenda, niſi prius conſtito de legitima ejus interpoſitione, & in cauſis a jure permiſſis.*

33. *Si denegatum fuerit inſtrumentum ſententiæ, a qua appellatur, appellans tenetur producere in actis ejus copiam ſimplicem; & in inhibitione exprimenda eſt conditio — quatenus vero tenor inſertus vere, & in ſubſtantialibus cum originali concordet, eodemque originali præſentes litteræ ſint in tempore poſteriores; alioquin nullæ, & irritæ cenſeantur — ſub infraſcriptis pœnis reſpectu notariorum, ut ſeq. numer.* 35.

34. *Si appellatum fuerit a gravamine, quod per definitivam ſeparari nequit, ſi hoc eſt de carceratione jam ſecuta cum mandato verbali, non admittitur appellatio, niſi prius conſtito de carceratione per depoſitionem duorum ſaltem teſtium; & interim appellans remanere debet in carcere, donec aliter deciſum fuerit. Si vero gravamen eſt de cenſuris jam prolatis, vel de comminatione carcerationis, torturæ, aut cenſurarum obſervanda eſt diſpoſitio decretorum Cong. Epiſcoporum ſub Clem. VIII. juxta declarationes Benedicti XIII. in appendice ad Conc. Rom.* ibi — *Ad* 12. *&* 13. *decretum Clemen. VIII. — Quoad abſolutionem ultimam a cenſuris ſervetur diſpoſitio ſupradicti decreti* 12. *Clement. VIII. juxta etiam canonicam ſanctionem, quod in caſu conſtet de juſtitia cenſurarum, debeat remitti abſolutio danda ad judicem a quo: ſi vero conſtet clare de injuſtitia, judex ad quem abſolutionem impendat. Si vero adſit dubietas, an fuerit juſta, honeſtius eſſet, ut ad excommunicatorem infra aliquem competentem terminum præfigendum abſolvendus remittatur, licet etiam judex ad quem hoc caſu idipſum per ſe præſtare jure poſſit. Verum quoad abſolutiones cum reincidentia, quæ partibus concedi ſolent a judicibus, ad quos appellatur, ad effectum audiendi cum inoluerit uſus tam in tribunali A.C, quam forſan etiam in metropolitanis, aliiſque tribunalibus appellationum, quod committantur abſolutiones cuicumque confeſſario, itaut rei, abſque ulla reverentia proprii Ordinarii pro abſolutis ſe publice habeant, Sanctitas ſua ſtatuit, ut in futurum hujuſmodi abſolutiones cum reincidentia tam in tribunali A.C, quam in curiis metropolitanis, aliorumque judicum appella-*

tio-

tionum, committantur ipsis Ordinariis excommunicantibus cum clausula, ut infra tres dies absolvant censuratos, juxta commissionem, quibus elapsis, si requisitus Ordinarius absolvere recusaverit, vel neglexerit, absolvantur a confessario juxta commissionis formam: quæ in præsenti servatur in dictis commissionibus absolutionum. Quoad vero censuratos, in urbe commorantes, committi debeat absolutio Cardinali urbis Vicario, seu ejus Vicesgerenti, ac præfata servari etiam mandavit in absolutionibus, quæ conceduntur per Congregationes, prout jam religiose in ipsis servatum fuit. Declaravitque rursus Sanctitas Sua, quod hujusmodi commissiones de absolvendo præsentari debeant cancellario Ordinariorum, a qua præsentatione currere debeant tres dies, post quorum lapsum, & non data absolutione, possint ab aliis absolvi, ut supra in commissione.

Quoad insuper censuratos mandat Sanctitas Sua, quod, reportata absolutione a censuris cum reincidentia, cedulones, quatenus affixi fuerint amoveri non debeant, sed tantummodo tegantur, & tecti remaneat, durante termino obtentæ absolutionis.

35. *Ab hac generali regula negandæ appellationis Pontifex excipit particulares casus, qui per Trid. Const. Apost. aut communem Doctorum sententiam in suspensivo admitti potest; serio tamen expendendi a judice superiori, an sint de exceptis; & tunc aliter non concedenda, nisi adjecta hac clausula — nos enim, attentis juribus, & supplici libello nobis præsentatis, atque in actis exhibitis, sicut præfertur, inhibendum esse speciali rescripto mandavimus — sub pœna nullitatis; notariis vero infamiæ, & perpetuæ inhabilitatis ad officium notarii in causis Ecclesiasticis exercendum ipso facto incurrenda, si præsumpserint citationes cum inhibitione expedire sine tali speciali rescripto: ejus productione, & insertione prædictæ clausulæ in actis: & insuper quoad notarios urbis quinquaginta ducatorum auri de camera, huic pro una medietate, & pro altera parti recurrenti, sin minus locis piis arbitrio Pontificis applicandorum.*

36. *Item excipiuntur monitoria in causis privilegiatis coram Auditore Cameræ Apost. ejusque Locumtenentibus, etiam in prima instantia tractandis, juxta præscriptum Const. Pauli V.* Universi, *& citatas aeclarationes Bened. XIII. Quæ si expediantur ultra montes, offerri prius debet supplex libellus universam facti speciem clare continens, & pravio ejusdem Audit. Cam. rescripto de ipsis expediendis sub pœnis, ut supra, in notarios aliter expedientes.*

37. *Denique in cit. Const.* Ad militantis, *statuitur, ut causæ omnes tam civiles, quam criminales ad forum Ecclesiasticum pertinentes, exceptis privilegiatis, & aliis de jure excipiendis, in prima instantia coram locorum Ordinariis cognoscantur, nec a quoquam avocari possint, nisi per viam legitimæ appellationis.*

☞ 38. *Circa appellationem in causis matrimonialibus vide disposita ab eodem Bened. XIV. Const.* Dei miseratione *in additionibus ad tit. XIX. de divortiis lib. IV.* ☜

☞ *Circa appellationem ab irrationabili judicio Ordinarii, quoad præficiendos Parochialibus Ecclesiis vide disposita ab eodem Const.* Cum illud *in additionibus post tit. VII. de Inst. lib. III.* ☜

Circa præsentatos eisdem Ecclesiis a patronis vide disposita in ejusdem Pont. responsionis ad Archiepiscopum Florentinum Redditæ nobis *in additionibus ad tit. XXXVIII. de jur. patron. lib. III.* ☜

☞ *Circa appellationem pro nullitate professionis regularis vide ab eodem pariter disposita Const.* Si data *in additionibus ad tit. XXXI. de Regul. §. 2.* ☜

☞ *Circa appellationem de damno dato vide tit. II. de Foro compet. p. 689. post num. 27.* ☜

10. Q. VI. *An per clausulam:* remota appellatione, *prohibeatur non tantum appellatio frivola, sed etiam alias justa & rationabilis?* ℞. Affirmative: ita com. ex *c. 53. h. t.* ubi summarium ita habet: *per clausulam, remota appellatione, inhibetur omnis appellatio, quæ a jure non indulgetur expresse:* nam si per clausulam istam prohiberetur sola appellatio frivola, & frustatoria, clausula ista esset otiosa, nullumque operaretur effectum; cum aliunde constet, appellationem frivolam esse rejiciendam, ergo. Porro clausula ista notabiles habet effectus; nam non obstante appellatione, judex sententiam exequitur, acta illius de se valent, & rescriptum posterius, nisi faciat mentionem prioris cum clausula, non prævalet priori. Ipsa tamen appellatio sustinetur quoad effectum devolutivum, *cit. c. 53. h. t.* quia adhuc judex superior cognoscere potest de justitia sententiæ, & eam, si injusta est, rescindere. Et hoc sufficit gravato ad naturalem defensionem, uti & supplicatio, & alia remedia extraordinaria; & si sententia est invalida, querela nullitatis. ℞. 2. Dantur casus excepti, in quibus, non obstante dicta clausula, admittitur appellatio: 1. Si judex recipere nolit exceptionem consanguinitatis, vel alterius justæ causæ; unde tamquam suspectus recusari potest, *cap. 36. hoc tit.* 2. Si non admittat exceptionem citationis ad locum non tutum, *cap. 47. eod.* 3. Si non faciat exprimi res petitas in libello *c. 49. eod.* 4. Si spoliato deneget restitutionem in casu permisso *cap. 10. de rest. spol.* 5. Si gravamen sit notorium, quia tunc cessat præsumptio justitiæ: & denique in omni casu, in quo jura simpliciter concedunt appellationem, licet non meminerint dictæ clausulæ, *cit. c. 53. h. t.* Abbat. &c.

11. Q. VII. *An in causis minoribus admittenda sit appellatio?* ℞. Affirmative de jure com. *c. 11. h. t. lib. 20. C. eod.* nam etiam in minoribus potest quis gravari. At de jure camerali non conceditur appellatio, nisi summa adæquet saltem 400. imperiales, *R. J. de anno* 1645. §. 112.

12. Pro seqq. Nota explicationem terminorum; *Apostoli*, seu *Missi* sunt litteræ dimissoriæ, quas judex, a quo appellatur, ad instantiam partis transmittit judici, ad quem appellatur, in fidem, seu testimonium appellationis interpositæ *l. un. ff. de liber. dimissor. l.* 106. *ff. de V. S.* & sunt varii: *Dimissorii* a judice a quo, ad quem. Testimoniales a notario, vel aliis viris honestis, qui testificatur appellationem coram se interpositam fuisse in defectu judicis. *Refutatorii*, quibus judex a quo significat quod ex certa causa refutaverit, seu non admiserit appellationem *l. fin. C. h. t.* & hi hodie non sunt in usu. *Reverentiales*, dum judex *a quo* defert appellationi ob reverentiam superioris judicis, licet forsan non usquequaque adsit justa causa appellandi, *c. 1. h. t. in 6.* Et hi hodie maxime sunt in usu. *Fatalia appellationum* sunt certa tempora, intra quæ debet inchoari, & terminari causa appellationis; alias appellatio, quasi fato moritur, seu fit deserta *l. 2. C. de temp. in integr. rest.* & sunt quadruplicia: 1. *Interponendæ appellationis:* 2. *Petendi, & concedendi Apostolos:* 3. *Introducenda:* 4. *Finiendæ appellationis.*

13. Q. VIII. *Quæ sint fatalia, & modus interponendæ appellationis?* ℞. 1. Fatalia interponendæ appellationis a gravamine judiciali, vel extrajudiciali illato sunt 10. dies, seu decendium: ita de jure novo *c. 8. h. t. auth. hodie eod. Nov. 23. c. 1.* quibus corrigitur jus vetus, quo appellanti in causa propria concedebatur biduum, & procuratori triduum *Can. 29. biduum, 2. q. 6. l. 1. §. 5. ff. quand. appel. l. 6. §. fin. h. t.* Hoc tempus contra præsentem currit a momento latæ sententiæ, & contra absentem a tempore notitiæ habitæ, & finitur ultimo momento diei decimæ. Quodsi gravamen est successivum, ut injusta incarceratio, appellari potest quandocumque, dum adhuc gravamen durat; nisi judex pronuntiaret gravamen esse justum; tunc enim intra 10. dies ab hac interlocutoria appellandum est: secus, si fatalia decem dierum elabantur, non est locus interponendæ appellationi.

14. ℞. 2. A sententia definitiva in continenti, hoc est, judice adhuc pro tribunali sedente, appellari potest viva voce, seu ut ajunt, stante pede, dicendo: *appello, provoco, vel submitto me judicio Papæ*, aut alterius judicis superioris, *l. 2. ff. h. t.* at ex intervallo formari debet libellus appellatorius cum expressione: *quis, contra quem, a qua sententia, & ex qua causa appellet: l. 5. §. fin. ff. & l. 6. §. 5. C. h. t.* & sic interposita appellatio actis inseritur *c. 11. de prob.* Id speciale est, quod appellans ab interlocutoria etiam in continenti, tria observare debeat, scil. ut appellatio fiat in scripto, ut exprimatur causa specifica, ut deinde alia causa ad justificandam appellationem non afferatur, *c. 1. h. t. in 6. Clem. 5. eod.* multi tamen restringunt constitutionem *cit. c. 1.* ad appellationem, quæ fit ad Papam, cum aliæ viva voce fieri possint *l. 2. ff. h. t.* & nisi novæ rationes emergant, vel gravamen sit irreparabile per definitivam.

15. ℞. 3.

15. ℞. 3. In judicio non est appellandum vage, & generaliter super omni gravamine inferendo, sed appellari potest super omni gravamine in certa causa *c. 2. 18. h. t.* nam appellatione removeri debet gravamen præsens saltem moraliter, quale utique non est, nec prudenter timetur, si causa necdum sit proposita in judicio. At appellatio extrajudicialis ex probabilibus causis fieri potest generalis, & consequenter, ea interposita, quiescit officium inferioris judicis *c. 51. & Clem. 3. hoc tit.*

16. Q. IX. ***Quæ sint fatalia, & modus petendi, atque recipiendi Apostolos?*** ℞. 1. His petendis de jure novo præscribuntur 30. dies *c. 6. h. t. in 6. l. 24. C. eod.* quibus corrigitur jus antiquum concedens 5. dies *Can. 24. ab eo 2. q. 6.* Hoc autem tempus ignoranti currit a die habitæ notitiæ de lata sententia; scienti vero a die latæ sententiæ *l. 24. C. h. t.* neque judex tempus istud prolongare potest; bene vero ex justa causa abbreviare *Clem. 2. h. t.* Lapso autem termino præscripto, præsumitur appellationi renuntiatum, quæ præsumptio est juris, & de jure non admittens probationem in contrarium. *cit. l. 24. C. & Clem. 2. h. t.* nisi pars petere non potuerit, vel per judicem steterit, quo minus acciperet Apostolos. Quodsi autem judex *a quo* requisitus nolit Apostolos concedere, sed in causa procedat, non valet processus, & revocari debet a judice *ad quem c. 4. h. t. in 6.* Aliquando tamen loco Apostolorum traduntur appellanti acta sigillo judiciali obsignata; & hæc sufficiens ad effectum, ne fatalia petendi Apostolos censeantur elapsa *c. 2. C. de edendo.* ℞. 2. Apostoli petendi sunt loco, & tempore congruo, non in templo, vel tempore prandii; & insuper petendi sunt *instanter*, & consultius in scripto, ut facilius probetur eos petitos fuisse *c. 6. h. t. in 6.*

17. Q. X. ***Quæ sint fatalia introducendæ appellationis? seu tempus intra quod Apostoli præsentandi sint judici ad quem?*** ℞. Esse arbitraria judici *a quo*, cujus est, consideratis circumstantiis præfigere terminum, intra quem Apostoli præsententur, *c. 4. h. t.* ibi *: tu ei diem assignes*, & *c. 33. eod.* ibi *: appellanti ad prosecutionem appellationis terminus congruus præfigatur.* Atque ita fatalia ista magis sunt *hominis*, quam *legis*, *l. 2. & fin. C. de temp. appell.* de jure camerali sunt 6. menses, *p. 2. tit. 3. §. 2. 5.*

18. Q. XI. ***Quæ sint fatalia finiendæ appellationis?*** ℞. Unus annus, vel ex justa causa biennium, intra quod tempus si causa appellationis non fuerit finita, censetur deserta, *c. 5. 8. & Clem. 3. h. t. auth. ei qui, & l. fin. §. 4. C. de tempp. appell.* Et hoc tempus currit a die interpositæ appellationis in judicio; extra vero a die illati gravaminis, *Clem. 3. h. t.* quæ dispositio servatur etiam in foro civili, teste Alex. de Nevo; licet de jure scripto civ. tempus annale non currat nisi post duos menses a die interpositæ appellationis, *Nov. 82. c. 6.* Causæ concedendi biennium appellationi prosequendæ, sunt: adversa valetudo, casus, & impedimenta fortuita, obices ab adversario positi &c. Hodie in majoribus tribunalibus tempus finiendæ appellationis est arbitrarium; quale etiam fieri potest ex consensu appellantis, & appellati, ut colligitur ex *Clem. 4. h. t.* cum tempus istud favore partium præfixum sit.

19. Q. XII. ***Quid agendum judici ad quem appellatio delata est?*** ℞. 1. Cognoscit primo, an fuerit justa causa appellandi *c. 35. h. t.* si ita, pronuntiabit *bene appellatum*, & *male judicatum* fuisse; si non, e contrario pronuntiabit *male appellatum*, & *bene judicatum*. Priori casu causam appellationis ad se devolutam cognoscet, & per definitivam finem ei imponet, *l. 6. C. h. t.* posteriori vero casu, sententiam judicis *a quo* confirmabit; & si appellatum est ab interloquutoria, appellante in expensas condemnato, causam ad priorem judicem remittet *c. 38. 59. h. t. c. 3. in fin. eod. in 6.* licet jure novo Trid. *sess. 24. c. 20. de ref.* non admittantur appellationes ab interloquutoria, nisi vim definitivæ habeat, vel contineat gravamen irreparabile. 2. Judex *ad quem* onus probandi imponit partim appellanti, partim appellato: nam appellans probare debet legitimum tempus, & causam justam appellandi; merita vero causæ is ostendet, qui ea protulit in prima instantia. 3. Si appellans ab Episcopo innodatus est censura, judex *ad quem* non revocabit illam, donec constet legitime esse appellatum *c. 3. §. 9. h. t. in 6.* uti nec citius prohibebit judici a quo processum in causa, *ibid. §. quodsi 4.* Si pars appellans a definitiva non appellavit ab interloquutoria, quæ principali præjudicat, judex *ad quem* revocabit interloquutoriam, cum aliter causa principalis expediri nequeat.

20. Q. XIII. ***An appellans a sententia judicis AD QUEM, appellare possit?*** ℞. Quælibet pars bis in eadem dausa appellare potest, non autem ter, vel ultra, *c. 65. h. t. l. un. C. ne lic. in an. caus.* ac proinde qui a sententia definitiva judicis *a quo* appellavit, adhuc semel a sententia definitiva judicis appellationis appellare poterit, sed non ultra, ne appellationes fiant infinitæ: tum quia pro tribus sententiis conformibus stat maxima præsumptio justitiæ. Quodsi sententia in secunda appellatione reformata fuit, parti adversæ in ea victæ conceditur duplex appellatio, ut servetur æqualitas inter litigantes.

21. Q. XIV. ***Qui sint effectus appellationis?*** ℞. Tres præcipui: 1. ***Effectus suspensivus***, dum per appellationem suspenditur sententia judicis *a quo*, ejusque jurisdictio in hac causa, ut neque ad exequutionem sententiæ, neque ad aliud circa hanc causam innovandum procedere possit. Et hunc effectum suspensivum regulariter parit appellatio, *c. 39. h. t. c. 10. eod. in 6. l. un. ff. nihil innovari appellatione interposita*, exceptis casibus infra dicendis. 2. ***Effectus devolutivus***, dum causa per appellationem cum omnibus accessoriis devolvitur a judice inferiori ad superiorem, ita ut super his omnibus judicare possit, puta non solum de justitia appellationis, sed etiam de meritis causæ. Et hunc effectum devolutivum æque regulariter parit appellatio, *c. 55. 59. h. t. & c. 3. §. si vero eod. in 6.* 3. ***Remedium attentati, seu attentatorum***, quo revocantur ea omnia, quæ pendente appellatione, innovata, vel post sententiam intra decendium, attentata sunt, *c. 7. pr. h. tit.* nam similia non ponuntur de jure, sed de facto, & ideo bene dicuntur attentata.

22. Q. XV. ***In quibus casibus appellatio non pariat effectum suspensivum?*** ℞. 1. In *censuris Ecclesiasticis* absolute, & ante appellationem latis, *c. 37. 53. h. t.* nam hæ statim producunt suum effectum, & ligant animam; adeoque non suspenduntur, sed appellatio ab his interposita parit solum effectum devolutivum, ut judex superior cognoscat de justitia censuræ. At si censura non est absolute lata, sed conditionata, aut comminatorie, & appellatio ante eventum conditionis delata est ad superiorem, suspenditur exequutio censuræ *c. 40. h. t.* nam per jurisdictionem superioris impeditur prior sententia a producendo suo effectu. Idem dic in casu, quo censura fertur sub conditione appellationis, *v. g. excommunico te, si appellaveris*, nam talis censura non incurritur ante appellationem, cum conditio non existat: neque post appellationem, quia hac posita, statim suspenditur jurisdictio, & sententia judicis *a quo:* retrotractio autem hic non habet locum. 2. In causis, in quibus negatur appellatio, vel proceditur, *remota appellatione*, ut in causa dotis, alimentorum futurorum; mercedum, & quæ de jure paratam habent exequutionem; uti etiam in iis, quæ tendunt ad favorem, & faciliorem causæ expeditionem, *c. 17. h. t.* Barbos. in *c. 59. h. t.* &c. 3. In provocatione a sententia invalida; nam talis sententia, cum sit nulla, de jure non suspenditur, sed causa solum devolvitur ad judicem superiorem, ut de meritis causæ cognoscat.

23. Q. XVI. ***An jurisdictio judicis a quo appellatione suspendatur, non tantum in illa causa, in qua appellatum est, sed etiam in aliis causis civilibus, aut criminalibus?*** ℞. Negative ex *c. 22. & 24. h. t.* nam appellans quoad ceteras causas, in quibus non est appellatum, manet subjectus judici ordinario, *c. 17. h. t.* ergo. Neque sola appellatio est causa sufficiens recusandi judicem tanquam suspectum, cum per appellationem a jure concessam non censeatur judex offendi *l. 20. C. h. t.* nisi concurrant alia adminicula ad causam recusationis sufficientia, ut manifesta iniquitas sententiæ, odium, inimicitiæ &c. Quo sensu procedit sententia DD. asserentium, judicem *a quo* recusari posse ob appellationem interpositam. Quia autem grave est simul eodem tempore in pluribus judiciis litigare, appellans uti potest exceptione, ne durante instantia appellationis alibi conveniatur, nisi commode utrique judicio satisfacere posset.

24. Q. XVII.

24. Q. XVII. *An facta appellatione ſuper articulo incidente, tota cauſa principalis devolvatur ad judicem appellationis?* ℞. Affirmative ex *c. 59. in fin. h. t.* ibi, *alioquin ipſe procedet*, dummodo pronuntietur *bene appellatum, & male judicatum* fuiſſe. Ratio eſt, partim ne continentia cauſarum dividantur, & litigantes laboribus, & expenſis fatigentur; partim quia articulus appellationis, licet ſecundum ſe ſit acceſſorius in prima inſtantia, tamen in inſtantia ſecunda principem locum tenet, & ita trahit ad ſe cauſam principalem, quaſi acceſſoriam *arg. c. 55. h. t.* ergo. Atque id procedit etiam in eo articulo, ſine quo alias cauſa principalis terminari poſſet, *c. 10. h. t. in 6.* Excipe, niſi judex *a quo* revocaverit, vel paratus ſit revocare ſententiam interlocutoriam ſuper eo articulo, vel removere gravamen; tunc enim in cauſa principali recte procedet *cit. c. 10. h. t. in 6.* Hæc doctrina procedit de jure veteri Decretalium, quo admittebatur appellatio ab interlocutoria, ſed jure hodierno non habet locum, niſi appelletur ab interlocutoria vim definitivæ habente, vel gravamen irreparabile continente. Nec obſtat *c. 7. de except.* nam in eo ponitur *exceptio juriſdictionis excluſiva*, qua probata, ideo judex appellationis non cognoſcit de negotio principali, quia nulla juriſdictio ad eum eſt devoluta; cum judex *a quo* ſuper hoc negotio nullam juriſdictionem habuerit.

25. Q. XVIII. *Quid juris circa attentata, ſeu innovata poſt appellationem?* ℞. 1. Attentata poſt definitivam in quacumque parte judicii ante concluſionem in cauſa, tanquam nulla, de facto revocari poſſunt ad inſtantiam partis; modo hæc probet definitivam fuiſſe latam, ab hac jure appellatum, & interim aliquid fuiſſe attentatum *c. 7. §. 1. h. t. in 6.* nam hoc extraordinarium remedium attentatorum conceditur ad puniendam temeritatem attentantium; eſtque pinguius interdicto *unde vi*, quia in illo, citata parte, de plano proceditur; neque agenti opponi poteſt exceptio excommunicationis, vel defectus tituli, ſed ſufficit, quod ſit aliquid innovatum. ℞. 2. Si pars appellans nolit uti hoc remedio extraordinario attentatorum, poteſt uti *remedio ordinario injuſtitiæ*; & tunc attentata non revocantur ante omnia, ſed diſcutitur cauſa principalis: & ſi favorabilis ſententia feratur pro appellante, tunc ſimul in ea revocantur priora attentata: quo ſenſu explicatur *c. 7. de teſtib.* ibi, *nihilominus judices*, & *l. 11. ff. de appell.* ℞. 3. Attentata poſt appellationem ab interlocutoria, vel gravamine non revocantur ante omnia, ſed poſtquam juſtificata eſt cauſa appellationis, niſi poſt monitionem a Superiore factam aliqua attentata fuiſſent, *c. 7. §. illa vero h. t. in 6.* nam appellatione ab interlocutoria non ſuſpenditur tota juriſdictio judicis *a quo*, ſicut appellatione a definitiva, cum judex interlocutoriam revocare, & gravamen removere poſſit, *c. 60. h. t.* ℞. 4. Appellatione extrajudiciali interpoſita, ea ſolum revocantur, quæ ſunt directe contra appellationem *c. 19. de elect.* nec tunc neceſſaria eſt intimatio parti, aut judici facienda. Secus hoc ſe habet in appellatione judiciali, ubi talis intimatio requiritur, & quidquid attentatum eſt, etſi non directe contra appellationem revocari poteſt, *c. 7. h. t. in 6.* ℞. 5. Si pars appellans aliquid attentet, quod non eſt contra appellationem, attentatum revocatur; ſi vero attentet aliquid contra appellationem, privatur favore appellationis, cum in propria cauſa jus ſibi dicat; & tunc plerumque ſententia prior tranſit in rem judicatam, ut judex *a quo* poſſit ad exequutionem procedere, *c. 3. h. t.* ℞. 6. Judex *a quo* citra vitium attentati poteſt ea omnia, quæ juvant appellationem, v. g. præfigere terminum appellanti, prohibere, ne quid partes attentent, excommunicationem ferre, ſi pendente appellatione, matrimonium contrahatur &c. judex vero *ad quem*, ſicut cognoſcit cauſam, ita ipſe ſolus revocat attentata; & ubi opus eſt, judicem, aut partem attentantem in expenſis condemnat appellanti.

§.

De Recuſationibus, & Relationibus.

26. *Recuſatio* eſt judicis ſuſpecti declinatio, ex probata ſuſpicionis cauſa conceſſa litiganti. Convenit cum appellatione, quod per utramque recedatur a juriſdictione, & foro judicis: differt autem in multis; nam appellatio ſit a judice gravante ad Superiorem, & regulariter poſt ſententiam: e contra recuſatio ſit ſub initium ante litem conteſtatam, niſi poſt hanc cauſa recuſandi emergat, a Judice etiam non gravante, neque ſit ad Superiorem: & licet a vicario generali non poſſit appellari ad Epiſcopum, tamen ille coram iſto recuſari poteſt, *c. 4. de off. deleg.*

27. *Relatio* eſt actus judicis inferioris de jure in cauſa ardua dubitantis, & propterea totam cauſam remittentis ad Principem, ab eo decidendam. Convenit cum appellatione, quia utraque ſit ad Superiorem; differt vero, quia appellatio ſit a partibus, & poſt ſententiam; relatio autem ſit a judice inferiori ad Principem, & ante ſententiam. Differt etiam a *Conſultatione*: nam hæc dirigitur ad Principem, ut reſpondeat ſuper dubio juris, non vero ut ipſam cauſam definiat, licet judex inferior in ſententiando ſequatur reſponſum Principis; econtra relatio totam cauſam transfert ad Principem, ut is eam decidat.

28. Q. I. *Quid juris circa recuſationem judicis?* ℞. 1. Hæc, cum ſit exceptio dilatoria, regulariter proponenda eſt ante litem conteſtatam intra 20. dies a libello oblato *c. 20. de ſent. & re jud. l. 16. C. de jud.* non viva voce, ſed in libello recuſatorio, expreſſa cauſa ſpecifica ſuſpicionis, & recuſationis *c. 41. in fin.* & *c. 61. h. t. l. 9. ff. de liber. cauſ.* ibi: *niſi juſtam cauſam afferat, quare ad eum mitti non debeat*. Illa autem juſta cauſa reputatur, quam jus pro tali habet, uti eſt *inimicitia l. 9. pr. ff. de liber. cauſ.* ſi judex cum recuſante litem habeat, minas, injuriam, aut vindictam ei comminetur, ſigna benevolentiæ ei deneget &c. *Specialis affectio* cum parte altera propter conſanguinitatem, affinitatem, familiaritatem, *c. 4. ut lit. non cont. c. 17. 25. 35. de off. Deleg. l. 5. pr. de injur. ſpecialis affectio erga cauſam*: ut ſi judex ſimilem cauſam habeat, vel ex ea commodum ſperet, vel ſi in tali cauſa egit procuratorem, aut advocatum. ℞. 2. Ex his cauſis recuſari poteſt non tantum delegatus etiam Principis, ſed & judex ordinarius: ita certum eſt de jure Can. *c. 41. 61. h. t. c. 10. de for. comp.* & probabilius etiam de jure civ. *l. 9. pr. ff. de liber. cauſ.* Nec obſtat *l. 16. & fin. C. de judic.* & *Auth. ſi vero eod.* nam leges iſtæ aſſerentes, delegatum Principis recuſari poſſe, per hoc non excludunt recuſationem judicis ordinarii, cum iſte non minus poſſit eſſe ſuſpectus, quam delegatus, *cit. Auth.* dicens, ordinario adjungendum eſſe Epiſcopum, vel alium virum bonum, tantum conſilium continet, nec uſu recepta eſt, Bald. Covar. & alii. Imo & integrum collegium, ſeu ſenatus judicum abſolute recuſari poteſt; licet non tam facile, cum vix fieri poſſit, ut omnes ſint ſuſpecti, non tamen ſummus Princeps, in quo majeſtas omne ſuſpicionis vitium, & periculum purgat. ℞. 3. Cauſa dubia ſuſpicionis cognoſcenda, & decidenda eſt per duos, vel tres arbitros communiter a partibus electos, qui auditis teſtibus, & aliis neceſſariis, ſi pronuntiaverint, non eſſe juſtam cauſam ſuſpicionis, & recuſationis, tunc judex perſeverabit in cauſa principali; ſi vero pronuntiaverint, juſtam eſſe cauſam recuſationis, judex de conſenſu recuſantis cauſam demandabit alteri, vel eam remittet ad Superiorem, *c. 41. §. 3. & c. 61. h. t.* Vide utiliter *c. 4. & 5. de off. deleg. in 6.* ℞. 4. Effectus recuſationis juſtæ, eſt ſuſpenſio juriſdictionis judicis in hac cauſa, alias quod attentatum fuerit, revocari debet per *jura citt.* Probabilius autem videtur acta judicis recuſati ante electionem arbitrorum non eſſe ipſo jure nulla, ut tenent Innoc. Gonz. Schmalz. & alii contra Mynſing. Gail. Zoes; nam, *c. 27. in fin. de off. deleg.* ea ſolum acta dicuntur irrita, quæ facta ſunt poſt appellationem interpoſitam a delegato non admittente cauſam recuſationis. Et ex *c. 61. h. t.* colligitur, tunc primum ſuſpendi juriſdictionem recuſati, dum arbitri electi ſunt ad diſcutiendum articulum recuſationis. Ratio eſt, quia ſola objectio ſuſpicionis a parte facta non videtur ſufficiens ad hoc, ut ſtatim ſuſpendat juriſdictionem judicis. Ex his ſolvitur *arg. ex c. 1. h. t. c. 41. §. 3. h. t. Can. 16. quoties 2. q. 6. c. 5. de off. deleg. in 6.*

☞ Ex Conſt. Bened. XIV. Romanæ Curiæ 21. *Dec.* 1744. *qua confirmantur decreta alias edita* 10. *Janu.* 1742. *de judicum recuſationibus pro ditione Eccleſiaſtica: hi recuſari non poſſunt tamquam ſuſpecti.* 1. *In cauſis exequutivis depoſiti, & futurorum alimentorum.* 2. *In cauſis deſignatis per decreta edita a Congr. Re-*

for-

formationis tribunalium urbis 17. *Apr.* 1731. *videlicet pro schedulis, vulgo pagherò per altri tanti, litteris cambii jam acceptatis, mercede, pensionibus domorum, & solutione Canonum*. 3. *In causis non excedentibus valorem scutorum viginti quinque. In aliis vero quibuscumque causis tam exequutivis, quam ordinariis, & in quacumque instantia (exceptis dumtaxat causis commissariis) unica permittitur recusatio judicis absque allegatione causæ suspicionis intra tres dies numerandos a die reproductionis monitorii, vel citationis ad dicendum contra jura: in reliquis recusationibus servandum est jus commune: citationesque quoad ulteriores recusationes impune sperni possunt, nisi in ipsis certa, & justa causa exprimatur.*

29. Q. II. *Quid juris circa relationem?* R. Hæc facienda est tantum in causa ardua, & in dubio juris, non facti: nam Principis non est facta declarare, sed jura *l.* 12. *C. de LL.* Effectus hujus relationis est, quod in ea causa suspendatur judicis referentis jurisdictio, & causa per Principem, vel ejus successorem decidenda sit, *c.* 5. *de off. deleg. l.* 13. *C. h. t.* Hodie relationes istæ fere exoleverunt, & in locum illarum subintravit recursus ad JCtos, & Academias; & donec ab his respondeatur, judex non solet in causa procedere, Vall. &c.

TITULUS XXIX.

De Clericis peregrinantibus.

1. In *hoc tit.* per se agitur de appellatione reali, quæ arrepto itinere, instituitur ad S. Sedem. Et quamvis rubrica ista concepta sit de Clerico, tamen in textu favor communis Clericis, & laicis ad limina Apostolorum, vel ex alia causa ad S. Sedem peregrinantibus conceditur, quod scil. pendente peregrinatione, judex nihil innovare valeat, & insuper peregrinus cum rebus suis constituatur sub protectione Apostolica securus. Præterea in *casu* 9. & 10. *Bullæ Cœnæ* excommunicantur omnes, qui romipetis, & aliis ad Curiam Roman. accedentibus, vel ibi commorantibus, vel inde recedentibus nocumentum afferunt.

2. Q. *Quando peregrinatio ad S. Sedem vim appellationis habeat?* R. Si hæc concurrant. 1. Ut iter assumatur intra x. dies a sententia lata, vel gravamine illato, & iter hoc judici, vel parti intimetur, licet Apostoli non petantur; nam talis ipso facto appellat, iterque est ei loco Apostolorum *c.* 52. *de appell.* 2. Ut iter hoc instituatur ante citationem: nam si quis citatione præventus est, tenetur comparere coram judice, & is in causa procedere valet *c.* 9. *de appell.* 3. Ut iter fiat ante notitiam rescripti Apost. ab adversario impetrati; secus sciendo contra se impetratum rescriptum, dolo, & malitia se itineri committeret, *c.* 15. *de appell.*

TITULUS XXX.

De Confirmatione utili, vel inutili.

1. *Nota* 1. In hoc titulo directe agi, quomodo sententia confirmetur a Superiore utiliter, vel inutiliter: & propter affinitatem doctrinæ etiam hic tractari de confirmatione privilegiorum, statutorum, instrumentorum, officiorum &c. Est autem confirmatio juris ante quæsiti corroboratio per Superiorem facta. Dicitur 1. *Juris quæsiti*, nam confirmatio debet præsupponere id, quod confirmat; alias si reipsa non supponit jus quæsitum, non tam est confirmatio, quam nova collatio; licet consueverit dici confirmatio etiam tunc, dum jus nulliter, & de facto est quæsitum. Dicitur 2. *per Superiorem*, quia confirmatio est actus imperii; adeoque ab inferiori dari nequit, sed confirmationes inferiorum, aut parium dicendæ sunt potius quædam approbationes.

2. *Nota* 2. Confirmationem aliam esse *utilem*, aliam *inutilem*: *utilis* est, quæ de jure valet, cui nec judex inferior contravenire, nec de ea judicare potest, *c.* 1. 2. *h. t. Inutilis* est, quæ de jure non valet; ut si ob, vel subreptitie fuit impetrata, *c.* 3. 5. *h. t. c.* 20. *de rescript.* 2. Confirmatio alia est in *forma communi* seu *simplex*, & *ordinaria*, qua Superior confirmat actum ab inferioribus gestum in eo statu, in quo prius fuerat: nam confirmatio in forma communi non tribuit jus novum, aut valorem actui, ut ex invalido faciat validum *c.* 4. *h. t. c.* 5. *de concess. præb.* neque tamen est inutilis; nam servit saltem ad cautelam, & magis timeri solet: item electo dat facultatem administrandi. Alia est in *forma speciali*, seu *ex certa scientia*, qua Superior, præmissa plena cognitione, confirmat actum, ut omnino valeat, suumque jus producat, licet forsan antea invalidus fuerit, *c.* 1. *de transact.* nam confirmatio ex certa scientia, non est nuda confirmatio, sed potius nova concessio, seu juris novi collatio.

3. Q. I. *An judex inferior absque speciali mandato directe judicare possit super actu a Sede Apostolica confirmato?* R. Negative, sive confirmatio facta sit in forma communi, sive speciali: nam id generaliter negatur, *c.* 1. 2. *h. t.* tum quia Papa per confirmationem apponens manum actui, censetur illum subtrahere jurisdictioni inferioris, & in suam protectionem assumere: tum quia ea, quæ a Papa confirmantur, dicuntur esse de judicio Papæ, de quo nullus in terris Papa inferior judicare potest, *Can.* 30. *nemini*, 17. *q.* 4. ergo. Unde nullus pronuntiare potest directe, & principaliter, an confirmatio Papæ sit vera, vel falsa. R. 2. Judex inferior indirecte, & incidenter judicare, seu cognoscere potest de rescripto Apostolico, *c.* 9. *de in integr. rest.* nam inspicere, & pronunciare potest, an illud sit vitiosum, ob, vel subreptitium, *c.* 2. *h. t.* & in casu, quo quæritur, an impetrans sit capax privilegii, de hoc judex cognoscere potest, *c.* 20. *de rescr.* & *c.* 5. 6. *h. t.* ubi dicitur non valere confirmatio Papalis, quam quis impetravit, tacendo se Regularem, super prioratu perpetuo possidendo.

4. Q. II. *Quid juris conferat confirmatio privilegiorum?* R. Si est in forma communi, jus ante quæsitum conservat, roborat, eique auctoritatem præstat, sed nullum novum jus addit, *c.* 4. *h. t.* & multo minus novum tribuit innovatio privilegiorum mere materialis, dum ex causa vetustatis Scriptura antiqua in novam mutatur, *cit. c.* 4. *h. t.* At si est in forma speciali, novum jus confert, etsi forsan jus antiquum fuerit invalidum, vel non usu, aut usu contrario extinctum; unde privilegia Regul. per Trid. revocata, si post confirmata sunt in forma speciali, reviviscunt; secus si in forma communi.

5. Q. III. *Quando censeatur confirmatio fieri in forma speciali, & in forma communi?* R. 1. Cum in instrumento exprimitur plenus tenor, & dispositio actus, quia ex hoc infertur, Papam plene cognovisse de toto negotio, ejusque circumstantiis *c.* 8. *h. t.* vel dum in rescripto ponuntur clausulæ: *ex certa scientia*, *ex plenitudine potestatis*, *contraria dispositione non obstante*, *omnes juris*, *& facti defectus supplentes*: nam hoc modo Papæ asserenti omnino credendum est, quod supra, vel contra jus commune dispenset. Excipe, nisi confirmatio cum his clausulis expediretur super actu laborante defectu indispensabili de jure naturali, aut divino; aut in quo non solet dispensari, nisi specialiter exprimatur; vel nisi fit in præjudicium tertii, hoc tacito; vel super iis, quæ Princeps probabiliter ignorat, uti facta particularia, nisi exprimantur. Barbos. Laym. & alii.

6. R. 2. Tunc confirmatio censetur esse in forma communi, dum nec præmissa est plena negotii cognitio, nec inserta est clausula, *ex certa scientia*, aut similis. In dubio videtur standum potius pro confirmatione in forma communi, quam speciali, *arg. c.* 1. *de const. in* 6. & *c.* 8. *h. t.* tum quia confirmatio in forma com. est proprie confirmatio; tum quia extraordinaria in forma speciali non præsumitur, nisi ex instrumento clare colligatur; nisi forsan talis foret, quæ nulli est præjudiciosa, nec contraria juri com. Reiff. *nu.* 17. & alii. Et hæc de libro II. Decretalium cedant ad DEI honorem.

Finis Primæ Partis.

INDEX

INDEX

Rubricarum, seu Titulorum I. & II. libri Decretalium in hac prima Parte contentorum Ordine alphabetico digestus.

A

De ætate, qualitate, & ordine præficiendorum. p. 250
De alienatione judicii mutandi causa facta. 231
De appellationibus, recusationibus, & relationibus. 335
De arbitris. 281
De auctoritate, & usu pallii. 241

B

De bigamis non ordinandis. 255

C

De causa possessionis, & proprietatis. 300
De Clericis peregrinis. 256
De Clericis peregrinantibus. 342
De confessis. 308
De confirmatione utili, vel inutili. 342
De constitutionibus. 220
De consuetudine. 232
De corpore vitiatis ordinandis, vel non. 254

D

De dilationibus. 297
De dolo, & contumacia. 305

E

De electione, & electi potestate. 234
De eo, qui mittitur in possessionem causa rei servandæ. 306
De exceptionibus. 324

F

De feriis. 297
De fide instrumentorum. 317
De filiis Presbyterorum ordinandis, vel non. 252
De foro competente. 285

H

De his, quæ vi, metusve causa fiunt. 276

I

De in integrum restitutione. 278
De judiciis. 283
De juramento calumniæ. 296
De jurejurando. 321

L

De libelli oblatione. 292
De litis contestatione. 295

M

De majoritate, & obedientia. 268
De mutuis petitionibus. 294

O

De obligatis ad ratiocinia ordinandis, vel non. 254
De officio Archidiaconi, Archipresbyteri, primicerii, sacristæ, & custodis. 256
De officio Vicarii. 257
De officio, & potestate judicis delegati. 259
De officio Legati. 261
De officio judicis ordinarii. 262
De officio judicis. 264
De ordinatis ab Episcopo, qui renuntiavit Episcopatui, vel excommunicato. 250
De ordine cognitionum. 299

P

De pactis. 270
De plus petitionibus. 300
De postulando. 273
De postulatione Prælatorum. 133
De præscriptionibus. 326
De præsumptionibus. 320
De probationibus. 311
De procuratoribus. 274

R

De renuntiatione. 242
De rescriptis. 229
De restitutione spoliatorum. 303

S

De Sacramentis non iterandis. 252
De sacra unctione. 251
De scrutinio in ordine faciendo. 249
De sententia, & re judicata. 332
De sequestratione possessionum, & fructuum. 307
De servis non ordinandis, & eorum manumissione. 253.
De summa Trinitate, & Fide Catholica. 219
De supplenda negligentia Prælatorum. 244
De syndico. 276

T

De temporibus ordinationum, & qualitate ordinandorum. 245
De testibus, & attestationibus. 312
De testibus cogendis, vel non. 316
De transactionibus. 272
De translatione Episcopi. 241
De treuga, & pace. 269

U

Ut lite non contestata, non procedatur ad testium receptionem, vel ad sententiam definitivam. 295
Ut lite pendente, nihil innovetur. 306

FINIS.